PANEGYRICI VETERES.

VOL. II.

PANEGYRICI VETERES

EX EDITIONIBUS

CHR. G. SCHWARZII ET ARNTZENIORUM

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS

ACCURATE RECENSITI.

VOLUMEN SECUNDUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1828.

NOTÆ VARIORUM

IN

C. PLINII CÆCILII SECUNDI

PANEGYRICUM.

EX EDITIONE C. G. SCHWARZII,

NORIMB. 1746.. 4to.

NOTÆ VARIORUM

IN

C. PLINII CÆCILII SECUNDI

PANEGYRICUM.

Plinii] Auctor hujus Orationis C. Cæcilius, ex Novocomo, Insubriæ urbe, L. Cæcilii filius, ex Plinia, C. Plinii historici sorore, cujus mox etiam factus est bonorum heres, et ideo in Pliniorum familiam adscitus; unde et Plinius agnomine dictus est. Artem rhetoricam a Quinctiliano, reliquas vero disciplinas a Nicete Smyrnæo sophista atque oratore, et ab Euphrate Stoico didicit. Sub Trajano imperatore præcipuos honores gessit; nam quæstor, tribunus plebis, præfectus ærarii, Æmiliæ viæ, Tiberinique alvei curator; proprætor provinciæ Ponticæ atque augur fuit; inde etiam consul, una cum Cornuto Tertullo, eo ipso anno, in quem tertius incidit Trajani ipsius consulatus; hoc est, anno Christi centesimo, quo Trajanus ipse primo collegam habuerat Frontinum, seu Frontonem. Fuere igitur Plinius et Tertullus non ordinarii consules, sed suffecti, ut adnotavi etiam ad c. LXI. Videtur Plinius noster tricesimo nono circiter ætatis anno orationem hanc dixisse; nam decimum octavum se annum egisse scribit, Epist. VI. 20. quando Vesuvius arsit; primo nempe anno imperii Titi Cæsaris, Christi vero septuagesimo nono. Panegyrici hujus laudes a tot auctoribus prolatas recensere hic mens non est, ne in immensum opus excrescat. Consulat, qui velit, Carolum Arndium, Biblioth. Polit. Herald. Sel. Class. I. Gener. 3. Speci. § 7. *Patarol.*

Panegyricus] Laudatio elegans inprimis, et quam accuratum exemplar quoddam Atticismi proponam. Quo in genere et laborasse se autor sparsim significat in Epistolis, et vero (nisi me amor et judicium fallunt) regnat. Scis, Apollinarem Sidonium lib. VIII. ad Ruricium scribere, 'C. Plinius pro Attia Variola plus gloriæ de centumvirali suggestu domum retulit, quam cum M. Ulpio, incomparabili principi, comparabilem Panegyricum dixit,' sed nec optimus is dicendi censor ac magister est, et voluerit, opinor, Plinium hic magno intervallo a summi principis meritis relinqui. Potuit et longe imparem actioni pro Attia Variola sensisse. De qua hæc sunt ipsius Plinii lib. VI. ad Romanum: 'In summa solent quidam ex contubernalibus nostris exis-

timare hanc orationem, (iterum dicam,) præcipuam, ut inter meas, ὡς ὑπὲρ Κτησιφῶντος, esse;' et plura ibi. Sed ea cum aliis fuit, nobis superest desiderium. De hoc opere vero quod judicium parentis, tu æstima, mi Lector, ex Epist. III. 13. et 18. Meminit VI. 27. *Livineius*.

Hanc gratiarum actionem non recte Panegyricam dici, et Theod. Marcilius ad Suet. Vespas. cap. 2. et Gerhard. Joan. Vossius Instit. Orat. I. 5. ostendunt. Sed satis, ni fallor, hanc tueantur appellationem, quæ in hoc orationis genere excellunt atque eminent, principis laudatio, non quidem sic ampliter dicta, ut post illa scripta; floridus stilus, qui ad poëticum modum fere luxuriat; celebris conventus, qui senatus, et locus, qui in nova republ. curia, ut in veteri concio. Immo vellem, si velles, nominare Satyram Panegyricam, et Panegyrin Satyricam. *Berneggerus*.

CAP. I. *Bene ac sapienter*] Καλῶς καὶ σοφῶς. Solennia verba probandi aliorum bona facta, dicta, instituta. His tamen impendio sunt abusi, sportulis conducti, nec immerito dicti σοφοκλεῖς et Laudicicœni. Plin. Epist. II. 14. Lips. Epist. II. 48. *Idem*.

Ut rerum] Xenophontis præceptum: Πειρᾶσθαι σὺν θεοῖς ἄρχεσθαι παντὸς ἔργου· ὡς τῶν θεῶν κυρίων ὄντων οὐδὲν ἧττον τῶν εἰρηνικῶν, ἢ τῶν πολεμικῶν ἔργων· *Conari omne opus cum Diis aggredi; quia Dii non sequius rebus civilibus, quam et bellicis, præsunt, ac dominantur*. Lipsius.

Ut rerum] Verissime: nam et apud Livium Cn. Manlius, XXXVIII. 48. 'Sed ego in ea civitate, quæ ideo omnibus rebus incipiendis gerendisque Deos adhibet, quia nullius,' &c. Unde et eidem Livio mos ille precandi, 'carmen solenne,' XXXIX. 15. 'Et concione advocata, cum solenne carmen precationis, quod præfari, priusquam populum adloquantur magistratus solent, peregisset consul, ita cœpit,' &c. Quæ duo loca opportune ad Plinii sui marginem adnotarat illa antiquæ virtutis expressa effigies Jacobus Bongarsius. Prorsus enim adhuc antiquum obtinet, ac librariam suam eorum usui impendit, qui inde aut fructum, aut voluptatem aliquam, pollicentur publico; quorum in numero nomen meum censeri quam facile patior, tam libenter loci ejus dignitatem implere velim. Et affectus quidem ac voluntatis abunde est; effectus ac facultatis, parum, aut nihil: ita molitiones nostræ omnes millepedam imitantur: utque illa, tot, ut ita loquar, remorum instructa ordinibus, audit tamen reptilium facile tardissima: sic, quamvis in hac grandi bonorum librorum supellectili multa coner, multa moveam, minimum tamen promoveo: nisi quatenus forte meo exemplo unus alterque boni ingenii excitatur; qui cum videat, dignationem tantam haberi industriæ nostræ, infra omnem mediocritatem mediocri; haud temere confisus et indolis suæ felicioris naturæ, et eruditionis uberiori copiæ, bene item vult reipublicæ nostræ literariæ, proque ea strenue pugnat in hostes ejus internecinos, inscitiam et livorem: quibus ipsis bellatoribus, quamvis impar, tantum abest, ut invideam; faveo magis, plausuque frequentis faventiæ successum eorum cohonesto. Ut enim in magna familia, non omnia licet esse omnibus; sed sunt ibi sui gradus; tamque domino prosunt sordidioris operæ homines, quam quibus sua virtus honesta adsignat ministeria; sic nunquam inutilis est philologiæ nostræ qualiscumque civis opera. Belle Seneca, 'Non ille solus militat, qui in acie stat, et cornu dextrum lævumque defendit; sed et qui portas tuetur, et statione minus periculosa, non otiosa tamen, fungitur, vigiliasque servat, et armamentario præest: quæ ministeria, quamvis incruenta sint,

in numerum stipendiorum veniunt.' Et mox, 'Præcisis quoque manibus ille in prælio invenit, quod partibus conferat, qui stat tantum, et clamore juvat.' Quæ cum ita se habeant, facile apparet, quam parum ii satisfaciant sacramento suo, qui commilitones suos sub iisdem militantes signis dicto factoque traducunt, quorum hodie proventus uberrimus: ii quamvis neque a me abstineant, haud tamen statione mea abibo: sed petulantiam eorum ulturus silentio, tanto spartam meam ornaturus sum constantius, quanto ingruent impudentius. Si non id exsequor strenua manu; at non deerit animus, non vultus, non nutus, non denique statu toto: quidni? nihil sane pusillum est, quo literis fit melius. *Gruterus.*

Ut rerum] Omnium rerum magnarum a Diis immortalibus principia duci consuevisse, testantur Cic. in Vatin. pro Rabir. in Divin. Valer. Max. in Præfat. Serv. Æn. VII. Plin. Epist. VIII. 4. Symmach. Epist. II. 107. cui et hujus Panegyrici initium, exordium fecit. Hoc tamen non æque historiarum scriptoribus convenire, historicorum facile primus Livius refert in Præfat. lib. I. *Bern.*

Ut rer. agend.] Rebus quibuslibet agendis Romanos sacra, seu precationum, seu auspiciorum adhibuisse, nemo non novit. Liv. lib. I. 'Auguriis, sacerdotioque augurum, tantus honos accessit, ut nihil belli domique postea, nisi auspicato, gereretur,' &c. Dicendis etiam parem curam adhibitam notat Val. Max. Prol. 'Si prisci oratores ab Jove O. M. bene orsi sunt,' &c. Egregie utrumque complectitur Nazianzenus Apolog. 'Optimum siquidem, ut cujuscunque, vel sermonis, vel operis, principium, ordine instituatur, et ex Deo prodeat, et in Deum desinat.' *Patarol.*

Dicendi initium] Vetus mos Romanis, a precatione orationes ordiri. Cicero, Livius, auctor ad Herennium ostendunt. *Lips.*

Capere] *Caperetur;* sed *capere* V. R. *Livin.*

Capere] Recte. *Rittershusius.*

Capere] Proba lectio, quam jam an. 1520. Beatus Rhenanus, et Philomusus prodidere, pluresque alii deinceps recepere; et codices Mss. quos consuluimus confirmant: quamquam Beroaldus an. 1501. Catanæus an. 1506. Aldus an. 1508. et 1519. Cuspinianus anno 1513. Philippus Junta an. 1515. Robertus Stephanus an. 1529. Sebast. Gryphius an. 1531. Livineius an. 1590. et forte pauci alii ediderint *caperetur.* Hi enim secuti videntur rudes quosdam librarios, qui particulam antecedentem *ut* non pro comparativa, sed caussáli habuere. Ac licet Henricus Stephanus, in margine editionis suæ, an. 1591. exhibuerit hanc paullo commodiorem lectionem, *ut, quemadmodum rerum agendarum, ita dicendi initium, a precationibus caperetur;* eam ipsam tamen potius ex ingenio Henr. Stephani, quam ex vetusto aliquo codice, profectam putamus. *Schwarzius.*

Nihil rite] Bene: at contra auctoritatem codicum Mss. aliorumque librorum excusorum, Jacobus de la Baune an. 1676. edidit *nihil recte.* Ceterum, veterem morem orationum a precationibus ordiendarum etiam Servius, Scholiastes Virgilianus, declarat ad Æn. XI. 301. ubi Rex Latinus, 'Præfatus Divos, solio sic infit ab alto.' Ibi Servius: 'More antiquo,' inquit; 'nam majores nullam orationem, nisi invocatis numinibus, inchoabant: sicut sunt omnes orationes Catonis et Gracchi; nam generale caput in omnibus legimus. Unde Cicero per irrisionem ait, 'Si quis ex vetere aliqua oratione, Jovem ego optimum maximum.' Et Demosthenes in oratione contra Æschinem, Πρῶτον μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι, καὶ πάσαις.' Vid. Christoph. Behr. ad h. l. *Idem.*

Consuli] Muneris consularis fuisse hoc, docet ipse Plinius Ep. III. 18. 'Officium consulatus injunxit mihi, ut reipublicæ nomine principi gratias agerem.' *Patarol.*

Consuli] Ritus solennis, accepto a principe beneficio, gratias ei agendi in senatu, quales hic et ex officio consulatus, et jussu reipublicæ, Trajano Plinius Epist. III. 18. Vespasianus Caio. Sueton. Vespas. 2. Dio lib. LVIII. *Bern.*

Auctoritate reipublicæ] Plinius Ep. III. 18. 'Ut reipubl. nomine principi gratias agerem.' *Lips.*

Pulchrius] Regnum res inter Deos hominesque pulcherrima. Liv. II. 9. *ern.*

Castus et sanctus] Sive ad τὸ καθῆκον, sive ad ἦθος Trajani referre lubet, recto, ni fallor, stant talo. Versatus enim in munere suo caste, h. e. integre et incorrupte, alienus a luxuria, avaritia, et id genus sordibus; qualis alioqui 'castus,' Cic. Fam. XI. 6. Plaut. Pœn. V. 4. 'Sancte,' h. e. mansuete, benigne et misericorditer. Cujus vocis notionem ex Hebræo חסידים principum in sacris apposito adstruit Petr. Faber in Semest. III. 16. Non repugnem, qui *sanctum* hic σεβαστὸν, i. e. *veneratione dignum*, dicat; uti alias princeps dicitur Augustus ob sanctitatem. Castis tamen, licet fortassis minus pudicis, et sanctis erga Deos suos moribus fuit, immo et mitioribus erga Christi cultores. Eusebius III. 33. *Idem.*

Diis simillimus] Ὁ βασιλεὺς, ὡς θεὸς ἐξ ἀνθρώπων· *Rex, Deus quispiam humanus est*, Plato in Polit. Philo περὶ Καταστ. Ἀρχ. ἡγεμονία πρὸς ἀρχέτυπον τὴν Θεοῦ βασιλείαν ἀπεικονισθεῖσα· *Principatus ad archetypum Dei regnum efformatus.* Idem alibi: 'Optimo principi id curæ esse debere, ut se quadantenus Deo similem, sequendo ipsum, et plurimis benefaciendo, neminem, cum possit, lædendo, reddere conetur.' Aurea in hanc rem Themist. Orat. 5. in Senat. de Human. Imp. Theodos. *Idem.*

Adhuc dubium fuisset] Frequens hoc significatu *adhuc*, tum Plinio ac quos nunc damus panegyristis, tum Ciceroni ipsi. Loca ex eo aliquot apponam. Verrina VII. 'Ita mihi voluntatem spemque reliquæ vitæ vestra populique R. existimatio comprobet, ut ego, quos adhuc mihi magistratus pop. R. mandavit, sic eos accepi, ut me omnium officiorum obstringi religione arbitrarer.' Divinatione in Verrem, 'Videt enim, si a pueris nobilibus, quos adhuc elusit, accusandi voluntas ad viros fortes spectatosque homines translata sit,' &c. Iterum, 'Est adhuc (id quod vos omnes mirari video) non Verres, sed Q. Mucius.' Verrina II. 'Vident adhuc post legem tribunitiam unum hominem' (in quibusdam est 'senatorem,' quod equidem haud probem) 'vel tenuissimum esse damnatum.' Usus et Casina Plautus: 'Nisi ex te scio, quidquid hoc sit, cito; jam tibi istuc Cerebrum dispercutiam, excetra tu: ludibrio, pessima adhuc, Quæ me habuisti.' *Livin.*

Aliquo numine] Homerus, Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες, *Ex Jove sunt reges.* Plutarchus in Numa, μέγιστον καὶ θεῖον δῶρον, *Maximum et divinum donum*, de regno. *Lips.*

Divinitus constitutum] Οὐκ ἔστιν ἐξουσία εἰ μὴ ὑπὸ Θεοῦ, *Potestas a solo Deo est*, Paul. Rom. XIII. 1. Θειοτάτη ἡ βασιλεία, *Divinissimus principatus*, Aristot. Polit. 'Principatus fato datur,' Sueton. Tit. c. 9. 'Si ei divinitus debetur imperium, non poterimus interficere,' Marci Antonini de Avidio Cassio dictum Vulcat. in Avid. Cæs. cap. 2. Hinc Divorum prænomen Imp. Rom. θεοστεφῶν, *a Deo coronatorum*, Græcorum; 'Dei gratia' nostratium. Et videmus in nonnullis numismatis, 'Imperatorium diadema manu Dei imponi.' *Bern.*

Repertus est; electus quippe] Olim in plurimis libris impressis parum concinne legebatur, *repertus, electus est. Quippe inter aras, &c.* Rationes hujus emendationis reddidimus in Excurs. I. *Schwarz.*

Aras et altaria] Altaria sunt ex Festo, 'in quibus ignis adoletur, ab altitudine dicta.' Aræ quoque ejusdem generis fuere, variæ tamen ab altaribus. Hæc enim majora erant, Deorumque superum sacris inservientia; illæ vero minores, et potius ignitabula quædam, quibus Inferis maxime litabatur. *Patarol.*

Aras et altaria] Distincta, et 'altare' augustius aliquid, et in quo victimæ adolentur; 'ara' etiam, in qua supplicatur, aut libatur tantum. Illud item superorum Deorum; hæc etiam manium et inferorum. Glossæ: *Altare*, ἐπιβωμίς· *ara*, βωμός. Vide Festum in 'Altare,' et 'Adolesco:' Servium in illud, 'en quatuor aras, Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phœbo.' *Lips.*

Tam manifestus] Ob loci templique religionem cum majestate. Cicero in Verr. 'In Capitolio, hoc est, in terrestri domicilio Jovis.' *Idem.*

Aptum piumque] *Aptum*, quia a te, et in tuo templo, ille Princeps: *pium*, quia agnoscere beneficium, neque ingrati esse debemus. *Idem.*

Jupiter optime] *Jupiter Opt. Max.* C. *Livin.*

Jupiter optime maxime] De nomine Jup. legatur Fullerus Miscell. Theolog. II. 6. De veri Dei attributis (tum Jovis Capitolini male propriis) nefarie tralatis, Magni Heinsii Aristarch. Sacr. in de vera crit. cap. 1. *Bern.*

Conditorem] Ita dictum, quod Jupiter omnium conditor, ac pater; qui conditori urbis, Romulo, præsto fuerit, animum viresque sufficiens. *Patarol.*

Nunc conservatorem] Propter evectum Trajanum ad imperium. Frequens in nummis est Jovis Conservatoris typus, et epigraphe. *Idem.*

Conservatorem] In Trajano. Plinius ad eum Epist. X. 3. 'Diem, domine, quo servasti imperium, dum suscipis, celebravimus.' *Lips.*

Libertas, fides, veritas] Libertas, qua de principe dicam, quidquid ipse meretur, aut non. Fides, ut ea dicam, quibus credi possit, nec adulatorie illa proferam, quibus credi non possit. Veritas, ut nihil falsi ejusdem laudibus immisceam. *Patarol.*

A specie adulationis] Huc pertinent ea, quæ idem ipse Plinius hac de re scripsit, Epist. VI. 27. 'Designatus ego consul, omni hac, etsi non adulatione, specie tamen adulationis abstinui: non, tanquam liber et constans; sed tanquam intelligens principis nostri; cujus videbam hanc esse præcipuam laudem, si nihil quasi ex necessitate decernerem. Recordabar etiam, plurimos honores pessimo cuique delatos; a quibus hic optimus separari non alio modo magis poterat, quam diversitate censendi.' *Schwarz.*

A necessitate] i. e. quia inviti non cogimur. Latinus Pacatus in Theodos. c. 2. 'Illud me impulit ad dicendum, quod ut dicerem, nullus adigebat: non enim coacta laudatio, et expressæ metu voces periculum silentii redimunt.' *Bern.*

CAP. II. *De alio dici*] E prioribus principibus, apud quos blanda et humilis semper oratio. Martialis lib. X. 'Hoc sub principe, si sapis, caveto Verbis, Roma, prioribus loquaris.' *Lips.*

Abeant] Non absimilis Pacatus d. l. 'Fuerit, abierit tristis illa facundiæ ancillantis necessitas, cum trucem dominum auras omnes plausuum publicorum ventosa popularitate captantem mendax assentatio titillabat; cum gratias agebant dolentes.' Atreo tamen apud Senecam in Thyeste vs.

204. 'Maximum hoc regni bonum est, Quod facta domini cogitur populus sui, Quam ferre, tam laudare.' Sed vere ipse Servus: 'Quos cogit metus Laudare, eosdem reddit inimicos metus: At qui favoris gloriam veri petit, Animo magis, quam voce, laudari volet.' *Bern.*

Voces illæ] Adulationum, quibus necesse erat pessimis imperatoribus ex vitæ perdendæ metu blandiri; non enim, ut queritur Juvenal. Sat. I. 'Civis erat, qui libera posset Verba animi proferre, et vitam impendere vero.' *Patarol.*

Nihil quale antea dicamus; nihil enim, quale antea, patimur] Sic restitui secutus editiones primogenias; nam male, meo animo, expressum Livineio *dicebamus.* Grut.

De principe, quæ prius] *Palam, quæ prius* C. G. *Livin.*

Palam, quæ prius, prædicemus] Particulam *palam* omissam deprehendimus in codicibus Mss. et quibusdam impressis. Atque opineris, eam videri superfluam; quia 'prædicare' est 'palam aliquid promulgare, celebrare.' Sed, ea vocula retenta, oratio fit numerosior, et ἀντίθεσις clarior. Eam jam Cuspinianus, Gryphius, et alii evulgarunt. Adhæc et ipse Cic. ad Attic. IX. 9. has voces conjungit: 'Prædicat enim palam, et militibus ostendit, se largitione ipsa superiorem, quam hunc, fore.' Equidem, in quibusdam libris, posteriora hujus periodi verba etiam sic collocata leguntur: *nec eadem de Principe, quæ prius, prædicemus: neque enim eadem, quæ prius, secreto loquimur.* Sed nullam vocem suo loco movendam censeo. Ceterum Lipsius hic annotavit hæc Senecæ verba de bono principe: 'Eadem de illo homines secreto loquuntur, quæ palam.' *Schwarz.*

Secreto] Maledictionibus nempe, atque imprecationibus, seu tacitis intra nos, seu inter domesticos tantum parietes expressis. *Patarol.*

Quando sint hactenus] Olim emendavimus, *cui, quando, sint actæ. Nusquam ut Deo nunc, nusquam ut.* Iterum Martialis concurrit: 'Frustra blanditiæ venitis ad me, Attritis miserabiles labellis, Dicturus Dominum Deumque non sum: Jam non est locus hac in urbe vobis.' *Lips.*

Quando sint haetenus] Approbo correctionem aliorum, *cui quando sint actæ. Nusquam ut Deo nunc, nusquam, &c.* Non etiam ausus sum recipere in contextum, quod manarit a conjectura, quamvis certissima. Ea enim habenda usquequaque reverentia auctoribus classicis, ut nihil in iis mutemus sine testium auctoritate certa, hoc est, librorum antiquorum, qui tamen hic fere emendationem istam inculcant, cum servent, *cui quando sint hactenus quam ut Deo, nunc nusquam ut numini blandiamur.* Sic sane editus, procurante Cuspiniano, quem et mihi objecit Bongarsii benignitas. *Grut.*

Cui, quando, sint actæ] Perverse in codicibus Mss. et primis libris impressis, hæc verba leguntur, ita tamen, ut verioris lectionis vestigia haud obscure appareant. Sic enim in codice Paris. et Venet. est scriptum, *cui quando sint hactenus quam ut Deo, nusquam ut numini blandiamur.* In vocibus enim, quarum syllabæ imperite partim divulsæ sunt, partim coaluerunt, *hactenus quam,* latent, *actæ nusquam.* Noster codex, relicta brevi lacuna, habet aliquantum corruptius, *cui quando sint hactenus* . *ut adeo nusquam ut numini blandiamur.* Scaliger, teste T. Hearne, illam corruptam lectionem saltem interpunctione sanare voluit, ita easdem voces distinguens, *cui quando sint hactenus ut Deo; nunc nusquam ut numini blandiamur.* Sed rectius hunc locum jam an. 1690. emendavit Livineius in notis, *cui quando sint actæ. Nusquam ut Deo nunc, nusquam ut numini blandiamur;* quamquam et Lipsius, cum

eodem anno Panegyricum Plinii perpetuo commentario illustratum ederet, professus sit, se jam olim eundem locum hoc modo emendasse. Atque idem in Quæstionibus Epist. v. 15. jam an. 1576. evulgatis, hanc emendationem ostenderat. Quidni vero duo pluresve viri eruditi iisdem vestigiis eandem veriorem lectionem indagare possint? Hanc ipsam autem emendationem etiam comprobat codex Guelpherbytanus, in quo ita scriptum legitur, *cui quando sint actæ: nusquam ut Deo, nusquam ut numini, blandiamur*. Sola particula *nunc*, post vocem *Deo*, hic prætermissa est; quæ et, salva sententia, prætermitti potest. Kirchmaierus sic legendum censuit, *cui quando sint actæ ut Deo; nunc nusquam ut numini blandiamur*. Behrius ita, *cui quando sint actæ. Non ut Deo nostro nunc, non ut domino, blandiamur*. At quo quæque lectio propior insistit pristinis vestigiis; eo nobis videtur verisimilior. *Schwarz*.

Deo] Deos enim se putabant imperatores illi, et a civibus pro Diis coli volebant. Qua nota non caruit ipse Augustus, princeps alioquin laudabilis; gaudebat enim, teste Sueton. cap. 79. 'Si quis sibi acrius intuenti, quasi ad fulgorem solis, vultum submitteret.' *Patarol*.

Ut Deo] Initium epistolæ Domitiani: 'Domitianus et Deus noster sic fieri jubet.' Suet. c. 13. Assentator Domit. Mart. VIII. 2. 'Terrarum Domino, Deoque rerum.' *Bern*.

Non enim de tyranno, sed de cive] Noster infra LIII. 1. 'Sine comparatione nihil non parum grate laudatur. Et maxime laudatur incolumis imperator, si priores secus meriti reprehendantur.' *Civem* vero, ut et in Novell. ipsi se Impp. πολίτας vocant ob ἰσονομίαν, *æqualitatem juris civilis*, ut Seneca vertit, quam ἁπλῶς in principe damnare, est omne ipsi jus commune cum subditis denegare, eumque, ut Aristoteles loquitur, vel Deum, vel feram facere. Et non raro sunt. Vere et acute Juvenal. Sat. VIII. Rarus (enim) ferme sensus communis in illa fortuna; ubi per sensum communem, notante Casaub. in August. c. 51. hanc virtutem intelligit. Et quem non cum Julio Cæsare 'Concessa pudet ire via, civemque videri?' Lucan. *Idem*.

Non de domino] Appellatio 'domini' libero populo molesta; Augusto opprobrio. Suet. Aug. c. 53. quamquam tunc parentes liberi, fratres (grandiores natu) fratres, sic appellabant. Lampr. in Diadum. Cæs. Vita. Bene Tertul. in Apolog. c. 34. 'Qui pater patriæ est, quomodo dominus est? Gratius est nomen pietatis, quam potestatis.' Post illa tamen sic dicti imperatores. Plin. Epist. x. 2. 3. 6. et seq. etiam 'pessimi quique,' Martial. Epist. ad Domit. lib. VI. præfixa. 'Obvii,' Seneca Epist. 3. Martial. I. 113. 'amicæ,' Ovid. Am. III. 6. 'conjuges,' Suet. Claud. c. 39. *Idem*.

Domino] Erat hoc tyrannis illis usurpatum nomen, a nulloque plus affectatum, quam a Domitiano. Vid. Suet. c. 13. At Tiberius, sagacissimus ille tyrannus, 'acerbe increpuit eos, qui divinas occupationes, ipsumque dominum, dixerant.' Hæc Tacit. Annal. II. *Patarol*.

Non de domino] Quærit hic quasi Baudius Plinium, cur ergo ipse Trajanum appellarit 'Dominum' in literis? v. g. x. 2. 4. 5. 6. 7. et seqq. At fortasse tunc aliter publice, et in curia; aliter quasi privatim, loqui licebat. Sic vero et Martial. x. 72. tradit, apud Trajanum nullum blanditiis, tituloque domini, esse locum: 'Frustra blanditiæ venitis ad me, Attritis miserabiles labellis: Dicturus Dominum, Deumque, non sum. Jam non est locus hac in urbe vobis; Ad Parthos procul ite pileatos, Et turpes, humilesque, supplicesque,

Pictorum sola basiate regnum. Non est hic Dominus, sed Imperator, Sed justissimus omnium senator; Per quem de Stygia domo reducta est Siccis rustica veritas capillis. Hoc sub principe, sis apis, caveto, Verbis, Roma, prioribus loquaris.' Idem vero Martialis assentator, VIII. 2. de Domitiano: 'Terrarum Domino, Deoque rerum.' *Schwarz.*

Unum ille se ex nobis putat] Sic Cicero de Offic. I. 30. 'ut unus de multis esse videatur:' et idem de Fin. 'Tennis L. Virginius, unusque de multis.' Græcis dicitur, εἷς τῶν πολλῶν. Hic vero Trajanus non dicitur quasi unus de plebe, sed de senatorio ordine, ad quem ipse Julianus imperator ex modestia se referebat. Lege enim VIII. cod. de dignitatibus: 'Jus senatorum,' inquit, 'et auctoritatem ejus ordinis, in quo nos quoque ipsos esse numeramus, necesse est, ab omni injuria defendere.' Ceterum huc pertinet locus Tertulliani, quem ex ejus Apologia attulit Baudius. *Idem.*

Unum ex nobis] Sed non ex vulgo, ut recte improbat Lipsius in Tacit. A. XII. 5. 4. n. 10. Alias recte commendatur a Plinio et infra c. 21. 'Trajani civilitas,' et a Suet. c. 8. et a Tac. Hist. V. 1. Titi. Verum princeps nimium civilis fit vilis, quomodo Vitellius Suet. c. 7. Prudens aptat se moribus et ingenio gentis, 'ne ignotæ virtutes fiant nova vitia,' Tac. A. II. 2. 9. not. 9. *Bern.*

Illius usu] Trajani. Sed melius, aut fallor, quod olim ego, *illis usu.* Bonis illis dignos probemus utendo. Libertas et veritas redierunt; usurpemus. *Lips.*

Illius usu] Non male apex ille eruditionis reconditæ Justus Lipsius, *illis.* Grut.

Dignosque nos illius usu probemus] Nonnulli ex conjectura Lipsii, pro voce *illius,* recepere *illis;* ut ea non ad Trajanum, sed ad *bona,* referatur; idque non quidem incommode, sed tamen contra auctoritatem omnium, qui adhuc innotuerunt, librorum veterum. Vide Excurs. II. *Schwarz.*

Cogitemus] Sequitur, *quam sit indignum,* C. *Livin.*

Cogitemus] Venit aliquando in mentem *rogitemus;* neque adhuc valde displicet. *Grut.*

Quam sit indignum] Hæc verba feliciter, et quasi postliminio, restituimus; neque adeo nunc necesse habemus, docere, particulam sequentem *si* aliquando, idque satis raro, habere interrogandi notionem; unde tamen non existeret nisi frigida hujus loci sententia. Vide Excurs. II. *Schwarz.*

Si majus] Vult intelligi, quod minus. *Lips.*

Si majus] Sensus, nisi parallelismi gnaro, facile est negatus. Is latet in particula *si,* posita quemadmodum *εἰ* apud Græcos (vide Hein. Steph. Thes. Græc. tom. I. 1102. D.) pro 'an.' *Frequenter cogitamus, an majus, &c.* q. d. minime majus, immo nullum revera tyrannis præstamus obsequium; etenim quod exhibemus, tacita est detestatio: quem metuat, periisse expetunt. Similia exempla habent Terent. Heaut. I. 1. 3. Plautus Bacch. III. 5. Propert. II. Virg. Æn. IV. 192. Lege Danielis Vechneri Aurimontani Hellenolexiam II. 3. p. 181. *Bern.*

Dilectum principum servat] Id enim dicit: Populus ipse Romanus discernere et eligere inter principes novit, et secundum cujusque mores laudare. Lipsius in Epistol. Quæst. V. 15. *Schwarz.*

Principum] Sic malui cum Lipsio et aliis, quam *Principem;* ut in multis legebatur. *Patarol.*

Dilectum principum] Forte, *principum.* Livin.

Dilectum principum] Lego *principum.* Ipse populus, cui minor sapientia, discrimen et dilectum habet in prin-

cipum laude, qui non magis nos? *Lips.*

Concentu] Proprio ad rem verbo. Nam acclamationes illæ theatricæ, cum modulis et quodam velut cantu erant. Tacitus Ann. xvi. 'Plebs personabat certis modis, plausuque composito.' Ibi ego. *Idem.*

Concentu] Modulato clamore. Cassiod. lib. I. 'Profertis voces organo dulciores, et ita sub quadam harmonia citharæ concavum theatrum per vos resonat, ut tonos possit quilibet credere, quam clamores.' Dio in Pertinace vocat εὐρύθμως ἐκβοᾷν. *Bern.*

Formosum] Domitianum, qui 'pulcher ac decens (ait Sueton. cap. 28.) maxime in juventa.' Martialis: 'Purpureum fundens Cæsar ab ore jubar.' Et ipse de se illud Homericum usurpat, Iliad. Φ. Οὐχ ὁρᾷας οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε; *Nonne vides tu, qualis ego magnusque decensque?* Lips.

Formosum] Recte hoc nomine laudatur femina, non princeps. Erasmus in egregia narratiuncula proverbii, quod amœnissimi ingenii vir in Apocolocynth. habet: 'Aut regem, aut fatuum, nasci oportet.' *Bern.*

Formosum alium] Domitianum; de quo Sueton. cap. 18. *Patarol.*

Gestum alterius] Neronis, de quo Tac. Ann. xiv. 'Nec minus fœdum studium cithara ludicrum in modum canere.' Et paulo post: 'Hi (Equites Augustani) dies, noctesque, plausibus personare formam Principis, vocemque, Deum vocabulis appellantes,' &c. Notumque omnibus, ipsum in theatro recitare solitum, citharœdico etiam habitu indutum. Tradunt Xiphil. et Sueton. cap. 24. Rem illustrat Numisma Græcum. *Idem.*

Gestum] Neronis, qui histrioniam exercebat. Ad eundem spectat, de *voce*, quam *cœlestem et divinam* dici viderique volebat. *Lips.*

Gestum alterius] Neronis. Infra XLVI. 4. 'Idem ergo populus ille, aliquando scenici imperatoris spectator et applausor.' Paullo ante, 'concentu' non solicito; sic enim alibi: 'Principi nostro quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, omnisque gloriæ?' Rursum: 'Neque enim a te minore concentu ut tolleres pantomimos, quam a patre tuo, ut restitueret, exactum est.' *Livin.*

Vocem] 'Belle canit, belle saltat: histrionum laus ista est, non regum.' Erasm. ibidem. *Bern.*

Ut amor et gaudium] 'Antea composito vultu, lacrymas, gaudium, questus, adulationes, (sive, ut Muretus legit, 'lacrymas gaudio, questus adulatione,' Variar. Lect. II. 3.) miscebant in principis exordio.' Tacit. Ann. I. 7. 2. *Idem.*

Civile] Ratione nostri, ut bonos nempe, ac gratos, decebat cives. *Patarol.*

Senatorium] Ratione principis, cui gravior et augustior honos tribuendus. *Idem.*

Optimi cognomen] Inditum hoc Trajano post victorias de Armeniis, teste Xiphil. Post devictos autem Parthos additum ipsi est illud etiam 'Parthici,' eodem teste. Sed cognomine 'Optimi' multo magis gloriari videbatur. Hinc est, quod in innumeris Trajani nummis legitur 'S. P. Q. R. Optimo Principi;' et quamvis in variis varii sint typi, eadem tamen epigraphe omnibus est. Unum exhibeo præ ceteris, in cujus adversa parte eadem verba leguntur in medio laureæ. Hic vero et ea sunt attendenda, quæ ad hunc locum commentatus est Jacobus de la Baune. 'Si Dioni,' &c. *Idem.* Vid. Not. Delph.

Optimi cognomen] Decretum id ei a senatu, Armenia subacta, eoque delectatum maxime Xiphilinus et Zonaras tradunt. *Livin.*

Optimi cognomen] Quando addi-

tum? Dionis compendium ait, 'Armenia subacta;' et sane lapides, aut nummi, (notabit mecum, qui volet) raro præferunt hoc, velut cognomen, ante VI. ejus consulatum. Exinde assidue, ut, IMP. CAES. NERVAE. TRAIANO. OPTIMO. Græce etiam, NEP. TPAIANOC. APICTOC. Ante non memini sic observare; sic, inquam, positum, nomini ipsi subjectum: duntaxat, SENATVS. POPVLVSQVE. ROMAN. OPTIMO. PRINCIPI: quasi in laudationis loco. Tamen jam nunc ei datum (præter Dionis mentem) ambigi ex Plinii his verbis nihil potest, etsi in titulis fortasse non sic usurpavit. *Lips.*

Peculiare] Adeo, ut Eutropius scribat, ad suam usque ætatem (Valentiniani imperatoris) non aliter in senatu principibus acclamari, nisi, 'Felicior Augusto, melior Trajano.' *Idem.*

Arrogantia priorum] Qui id spreverunt. *Idem.*

Felices nos] Infra cap. 74. 'Estne verum, quod inter ista clamavimus, O nos felices!' *Idem.*

Non dicturi] Felices nos, felicem illum! *Patarol.*

Quasi non dicturi] Vir celeberrimus, D. Heumannus, rescribendum existimat, *quasi non audituro.* Satis argute; verum sine necessitate, et sine suffragio veteris vel recentioris libri. Et apte ista Plinii verba explicavit Catanæus: 'Talem,' inquit, 'dicendi libertatem nobis concessit Trajanus imperator, ut non bene de eo diceremus, nisi et ipse bene faceret.' *Schwarz.*

Lacrymis etiam] Gaudio expressis. Infra cap. 73. 'Vidimus humescentes oculos tuos, demissumque gaudio vultum.' *Lips.*

Sibi, non principi] Galba apud Tacitum Hist. I. 15. 11. 'Ceteri libentius cum fortuna nostra, quam nobiscum, loquentur.' *Idem.*

Sibi, non principi] *Vindicabitis vos, si me potius, quam fortunam meam fovebatis.*' Germanicus, apud Tacit. Ann. II. 7. 7. Sic Poëtæ *κολακεύουσι τὴν τύχην Ἀλεξάνδρου· adulantur fortunam Alexandri,* Plutarch. in Orat. I. de Fort. Alex. p. 331. Isocrat. ad Nicocl. 'Verissimi honores, si ipsi apud sese prudentiam tuam, plus quam fortunam, admirentur.' *Bern.*

Sibi, non principi, dici] i. e. virtutibus meritisque suis, non soli dignitati majestatique principali, ut Galba apud Tacit. Hist. I. 15. ait: 'Libentius cum fortuna nostra, quam nobiscum, loquuntur.' Lipsius, Baudius, et Cellarius. *Schwarz.*

CAP. III. *Servavimus*] *Servamus* Livin. sed *servabimus* G. forte *servavimus.*

Meditatique] Particulam *ἐγκλιτικὴν que* omisere Catanæus, Rob. et Henr. Stephani, Boxhornius, Cellarius, et quidam alii; sed eam auctoritate codicum Mss. antiquiorumque librorum typis excusorum, retinemus. *Schwarz.*

Illas acclamationes] Quæ in libera republica non sic fuere, sed sub Augusto cœperunt; nisi fallor, a theatris in curiam invectæ, imitando. Earum exempla in Cæsareis scriptoribus, et brevia et pleraque acuta. *Lips.*

Quantum ad me pertinet] *Attinet* Livin. sed *pertinet* V. C. R.

Etiam Deos ipsos] *Deos* Livin. sed *Deos ipsos* V. C. R. R.

Etiam Deos ipsos] Sen. de Benefic. 'Sicut nec in victimis quidem, licet opimæ sint, auroque præfulgeant, Deorum est honos, sed pia ac recta voluntate venerantium.' Plinius alter Præfatione magni operis: 'Verum et Diis lacte rustici, multæque gentes, supplicant, et mola tantum salsa litant, qui thura non habent: nec ulli fuit vitio, Deos colere quoquo modo posset.' Vetus versus respondet: *Καδδύναμιν δ' ἔρδειν ἱερ' ἀθανάτοισι θεοῖσι· Sacrificari diis, ut opes viresque*

tulerunt. Lips.

Innocentia] D. Baud. in Gnomis: ‘Litare sola non potest oratio, Ni tangat aram sceleris innocens manus: Interna mentis templa postulat sibi Internus ille cordis inspector, Deus.’ Idem alibi: ‘Mens rite præparata, mens justi tenax, Nulloque fœda criminum contagio, Centum juvencis efficacius litat.’ *Bern.*

Quam innocentia] Illustrant hunc locum verba Senecæ de Benef. I. 6. ‘Nec in victimis quidem, licet opimæ sint, auroque præfulgeant, Deorum est honos; sed pia ac recta voluntate venerantium,’ &c. *Patarol.*

Castamque mentem] Seneca: ‘Optimus animus, pulcherrimus Dei cultus est.’ *Lips.*

Meditatum carmen] Orationem compositam, et solennem dictionem, etiamsi metrum numerique non sint. Tale enim priscis ‘carmen,’ ut infra LXIII. 1. ‘carmen comitiorum.’ *Idem.*

Meditatum carmen] ‘Solenne carmen precationis,’ Liv. XXXIX. 15. 1. item ‘concentus,’ c. 46. 2. et modo, c. 2. 6. *Bern.*

Meditatum carmen] Conceptis verbis compositam orationem, sive precationem. Liv. l. XXXIX. c. 15. vocat ‘solenne carmen precationis.’ Adde infra Paneg. LXIII. 2. XCII. 3. *Cellarius.* Participium *meditatum* hoc loco παθητικῶς ponitur, ut apud Cic. Offic. I. 8. ‘Leviora enim sunt, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata et præparata inferuntur.’ Et apud Terent. Phorm. I. 5. 18. ‘Meditata mihi sunt omnia incommoda.’ *Carmen* vero dicitur etiam formula precationis, quæ non metro numerisque continetur. *Schwarz.*

CAP. IV. *Parendum est senatus consulto*] Quando facto? non reperi, puto ab Augusto esse, cum mutata republica hoc quoque mutavit. Nam ista gratiarum actio, in concione, populo Rom. Quiritibus solet fieri, pro honore dato; at nunc, cum princeps jura populi in se traxit, atque ipse magistratus fecit, gratiæ illi in curia, non in concione, dictæ. Hic fons Panegyricorum, qui etiam ad præsides provinciarum manarunt, atque ii electi gratias agebant, quod Claudius vetuit in Dione: Κατέδειξε τοὺς αἱρετοὺς (ἄρχοντας) μηδεμίαν οἱ χάριν ἐν τῷ συνεδρίῳ γινώσκειν, ὅπερ κατά τι ἔθος ἐποίουν. *Instituit, ne electi* (præsides) *aliquas ei gratias in senatu dicerent, quod ex more quodam faciebant.* Hoc, inquam, ad solos provinciales præsides et imperia spectat (priora vide), et errant qui ad nostra hæc trahunt. *Lips.*

Quo ex utilitate, &c.] Pro *quo*, habent *quod* non solum codices Mss. præter Guelpherbytanum, sed et Beroaldus, Catanæus, Aldus, Junta, Cuspinianus, B. Rhenanus, Philomusus, Cratander, Robert. Stephanus, Gryphius, Boxhornius, Cellarius. Tunc vero verba hæc, *quod ex utilitate publica placuit,* quasi per παρένθεσιν posita viderentur. Henr. Stephanus, quantum observavimus, primus voculam *quo* in margine annotavit; quam Lipsius, Livineius, et alii amplexi sunt. Sic vero verbum *placuit* absolute sumeretur; prout et Cicero locutus est, Famil. l. I. ep. 2. ‘Itaque postridie placuit, ut breviter sententias diceremus.’ In solo codice Guelpherbytano ab imperito librario vitiose scriptum est *qui;* nisi suspiceris, in hac corrupta scriptura latere casum dandi *cui,* qui forte referatur ad vocabulum *senatus.* Istas enim voces, *senatus consultum,* recte sejungi posse, idem docet Cicero, in eadem epistola, ubi ait, ‘constantis senatus consultum esse videtur.’ *Schwarz.*

Boni principes] Caussa duplex hujus instituti, ut et boni laude ista firmarentur in bene agendo; et mali eo blande traherentur. O si nostri ævi mos ferret, quid utilius! *Lips.*

Boni principes] Plin. Epist. III. 18.

'Primum, ut imperatori nostro virtutes suæ veris laudibus commendarentur; deinde, ut futuri principes, non quasi a magistro, sed tamen sub exemplo, præmonerentur, qua potissimum via possent ad eandem gloriam niti.' Non absimilia Synesius in oratione ad Arcadium Imp. de Regno, vertente Camerario, ecquo viro? 'Eatur,' inquit, 'comitante Deo, et in manus sumatur' pulcherrima oratio orationum, vel, ut verius dicam, res rerum omnium. Qui enim curam suscipit regis, unius quidem hominis, ut hic sit optimus atque præstantissimus, is compendiariam inprimis viam ingreditur ad omnium correctionem. Dicamus igitur, et quæ agere regem æquum sit ac deceat, et quid non deceat, contra sese oppositis, turpibus ac honestis. At tu ad utramque seriem assistens, si quidquam cognoveris ad officium tuum pertinere, illud tanquam a philosophia edictum amplectere, cetera execrare et repudia: atque ita statue animo tuo, illa semper te exequi, hæc non amplius persequi oportere. Quin etiam, quo tempore hæc habetur oratio, eo ipso, si quid non deceat te, cujus et nos, et tu ipse tibi conscius sis, ac appareat indignari et irasci ipsi tibi, et erubescere te, quia manifestum fiat, esse in te, quod te est indignum. Hic profecto pollicetur 'pœnitentiæ virtutem.' O verba auro non contra cape princeps, cape. *Bern.*

Recognoscerent] Illustrat hæc ipse Plinius Epist. III. 18. ubi rationem reddit, cur hunc Panegyricum uberius diduxerit: 'Primum,' inquit, 'ut imperatori nostro virtutes suæ veris laudibus commendarentur; deinde, ut futuri principes, non quasi a magistro, sed tamen sub exemplo, præmonerentur, qua potissimum via possent ad eandem gloriam niti. Nam præcipere, qualis esse debeat princeps, pulchrum quidem, sed onerosum, ac prope superbum est; laudare vero optimum principem, ac per hoc posteris, velut e specula lumen, quod sequantur, ostendere; idem utilitatis habet, arrogantiæ nihil.' Pertinet huc etiam elegans locus, quem ex Synesii oratione ad Arcadium Imp. de regno, ad h. l. excitavit Frischmannus, seu potius Berneggerus. *Schwarz.*

Intercessurus] 'Intercedere' et 'vetare' erant propria tribunis plebis verba; de quibus adire licet Brisson. de Form. II. pag. 271. Tribunis enim his jus fuit intercedendi, h. e. vetandi prohibendique. Vide Dissertat. nostram de Tribunitia Potestate Cæsarum. Hinc 'intercedere' idem est, ac obstare, seu, quod barbari hodie dicunt, opponere se alicui, seu protestari contra aliquid. *Idem.*

Ab agentibus] In nostro codice Ms. omittitur particula *ab.* Qua de re vide Excurs. III. *Idem.*

Bella, regerentur] *Gerantur* Livin. sed *regerentur* V. C. G. R.

Bella, regerentur] Probe *regerentur.* Idem vitium observo et in Statio Lacrymis Etrusci: 'Vice cuncta reguntur, Alternisque regunt.' Inepte est in editis, 'geruntur' et 'premunt.' Clarum e sequentibus, quæ quid vetat eadem opera lucem accipere ab interpunctione? 'Propriis sub regibus omnis Terra, premit felix regum diademata Roma.' *Livin.*

Æquata Diis] Poëta: 'cum laudatur Dis æqua potestas.' *Lips.*

Æquata Diis] Sic audiebat imperatoria dignitas et potestas. Juven. Sat. v. 'Nihil est, quod credere de se Non possit, cum laudatur Dis æqua potestas.' *Paterol.*

Similem huic] 'Talem se reipubl. præbuit, qualem vix ægre exprimere valuerant summorum scriptorum miranda ingenia,' Aurel. Victor de Trajano. Joannes Maria Catanæus tradit, 'Trajani virtutes tantas fuisse, ut Gregorius eas scriptis cognoscens,

precibus a Deo illi cœlestem vitam impetrarit.' Credamne, qui eam venalem habet? *Bern.*

Aliquis in bello] Ab Hoero, jam olim: Iliad. N. 730. Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα, Ἄλλῳ δ' ὀρχηστὴν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν· *Namque alii bellare Deus concessit, at illi Saltare, atque alii cithara cantuque valere.* Claudianus in Stiliconis Laudibus, I. 27. hausisse (ut alia) videtur a nostro: 'Numquam sincera bonorum Sors ulli concessa viro: quem vultus honestat, Dedecorant mores; animus quem pulchrior ornat, Corpus destituit; bellis insignior ille, Sed pacem fœdat vitiis; hic publica felix, Sed privata minus: partitim singula quemque Nobilitant.' *Lips.*

In bello] 'Non omnia eidem Dii dedere: vincere scis Hannibal, victoria uti nescis,' Maharbal apud Liv. XXII. 51. 'Hic satur ad pacem, hic castrensibus utilis armis,' Propert. lib. XXXIII. eleg. 9. Primus Antonius pace pessimus, bello non spernendus. Videatur proverb. 'Non omnia possumus omnes.' Tamen P. Scipio Æmilianus omnibus belli ac togæ dotibus eminentissimus fuit. Vellei. I. 12. 3. Sic in Tito 'erat docilitas ad omnes fere tum belli, tum pacis artes.' Suet. Tit. c. 4. 'Ut autem satius est, unum aliquid insigniter facere, quam plurima mediocriter; ita plurima mediocriter, si non possit unum aliquid insigniter.' Plin. Epist. IX. 29. *Bern.*

Aliquis in bello, &c.] Exempla primi generis esse possunt Annibal et Marius, ille Campaniæ deliciis ad mollissimum detortus, testibus Livio, et Floro II. 6. hic secundum Patercul. II. 23. 'in otio civibus infestissimus quietisque impatientissimus.' Secundi, M. T. Cicero: nota est omnibus viri eloquentia, in bello autem socordia. Tertii, C. J. Cæsar, C. Caligula. Quarti, Titus. Testis de singulis, in eorum vita Suetonius. Quinti, Caligula idem fortasse, et Galba, qui melior in vita privata fuit, quam in imperio; nec non et Lepidus triumvir, de quo Paterc. l. II. c. 80. Postremi, Augustus in nepte, nepotibus, &c. tota pene familia, infelicissimus. Vide Sueton. c. 65. *Patarol.*

Obsol. in pace] Videtur locum hunc verbis ipsis imitari studuisse Claud. de Laud. Stilic. sub initium lib. I. 'Bellis insignior ille, Sed pacem fœdat vitiis,' &c. quæ operæ pretium erit cum hisce nostri auctoris conferre. *Idem.*

Humilitate] Hic non pauci edidere *humanitate;* sed prorsus incommode, et contra auctoritatem veterum codicum. Veram igitur vocem huic loco vindicavimus, Excurs. IV. *Schwarz.*

Humilitate, captavit] *Humanitate;* sed *humilitate* V. C. probe. *Livin.*

Domi, perdidit] Ut Augustus, in filia, nepte, nepotibus, et tota familia, infelix. *Lips.*

Domi, perdidit] Ut valida D. Augusto in rempublicam fortuna, ita domi inprospera. Tacit. Ann. l. III. c. 24. *Bern.*

Quanta concordia] Idem Claud. Stil. I. 33. 'Sparguntur in omnes, In te mixta fluunt: et quæ divisa beatos Efficiunt, collecta tenes.' Victor de ipso Trajano: 'Tantus erat in eo maximarum rerum modus, ut quasi temperamento quodam virtutes miscuisse videretur.' *Lips.*

Quanta concordia] Auson. de Trajano: 'Aggreditur regimen viridi Trajanus in ævo, Belli laude prior, cetera pacis habens.' *Bern.*

Contigit!] *Contigit?* Ut V. *Livin.*

Severitati] Eadem fere de Agricola Tacitus: 'Nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem diminuit.' *Patarol.*

Nihil severitati] Cicero ad Brutum: 'Quid tam distans, quam a severitate comitas? quis tamen unquam te aut sanctior est habitus, aut dulcior?' *Lips.*

Detrahitur] *Detrahatur* Livin. sed *detrahitur?* V. C. *Livin.*

Detrahitur] Sic in omnibus quos consuluimus codicibus Mss. legimus; nec aliter hoc verbum jam evulgarat Cuspinianus. At Cellarius, pluresque ante eum alii, edidere *detrahatur;* quasi particula *ut*, a qua pendet hoc verbum, sit caussalis; cum ea hoc loco potius admirandi vim habeat, et simul pro 'quomodo' ponatur. Ita eandem particulam adhibuit Plautus in Captivis: 'Ut sæpe summa ingenia in occulto jacent!' Terentius in Heaut. 'Ut præter spem evenit!' Cic. ad Atticum: 'Ut ille tum humilis, ut demissus, erat!' Atque ita ipse noster Plinius infra, XXI. 4. 'Ut cum civibus tuis, quasi cum liberis parens, vivis!' *Schwarz.*

Jam proceritas corporis] Ergo in Trajano omnes dotes animi et corporis, quas Græci τὰ πρῶτα φύσεως, Varro lib. de Phil. 'primigenia;' Augustin. C. D. XIX. 2. 'prima naturæ' vocat. *Bern.*

Dignitas oris] Sic, 'Erat Tito decor oris, cum quadam majestate,' Tacit. Hist. II. 1. 'Forma egregia, et cui non minus auctoritatis, quam gratiæ, inesset,' Suet. Tit. c. 3. Nempe fuit in istis id pulchritudinis genus, in quo non tam venustas, quam muliebrem ducere debemus; quam dignitas, quam virilem dicimus. Cic. Offic. I. 36. Id Euripidi apud Stob. Serm. 36. est εἶδος ἄξιον τυραννίδος, *forma principe digna.* Tacit. Ann. IV. 15. qua tantum vulgus et barbari imperatores comparant. Curt. VI. 5. Sapientes vero sciunt, 'Imperium in virtute, non in decore esse,' Alex. Sever. apud Lamprid. cap. 33. 'Formam tamen addere virtuti suffragium, cum augustissima quæque species plurimum credatur trahere de cœlo,' Lat. Pacat. Panegyr. VI. 7. 'Principi ipsi plurimum venerationis,' Plin. Epist. I. 10. Claud. Stil. 'Jam tum conspicuus, jam tum venerabilis ibas, Spondebatque ducem celsi nitor igneus oris.' *Idem.*

Ætatis] Agebat Trajanus, cum evectus est ad imperium, annum circiter quadragesimum secundum. Vixit enim, secundum Eutrop. l. VIII. annos 62. aut secundum alios, 64. præfuit autem, secundum omnium scriptorum consensum, annos 19. cum dimidio. *Patarol.*

Indeflexa maturitas] Id est, stabilis, nondum prona et vergens; nam imperium iniit annos natus duos et quadraginta. Xiphilinus, Zonaras. *Livin.*

Indeflexa maturitas] Nondum vergens, et adhuc in statu. Sumtum a Circo, ubi medio spatio flexus circum metam, et tum deflexus. Quæ igitur ætas nunc Trajani? ex Dione, 'quadragesimus quartus' annus. Nam, illo auctore, imperium 'quadragesimo secundo' cepit: atque hæc biennio post circiter dicta. Errat, aut dissentit, Victor (et cum eo alii) qui 64. annos vixisse prodit: quod non potest, Dionis isto calculo; quia omnium consensu, non nisi novemdecim annos, 6. menses, dies 15. imperavit. Itaque Eutropius mihi verior, qui vitæ adsignat annos 62. etsi vel sic menses aliquot desint. *Lips.*

Maturitas] Nec juvenis nimis, nec senex sit imperator: alter enim credulus nimis et audax; imbecillus alter et timidus. Onosan. de Elig. Imp. *Bern.*

Indeflexa] Primus Gudii liber, item et Beroaldi editio Veneta an. 1501. habent *inflexa;* quam vocem, teste Thoma Hearne, etiam Scaliger annotavit; quasi participium 'inflexus' etiam significet eum, qui non flectitur, nec vergit in alterutram partem, sed integer erectusque est; cum alias 'inflexus' vulgo dicatur, valde, vel intus, flexus. Et sane ita etiam 'inflexibilis,' quamvis a verbo 'inflecto' descendere videatur, Plinio tamen dicitur ille, qui nihil mutatur,

aut in neutram partem flectitur; v. g. Epist. x. 97. 3. 'inflexibilis obstinatio.' Verum, licet vox 'indeflexus,' qua hic usus est Plinius, rarius occurrat; comprobatur tamen auctoritate codicum Mss. et plurimorum typis excusorum. Eandem etiam adhibuit Apuleius de Deo Socratis, c. 3. 'Stellæ,' inquit, 'quæ vulgo vagæ ab imperitis nuncupantur; quæ tamen indeflexo, et certo, et stato cursu, meatus longe ordinatissimos divinis viribus æternos efficiunt.' Dicitur vero *ætatis indeflexa maturitas*, interprete Jacobo de la Baune, matura ætas, quæ tamen adhuc sit vegeta, et careat senectutis incommodis; ex adverso 'flexa,' quæ ad infirmitatem vergere et inclinari incipiat. Lipsio videtur hæc loquendi ratio sumta a circo, ubi medio spatio flexus circa metam, et tum deflexus. Ad quam similitudinem respexit etiam Cic. pro Cœl. c. 31. 'In hoc flexu quasi ætatis fama adolescentis paullum hæsit ad metas.' Pro voce *indeflexa*, Patarol. edidit *indefessa*; quæ vox aliquantum est usitatior quam *indeflexa*; ac, si eam cum Grammaticis, a verbo 'fatiscor' et 'defetiscor' deducas, non incongruens huic loco videatur; cum ex propria significatione reddi possit, 'non deficiens, nondum fessa;' cum e contrario 'fessa ætas' dicatur Tacito Hist. III. 67. pro senectute. Verum, cum nesciamus, utrum ea ex quodam vetusto codice, an ex ingenio editoris profecta, locum hunc occuparit; vulgatam illam *indeflexa* omnino adhuc tuemur. *Schwarz.*

Festinatis] Recte ita exarata est hæc vox in codice Ms. Parisiensi; eamque jam an. 1506. prodidit Catanæus; nec minus deinceps nonnulli alii, v. g. Gryphius, Sichardus, H. Stephanus, ac recentiores editores, evulgarunt; quamvis in tribus codicibus Mss. itemque in Beroaldi, Aldi, Cuspiniani, et quorundam aliorum libris legamus *festinantis*. Neque enim tam ipsa celeri, et cum incommodis suis conjuncta senectute; quam, in vegeta ætate, præfestinis senectutis insignibus, hoc est, canis venerandis, auctoritatem imperatoris augeri, ait Orator. Heroës autem, et belli duces, propter insomniam, et graves labores, curasque, ac calidiorem naturam, celerius canescere creduntur. Sicuti vero cani senectutis, ita vigor et vires juventutis sunt insignia; quæ utraque in heroë suo, Stilicone scilicet, conjuncta, ita laudavit Claudianus, ut hunc ipsum Plinii locum respexisse videatur. In Epithalamio enim de Nuptiis Honorii et Mariæ, vs. 324. seqq. canit: 'Vultus auctura verendos Canities festina venit. Consorte remota, Contingunt, gravitas senii, viresque juventæ;' h. e. ipsa quidem ætate senili et juvenili remota, duntaxat tibi utriusque hujus ætatis insignia, cani nempe, et vegetæ vires, contingunt. *Idem.*

Senectutis insignibus] Canitie nempe, quam pulchræ speciei in Trajano fuisse, docent verba Xiphilini: 'Barbari canitiei dignitate, vultusque gravitate animadversa, rati Trajanum esse, ut erat,' &c. *Patarol.*

Senectutis insignibus] Hoc est, canis. Idem Xiphilinus de Trajani expeditione in Agarenos: Αὐτὸς παριππεύσας βραχυτάτου ἐδέησε τρωθῆναι, καίπερ τὴν βασιλικὴν στολὴν ἀποθέμενος, ἵνα μὴ γνωρισθῇ· τῆς δὲ πολιᾶς αὐτοῦ τὸ γαῦρον, καὶ τὸ σεμνοπρεπὲς τοῦ προσώπου ἰδόντες, ὑπετόπησάν τε εἶναι, ὅς ἦν, καὶ ἐπετόξευσαν αὐτῷ. *Ipse præterequitans minimum abfuit, quin sauciaretur, quamlibet regio paludamento deposito, uti ne agnosceretur: sed canitiem ejus lætam, et augustum quiddam in vultu conspicati, cum esse eum, qui erat, suspectavere, tum telis petivere.* Livin.

Senectutis insignibus] Non enim ipsa, ut jam dixi. Acclamationes igitur illæ senatoriæ, in Tacito Vopisci: 'Et Trajanus senex ad imperium venit,' pro re magis, quam pro vero.

Noster aperte infra 'juventam' ei tribuit. *Lips.*

Festinatis senectutis insignibus] Canitie, quæ natura honoratum præcipuæ dignitatis symbolum. Paschal. Coron. I. 5. Hoc ergo ante diem, Diis id agentibus, apud Trajanum erat festinatum? an potius εἰς πολιὰς σπεύδοντα vocat laudator ἐσπευμένον. *Bern.*

Longe lateque] 'Tua hæc forma venerabilis, quam longe lateque conspicua commendat imperium!' Imitator hujus loci Pacat. Paneg. c. VI. Theod. *Idem.*

Longe lateque] Latinum Pacatum in Panegyrico Theodosio imperatori dicto, cap. 6. hunc locum imitatum esse, jam observarunt Catanæus et Baudius. 'Velut tua,' inquit ille, 'hæc forma venerabilis, quam fortunæ suæ par est! quam longe lateque conspicua commendat imperium!' *Schwarz.*

Principem ostentant] Atque ipsis etiam hostibus, qui (in Dione) τῆς πολιᾶς αὐτοῦ τὸ γαῦρον, καὶ τὸ σεμνοπρεπὲς τοῦ προσώπου ἰδόντες, ὑπετόπησαν εἶναι, ὃς ἦν. *Caniciei ejus lætitiam conspicati, et vultus majestatem, suspicati sunt esse, qui erat.* Lips.

Cap. v. *Bella civilia*] Ut Augustum, qui cuncta discordiis civilibus fessa, nomine principis sub imperium accepit. Tacit. Ann. I. 14. et Vespasianum, Suet. c. 1. *Bern.*

Non bella civilia] Ut olim C. J. Cæsarem, Augustum, Othonem, Vitellium. *Patarol.*

Pax et adoptio] Hæc lectio est quatuor codicum Mss. item Beroaldi, Cuspiniani, Gryphii, Sichardi, Livineii, Gruteri, et aliquot recentium editorum; cum Catanæus, Aldus, Junta, Rhenanus, Stephani, et quidam alii, pro *adoptione* excuderint *adoptatio;* cui vero voci merito dicam scribunt critici. *Schwarz.*

Exorata] Scaliger, Vossius, et Gudius adscripsere margini *exorta;* verum tuemur lectionem vulgatam. *Idem.*

Exorata terris numina] Orosius, 'Nerva Trajanum adoptavit, per quem revera afflictæ reipublicæ divina provisio consuluit.' *Lips.*

Ad exercitum] A Domitiano in Germaniam inferiorem missus, legatus consularis. *Idem.*

Cæsar Auguste] *Cæsar* Livin. sed *Auguste* V. C. G. *Livin.*

Inusitato indicio] *Inusitato* Livin. sed *indicio* C. forte *indicio.* Idem.

Inusitato indicio] Livin. *indicio inusitato:* probe. *Ritters.*

Inusitato indicio] Hocne, quod aliud agentium civium clamor Trajano principi occurrebat, an illo, quo signa apparuere, quibus Trajano imperium portendebatur? quo de refert Dio in Domit. *Bern.*

Inusitato indicio enituit] Vocem *indicio*, non solum a Cellario, sed et pluribus aliis omissam, vindicavimus Plinio. Equidem et pro verbo *enituit*, in tribus codicibus Mss. extat *enotuit.* Quo verbo et ipse Plinius Epist. II. 10. et Suetonius in Vita Othonis, c. 2. usi sunt; idemque in hoc loco Panegyrici excudendum curavit Sichardus. Et parum abfuit, quin hoc ipsum verbum *enotuit* surrogassem in locum verbi vulgati; dummodo id punctum Gesnerianum tulisset. Vide Excurs. v. *Schwarz.*

Aut largus cruor] Faustum signum antiquis, si, cæsa victima, cruor late micuisset; contra, si parce, ac lente. Sen. in Œd. II. 2. 'Tir. Utrum citatus vulnere angusto micat, An lentus altas irrigat plagas cruor? Man. Hujus per ipsam, qua patet pectus, viam Effusus amnis; hujus exiguo graves Maculantur ictus imbre, &c. Tir. Infausta magnos sacra terrores cient.' Non placet vero, quod Catanæus et Rayanus arbitrantur, intelligi a nostro sacrificia magnifica innumerarum victimarum; non enim loquitur Plinius de qualitate sacrorum,

sed de auguriis, sive auspiciis imperii. *Patarol.*

Largus cruor hostiarum] Nam hostias cædebant, qui per haruspicinam consulebant de futuris. Aves inspiciebant, qui per augurium. Puto autem, his verbis Plinium respexisse ad omnia Augusto facta, futuri principatus, quæ sic in Suetonio: 'Primo consulatu ei augurium capienti, duodecim se vultures, ut Romulo, ostenderunt: et immolanti, omnium victimarum jecinora replicata intrinsecus ab ima fibra paruerunt.' *Lips.*

Largus cruor hostiarum] Pro Caio Cæsare 'tribus, ac ne totis quidem mensibus, supra centum sexaginta millia victimarum cæsa,' Sueton. Calig. c. 14. *Bern.*

Sinister volatus] A Septentrionibus scilicet; sacrificantibus enim, qui, testibus Livio, et Pomp. Læto de Sacerd. Rom. cap. 6. ad Orientis plagam se vertebant, illa cœli regio læva erat. Portendebat autem fausta volatus avium a sinistra; quare Lucan. lib. I. 'Et doctus volucres augur servare sinistras.' Cujus rei rationem reddit Pompon. idem, quia 'pars illa urbis propter altitudinem prospera putatur.' At potius dicas, quia, quod nobis ád lævam venit, a Deorum dextera mittitur. *Patarol.*

Adscendenti de more capitolium] Votis (reor) concipiendis, quod proficiscentibus ad exercitus solenne. *Livin.*

Adscendenti de more capitolium] Ad vota nuncupanda, quæ solent ituri in provincias, aut bella. *Lips.*

Illa quidem] *Jam quidem* Livin. sed *illa quid* C. *Livin.*

Illa quidem] In Cellariana editione, et vulgo, legebatur, *jam quidem;* sed ἀπροσδιόνυσον. Nos sequimur manifestam scripturam quatuor codicum Mss. recipimusque eam lectionem, quam etiam Cuspinianus jam evulgavit, aliique non nulli idoneam habuere, cui darent locum. Et sane sic etiam alii boni scriptores sæpe ἐμφατικῶς pronomen demonstrativum cum particula *quidem* conjungunt; v. g. Cic. Philip. II. 27. 'Multa et lauta supellex, et magnifica multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis.' Idem Fam. XII. 10. 'Nihil affertur ad nos, præter rumores de oppresso Dolabella, satis illos quidem constantes, sed adhuc sine auctore.' *Schwarz.*

Imperatorem] In illa voce, inquit Lipsius, 'allusio tota, et omen. Quomodo? Sciendum, præter Jovem illum Capitolinum, alium in eodem templo, religiose cultum, cognomine Imperatoris. Dicat hoc Liv. VI. 29. 'Triumphans T. Quinctius, signum, Præneste devectum, Jovis Imperatoris, in capitolium tulit.' De eodem Cic. Verr. IV. 58. Turba igitur salutavit imperatorem, clamavitque, 'salve, Imperator!' at, dum salutavit hoc nomine Jovem, imperatorium nomen Trajano, tunc templum ingredienti, portendit. Confirmatur loci hujus sententia ex hac ipsa oratione, cap. XCIV. 4. iis nimirum verbis ad Jovem: 'proficiscenti ad exercitum tuo nomine, tuo honore, cessisti;' nomine scilicet imperatoris, ut satis patet. Imo, huc etiam respicit idem Plinius XXIII. 4. 'Quam peculiare gaudium eorum, qui te primi eodem loco salutaverant imperatorem.' *Patarol.*

Consalutavit Imperatorem] Infra, 'Quam peculiare gaudium eorum, qui te primi eodem loco salutaverant Imperatorem!' Lege quæ notamus ad cap. XCIV. 4. *Livin.*

Consalutavit Imperatorem] Explicari hæc video: Populus salutavit 'Jovem optimum maximum;' tu autem postea dictus 'optimus:' ita in illo cognomine te salutarunt. Frigide, et nihil ad Plinium. Res ita est: Turba 'Jovem' salutavit 'Imperatorem,' nam ita et infra iterat: 'Qui te primi, eodem loco, salutaverant Imperatorem.' Ergo in ea voce allusio tota, et omen. Quomodo? sciendum,

præter Jovem illum Capitolinum, alium in eodem templo religiose cultum, cognomine 'Imperatoris.' Dicat hoc Livius l. VI. 'Triumphans (T. Quinctius) signum, Præneste devectum, Jovis Imperatoris, in capitolium tulit. Dedicatum est inter cellam Jovis ac Minervæ.' En, locum etiam signate habes, ubi fuit! De eodem Cicero in Verrem: 'Tria ferebantur in orbe terrarum signa Jovis imperatoris: unum illud Macedonicum, quod in capitolio videmus; alterum in Ponti ore et angustiis; tertium, quod Syracusis ante Verrem prætorem fuit. Illud ita Flamininus ex æde sua sustulit, ut in capitolio, hoc est, terrestri domicilio Jovis poneret.' Ubi tamen dissensum, in auctore, a Livio notes; nam Cicero T. Quinctium Flamininum e Macedonia tulisse vult; Livius T. Quinctium Cincinnatum Præneste. Uter verior? nescio. Dubitationem fuisse, ex eo arbitror, quod T. Quinctii nomine inscriptum signum fuerit et dedicatum, haud alio cognomine: atque ita alius alio traxit. Sed pro Livio P. etiam Victor est, in descriptione urbis, qui regione VIII. capitolii ponit: 'Signum Jovis Imperatoris Præneste devectum.' Atque illinc disce, post tot incendia, etiam infra Plinii ævum longe mansisse. Hæc historia sic posita, rem aperit. Ingressa turba 'Salve Imperator!' clamavit: sed ad 'Jovem.' Quia tamen ipso puncto ingressus Trajanus, omen ad illum haud vane tractum. *Lips.*

Recusabas] 'Hoc est regnum, nolle regnare, cum possis,' Seneca B. III. 38. 3. 'Majus est, regnum fastidire, quam accipere,' Curt. lib. IV. *Bern.*

Bene erat imperaturi] *Imperaturo* Lips. Nam si agnovisses, a tyranno principe discrimen, aut mors, tibi imminebat. Bene igitur erat futuro imperatori. Sed libri alii, *imperaturi:* quod sequentia magis approbant; et est sensus, Recusare imperium, signum erat, quod bene imperaturus esses. Nam qui ambitione affectant honores, raro virtute gerunt: qui recusant et abnuunt, ii magis. Inde imperatoris illa vox, 'invitos ad rempublicam admovendos.' *Lips.*

Quod bene erat imperaturi] i. e. *quod erat* indicium principis *bene imperaturi.* Codex Ms. Guelpherbytanus habet *imperatori;* quod nomen et Scaliger, et in utroque libro Gudius annotarunt. Sed id minus commodum huic loco est. Nec probamus casum dandi *imperaturo,* quem Beroaldus, Catanæus, Aldus, Junta, Gryphius, Rhenanus, Philomusus, Boxhornius, prodidere. D. D. Heumannus e conjectura legendum censet *quod bene eras imperaturus.* Audacter hunc locum sic refingit Christoph. Behrius, *quod bene tamen eras præstiturus.* Planissima lectio est, quam edimus; quæ extat in tribus codicibus Mss. Parisiensi, Veneto, et nostro; quam etiam approbavit, licet nondum receperit Lipsius. Edidere vero jamdudum Cuspinianus, Sichardus, Livineius, Gruterus, Parisienses, Cellarius, Thomas Hearne, Patarol. et nuper cl. Gesnerus. Cui vero non nota est ista ἐλλειπτικὴ loquendi ratio? Bene Cellarius, 'Intellige 'signum,' 'indicium,' 'negotium.'' Sic loquitur idem Plinius Ep. IV. 9. 'Rem manifestam inficiari, augentis erat crimen, non diluentis.' In nostro vero loco pronomen *quod* refertur ad antecedentia verba, *recusabas imperare;* haud secus ac Syrus Terent. Heaut. II. 3. 123. loquitur: 'In tempore ad eam veni, quod rerum omnium est primum.' Nescio igitur, cur lectionem, tot librorum suffragiis confirmatam, et sensu planam, ac Plinio congruentem, non admittere, aut in ea refingenda ingenio et otio abuti, velimus. *Schwarz.*

Nutatione reipublicæ] *Mutatione reipublicæ* Livin. sed *nutatione* V. C. G. *Livin.*

Nutatione reipublicæ] Ita placuit invehere editioni nostræ, ejecto illo *mutatione*, quod id suaderet tum ratio ipsa, tum consensus librorum trium. *Grut.*

Nutatione reipublicæ] i. e. nutante et ruinam minitante republica. Lubens meritoque retineo hanc lectionem Cellarianam. Etsi enim codices Mss. quos vidi contulique, habeant *mutatione;* idemque hoc vocabulum in non paucis libris impressis legatur; istam tamen, quam recepi, lectionem jam Gruterus ex trium codicum Mss. consensu publicavit; et ante Gruterum evulgarunt Cuspinianus, Gryphius, et Sichardus; nec minus ex vetustis membranis in margine editionis suæ exhibuit Livineius. Probarunt eandem Rittershusius noster, et Baudius, atque admisere Parisiensis an. 1642. et Thomas Hearne. Adhæc, nisi vehementer fallor, majorem ornatum huic loco orationis panegyricæ affert vox hæc *nutatio*, quam illa simplex et propria *mutatio*. Verbum 'nutare' proprie notat, caput sæpius movere, aut crebro capitis nutu voluntatis suæ signum dare; deinde μεταφορικῶς, vacillare, in unam, alteramve partem inclinare, tuncque ad res, cum naturales, tum morales, accommodatur. Sic Plinius noster, Epist. VI. 16. 'Crebris,' inquit, 'vastisque tremoribus tecta nutabant, et quasi emota sedibus suis, nunc huc, nunc illuc, abire, aut referri videbantur.' Et ἀλληγορικῶς de familia Helvidii et Fanniæ, Epist. VII. 19. 'Ac mihi domus ipsa nutare, convulsaque sedibus suis ruitura supra videtur; licet adhuc posteros habeat.' Præterea rei ipsi et historiæ convenientior videtur *nutatio*, quam *mutatio;* imperante enim Nerva, nondum mutata erat respublica, sed quodammodo nutabat, et mutationem ruinamque minabatur. Quam in sententiam etiam Latinus Pacatus, qui non raro Plinium imitatus est, Panegyr. III. 6. dixit, 'nutantia Romanæ rei fata suscipere.' Denique nec est, cur de Latinitate nominis 'nutatio' dubitemus, quæ utique in ævum Plinianum convenit. Ita enim Plinius Major propria notione hujus vocabuli usus est, N. H. XI. 37. 'Ab eo (cerebro) proficiscitur somnus; hinc capitis nutatio.' *Schwarz.*

Quare ego] Recte. At loco pronominis *ego* vitiose scriptum est *ergo* in codice Guelpherb. quæ lectio etiam inquinavit Boxhornianam, Kirchmaierianam, et Cellarianam editiones: pro qua veriorem lectionem jam vindicamus Plinio, librorum, et manu exaratorum, et typis excusorum, copia, sententiæque claritate inducti. Ac recte etiam ita legendum censuit Heumannus. *Idem.*

Furorem, &c.] Innuit militum seditiones post occisum Domitianum. Illi enim ejusdem mortem ægre tulerunt, teste Sueton. in Domit. cap. ult. quare sub ejus successore Nerva plurimi adhuc motus, ut auctor est Xiphil. quibus se imparem ille sentiens Trajanum adoptavit. *Patarol.*

Furorem, motumque castrensem] Prætorianorum militum, Casperio Æliano præfecto auctore. Xiphilinus in Nerva. *Livin.*

Furorem motumque castrensem] Qui talis. Cæso Domitiano, 'miles gravissime tulit (Suetonii verba) paratus statim ulcisci, nisi duces defuissent.' Quievit igitur, sed Nerva jam electo, sene, molli, et parum ad suum nomen, animos irasque sumserunt, incendente Casperio Æliano prætorii præfecto: qui idem munus et sub Domitiano habuerat. Inde in eum occultus favor et miseratio; et impulsi milites deposcere ad cædem cædis auctores. Factum turbide et acriter: Nerva resistit pariter, usque eo, ut jugulum nudum potius iis offerret feriendum. Non demovit tamen, et cum perseverarent furere, traditi cæsique sunt ii, quos depoposcerunt. Hæc ex Di-

one; et adde Victorem diffusius, Suetonium breviter tangentem Domit. cap. 23. *Lips.*

Ac, sicut maris] *At sicut* Livin. sed *Ac* V. G. *Livin.*

Ac, sicut maris] Cassiodor. 8. Variar. 'Bonum insolitum plus amatur, et sequenti gaudio confert dulcedinem præmissa tristitia.' *Lips.*

Ac, sicut] Particulam *Ac* exhibent codices Mss. Parisiensis, Venetus, et meus. Eandem non solum Livineius ex antiquis membranis annotarat in margine, sed etiam jam edidere Gryphius, Plantinus, Gruterus, Hackius, Patarol, et recenter Gesnerus. Alii habent *At*. Schwarz.

Præcessisse] Solus Vossianus liber, pro hoc verbo, in margine annotatum habet, *præsæviisse*. Verbum huic loco non incongruens, si inprimis respicias antecedentia verba, *illum ipsum furorem, motumque castrensem, reor extitisse*. At destituitur suffragio aliorum librorum, nec facile alibi obvium est; quanquam ab ἀναλογίᾳ non recedat; cum et alia ejusdem generis composita inveniamus; 'exsævire,' 'obsævire,' 'resævire,' &c. Ceterum, ad hunc locum illustrandum pertinet etiam illa similitudo, qua usus est Cic. post Red. ad Quir. cap. 1. 'Jam vero honos, dignitas, locus, ordo, beneficia, quanquam mihi semper clarissima visa sunt, tamen ea nunc renovata, illustriora videntur, quam si obscurata non essent. .... Tanquam bona valetudo jucundior est eis, qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui nunquam ægro corpore fuerunt; sic ea omnia desiderata magis, quam assidue percepta, delectant.' *Idem.*

Habet has vices] Certe habet; et Pindarus apte cecinit Ol. I. 2. 'Ῥοαὶ δ' ἄλλοτε ἄλλαι, Εὐθυμιᾶν τε μετὰ καὶ πόνων Ἐς ἄνδρας ἔβαν· *Fluctus alii alias, Gaudiorum atque laborum, In homines veniunt.* Caput sapientiæ, id est Homerus, Odyss. Δ. 236. ἀτὰρ θεὸς ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλῳ Ζεὺς ἀγαθόν τε κακόν τε διδοῖ· *alias Deus, illi aliique, Nunc bona, nunc mala dat.* Lips.

Habet has vices] Sic est: 'Tam bonum nil est, in ingens ire quin queat malum: et tam malum nil est, in ingens ire quin queat bonum. Alternæ sunt vices rerum; in deterius optata, in melius adversa flectuntur,' Senec. N. Q. lib. III. 'Quæ initio in malis omnes numerarent, ea post maximorum bonorum caussæ fuere,' Isocrat. in Archidamo. 'Sæpe ex injuria postmodum gratia orta,' Liv. I. 9. 'Malo ex principio magna familiaritas conflata,' Terent. Eunuch. V. 2. 'Te pœna tradit prosperis: optata mercaris malo,' Ennod. de S. Dionys. In summos honores desiit Josephi servitus, Genes. XLI. 41. et patheticæ melodiæ dissonantia paullo durior in suavem tandem clausulam abit. Sedet nempe Jupiter (Homeri figmentum est) et ex duobus doliis varie miscet res mortalium; unde ista ἑτεραλκὴς νίκη. Adde, quæ ad versum Virgilii sui 334. in Culice, notavit Taubmannus, patriæ illud et rei literariæ decus. *Bern.*

Nascantur] *Noscantur* Livin. sed *nascantur* C. *Livin.*

Nascantur] *Noscantur* Rhenan. sed *nascantur* Petr. Fab.

Nascantur] Manilius: 'Tanta est rerum discordia in ævo, Et subtexta bonis mala sunt, lacrymæque sequuntur Vota, nec in cunctis servat Fortuna tenorem.' Nasci igitur alia ex aliis videntur, quia sic subtexta, ut ait, et inter sejuncta. Alii tamen libri *noscantur;* nec male. Id esset, dijudicentur melius et sentiantur, ex contrariorum sensu. *Lips.*

Nascantur] In multis libris scriptum excusumque est *noscantur*. Qua de re vide Excurs. VI. *Schwarz.*

Occultat utrorumque semina] Dicit: Deus caussas rerum secundarum, vel adversarum, sub diversa facie promit: et sæpe lætos effectus tris-

tia initio, et contra, tristes læta, gignunt. *Lips.*

CAP. VI. *Parens generis*] Ausonius de ipso: 'Nerva senex, princeps nomine, mente parens.' *Idem.*

Obsessus, &c.] A prætorianis, qui in illud furoris exarserunt, ut Petronium, Parthenium, et alios Domitiani interfectores, ut referunt Xiphil. et Aur. Vict. occiderint, invito Nerva, qui servare omnes malebat. *Patarol.*

Mitissimo] Ideo cognomento Tranquillus dictus. Panegyricus Theodosio, 'Quando me Nerva Tranquillus, amor generis humani Titus, pietate memorabilis Antoninus, teneret.' Sidonius, Post quem Tranquillus vix me mihi reddere Nerva Cœpit.' Claudianus, 'Tranquillique Pii, bellatoresque Severi.' *Idem.*

Seni] Eutropius lib. VIII. tradit, Nervam imperatorem mortuum esse Romæ, post annum et quatuor menses imperii sui, ac dies octo, ætatis autem septuagesimo et altero anno. At secundum Dionem Cassium, mortuus est anno ætatis LXVI. *Schwarz.*

Si tamen hæc sola erat ratio] Similia hæc Lucani de Nerone lib. I. 'Quod si non aliam venturo fata Neroni Invenere viam, magnoque æterna parantur Regna Deis, cœlumque suo servire Tonanti Non nisi sævorum potuit post bella Gigantum, Jam nihil, o superi, querimur, scelera ipsa nefasque Hac mercede placent.' *Livin.*

Prope est, ut exclamem] Modeste Plinius ipse adulatur; at fœdissime Lucan. lib. I. cum cecinit, 'Quod si non aliam venturo fata Neroni Invenere viam, magnoque æterna parantur Regna Deis, cœlumque suo servire Tonanti Non nisi sævorum potuit post bella gigantum: Jam nihil, o Superi, querimur; scelus omne nefasque Hac mercede placent.' *Patarol.*

Tanti fuisse] Vel cladium illarum pretio emendum, ut tu princeps esses. Lucanus simili colore, pulcherrime, 'Quod si non aliam venturo fata Neroni Invenere viam,' &c. Utitur et Augustus apud Dionem oratione in senatu, lib. LIII. cum beneficia sua commemorasset, et bona præsentis status: *Ὥστε*, addit, *εἴπέρ ποτε καὶ αὖθις πεπρωμένον εἴη τὴν πόλιν ἡμῶν νοσῆσαι, τοῦτον αὐτὴν τὸν τρόπον εὔξασθαί τινα στασιάσαι. Adeo ut, si iterum in fatis sit rempublicam nostram affligi et ægrotare, optaverit aliquis, hoc eam modo turbari ac collidi.* Sed et princeps jure suo oratorum, Demosthenes, pro Rhodiorum libertate, cum mala recensuisset, quæ ei tulerant: *Ὀλίγου δὲ δέω λέγειν, ἂν ὑμεῖς αὐτοῖς ἐθελήσητε βοηθῆσαι, ὡς καὶ συνενήνοχε ταῦτ' αὐτοῖς. Prope tamen abest, quin dicam, si vos iis auxiliari decernitis, ex usu eorum fuisse, hæc pati.* In diversum sensum, ipsa figura et phrasi, Martialis: 'Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit heres, Pæne fuit tanti, non habuisse duos.' *Lips.*

Disciplina castrorum] Cohortium in prætorianis castris, quæ ad ipsam urbem erant. Tacit. Ann. IV. 2. 1. *Bern.*

Corrector emendatorque] Fecit in ista etiam re. Nam 'Ælianum et prætorianorum præcipuos turbatores, ad se evocatos, quasi opera eorum usurus, alium alibi sustulit,' Dio. *Lips.*

Optimum opponeretur] *Imponerent* V. forte *imponeret*. Livin.

Nolebat] *Nollet* Livin. sed *nolebat* V. C. R. G.

Nolebat] Non pauci habent *nollet*. Vide Excurs. VII.

Exspectatum est tempus] Palam igitur, non initio statim imperii a Nerva, sed eo inclinante, adoptatus est. At Onufrius (verus pater principalis historiæ et Fastorum) asseverat, 'Diem adoptionis, et tribunitiæ potestatis assumptæ, procul dubio fuisse XIV. Kal. Octobris.' Quid? illum primum imperii? non potest:

anno igitur post? hoc propius ad verum; sed quo tamen auctore, tam definite eundem statuat, requiro. Ego hoc saltem invenio (in Aur. Victore) 'tribus mensibus cum adoptato Nervam vixisse.' Atqui imperavit Nerva 'annum unum, menses quatuor, dies novem:' cœpit imperare certo XIV. Kal. Octobris, cum Domitianus cæsus: ergo hoc calculo, adoptio Trajani incidat in VI. Kal. Novembris, aut circa. *Lips.*

In quo liqueret] Non ignoro ablativum temporis interdum admittere præpositionem, si inprimis non simpliciter tempus, sed tempus opportunum, item tempus triste et periculosum, designetur; v. g. Terent. Andr. IV. 19. 'Veni in tempore,' ubi Donatus ait, 'i. e. opportune; nos sine præpositione dicimus, *tempore*, et *tempori*.' Porro Sallust. in Catil. 48. 'In tali tempore, tanta vis hominis lenienda magis, quam exagitanda, videbatur.' Exempla multo plura prætereo. Omittunt tamen hoc loco Pliniano præpositionem *in* quatuor codices Mss. qui in Catalogo indicantur. Deleta etiam est in Vossii libro; atque omissa a Gryphio, Sichardo, paucisque aliis. Adhæc ipse Plinius eandem præpositionem aliis in locis prætermittit; v. g. Panegyr. XV. 4. 'Veniet ergo tempus, quo posteri visere ... gestient.' Epist. II. 13. 3. 'tempus, quo amicos tuos exornare potuisti.' Conf. Epist. III. 1. 1, VI. 26. 3. VIII. 14. 10. Nondum tamen eam ipsam præpositionem hoc loco expungere ausus sum; propterea, quod eandem prodidere Beroaldus, Catanæus, Aldus, Junta, Stephani, Rhenanus, Philomusus, Cratander, Livineius, Lipsius, Gruterus, Boxhornius, Berneggerus, Th. Hearne, Ceva, Patarol, Gesnerus. *Schwarz.*

Ruensque imperium] Hoc modo etiam loquitur Curtius, VII. 4. 12. 'Magnum onus sustines capite, regium insigne. Hoc, aut moderate perferendum est; aut, quod abominor, in te ruet.' Quin et Plinius Major H. N. XIV. 4. 'Novissime Annæo Seneca, principe tum eruditionis, ac potentiæ; quæ postremo nimia ruit super ipsum.' *Schwarz.*

Imploratus adoptione] Cum ad absentem Homerico versu Nerva scripsisset, Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσι· *Has lacrymas, Trajane, tuis ulciscere telis.* Lips.

Olim duces] Hannibal ab Italia revocatus ad opem ferendam Carthagini jam fere devictæ. Liv. XXX. 9. *Bern.*

Tu illi reddidisti] Non temere hæc de Trajano. At superbe Domitianus jactavit in senatu, 'et patri se, et fratri, imperium dedisse; illos sibi reddidisse.' Sueton. cap. 13.

Solus ergo ad hoc ævi] Antehac non nulli legerunt, *Solus ergo adhuc, qui pro munere tanto.* Parisienses, et Gruterus edidere, *Solus ergo ad hoc ævi, qui pro munere tanto.* Vide Excurs. VIII. Berneggerus non absimilem sententiam ex Seneca de Benef. II. 30. huc attulit: 'Eodem momento, quo obligatus es, si vis, cum quolibet paria fecisti; quoniam, qui libenter beneficium accipit, reddidit.' Est vero, *paria facere*, idem ac, par pari referre, beneficium rependere ac compensare. Colum. II. 1. dixit, 'paria facere cum rationibus.' *Schwarz.*

Ad hoc ævi] *Adhuc* Livin. sed *ad hoc ævi* V. C. *Livin.*

Paria accipiendo] Atqui reddendo paria fiunt, et nomen expungitur. Pulchrum acumen, ut centena in hoc scripto. *Lips.*

Paria accipiendo] Non absimile illud Senec. Benefic. II. 30. 'Eodem momento, quo obligatus es, si vis, cum quolibet paria fecisti: quoniam, qui libenter beneficium accipit, reddidit.' *Bern.*

Immo, ultro dantem] *Ultra* Livin. Bene *ultra*, id est, quod amplius est;

nam in C. vitiose est *ultro*. Sic 'altius' Virgilius dixit Ciri, pro, quod altius et sublimius est: 'Altius, at magni suspendit sidera mundi:' ubi 'suspendit' ποιητικῶς pro 'suspensa et superne impendentia' describit, equidem interpretor, ac levi mutatione, *at*, non *ad* rescripsi; non enim placet *subtendit* legi, quod vir doctus reposuit. Autor Ætnæ: 'Quidquid in antiquum jactata est fabula carmen, Fortius ignotas molimur pectore curas.' Tertullianus de Carne Christi, 'Nec sustinent saltem, sed (amplius) interpellant.' *Livin.*

Immo ultro dantem] Multis millibus, meo judicio, prior est dictio *ultro*, quam *ultra*, ingesta quidem nuper a Livineio; sed contra consensum editionum. *Grut.*

Imo ultro dantem obligasti] Particulam *ultro* habent codices manuscripti, Parisiensis, Venetus, noster; item liber Vossii, et primus Gudii; atque in libris impressis Beroaldus, Cuspinianus, Rhenanus, Philomusus, Parisienses, Cellarius, Hearne, Patarol, Gesnerus. Probarat eandem Lipsius in notis. Gruterus ita commentatur ad hunc locum: 'Multis millibus, meo judicio, prior est dictio *ultro*, quam *ultra*, ingesta quidem nuper a Livineio; sed contra consensum editionum.' Satis arguta hinc surgit sententia. Cum enim alias ille, qui *ultro*, h. e. qui sponte, et gratis, et non antea obligatus, confert beneficium, potius obligare, quam obligari soleat; Trajanus tamen, dum tam periculoso tempore et statu reipublicæ suscepit in se imperium, non solum hoc, quicquid erat beneficii, suscipiendo rependit; sed et ipsum Nervam, a quo sponte ac gratis adoptatus, et in imperii societatem adscitus erat, obligavit; dum sic graves ejus curas maximopere allevavit, eumque in futurum tempus reddidit securum. Nihilominus particulam *ultra* exhibent codex Ms. Guelpherbytanus, Aldus, Junta, Rob. Stephanus, Plantinus, Berneggerus, Ceva. Cui particulæ si omnino locus dandus esset, ea potius verbo *obligasti* proxime præmittenda videretur *imo dantem ultra obligasti*. Sed nec ea prætereunda puto, quæ Jacob. de la Baune ad hunc locum annotavit. *Schwarz.*

Ultro] Volebam, et nunc velim, *ultro*. Lips.

Cap. vii. *Propria cupiditas*] Cujus fomes ambitio. Aristot. Pol. ii. 3. οὐδεὶς ἂν ἄρχειν αἰτήσαιτο, μὴ φιλότιμος ὤν· *Imperium nemo affectat, nisi ambitiosus*, ut Julius Cæsar, et qui ex hac victima prodiere. Sueton. in Cæsar. Heinsius in Orat. 17. de C. Cæsare. *Bern.*

Proprius metus] Ut Tacitus, de Othone: 'Fingebat et metum, quo magis concupisceret.' *Lips.*

Aliena utilitas] Perspicue rectum est, nec muto. Divæus noster malebat *vilitas*, id est, Nervæ imperatoris a senio contemtus. Quod equidem non sequor. *Livin.*

Privatus] Atqui senator erat, et consularis, et provinciæ præses. Nihil ad rem: more hujus et superioris ævi, omnes 'privati,' qui non principes: et solus ille ab hoc nomine exceptus. Tacitus de Galba: 'Major privato visus, dum privatus fuit;' et millies alibi. *Lips.*

Privatus] Sic Herodian. l. iii. p. 153. ait, 'Virgas principum a virgis privatorum (id est, consulum, prætorum, præsidum) eo insigni discretas fuisse:' quod principis erant laureatæ, privatorum non item. Nam Politianus, qui convertit aliter, auctoris mentem non videtur assecutus. *Bern.*

Læta et prospera stationis istius] Codex Parisiensis, item Guelpherbytanus, et noster, transponunt has voces, *prospera et læta stationis istius*. Stili cultioris studiosi etiam in scriptoribus antiquis observant usum et ordinem adjunctorum, sive eorum synonymorum, quæ aliquando in una

sententia conjunguntur, simulque dicuntur. Sic putes, duo ista ἐπίθετα meliore ordine in codicibus Mss. quam in vulgatis libris, conjungi: quia quasi naturali ordine prosperitatem sequitur lætitia; et quia etiam Liv. xxvi. 41. ait, 'Illic omnia secunda lætaque sunt.' Attamen hæc duo adjuncta promiscuo ordine ab auctoribus conjunguntur. Certe idem Livius, eodem loco: 'Dii,' inquit, 'auguriis auspiciisque, et per nocturnos visus, omnia læta ac prospera portendunt.' Imperium vero in hoc loco a Plinio dicitur 'statio;' quia simile est stationi militari, quæ vigiliam, et curam, laboresque requirit. Ipse Plinius infra, LXXXVI. 3. vocat 'stationem laboriosam.' Bene illustrat hanc loquendi rationem Lipsius. *Schwarz.*

Stationis istius] Suetonius Claudio: 'Quod aliter perventurus ad susceptam stationem non fuerit.' Spartianus: 'Qui principem locum in hac statione retentarunt.' Lampridius: 'Etiam in his artifex, quæ stationis imperatoriæ non erant,' et sæpius alibi, pro summo hoc loco et principali. Quare? ab militaribus stationibus ductum puto: quia, sicut illæ in excubiis contra hostem; ita imperator quasi in perpetua vigilia et reip. cura. An non Vespasianus eo alluserit, cum extremum illud protulit? 'Imperatorem stantem mori oportere.' Stabant enim in his stationibus; etsi ad aciem potuit esse respectus. *Lips.*

Stationis istius] Hanc non magis, quam a Seneca dabo. 'Omnium,' inquit ille ad Polyb. 26. 'domos illius vigilia defendit; omnium otium, illius labor; omnium delicias, illius occupatio.' Excipe plura ibidem. Sic infra c. 86. 'Statio (imperatoris) laboriosa et exercita.' *Bern.*

Nulla] Existimabat Nerva ac dictitabat, 'in eligendo imperii successore, virtutem hominis, non genus, aut patriam, spectari oportere,' Dio in Trajan. Acute Leo in Tacticis c. 20. num. 116. 'Qui suis rebus gestis prælucet, non qui generis dignitate commendatur, illustris est imperator; quemadmodum nec aurea hasta utilis ad bellum, sed ferrea et acuta.' *Idem.*

Nulla . . . cognatio] Ergo Plinius aperte confutat istam proximam Trajani cum Nerva necessitudinem, quam commentus est Harduin. Select. Oper. pag. 745. dum falso tradit, Trajanum fuisse generum Nervæ, et filium sororis ejusdem. *Schwarz.*

Cognatio] Nulla sane. Et quidem Nerva ipse Trajanum multis affinibus suis, qui tunc erant Romæ, præposuit. Xiphil. *Patarol.*

Alius atque alius] Augustus et Claudius. Ille Tiberium Liviæ uxoris artibus adoptare compulsus. Sueton. in Aug. cap. 65. et in Tib. c. 15. Tacit. Ann. lib. I. Hic in Agrippinæ gratiam Neronem. Sueton. in Ner. c. 6. Tacit. Ann. XII. *Idem.*

Ut prius alius atque alius] Augustum sentit, qui in Liviæ suæ gratiam Tiberium adoptavit; sed non ante, quam is Germanicum, nepotem ex fratre, adoptasset. Suetonium lege Tiberio, c. 15. *Livin.*

Alius atque alius] Tiberius et Nero intelliguntur: ille ab Augusto, matris Liviæ ambitu: hic a Claudio Agrippinæ, ad imperium adsciti. *Lips.*

Non vitricus] Ut fuerunt Tiberio Augustus, Claudius Neroni. *Patarol.*

Non vitricus, sed princeps] Vide Excurs. IX. *Schwarz.*

Aliter] Quam eligendo ab omnibus. Auson. de Nerva: 'Nulla viro soboles imitatur adoptio prolem, Quam legisse juvat, quam genuisse velit.' *Bern.*

Senatum populumque Romanum, exercitus] *S. P. Q. Romani exercitus* Livin. Placet quod in V. C. R. inveni, *Senatum, populumque Rom. exercitus,*

&c. Firmant hæc Metii Falconii Nicomachi apud Vopiscum, quæ et commodo tuo, quisquis es, lector, et quia huc faciunt, adscripsi: 'Te, Tacite Auguste, convenio, petens, obsecrans, libere pro communis patriæ legibus deposcens, ne parvulos tuos (si te citius fata prævenerint) facias Romani heredes imperii, ne sic remp. patresque conscriptos, populumque Rom. ut villulam tuam, ut colonos, ut servos tuos, relinquas. Quare circumspice, imitare Nervas, Trajanos, Hadrianos.' *Livin.*

An senatum populumque Romanum] Cellarius, et plures ante ipsum, ediderant *an senatus populique Romani;* ut hæ voces sine interpunctione connecterentur cum sequenti *exercitus.* Quæ diversitas lectionis ex siglis antiquis, S. P. Q. R. nata videtur. Lectionis vero a nobis receptæ rationem reddimus in Excurs. x. *Schwarz.*

E sinu uxoris] Ex ejus filiis, ex sinu privato, non publico, nec ex judicio, ut Augustus Tiberium, Claudius Neronem. *Bern.*

Tantum intra domum] Galba apud Tacitum, Hist. xv. 5. 'Sed Augustus in domo successorem quæsivit, ego in republica.' *Lips.*

Circumferas oculos] Hæc omnia pro Electione, et Politicis notanda sunt. Senator quispiam apud Vopiscum senem jam Tacitum imp. eo hortatur: 'Quare circumspice, imitare Nervas, Trajanos, Hadrianos. Ingens est gloria morientis principis, rempublicam magis amare, quam filios.' *Idem.*

Quem optimum] A virtute, non a sanguine. Roma apud Claudianum: 'Hic illi mansere viri, quos mutua virtus Legit, et in nomen Romanis rebus adoptans, Judicio pulchram seriem, non sanguine, duxit.' *Idem.*

Diis simillimum] Onosander in de Elig. Imp. lib. 'Deligere oportet imp. non generis et majorum, nec fortunarum et opum, habita ratione; sed qui temperans sit, continens, sobrius, frugi, ac tenuis victus, laborum patiens, acer ingenio, non avarus, non juvenis, non senex, temperans, ne voluptate abductus, curam maximarum rerum abjiciat, quæ singula quodam providentiæ dono fuere in Trajano.' *Bern.*

Servulis tuis] Idem ille senator in Vopisco: 'Ne sic rempubl. patresque conscriptos, et populum Romanum, ut villulam tuam, ut colones tuos, ut servos tuos, relinquas.' *Lips.*

Servulis tuis] Tiberius apud Dion. lib. LVII. p. 696. 'Dominum se servorum, imperatorem militum, principem ceterorum, vocabat.' *Bern.*

Necessario herede] Statius: 'Natos genuisse necesse est, At legisse juvat.' Tacitus in oratione Galbæ: 'Sub Tiberio, et Caio, et Claudio, unius familiæ quasi hereditas fuimus.' *Lips.*

Constet imperatorum] Gloriose hoc erga Trajanum: quasi ille, virtutis merito, ad imperium venturus, etiam non electus. *Idem.*

Interesse arbitratus] *Arbitratus interesse* V. *Livin.*

Perinde] Nonnulli libri excusi, v. g. Livineii, Gruteri, Parisiensium, et Patároli habent *proinde;* ceteri, tam scripti, quam impressi, *perinde.* Scimus quidem, istas particulas aliquando promiscue dici, et eosdem habere usus: veremur tamen cum Tursellino de Particulis, cap. 170. ne sæpe subsit mendum, adeoque et hoc loco malumus tueri *perinde.* Schwarz.

Sine judicio adoptentur, &c.] Naturales enim filios tales, ac tales habere, non nostri judicii est: adoptivos autem non nisi tales, ac tales, recto judicio decet eligere. Quare Statius Sylv. II. 1. 'Natos genuisse necesse est; At legisse juvat.' Et de filiis iisdem Auson. Epigr. XV. 'Adsciti quantum præmineant genitis.' *Patarol.*

Sine judicio] Nam hoc est, quod discrimen facit inter adoptionem et

genituram: et quo titulo huic vult præferri. Hadrianus moriturus apud Dionem: 'Mihi, O amici, liberos gignere natura non dedit, sed lege et adoptione vos mihi dedistis. Differt autem hoc ab illo, quod nati quidem liberi, quales Deo cumque visum est, gignuntur et crescunt; at adoptione, quales quisque vult, pro arbitrio adsciscit. Ita a natura sæpe corpore, aut mente imminutum habes: ab adoptione et judicio, utroque perfectum, si voles.' *Lips.*

Sine judicio] 'Generari et nasci a principibus fortuitum, adoptandi judicium integrum,' Tacit. *Bern.*

Nascuntur] Codex Parisiensis, et Venetus, itemque in excusis libris Parisienses veteres, Gruterus, Patarol habent *nascuntur*. At in codice Guelpherbytano, et nostro, item in altero Gudii libro, et omnibus quos inspeximus impressis, extat illa lectio vulgatior. *Schwarz.*

Nisi quod tamen] Sic hæ particulæ collocatæ sunt in codicibus Mss. Parisiensi, Guelpherbytano, et nostro. Sic et alibi loquitur Plinius; v. g. Paneg. XCI. 7. 'nisi quod tamen, qui rursus consules fiunt, bis quidem, sed temporibus diversis, obligantur.' Et Epist. VIII. 17. 'Parvulum differt, patiaris adversa, an expectes: nisi quod tamen est dolendi modus, non est timendi.' Conf. Epist. VI. 20. Vulgo editum est, *nisi tamen quod*. In codice Veneto particula *tamen* plane omissa est. *Idem.*

CAP. VIII. *Judicia*] Nonnulli libri corrupte habent *judicio*; plures *judicium*; meliores *judicia*. Vide Excurs. XI. *Schwarz.*

Sed in templo] In Capitolio. Dio Cassius, Νερούας διὰ τὸ γῆρας καταφρονούμενος, ἀνέβη τε ἐς τὸ καπιτώλιον, καὶ ἔφη γεγωνήσας, Ἀγαθῇ τύχῃ τῆς τε βουλῆς, καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων, καὶ ἐμοῦ αὐτοῦ, Μάρκον Οὔλπιον Τραϊανὸν υἱοποιοῦμαι· καὶ μετὰ ταῦτα ἐν τῷ συνεδρίῳ Καίσαρά τε αὐτὸν ἀπέδειξε. *Nerva ob senium jam contemtui, in capitolium ascendit, et magna voce inclamans dixit: Quod felix faustumque senatui, populoque Romano, mihique sit, M. Ulpium Trajanum adopto. Et post hoc eundem Cæsarem in senatu designavit.* Lips.

Genialem torum] Genialis torus est, qui in nuptiis sternitur in honorem Genii, Græce θάλαμος γαμικός. Virgil. Æn. VI. 'Lucent genialibus altis Aurea fulcra toris.' Rayanus. *Patarol.*

Pulvinar] Deorum pulvinaria lectuli erant, seu tabulata quædam, ut addidit Acron in Horat. I. Od. 17. 'in quibus stabant numina, ut eminentiora viderentur.' Ad hos lectulos, tam in summis reipublicæ discriminibus, quam post partas bello victorias, aut rem quampiam aliam bene gestam, aut gerendam, supplicationes fiebant, vario ritu, variaque pompa, prout res exigebat. Deridet stultam religionem Arnob. adv. Gentes, l. VII. *Idem.*

Sibi enim Dii gloriam illam vindicaverunt] *Vindicaverunt Dii gloriam illam* V. *Livin.*

Nerva tantum minister] *Nerva tamen minister* Livin. at in margine, 'forte, *tantum*:' recte. *Rittersh.*

Utique, qui adoptaret] Olim inquinate hic locus scriptus evulgatusque erat. Plurimi ediderant, *Nerva tantum minister fuit. Uterque, qui adoptaret, tam paruit, quam tu, qui adoptabaris.* Nonnulli pro particula *tantum*, habebant *tamen*. Nos primi emendatiorem prodidimus ex vestigiis veterum codicum, pro *uterque* reponentes *utique*; et pro *adoptaret*, leni mutatione, *adoptaret*. Cujus emendationis rationes exposuimus Excurs. XII. Vir celeberr. Heumannus hanc correctionem ex fecundo felicique ingenio suo protulit: *Nerva tantum minister fuit, teque cum adoptaret, tam paruit, quam tu, qui adoptabaris.*

Ex Pannonia laurea] In codice Ms. Parisiensi hæc vocabula quodammodo transponuntur, *Allata erat laurea*

ex Pannonia. Admodum vero incertum videtur, per quem legatum, aut præsidem provinciæ, Nerva tunc in Pannonia vicerit hostes, atque adeo a quo laurea ista missa fuerit Romam. Lipsius jam negavit, id posse de Trajano intelligi; cum Trajanus tunc alibi substiterit, et quidem ad Rhenum Coloniæ Agrippinæ. Eutropius enim VIII. 1. 'Trajanus,' inquit, 'imperator apud Agrippinam in Galliis factus est.' Et Aurel. Victor in Epitome, cap. 13. 'Hic imperium apud Agrippinam, nobilem Galliæ coloniam, suscepit.' Similiter Sidon. Apollinar. Carm. VII. 113. seqq. 'Adoptivo factus de Cæsare major Ulpius inde venit, quo formidata Sicambris Agrippina fuit.' Unde et Jo. Masson in vita Plinii Secundi, ad A. C. 99. itidem negat, ab ipso Trajano istam lauream fuisse reportatam, quam Nerva, duntaxat boni ominis caussa, die adoptionis Trajani consecrarit Jovi. Ait enim, Plinium nusquam hanc lauream tribuere Trajano, nec eum eo nomine laudare, neque ullum nummum, aliudve monimentum, superesse, in quo memoria istius victoriæ Pannonicæ servetur, eaque adscribatur Trajano. Hinc porro infert laudatus Masson, sed sine evidenti argumento, Trajanum tunc, cum adoptaretur, haudquaquam assedisse Danubio, sed demum hieme mortem Nervæ subsecuta. At enimvero, non solum jam antea Catanæus, sed et recentius H. Dodw. Prælect. Cambden. VI. p. 278. seqq. existimarunt, Trajanum utique tunc in Mœsia fuisse, ad ripam Danubii, e regione Daciæ; et, cum paullo ante adoptionem vicerit Germanos, et inde nomen Germanici reportarit, tunc e Pannonia misisse literas de victoria Germanica laureatas. Nisi quis putet, in ipsa etiam Pannonia tunc habitasse Germanos quosdam, nempe Araviscos, ab Osis, Germanorum natione, in Pannoniam translatos, referente Tacito in Germania cap. 28. Mihi omnino verisimilior videtur Dodwelli sententia. Cedrenus enim, quantumvis auctor ab isto ævo remotior, qui tamen sua ex antiquiore scriptore haurire potuit, in Compendio Histor. pag. 195. ubi de Nervæ imperio agit, hæc diserte commemorat: Ἐκ Παιονίας δὲ ἀγγελία ἐπινικίων ἐλθοῦσα παρὰ Τραϊανοῦ, ἀνελθὼν ἐν τῷ καπιτωλίῳ, καὶ λιβανωτὸν ἐπιθύσας, στὰς ἐπὶ βήματος, μεγάλα βοῶν, τῆς δὲ βουλῆς, καὶ τοῦ δήμου Ῥωμαίων παρόντων, ἔφη· Ἀγαθῇ τύχῃ Νέρουας Τραϊανὸν υἱοποιοῦμαι. *Cum ex Pannonia nuntius de victoria Trajani esset allatus, Nerva in capitolium progressus, ture incenso, inde conscenso suggesto, præsente S. P. Q. R. alta voce: Quod felix, inquit, faustumque sit, ego Nerva Trajanum mihi filium adopto!* Ac certe, si istam lauream alius dux belli tunc promeruisset, misissetque Romam, nescio, quomodo ea inter militaria Trajani merita, ejusque virtutis bellicæ insignia, a Plinio commode numerari potuisset. Capite enim XVI. Paneg. 'Innutritus,' inquit, 'bellicis laudibus, pacem amas; nec, quia vel pater tibi triumphalis, vel adoptionis tuæ die dicata Capitolino Jovi laurus, idcirco ex occasione omni quæris triumphos.' Non nego, Trajanum præsedisse Germaniæ, et Rhenum Euphratemque admiratione famæ suæ conjunxisse: id enim, præter Xiphilinum, ipse testatur Plinius IX. 2. et XIV. 1. attamen non minus constat, eodem Plinio teste, XII. 3. et XVI. 2. Trajanum quoque in Danubii ripa stetisse, certum triumphi, si transierit. Itaque, ne Eutropium, Victorem, et alios erroris accusem, credo, Trajanum, qui legiones per Germaniam duxisse, seu potius rapuisse, dicitur c. XIV. 3. postquam, territis repressisque Germanis, ex Pannonia miserat lauream, mox rediisse ad Rhenum, ibique demum, ubi Coloniam Agrippinam nuntius de morte Nervæ allatus erat, summum suscepisse im-

perium. Sic omnia melius, ut opinor, cohærent. Adoptio vero facta erat, post lauream ex Pannonia missam, XVIII. Septembr. A. C. 97. Nerva diem supremum obierat XXVII. Januarii, A. 98. Quis ergo dubitet, Trajanum interea temporis a Danubio reverti potuisse ad Rhenum? *Idem.*

Ex Pannonia laurea] Georgius Cedrenus: Ἐκ Παιονίας δὲ ἀγγελία ἐπινικίων ἐλθοῦσα παρὰ Τραϊανοῦ· *E Pannonia victoriæ nuncius a Trajano veniens:* etsi fallitur de Trajano, nam ille nunc alibi, et in colonia Agrippina. *Lips.*

Imperator Nerva] Prænomen principis, cognomen victoris. Muret. Tacit. Ann. I. 9. pag. 416. Lips. Tacit. Ann. III. 74. not. 137. *Bern.*

In gremio Jovis collocarat] Plinius de lauro, XV. 40. 'Fasces imperatorum decorat.' Exhinc in gremio Jovis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam nova victoria attulit. Statius Silv. IV. 1. 'Nondum in gremio Jovis (male ab editis abest, 'in') Indica laurus, Nondum Arabes, Seresque rogant.' Virtus ad Scipionem, apud Sil. lib. XV. 'Dabo, qui vestrum sævo nunc Marte fatigat Imperium superare manu, laurumque superbam In gremio Jovis excisis deponere Pœnis.' Julius Obsequens de Prodigiis, 'C. Antonius cum in agro Pistoriensi Catilinam devicisset, laureatos fasces in provinciam (Macedoniam intelligit, quam L. Torquatus obtinuerat, cui hic successor) tulit. Ibi a Dardanis oppressus amisso exercitu profugit. Apparuit, eum hostibus pertendisse victoriam, cum ad eos laurum victricem tulerit, quam in capitolio debuerat deponere.' Latinus Pacatus in Theodosium: 'Depositis in gremio Capitolini Jovis laureis triumphales viri rusticabantur.' Addam denique velut supernumerarium testem Senecam, cujus Consolat. ad Helv. c. 10. hæc sunt verba: 'Scilicet minus beate vivebat Curius dictator noster, qui Samnitum legatos audiit, cum vilissimum cibum in foro ipse manu sua versaret, illa, quæ jam sæpe hostem percusserat, laureamque, (inepte est in editis, 'lanceamque;' in aliis 'lanceamque,' propius vero,) in Capitolini Jovis gremio reposuerat; quam Apicius nostra memoria vixit.' *Livin.*

In gremio Jovis] Quod in triumphis factum, atque etiam ubi victoria non digna triumpho. Suetonius Domitiano: 'De Cattis triumphavit, de Sarmatis lauream modo Jovi Capitolino retulit.' Plura nos ad Tacit. Ann. II. *Lips.*

In gremio] Laurum illam jam ipsi, aut lictores in fascibus tenebant; sed in gremio Jovis, arbitri et auctoris victoriæ, sine justo triumpho, ipsi deponebant. Dio lib. LIV. Sueton. Domit. c. 13. *Bern.*

In gremio Jovis] De more. Patet ex Plinio lib. XV. cap. ult. 'In gremio J. O. M. deponitur (laurea,) quoties lætitiam nova victoria attulit.' Vide Livineium, qui locum hunc pluribus illustrat. *Patarol.*

Solito major] Familiare poëtis maxime genus hoc locutionis. Virg. Æn. VI. de Sibylla, 'Majorque videri,' &c. Sen. in Œd. II. 1. 'Emicat vasto fragore major humano sonus.' *Idem.*

Hominum concione] Itaque et tribunal ascendit, quod sic Cedrenus: Λιβανωτὸν ἐπιθύσας, στὰς ἐπὶ βήματος, μεγάλα βοῶν ἔφη, Ἀγαθῇ τύχῃ, Νερούας Τραϊανὸν υἱοποιοῦμαι· *Ture cum supplicasset, stans in suggestu clamavit: Quod faustum felixque sit, Nerva Trajanum adopto.* Lips.

Fessis rebus] i. e. nutanti et tot calamitatibus defatigatæ reipublicæ. 'Res fessæ' fere extremam notant fortunam. Est prope poëtica loquendi ratio, stilo tamen panegyristæ congruens. Sic canit Virgil. Æn. III. 145. 'Quem fessis finem rebus ferat?' et Æn. XI. 335. 'rebus succurrite fessis:' ubi Ovid. Trist. I. 4. 35. 'rebus succurrite lapsis.' Imo est for-

mula scriptoribus ævi Pliniani tantum non familiaris. Plinius Major N. H. II. 7. 'Vespasianus Augustus fessis rebus subveniens.' Tacitus Annal. XI. 24. 'fesso imperio subventum est.' Idem Annal. XV. 50. 'Ergo, dum scelera principis, et finem adesse imperii, deligendumque, qui fessis rebus succurreret, inter se, aut inter amicos, jaciunt.' Plinium nostrum imitatus videtur Latinus Pacatus Paneg. c. 4. 'cum inter omnes liqueret, fessis rebus medendum.' *Schwarz.*

Inde, quasi deposito imperio] Quatuor codices Mss. itemque liber Vossianus, habent, *Inde, quasi depositi imperii.* Sed nihil mutandum censeo. Haud vero simpliciter ait Plinius, Nervam tunc re ipsa, sed quasi, deposuisse imperium; cum id duntaxat partitus fuerit, communicaritque, cum Trajano a se adoptato. Unde erravit Aurel. Victor de Cæsaribus cap. 12. dum tradidit, Nervam, ubi animadverterit, 'nisi a superioribus robustioribusque corpore animoque, imperium geri non posse, mense sexto ac decimo semet eo abdicasse.' Erravit et Diocletianus apud Lactantium de Mortibus Persecutorum, cap. 18. ubi dixit, 'Nervam, cum pondus et curam tantarum rerum, vel ætate, vel insolentia, ferre non potuerit, abjecisse gubernaculum reipublicæ, atque ad privatam vitam rediisse, in qua consenuerit.' Imo erravit et Dodwellus in Appendice ad Dissertationes Cyprianicas, num. 40. dum his duobus scriptoribus obsecutus scripsit, Nervam omnino tunc abdicasse imperium, privatamque egisse vitam, postquam Trajanum fecisset αὐτοκράτορα. Nobis auctoritas Plinii multo pluris est, quam ut ab ea recedamus. Ipse enim consul Romanus, et testis istarum rerum præsens, cap. VI. 4. tantummodo 'communicati,' et cap. VIII. 'partiti imperii' meminit. Quid? quod Nerva, viginti sex dies ante obitum suum, adhuc tanquam imperator et Augustus, consulatum quartum, una cum Trajano, collega imperii et consulatus, iniit, inque fastis Romanis notatus est? Unde et Plinius Paneg. LVII. 2. sic alloquitur Trajanum: 'Nam secundum (consulatum) imperator quidem, sub imperatore tamen, (nempe sub Nerva, tanquam Augusto, adhuc imperante,) iniisti.' Conf. Panegyr. X. 4. Inciderat vero quartus Nervæ, et secundus Trajani consulatus, in annum Christi 98. cujus anni mense Januario obiit Nerva. Paulus quidem Bauldrius, in notis ad locum Lactantii modo excitatum, conciliaturus scriptores dissentientes, censet, Nervam abdicasse imperium, quantum ad reipublicæ gubernationem, quam commiserit Trajano; non vero abdicasse, dum nihilo minus retinuerit Augusti nomen, dignitatem, purpuram, palatium, et alia. Conferatur Antonius Pagi in Critic. Baron. ad A. C. 97. num. 3. et 4. qui, conciliandæ dissensionis caussa, ait, fortasse veteres communicationem imperii cum altero aliquando expressisse nomine depositionis, et abdicationis. *Idem.*

Partiaris] Imp. Severus apud Herodian. lib. III. p. 66. f. 'Imperium, quod vos mihi uni detulistis, id ego cum illo communicavi. Id quod ne geminis quidem fratribus facile quisquam indulserit.' *Bern.*

Difficilius hoc] Nam ut ille ait, 'Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt.' *Lips.*

Tua juventa] Juniores a Servio Tullio rege appellatos usque ad annum quadragesimum sextum, e C. Tuberonis Hist. I. Agellius notavit X. 28. Et tamen in acclamationibus senatus apud Flavium Vopiscum, Tacito senex ad imperium Trajanus venisse dicitur, cum id inierit annos natus duos et quadraginta, uti de Xiphilino et Zonara statuimus, ætate intra Servianam constitutionem. *Livin.*

Tua juventa] Supra de ætate dixi:

at Romanis 'juniores,' ex Servii scito, ad annum 45. ultra 'seniores.' Liv. I. 48. 1. Dionys. Halic. IV. 20. Martialis etiam 'juvenem' dixit his versibus: 'Et fortem, juvenemque Martiumque In tanto duce militem videret.' *Lips.*

Juventa] Ætate inter primam et ultimam media, robustissima, quadragenaria scil. Romanis. Sic c. XXII. 'viros juvenes' appellat. Germanicus apud Tacit. Ann. II. 71. 2. 'Me patriæ intra juventam exitu præmaturo raperent.' *Bern.*

Fecerat] Facturus erat. Vide Acidal. in Curt. v. 11. p. 63. *Bern.*

Fecerat Nerva] Ordinarie dicere debuisset Plinius *facturus fuisset Nerva.* Vide Excurs. XIII. *Schwarz.*

Nuper post adoptionem] Tumultum agentibus prætorianis, ut dictum est, Nerva Trajanum adoptavit; tunc autem seditio in majus excrevit. Ad hoc Plinium respexisse non dubito; quamvis alii velint, ab ipso innui Pisonis adoptionem a Galba factam: quam sententiam præ ceteris superbe tuetur Lipsius. Adoptionis illius memoria cusa est etiam numo Trajani, quem vulgavit Tristanus. *Patarol.*

Nuper post adoptionem] Vidi, qui ad Pisonianam traheret, de qua Suetonius Galba cap. 17. Sed, ignoscant mihi manes, errant largiter; nam de Trajani a Nerva adoptione loqui Plinium, perspicue sequentia docent. *Livin.*

Nuper post adoptionem] Pisonis a Galba factam: neque aliter acceperis. Qui volunt a Nerva ipso alium aliquem adoptatum; ut verbo dicam, blatiunt nugas. *Lips.*

Nuper] In ipsa, ni fallor, adoptione; cum milites de adoptione audissent, magis exarsere in ipsum; sed cum cognovissent, eam incidisse in Trajanum, omnes quievere. Pisonis enim adoptio nupera non erat, qui jam pridem interierat. *Bern.*

Nuper post adoptionem] Utrum his verbis probabilius adoptio Pisonis a Galba, an Trajani a Nerva, facta, respiciatur, expendimus in Excurs. XIV. *Schwarz.*

An dubium est, ut dare posset] Ita nunc recte legitur hæc periodus; quam lectionem confirmat auctoritas trium codicum Mss. Parisiensis, Guelpherbytani, et nostri; item libri Vossiani, et alterius Gudiani. Eandem in antiquis membranis repererat Livineius. Codex Venetus in prioribus verbis vitiose habet, *ut C. ne darè posset.* In his omnibus, etiam Veneto, præterea infinitivus *esse*, quem alii subjiciunt voci *effectum*, omissus est, et, Pliniano quidem scribendi genere, recte; ubi is infinitivus intelligitur sæpius, quam exprimitur; v. g. in hoc ipso Paneg. IX. 2. XVI. 5. XXV. 2. XCV. 2. &c. Beroaldus, Catanæus, Cuspinianus, pluresque alii, ita hunc locum publicarunt: *An dubium est, ut dare non posset imperium imperator, qui reverentiam amiserat? auctoritate ejus effectum est, cui dabatur.* Quam lectionem in sua editione adhuc retinuit Livineius; quamvis eam non satis concoquere potuerit, cum inprimis in antiquo codice invenisset meliorem. Et sane oratio ista minus cohæret. Nec præterea nobis satis placet remedium ab interpunctione quæsitum, quod nimis placuit Lipsio; quem tamen Gruterus et Patarol secuti, ita hæc verba excudi jusserunt: *An dubium est? Ut dare posset imperium imperator, qui reverentiam amiserat, auctoritate ejus effectum est, cui dabatur.* Veriorem lectionem, quantum nobis constat, primus evulgavit Gryphius, cujus vestigiis deinceps et alii institere; nisi quod vulgo infinitivum *esse*, loco indicato intruserint. *Idem.*

An dubium est, ut dare posset] *An dubium est, ut dare non posset.* Livin. Non concoquo equidem hanc lectionem, etsi eadem et in C. R. Placet, quam V. G. repræsentant: *An dubium est, ut dare posset imperium Imperator,*

qui reverentiam amiserat, auctoritate ejus effectum, cui dabatur? aut, *effectum esse, cui dabatur.* Livin.

Ut dare posset]. *Dare non posset.* Lips. Haud improba sententia. Possetne dare imperium alteri, qui ipse jam pæne amiserat? non posset. At libris tamen aliis abest negatio: ac tunc legendum continuatione, *An dubium est, ut dare posset imperium Imperator, qui reverentiam amiserat, auctoritate ejus effectum esse, cui dabatur?* magisque hoc placet. Sed magis etiam, *An dubium est? ut dare posset imperium I. q. r. a. auctoritate ejus effectum est, cui dabatur.* Lips.

Simul Cæsar, mox Imperator] Quatuor beneficia, et summæ dignitatis genera, commemorat Plinius, quæ Nerva simul et statim contulerit in Trajanum. Prima est 'adoptio,' per quam Trajanus Nervæ nomen adscivit. De qua Xiphilinus e Dione: Ὁ Νερούας διὰ τὸ γῆρας καταφρονούμενος, ἀνέβη τε ἐς τὸ καπιτώλιον, καὶ ἔφη γεγωνήσας. Ἀγαθῇ τύχῃ τῆς τε βουλῆς καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων καὶ ἐμοῦ αὐτοῦ, Μάρκον Οὔλπιον Νερούαν Τραϊανὸν υἱοποιοῦμαι· καὶ μετὰ ταῦτα ἐν τῷ συνεδρίῳ Καίσαρά τε αὐτὸν ἀπέδειξε. *Nerva, qui propter senectutem contemtus erat, in capitolium conscendit, ibique magna voce: Quod felix faustumque sit, inquit, senatui populoque Romano, mihique ipsi, Marcum Ulpium Nervam Trajanum adopto; eundemque deinceps in senatu Cæsarem designavit.* Illius adoptionis memoria etiam in aliquot numis servata est; v. g. apud Tristanum, T. I. pag. 378. in adversa numi parte legitur, NERVA.TRAIAN.CAES.GERM.NER.AVG. F. P. TR. P. COS. II. id est, *Nerva Trajanus Cæsar Germanicus, Nervæ Augusti filius, Pontifex, Trib. pot. Consul II.* In aversa numi parte, Nerva togatus conspicitur porrigere manum Trajano, ex Germania redeunti, habitu militari, sinistra hastam puram tenenti, cum epigraphe, ADOPTIO. Deinde Trajanus tunc CAESAR declaratus est. Quæ appellatio olim erat cognomen Gentis Juliæ; deinceps, inprimis post Cæsaris familiam finitam, evasit non modo supremi fastigii titulus, ipsis Augustis competens, sed etiam, prout et hoc loco, titulus secundi fastigii, quo ii Cæsares appellabantur, qui nondum erant Augusti, sed tantum designati heredes summæ potestatis, et futuri successores imperii; quales nobis hodie dicuntur 'Reges Romanorum.' Tertio loco tunc Trajanus a Nerva, consentiente senatu, dictus constitutusque est imperator; quo nomine hic non nudus belli dux et administrator, uti in libera republica; neque victor hostium, denotatur; prout æque in libera republica, ac jam constituta Cæsarum dominatione, Imperator, post rem in bello feliciter gestam, ab exercitu salutabatur: verum sic dicitur Græce αὐτοκράτωρ, isque tam princeps supremi in orbe fastigii, adeoque et ipse Augustus, (ubi hic titulus imperatoris fere tanquam prænomen ceteris nominibus præponitur,) quam summæ potestatis socius ac particeps; Germanice, *Mit-Regente.* Cujusmodi titulus cum iis duntaxat Cæsaribus, et futuris imperii successoribus, communicabatur, qui jam collegæ sociique imperii audierunt. Quales fuere Tiberius cum Augusto, Titus cum Vespasiano patre, Trajanus noster cum Nerva, Antoninus Pius cum Adriano. De Trajano testatur etiam numus aureus, cum adversis Nervæ et Trajani capitibus, cui inscriptum, TRAIANVS. IMP. CÆSAR. Vide Mediobarbum de Numismatibus Imperat. Rom. pag. 147. Conferatur ipse Plinius Paneg. IX. 1. et LVII. 3. ubi ait, 'Secundum consulatum imperator quidem, sub imperatore tamen, iniisti.' Atque in hoc ipso cap. IX. 3. jam absens dicitur 'imperare cœpisse.' Quarto loco, tunc Trajano delata fuit TRIBVNITIA POTESTAS, quæ, teste Vopisco, in

vita Taciti, cap. I. in imperatoribus significat 'maximam partem imperii regalis,' atque complectebatur 'jus intercedendi, sanctitatem personæ,' seu immunitatem ab omni violatione, 'facultatem senatus convocandi,' et alia eximia jura, quæ jam alibi explicavimus. Hi vero quatuor insignes characteres, nempe filii Nervæ per adoptionem, Cæsaris, imperatoris, et tribunitiæ potestatis, pariter, i. e. simul, et statim, atque, ut opinor, eodem die, XIV. Cal. Octobr. Nerva decrevit Trajano; quamvis eos forte distinctis relationibus senatui approbandos proposuerit. Particula enim *mox* apud Plinium, *mox Imperator*, et *μετὰ ταῦτα* apud Xiphilinum, hoc loco non temporis diversitatem, sed continuatum actionis ordinem, veluti, 'deinde,' 'præterea,' &c. significat. Ceterum post mortem Nervæ, Trajanus demum etiam Augustus, et Pontifex Maximus, ac tandem Pater Patriæ dictus scriptusque est; v. g. in nummo, apud Mediobarbum, pag. 150. IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. S. C. *Schwarz.*

Mox Imperator] Et jam erat Imperator; sed *ἡγέμων* et *στρατηγὸς*, qualis olim in libera republica a militibus nominabatur, qui imperium belli suis auspiciis administrandi a populo accepisset: alius erat imperator *νικήτης*, *victor*, qui lege definitum numerum occiderat; qualis Trajanus, victo Decebalo: Augustus 20. tandem alius *αὐτοκράτωρ, rex, princeps, imperator, dominus*, arbiter rerum omnium, nulli subjectus. Qualis in senatu declaratus est Trajanus. Et hæc appellatio dignitatis splendorem monstrat; Cæsaris vero et Augusti illius generis successionem, imo solum nomen, ut h. l. Vide sis Casaub. ad Sueton. Cæs. 76. Claud. 12. Dion. lib. XLIII. p. 266. Lips. Tacit. Ann. I. 18. 58. *Bern.*

Parens verus] Vespasianus, qui Titum, consortem imperii, accepit, seposito Domitiano, cujus superbia et propera ambitio timebatur. Suetonium vide in Vesp. c. 6. *Lips.*

Parens verus] Vespasianus in Titum filium, seposito Domitiano. Sueton. in Tito, c. 6. *Patarol.*

In alterum filium] Titum. Quanquam videri Domitianus volebat patri ac fratri imperium dedisse, illos sibi reddidisse. Suetonius Domit. c. 13. Quo Martialis respexit, cum ait IX. 104. 'Solus Iuleas cum jam retineret habenas Tradidit, inque suo tertius orbe fuit.' *Livin.*

In alterum filium] Plin. N. H. Præfat. ad Vesp. 'Sciant omnes, quam ex æquo tecum vivat imperium. Triumphalis et censorius tu, sextumque consul, ac tribunitiæ potestatis particeps.' Idem VII. 49. 14. 'Imperatores, Cæsares, Vespasiani, pater, filiusque, censores egerunt.' *Bern.*

CAP. IX. *Non solum successor*] Id est, non Cæsarem te tantum designavit, et filium fecit; sed imperatorem appellavit, et tribunitiæ potestatis collegam. Adeo de modestia tua confisus est, nec timuit, ne his elatus, aliquid, super ipsum, aut contra ipsum, velles. *Lips.*

Etiamsi nolis] 'Nemo enim,' aiebat Trajanus apud Vulcat. Gallicanum in Avidio Cassio, 'successorem suum tollit.' *Idem.*

Habendus est] Cellarius, et alii, habebant, *habendus es: non es habendus.* Nos recepimus lectionem codicum Mss. multorumque impressorum auctoritate confirmatam. Vide Excurs. XV. *Schwarz.*

Patricio] Eutropius ait, Trajanum 'ex familia antiqua magis, quam clara, natum.' Et sane patriciatus iste, in homine Hispano, non potuit nisi novus esse: puto a Vespasiano, qui patricias gentes allegit. *Lips.*

Patricio] Urbis Italicæ, nunc *Sevilla la Vieia*, in Hispania Bætica, quæ nunc *Andaluzia*. Patarol.

Consulari] Trajani patrem consulem fuisse, docet Eutrop. lib. VIII. ex Fastis tamen non constat. *Idem.*

Triumphali] Non, quod triumpharit; non enim hoc de ipso legitur; sed quod in bellis fortiter se gesserit, hostesque vicerit, ac triumphare meruerit. Constat autem ex Josepho Antiq. Jud. III. 17. ipsum sub Vespasiano, ac Tito, meruisse. *Idem.*

Et consulari, et triumphali, patre] Infra: 'An consularis viri, triumphalisque filius, cum tertio consul creatur, ascendit?' Iterum: 'Innutritus bellicis laudibus pacem amas, nec, quia vel pater tibi triumphalis, vel adoptionis tuæ die dicata Capitolino Jovi laurus, idcirco ex occasione omni quæris triumphos.' Rursum: 'Licet alteri vestrum filii virtus triumphalia, cœlum alteri, dederit; non minor tamen vestra laus, quod ista per filium, quam si ipsi, meruissetis.' In Fastis tamen, nisi me oculi fefellerunt, aut consulatum, aut triumphum Ulpianum, nondum reperi. Sane de Parthis triumphatum, innuere illa mox videntur: 'Non incunabula hæc tibi, Cæsar, et rudimenta, cum puer admodum Parthica lauro patris gloriam augeres?' &c. Sed Joannes Maria Catanæus Trajanum refert triumphalibus ornamentis donatum, expugnata Japha, urbe munita in Galilæis, Tito honoris et tituli caussa evocato. Quod quo auctore affirmet, nondum erui; neque enim est apud Josephum, cui historia hæc scripta Excidii Judaici, III. 21. *Livin.*

Consulari] Ita infra LVIII. 3. 'Consularis viri triumphalisque filius.' Sed quando fuerit, haud liquet: et confusa res in consulibus tanto numero suffectis. *Lips.*

Triumphali] Ubi meritus? Infra lege c. 14. 'Cum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augens.' Itaque dicat in Parthis rem gessisse, comite filio puero, et illius triumphalia retulisse. Enim vero bella cum Parthis sub Nerone, duce Corbulone; ac pueritia Trajani incidit in illud tempus. Potest et in Judæa etiam meruisse, cum Tito; cui legatus prætorius fuit, legioni pugnacissimæ decimæ præfectus. Josephus lib. III. Japhan ab eo captam narrat, et diserte Τραϊανὸν τοῦ δεκάτου τάγματος ἡγεμόνα appellat: *Decimæ legionis præpositum*, sive *legatum*. Idem.

Triumphali patre] Onosander: 'Majorum et progenitorum splendor si adsit imperatori, amplectendus est; sin absit, non magnopere desiderandus.' Sic vero secundum Eurip. in Helena vs. 947. παιδὶ γὰρ κλέος τόδε Κάλλιστον, ὅστις ἐκ πατρὸς χρηστοῦ γεγὼς, Εἰς ταυτὸν ἦλθε τοῖς τεκοῦσι τοὺς τρόπους. *Filio quidem pulcherrima hæcce gloria, Quicunque ex patre bono natus In similes venit parentibus mores.* Quanto jam pulchrior Trajano, qui excessit paternas virtutes. *Bern.*

Fortissimum, amplissimum] Nam, ut addit, Germaniæ inferiori præsidebat: in qua legiones quatuor, cum auxiliis suis, aliisque. *Lips.*

Germaniæ] Nostræ huic inferiori. Eutropius: 'Imperator in Galliis, apud Agrippinam civitatem factus.' Orosius: 'Apud Agrippinam, Galliæ urbem, insignia sumsit imperii.' Sidonius: 'Ulpius inde venit, quo formidata Sicambris Agrippina fuit.' Dio Cassius: ἦρχε δὲ τῆς Γερμανίας, *præfuit Germaniæ.* Ac diutius hic præfuisse Claudianus indicat: 'Cedant, Druse, tui, cedant, Trajane, labores! Vestra manus dubio quidquid certamine gessit, Transcurrens egit Stilico: totidemque diebus Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis.' Monumenta ejus sunt, 'Ulpia castra,' haud longe a Veteribus, et ad Mœnum fluvium, 'Munimentum Trajani,' quod commemorat Ammianus initio lib. XVII. *Idem.*

Germanici nomen] Quod inter titulos imperii erat, eoque usi omnes, qui Germanicum Cæsarem sanguine

vel adoptione contingerent; ut Caius, Claudius, Nero, postea et Vitellius, etsi alia caussa: item Domitianus, et nunc Trajanus. Notavi aliquid ad locum Taciti Ann. I. not. 147. 'In suum cognomentum adsci imperatores.' *Idem.*

Hinc missum] Nam ambitiosi præsides, copiis subnixi, ipsi se principes creabant. Ita Galba, Vitellius, cum successu; absque eo, Scribonius, et L. Antonius, conati. *Idem.*

Subjecti animo] *Animi* Livin. sed *animo* V. C. R. G. *Livin.* Recte. *Rittersh.*

Subjecti animo] Quia in ipso animo tuo imperare spernebas; fecisti tamen, sed quia jussus. *Lips.*

Subjecti animo] Hanc lectionem retinui, inductus suffragio codicum Mss. Parisiensis, Vatt. Patav. et Veneti; quam etiam jam prodidere Beroaldus, Catanæus, Cuspinianus, Rhenanus, Philomusus, Gryphius, H. Stephanus, Lipsius, Gruterus; cui et favent Heumannus et Gesnerus. Codex Ms. Guelpherbytanus, Aldus, Cratander, Rob. Stephanus, Patarol, habent *subjecti animi.* In meo codice Ms. lego *subjecto animo.* Schwarz.

Germanicus] i. e. Victor Germanorum. Etenim e victoriis, victisque nationibus, cognomina identidem adscribebantur imperatorum titulis: unde non nulli dicebantur Germanici, Britannici, Dacici, Sarmatici, Parthici, et quæ sunt aliæ appellationes generis ejusdem. Cujus ritus origo jam in republica libera inde usque a Scipionis Africani tempore deducenda est. Et deinceps imperatorum tempore, jam ante Trajanum, cognomen Germanici datum est Druso, Germanico, Tiberio, Caio, Claudio, Neroni, Vitellio, Domitiano, Nervæ: quo jure, et qua ratione? jam non disquirimus. Haud vero ullius victoriæ nomine magis gloriari gestierunt, quam Germanicæ; unde et plerumque cognomen Germanici præposuere ceteris cognominibus, quæ a gentibus devictis adsciverunt. Persuasum vero mihi habeo, Trajanum hoc cognomen simul cum ceterarum dignitatum titulis, ob repressos coërcitosque Germanos, postquam lauream e Pannonia miserat, decernente Nerva, et senatu Romano consentiente, obtinuisse; quia id, etiam hoc loco, titulis Cæsaris et Imperatoris adjungitur. Imo credo, eum tunc non solum simul consecutum esse titulum Imperatoris, quatenus notat summam in rebus civilibus et militaribus potestatem, in cujus consortium adsumtus erat a Nerva; sed etiam quatenus significat victorem, et subjicitur ceteris nominibus. Cui rei indicio est nummus Trajani, quem ex Golzio affert Fabrettus, in Syntagm. de Columna Trajani p. 282. NERVA. TRAIAN. CAES. GER. NER. AVG. F. P. TR. P. COS. II. IMP. id est, 'Nerva Trajanus Cæsar Germanicus Nervæ Augusti filius, Pontifex, tribunitia potestate, Consul II. Imperator.' Neque vero tituli Germanici, et Imperatoris, tanquam victoris, is antehac compos fieri potuit; cum sub imperatoribus hujusmodi cognomina victoriarum non amplius concederentur privatis, aut solis belli ducibus, et legatis. Certe, post Augusti et Tiberii tempora, non facile licuit exercitibus privatos duces et legatos, ob victoriam obtentam 'imperatores' salutare, et devictarum gentium cognominibus condecorare: utpote cujusmodi titulos deinceps Augusti sibi, collegisque imperii, quasi proprios reddidere. Postremum autem e privatis is honor obtigit Junio Blæso, sub Tiberio. Id quod refert Tacit. Annal. III. 74. 'Tiberius,' inquit, 'id quoque Blæso tribuit, ut Imperator a legionibus salutaretur, prisco erga duces honore, qui bene gesta re, gaudio et impetu victoris exercitus conclamabantur: erantque plures simul imperatores, nec super ceterorum

rum æqualitatem. Concessit quibusdam et Augustus id vocabulum; ac tunc Tiberius Blæso postremum.' Neque vero indignum nota ibi observavit Lipsius, in nummis et inscriptionibus 'Imperatoris' titulum, cum principis est, præponi; cum victoris subjungi; v. g. in antiquo lapide apud Gruterum, pag. CXC. 7. hoc modo: IMP. CAESAR. DIVI. NERVAE. F. NERVA. TRAIANVS. OPTIMVS. AVG. GERM. DACICVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIB. POT. XVIII. IMP. VIII. COS. VI. P. P. CVRAVIT. Ubi primo loco 'Imperator' ponitur pro Principe; altero loco IMP. VIII. pro eo, qui octavam victoriam retulit ab hoste. Præter Germanici autem cognomen, etiam postea Dacici et Parthici adscivit. *Idem.*

An non obsequereris principi civis] Sic editi antiquitus; nam recentior Livineii *At non*, sphalmate typographico, ut puto: quod tamen monendum, cum hodie errata talia operarum nemo ad calcem aut initium libri repræsentet; ideoque de eis nihil constare possit lectori: quam quoque superioris ævi virtutem nobis periisse, doleo, et incassum deploro. *Gruterus.*

Legatus] Hoc loco intelligitur *legatus Augusti.* Sic vero dicebatur Cæsaris magistratus, supremus nempe provinciæ rector, sive præses, ad administrandam Cæsaris provinciam missus; a quo diversi erant proconsules, qui populi provinciis præficiebantur; et multo magis legati legionis. Vide Spanhem. de Usu et Præstant. Numismat. tom. II. pag. 587. et Lipsium de Milit. Rom. libr. II. Dialog. XI. et ad Tacit. in Agric. cap. 7. *Schwarz.*

Filius, patri] 'Pietatis religionem violavit, qui patri non paruerit.' Imp. lib. de pietat. et lib. de inoff. testam. just. *Bern.*

Eodem illum] *Eodem illo* Livin. sed *illum* C. *Livin.* Malim *illum.* Lips.

Uti jure posse putes] *Uti jure* Livin. sed *uti jure posse putes* C. G. *Livin.*

Eodem illum uti jure] Antehac in multis libris non legebatur *illum*, sed *illo*. Imo et sequentia duo verba, *posse putes*, in codicibus Mss. et primis impressis omissa fuere. Vide Excurs. XVI. *Schwarz.*

CAP. X. *Populique consensum*] Ita Galba magnifice in Tacito Hist. I. c. 15. 'Me Deorum hominumque consensu ad imperium vocatum.' *Lips.*

At quo, Dii boni, temperamento] V. C. *Livin.* Ipse edidit, *At quo temperamento, Dii boni!*

Imperator tu titulis] V. C. R. G. *Livin.* Ipse habet *Imperator titulis.*

Imperator tu titulis] Olim editum erat, *moderatus es Imperator?* Sed jam Lipsius Epistol. Quæst. v. 15. recte interpungendum ostendit, ac præterea pronomen *tu* bene adscivit. Id ex antiquis membranis annotarat Livineius, atque ediderant Cuspinianus, Philomusus, Sichardus, Gruterus. Nunc vero etiam codicum Mss. consensu confirmatur. In codice autem Veneto præterea particula *non*, ex correctione primæ manus, sic interseritur: *moderatus es, Imperator. Tu non titulis, et imaginibus, &c.* verum minus bene. *Schwarz.*

Titulis, et imaginibus, et signis] Inscriptionibus, tabulis, aut clypeis, statuis. Etsi verius fortasse, 'signa' referri ad militaria illa, quibus nomina inscripta imperatorum, et imagines ex auro argentoque innexæ. Docui in Militia Romana. *Lips.*

Imperator tu titulis] Hi fluxere a Julio Augustoque, ut ex veteribus inscriptionibus patet. Qui post illa aliis et alii dicti. Euseb. Hist. Eccl. IV. 2. de vita Const. Theodor. IV. 8. Histor. Evangel. Jul. Cæsar Buleng. I. 3. de Imp. Roman. *Bern.*

Modestia] Hysterologia, singula singulis sequentibus nectuntur. Modestia miles, labore legatus, vigilantia dux. *Lips.*

Gradu anteires] Pedibus, more Romano. Lucanus de Catone IX. 587. 'præcedit anheli Militis ora pedes.' Tacit. Hist. II. 11. de Othone: 'Nec illi segne, aut corruptum luxu iter, sed lorica ferrea usus, et ante signa pedester.' Spartianus de Hadriano c. 10. 'Vicena millia pedibus armatum ambulasse;' infra not. 128. Sueton. Aug. x. 16. *Idem.*

Filii pietatem] Notent hanc loquendi rationem homines probatæ Latinitatis rudes, quibus solenne est scribere, 'filialem pietatem,' 'filiale obsequium.' *Schwarz.*

Jam te providentia] *Te providentia.* Livin.

Adhuc in secundo resistere] Secundus in imperio et republica locus utique non est hominis privati, uti Patarol indicare voluit; sed Cæsaris ad imperii successionem destinati, et Imperatoris, sub Imperatore tamen, ut Plinius loquitur LVII. 3. Itaque, eodem teste, Epist. x. 1. Trajanus optarat, ut diutius in hoc loco resisteret, et 'quam tardissime succederet patri.' Neque Trajanus revera dicitur 'privatus' a Plinio, sed qui sibi privatus visus fuerit. Et supra Paneg. c. VII. 2. 'Sub bono principe privatus esse desiisti: assumtus es in laborum curarumque consortium.' Sed et observanda est elegans notio verbi *resistere*, quod hic pro 'consistere,' vel 'subsistere,' ponitur, metaphora ducta ab ambulantibus hominibusque, qui in via consistunt, nec volunt, possuntve, progredi. Qua notione etiam usus est Cic. Quæst. Tuscul. v. 28. 'Dabit se in tormenta vita beata, nec, ... cum tortoris os viderit, consistet; virtutibusque omnibus, sine ullo animi terrore, ad cruciatum profectis, resistet extra fores, limenque carceris.' Item Cæsar de B. Civ. II. 35. 'Ille sæpius appellatus adspexit, ac restitit, et, quis esset, aut quid vellet, quæsivit.' Atque idem paullo post, cap. 39. 'At illi, itinere totius noctis confecti, subsequi non poterant, atque alii alio loco resistebant.' Conf. Ovid. Trist. IV. 54. 'Quadrijugos cernes sæpe resistere equos.' Philomusus, in sua editione Panegyrici Pliniani, pro verbo *resistere*, rescripsit *residere;* sed parum utiliter. *Schwarz.*

In secundo] In loco nempe privati. *Patarol.*

Cœlo vindicaverunt] Splendide loquitur, quia Nerva consecratus. Conatus Hadrianus hunc nuncium perferre, de quo ita Spartianus: 'Trajano a Nerva adoptato, ad gratulationem exercitus missus, in Germaniam superiorem translatus est: ex qua festinavit ad Trajanum, ut primus excessum Nervæ nunciaret.' Quod libentius noto, ut sciatur, intervallum aliquod inter adoptionem et mortem fuisse, supra a me notatum, et infra: neu quem fallant hæc Pliniana, 'auctoremque ejus statim consecrandum;' et plura colorate et oratorie dicta. *Lips.*

Post illud divinum] Adoptionis, qua te ad imperium vocavit. *Patarol.*

Deberi quippe] Videtur huic sententiæ deesse verbum aliquod, unde dependeat sequens infinitivus cum casu accusandi. Sed nihil opis, cum libri scripti impressique, tum commentatores, afferunt. Solus Catanæus monuit, aut pro *deberi* scribendum esse *decuit*, aut hoc subaudiendum. Sed ne sic quidem satis cohærent sequentia; ac vix apte dicitur, *et decuit auctorem ejus statim consecrandum*, pro, *consecrari*. In codice Veneto corrupte scriptum est, *Deberi quippe maxime competi hanc venerationem, ut, &c.* Unde suspicabar primum, forte scribi legique debuisse, *Deberi quippe maxime competebat operi hanc venerationem.* Mox vero animadvertebam, imperitum librarium verbum *competi* effinxisse ex omisso nomine *operi;* quod vero nomen ad

complendam sententiam omnino necessarium est. Quid jam faciendum? An forte participium *rati* assumendum? ut referatur ad præcedens nomen *dii*, hoc modo, *Deberi quippe maximo operi hanc venerationem, rati, ut, &c.* Sed, ne patentior fenestra aperiatur corrumpendis scriptoribus, nihil magis in iis emendandis vitandum, quam intrudere eisdem aliquod vocabulum, cujus nec vola nec vestigium apparet. Equidem non insolens est scriptoribus Latinis, accusativum nominis cum infinitivo verbi conjungere, alio verbo, unde structura vocum pendeat, magis per ἔλλειψιν intellecto, quam expresso. Sic, v. g. loquitur Terent. Andr. I. 5. 10. 'Adeone hominem invenustum esse, aut infelicem quemquam, ut ego sum?' Idem ibidem, vs. 18. 'Tantamne rem tam negligenter agere?' Idem Andr. IV. 3. 1. 'Nihilne esse proprium cuiquam?' Et V. 2. 29. 'Tantum laborem capere, ob talem filium!' Similiter et Cicero ad Att. XV. 20. 'Nunc dubitare quemquam prudentem, quin meus discessus desperationis sit, non legationis?' Taceo innumera exempla alia; sed quæ pleraque omnia non nisi admirantis, aut indignantis, orationem præcisam referunt, ubi subaudias voces quasdam de industria omissas; v. g. 'credibile est,' 'æquum est,' 'verum est,' 'oportet,' 'decet,' 'credas,' 'putes,' et quæ sunt aliæ formulæ generis ejusdem. Jam vero, si non aliud remedium huic loco Pliniano adhuc aliunde sit exspectandum, interim putemus, Plinium, ex brevitatis studio, etiam ejusmodi ἐλλείψεις in simplici oratione admisisse, ubi nullum sit πάθος, atque ubi nulla admiratio, vel indignatio, locum habeat; quasi dixerit, *Deberi quippe* [putares] *maximo operi hanc venerationem.* Ac certe, si superioribus verbis, ex cap. IX. 6. 'Eodem illum uti jure posse putes,' duo demas verba posteriora, quæ ex codicibus Mss. multisque excusis exulant; exemplum simile præsenti habebis. *Schwarz.*

Hanc venerationem] *Hanc quoque venerationem*, C. *Livin.*

Hanc venerationem] His duabus vocibus particula *quoque* interponitur a Cuspiniano, Grutero, Parisiensibus, et Patarolo; quæ vero in codicibus scriptis, aliisque, non apparet. *Schwarz.*

Consecrandum] *Consecrare*, ἀποθεοῦσθαι, ἁγιστεύειν, ἀνιεροῦν, τυγχάνειν τιμῶν ἡρωικῶν ἰσοθέων καὶ ἰσολυμπίων, ut Philo-Judæus loquitur, honores heroicos, Diis Olympiis pares, consequi. Hos primum Lampsacæ fuisse habitos, ait Plut. in Mul. Præcl. Fact. longe tamen ante ejus ætatem Helenæ, Cassandræ, et pluribus aliis. Pausan. et Athenagor. regibus Persarum, Curt. VIII. 5. et Ægyptiorum Diodor. Sicul. lib. II. quibus et nomina mutabantur, ne quis eos homines fuisse putaret. Lactant. I. 15. et 21. unde Harpocrates, Silentii Deus, in templis Ægyptiorum positus, digito κατασιγάζοντι labris impresso, admonebat, ut Isis et Osiris homines fuisse silerentur. At Romæ iisdem quidem, quibus prius fuerant, nominibus consecrabantur, semper tamen calculo et decreto senatus, cui nisi placeat Deus, non est Deus; ut Christus, quem Tiberius voluit consecrare; quanquam illa consecratione non indignum, et majorem. Euseb. II. 2. Tertul. Apol. c. 5. Ritum autem consecrationis paucis do: Corpus defuncti elatum mittebatur in rogum: pontifices, equites, legionarii, cohortes prætorianæ, excubiæ urbanæ, circumibant rogum, præmia ab ipso accepta super corpus injiciebant: postea senatus jussu centuriones rogo faces subjiciebant. Corpore cremato aquila e rogo emissa evolabat, quæ in cœlum creditur principis animam deferre, ex quo ipse Deus colitur. Crevit tamen hujus consecrationis

magnificentia tractu temporis. Qua de vide Dion. lib. LVI. Xiphil. in Augusto et Severo: Blond. lib. II. Romæ Triumph. et Jul. Cæsar. Bulenger. de Imp. Rom. lib. I. c. 6. 7. 8. 9. et 10. *Bern.*

Quandoque] Hoc loco idem significat, quod, 'olim,' 'aliquando,' 'futuro,' vel 'sero tempore.' Qua notione Plinius usus est sæpius; v. g. Paneg. XXVIII. 5. 'Ex his quandoque nascentur.' XXXV. 4. 'Sed quanto tu quandoque dignior cœlo.' XCIV. 5. 'Ut quandoque successorem ei tribuas.' Cf. Epist. II. 10. 3. III. 18. 10. IV. 13. 6. *Schwarz.*

Abunde expertus] Quomodo autem, nisi intervallum fuisset, ut dicimus? *Lips.*

Sederet imperium] Firmiter innixum. 'Sessio' perpetuitatem notat. *Idem.*

Sederet] 'Ιδρυθῆναι. Herodian. l. II. p. 44. *Bern.*

Prospexerat] Contra Imp. August. 'Tiberium successorem elegit, ut comparatione deterrima sibi gloriam quæreret.' Tacit. Ann. I. 10. f. Suet. Tiber. c. 21. adde infra c. 89. et Syracid. XXX. 3. 4. 5. *Idem.*

CAP. XI. *Templis*] Deorum propriis; inter Deos enim relatus fuerat Nerva, et consecratus; ut probant, præter historicos, numi etiam, e quibus aureum unum possideo, quem a Trajano in honorem Nervæ percussum docent literæ illæ in aversa parte, REST. Imago thensæ imposita Nervæ est, elephantis vecta, ad vitæ diuturnitatem designandam. *Patarol.*

Alia mente] Qua mente olim fecerint, Cic. de Nat. Deor. c. 24. docet; 'Suscepit,' inquit, 'vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollerent.' Adde Plin. Nat. Hist. II. 7. Patres omnes. Gruter. not. pol. in Liv. I. 7. Hinc versus isti: 'Civium faventia ipsi principes fiunt Dei. Vis Deo par esse princeps? Sis benignus omnibus,' &c. *Bern.*

Tiberius Augustum] Auctor Velleius, II. 24. Xiphil. l. XLVI. *Patarol.*

Majestatis crimen] Quale fuerit, explicat Tacit. Ann. nempe, 'si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique male gesta republica majestatem P. R. minuisset.' Sub Augusto, eodem auctore, specie legis hujus tractata est etiam cognitio de famosis libellis. Tiberius inde legem districtissime, et tyrannice quidem, confirmavit. Vide ibidem. *Idem.*

Majestatis crimen] Nonnulli habent, *majestatis nomen*, alii *numen*; codices Mss. et aliquot eximiæ editiones *crimen*. Cui ultimo vocabulo et nos locum dedimus. Equidem, longe etiam ante, quam Augustus a Tiberio erat consecratus, crimen majestatis inter Romanos vigneral: verum Tiberius id ad multo plura delicta, aut qualiacunque facta civium, extendit, atque per ipsam Augusti consecrationem exaggerare voluit, ut scilicet eo facilius esset, ex quibuslibet offensis, adversus personas divinitatis participes, quæ et sese Deos putabant, accusare homines impietatis, et læsarum religionum, violatæque majestatis. Vide Excurs. XVII. Ceterum, utique sub Tiberio, aliisque sævis imperatoribus, crimen majestatis ad plura civium facta legibus acerbissimis prorogabatur, ita, ut et illi hoc crimen admisisse judicarentur, qui, e. g. juxta statuas, in honorem imperatorum positas, urinam mitterent, aut servum suum cæderent, aut mutarent vestem, itemque alterius statuas altius, quam Cæsaris, collocarent; imo, qui effigiem principis, numo, vel annulo, impressam, latrinæ, aut lupanari inferrent; et quæ alia erant: quæ copiosius exposuit Brissonius Antiquit. IV. 2. et Gundlingius in Disput. ad Legem Majestatis, lib. I. c. 26. seqq. *Schwarz.*

Majestatis crimen] *Majestatis numen*, Livin. sed *crimen* V. C.

Majestatis crimen] *Majestatis numen* Livin. Palmaria correctio, quæ duobus libris optimis debetur, *majestatis crimen induceret*: sequitur enim in ἀνταποδόσει, *non ad metum civium*. Ineptque Rhenanus *induceret* exposuerat, 'adimeret,' 'deleret,' 'auferret.' Nam profecto verius pro 'Imperatoribus majestatem et numen conciliaret' ceperit; qui prius illud *numen* sequatur; quod eidem Catanæo notatum. At non ego ei subscriptor. *Livin.*

Majestatis crimen] V. C. recte. *Rittersh.*

Majestatis crimen] Illud malui cum exemplari Cuspiniani et Livineii, præ vulgo *numen*; quod nauci non est: consulatur Tacit. Ann. I. 73. initio. *Grut.*

Majestatis crimen] An *nomen*, an magis *crimen?* nam et hoc ultimum in quibusdam libris. Constat sub Tiberio 'publicam pæne rabiem' (loquor cum prisco scriptore Seneca de Benef. III. 26. ubi agit de Tiberio,) fuisse accusandi: et pleraque crimina omnia inscripta titulo majestatis. Quidquid dictum, factumve, Augustum, aut ejus stirpem, vel leviter tangeret, crimen ἀσεβείας erat, *impietatis*, ut Græci, sive *majestatis*, ut Latini. *Lips.* Sic eadem accusandi rabie impii Apellæ (sæculi illius mores edocti) ferebantur in Christum: Πᾶς, perversi inquiunt, ὁ ποιῶν ἑαυτὸν βασιλέα, ἀντιλέγει τῷ Καίσαρι. Joan. XIX. 12. Hoc erat 'majestatis crimen ejus, qui omni crimine vacabat,' ut est XLII. 1. *Bern.*

Induceret] 'Inducere crimen majestatis,' hoc loco non est, 'adimere id, delere, et auferre;' quod Rhenanus in margine editionis suæ annotarat; sed est, 'introducere,' 'innovare,' 'in usu ponere,' 'instituere,' 'invehere.' Quæ loquendi ratio familiaris est Plinio; v. g. Paneg. VI, 2. 'Inductum est pessimum exemplum.' Epist. II. 14. 'Primus hunc audiendi morem induxit Largius Licinius.' Ita loquitur et ipse Cic. pro Rabirio Post. cap. 4. 'Hunc morem novorum judiciorum in rempublicam inducimus.' Fam. I. 4. 'A tuis invidis et obtrectatoribus nomen inductum fictæ religionis.' *Schwarz.*

Claudium Nero] Vid. Sueton. Claud. cap. 45. Tacit. Ann. XII. in fine. *Patarol.*

Ut irrideret] Quibus contumeliis Nero Claudium mortuum affecerit, refert Sueton. Ner. cap. 33. *Idem.*

Ut irrideret] Palam quidem, et 'boletos, deorum cibum diceret;' et plura huic rei in Sueton. Ner. c. 33. *Lips.*

Vespasianum Titus] De utroque Eutrop. lib. VII. *Patarol.*

Non ad metum] Ut Tiberius. De contumelia, quod sequitur, ad Neronem spectat; de honore, ad Titum et Domitianum. *Lips.*

Quia Deum credis] Et virtutibus cœlum meruisse. Seneca de clem. 'Deum esse, non tanquam jussi credimus, bonum principem Augustum.' *Idem.*

Illum aris] Ἀποθεωθέντας (sive, ut ita loquar, *deificatos*, vel, ut Servius vocat, 'Deos animales,' quod de animis fiant; 'superstites,' ut Lactant. v. 20. 'sacratos,' ut Capitolinus) flamine, sacerdote, templis, colebant. Sic Livia Augusti sacerdos, Dio lib. LVI. Velleius II. 75. 3. Ovid. ex Pont. lib. IV. Lips. ad Tacit. Ann. I. 10. 12. n. 78. 13. II. 8. n. 8. Excurs. C. pag. 492. Immo Augustus, adhuc homine fungens, sic coli voluit. Suet. Aug. cap. 52. Dio lib. LIV. Vid. Jul. Cæs. Buleng. de Imp. Rom. I. 8. *Bern.*

Flamine, colas] Proprio sacerdote. Vide notata nobis ad Ann. Taciti I. not. 48. Excursu C. *Lips.*

Flamine] Sacerdote. Inter Deos relatis, sicuti et Diis ipsis, flamines assignabantur, qui ab iisdem nomen

etiam sumebant; ut Augustales apud Tacit. Ann. I. et alii apud alios. *Patarol.*

Talis es] Id est, tantus, tamque divinus, sive Deo similis princeps. Docente enim Burmanno ad Petron. c. 61. p. 307. usus hujus vocis frequens est veteribus, cum exellentem et illustrem aliquem exprimere volunt. Sic Sallust. Jug. c. 10. 'Observate talem hunc virum.' Et c. 63. 'Is ad id locorum talis vir petere non audebat.' Etiam Cic. Fam. XIII. 73. 'Mihi certe persuadeo, te, talem virum, nihil temere fecisse.' Mamert. in Genethl. Maximiano A. dicto, cap. 2. 'Illi ipsi dies, quibus imperii auspicia sumsistis, ob hoc sancti sunt, et religiosi, quod tales declaraverunt imperatores.' In his omnibus, vox *talis*, singularem laudem, et maxime eam, respicit, de qua jam dici cœpit. *Schwarz.*

Itemque] Unus et alter liber habent *eademque*. Utrumque recte, et posterius optime; sed nunc sequimur auctoritatem plurimorum. *Idem.*

Hos proximos] Tiberium, Neronem, Domitianum. *Patarol.*

Æmuleris] Forte, *æmularis*. Livin.

Æmuleris] Ita legimus in quatuor codicibus Mss. in libro Gudiano; item in Aldi, Juntæ, Cratandri, Philomusi, Gryphii, Sichardi, Boxhornii editione. Nonnulli libri impressi habent *æmularis*. Contra quem modum verbi non admodum pugnaverim; magis tamen placet modus potentialis. Verbum antecedens *accessit* respicit rem certam et præteritam; *æmuleris* presentem et futuram, et simul quasi officium innuit. *Schwarz.*

Quod modo hostes invaserant, contemserantque] In V. hic lacuna est, quæ verbo uno alterove expleatur frustra. Nam mihi quidem dubium non est, quin propitiis grammaticis, quamlibet libris invitis, rescribendum sit, *quod modo hostis invaserat, contempseratque*. Sequitur enim, *cujus*, scilicet hostis, *pulsi fugatique*. Loquitur autem, opinor, de Dacis, quibus tum rex Decebalus, consilio juxta ac manu promtus, pæneque dixerim, par ac timendus Romano nomini hostis, neque impune et inultus, denique a Trajano imperatore ad mortem compulsus. Nam triumphum de iis egisse Domitianum, cum hic Plinius, tum Suetonius tradit c. 6. Quem ipsum ut vanum ac mimicum ridere et exagitare auctor videtur, cum emtos obsides ait, et ingentibus damnis, immensisque muneribus pactum, ut vicissent, cujusmodi ante stratagemate usus Nero in Tyridate, Armeniæ rege, ut idem Suetonius narrat, c. 13. Quid? Trajanus non expeditionem in Dacos suscepit, tributa annua, quæ acciperent, gravatus? Auctores Xiphilinus et Zonaras. Verba non appono, ne frustra sim prolixus. Itaque adulatur suo more Statius Silv. I. cum clementiam principis sui hic ostentat: 'Discitur e vultu, quantum tu mitior armis, Qui nec in externos facilis sævire furores Das Cattis, Dacisque fidem.' *Livin.*

Hostes invaserant] Daci, Sarmatæ, Suevi, Catti, sub Domitiano. *Lips.*

Quoniam Imperator is] Hæc verba, quæ ex omnibus, quos hucusque vidimus, libris exulant, feliciter in integrum restituimus. Equidem, partim ex conjectura, partim ex vestigiis codicum Mss. (ubi abrupte legebatur, *quoniam imper.*) primum reponendum duximus, *quoniam imperabat is*. Quam emendationem etiam doctissimus Gesnerus jam adoptavit. Quia vere deinceps animadvertimus, jam Jo. Frid. Gronovium, vindicem quondam veterum scriptorum acutissimum, in quodam codice membranaceo Archiepiscopi Salisburgensis invenisse hanc pleniorem scripturam, *quoniam Imperatoris*; posteriorem duntaxat vocem, quæ ex duabus coaluit, rursus diducendam rati, excudendam curavimus, *quoniam Imperator is*. Quæ lectio ad explendam lacunam, veramque sententiam constituendam, sufficit; ac

præterea cum similibus locutionis Plinianæ formulis convenit; v. g. Paneg. XVIII. 3. 'Quippe non is Princeps, qui sibi imminere, sibi intendi, putet,' &c. Ita vero, quod jam supra diximus, quo quæque emendatio indiciis veterum codicum est propior; eo nobis, si sententiæ congruat, verisimilior videtur. Vide Excurs. XVIII. Henmannus censuit, ipsum Plinium hoc loco admisisse ἁμάρτημα μνημονικὸν, ratum se ante dixisse numero singulari *hostis*, cum dixerit *hostes*. At ego induci non possum, ut credam, Plinium oratorem, ubi non meditationem extemporalem, sed orationem Panegyricam, nobis dedit; quam non ipse solum magno studio identidem recognovit, sed etiam amicis per triduum recitavit, et deinceps recognoscendam corrigendamque commendavit, admisisse σολοῖκον. Non quidem ignoro, veteres æque ac nos aliquando inter scribendum dicendumque errare potuisse, et re ipsa errasse, mente alio intenta: verum ibi quoque σολοικισμοὺς quærere velle, ubi codices antiqui manifesta verioris lectionis indicia produnt, id vero exuberantis ingenii institutum esse existimo. *Schwarz.*

Majus] Cellarius, Cratander, Plantinus, et multo plures, ediderant *magis*. Sed ἀναλογία linguæ Latinæ requirit *majus*; et hanc veriorem lectionem codices Mss. Parisiensis et Venetus, itemque meliores editiones, indicant. *Idem.*

Cujus pulsi] Ego vero hiatum esse video; firmat etiam vetus codex, Joh. Livineio visus, qui lacunam præfert. Ille tamen mederi se putat, rescribendo, *quod modo hostis invaserat contemseratque: cujus pulsi*, nempe, inquit, *hostis*. Parcite manes: alia mens longe Secundi. Tangit palam Domitianum, cujus hæc demens vanitas, ut, cum male pugnasset ipse aut legati, tunc denique Romæ triumphum instrueret, quasi victor. De Cattis Tacitus in Germ. c. 37. 'Proximisque temporibus (Domitiani) triumphati magis, quam victi sunt.' Idem in Agric. c. 39. 'Derisui fuisse falsum ejus (Domitiani) e Germania triumphum.' At de Dacis Orosius: 'Pravissima jactantia elatus, sub nomine superatorum hostium, de exstinctis legionibus triumphavit.' Dio similia habet, et nos aliquid infra XII. 1. 2. Hæc igitur sententia, et pro ea reformari possit, *cujus non pulsi*. Sed non placet, atque aliquid omnino delinquit. *Lips.*

Si triumpharet] Hanc lectionem ex codicibus Mss. Parisiensi, Guelpherbytano, et nostro, adscivimus. Codex Venetus, eadem sententia, habet *quod triumpharet*. Plurimi editores procuderunt *si triumpharetur*. Quæ posterior lectio quidem etiam impersonaliter exponi potest, videlicet 'si triumphus ageretur.' Sed, quia verbum 'triumphari' aliquando etiam παθητικῶς sumitur; luculentior, et ambiguitati minus obnoxia est ista nostra lectio, codicum Mss. suffragio nixa; ubi *Imperatoris*, Domitiani nempe, *pulsi fugatique indicium* fuisse dicitur, *si* is Romæ, tanquam victor, *triumpharit*. Schwarz.

Si triumpharet] Alludit ad ridiculum Domitiani triumphum de Germanis, ac Dacis, a quibus ipse potius victus fuerat. Rem tradunt Xiphil. in Domit. Tacit. in Germ. Orosius VII. 10. Falsam hanc victoriam nummis etiam ille cudi voluit, et Germanici nomen assumsit. Ideo adulatur ipsi etiam Statius Sylv. I. 1. iis verbis: 'Das Cattis, Dacisque fidem,' &c. *Patarol.*

Si triumpharet] *Si triumpharetur* Lips. Nempe Romæ a Domitiano. At alii libri, *si ab illis triumpharetur*: falso, magisque tunc, *de illis*. Lips.

Nisi æquis] Lipsius propensus fuit ad alterutram harum vocum expungendam. Christophorus Behr pronomen *sibi* sic interponendum censuit, *nisi æquis sibi conditionibus*. Sed in nullo libro animadvertere licet indi-

cium alicujus varietatis. Solus Rhenanus hunc locum, manente quidem eadem sententia, ita edidit, *ac inducias quidem, nisi æquis conditionibus, non inibant.* Verum, haud recedendum est a vulgari lectione. *Æquæ* conditiones hoc loco non dicuntur 'justæ;' sed 'æquales,' 'pares,' ubi neutrius partis paciscentium aliqua est prærogativa; prout v. g. Tacitus Annal. I. 63. dixit, 'manibus æquis abscessum;' i. e. æquo et pari Marte, parique eventu prælii, pugnatum discessumque est. Sic et Cic. de Offic. I. 34. 'Privatum autem oportet æquo et pari cum civibus jure vivere.' Quod si igitur retineantur verba evulgata; id jam satis indignum Romano nomine fuisse innuit Plinius, quod sub Domitiano, aliisque desidibus imperatoribus, res Romanorum eo fuerint redactæ, ut hi aliquando non amplius potuerint cum barbaris hostibus pacisci, induciasque inire, nisi paribus conditionibus; et ut æque leges accipere necesse habuerint, ac dederint; cum antea populus Romanus, tanquam potentia et auctoritate validior, conditiones potius pro lubitu præscribere barbaris, quam ab iis pares accipere, consuevisset. *Schwarzius.*

Nisi æquis] Erantne induciæ iniquis conditionibus? immo imparibus. Fœdus enim duplex potissimum: æquum, hoc est, æquale, ubi justis legibus et æquis eorum, qui paciscebantur, conditionibus, per pacem aut inducias, icebatur, quale tum barbari cum Romanis: et impar, cum fœdere eo comprehenderetur, ut is populus alterius populi libertatem comiter conservaret. Vide sis P. Fab. I. 7. Semestr. Ap. Liv. XXXIV. 56. duo genera fœderum Menippus refert. *Bern.*

Legesque] Quid hoc aliud, nisi pop. Rom. tanquam bellis victo, leges dicere? *Idem.*

CAP. XII. *Rediit omnibus terror*] Lipsius vocabulum *omnibus* nimis late et absolute dictum, atque voces *terror et metus* cumulatius conjunctas existimasse videtur; adeoque pronus fuit ad eas sic refingendas, *rediit omnibus terris, et metus, et votum, &c.* Equidem etiam pronomen *iis,* quod propter similitudinem quandam posteriorum syllabarum verbi præcedentis *rediit,* excidisse videri queat, facile inseri, præmittique possit voci *omnibus,* ut eo luculentius citiusque pateat, hanc vocem referendam esse ad *hostes,* qui in proximis verbis dicebantur *sustulisse animos, et excussisse jugum.* Verum, non necesse est, ut hoc supplementum exprimatur; cum Plinio, brevitatis studioso, nihil proclivius fuerit, quam ejusmodi prætermittere pronomen, quod quisque ex contextu orationis suo Marte intelligere et supplere possit. Præterea, nec putandum est, voces *terror et metus* inutiliter conjungi: cum *terror* potissimum mala præsentia, *metus* futura respiciat; et cum idem Plinius easdem voces, infra LXVI. 4. conjunxerit: 'terror, et metus, et misera illa ex periculis facta prudentia monebat.' *Schwarz.*

Vident enim Romanum ducem] Ista et Martialis versibus amplexus, in Trajani popularis sui laudem: 'Terrarum Dea gentiumque Roma, Dixit Præside gloriosa tali: Parthorum proceres, ducesque Serum, Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni, Possum ostendere Cæsarem, venite.' *Lips.*

Imperatorium nomen] Non nisi, qui mille aut millia occidisset. Cic. ad Cœl. et in Philipp. *Bern.*

Imperatorium nomen] Romanos duces post victoriam quampiam Imperatores appellatos, et toties nomen hoc assumsisse, quot victorias retulissent, notissimum. Pulcher locus ap. Cic. Fam. Ep. II. 10. 'Cum meis copiis omnibus vexavi Amanienses, hostes sempiternos: multi occisi, capti; reliqui dissipati; castella munita improviso adventu capta et succensa. Ita victoria justa Imperator

appellatus,' &c. *Patarol.*

Non emimus] Ut Domitianus, de quo Tacitus in Agric. 'Emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur.' *Idem.*

Non emimus] Factum Domitiano, qui et falsos captivos emit, ad instrumentum triumphi. Tacitus Agric. cap. 39. 'Emtis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur.' *Lips.*

Non emimus] De hujusmodi mimo consulatur item Themistius oratione ad Valentem Imp. de Pace. Ceterum, principum ea esse ingenia, ut nominum potius declinent turpitudinem quam rerum, ostendimus satis ad illa Taciti Ann. III. 33. 'Facilem adsensum Gallo, sub nominibus honestis confessio vitiorum et similitudo audientium dedit.' *Idem.*

Ingentibus damnis] Pecuniariis. Sed hæc priora et subjuncta lucem accipiant a Dionis loco, qui in Fulvianis Fragmentis, p. 400. publicatus. Ait, me vertente, 'Domitianus victus a Marcomannis et fugatus, misit illico ad Decebalum Dacorum regem, eumque ad pacem invitavit. Quam ille suscepit, nec sic tamen, ut ipse ad Domitianum veniret: sed Diegem quendam misit, qui arma pauca et viros, quasi captivos, traderet. Eoque facto, Domitianus, ut vere victor, diadema Diegi imposuit (nempe illi, sed in vicem nomenque absentis Decebali) tamquam et ipse regem Dacis dare posset: et militibus coronas, et dona pecuniaria, divisit. Romam etiam quasi victor, cum alia misit, tum et legatos, ut a Decebalo, et epistolam ab eodem, quam ipse tamen ferebatur confinxisse: et pompam triumphalem splendide adornavit, non ex iis sane, quæ ipse ab hostibus cepisset; nam omnia aliter erant, atque adeo multam pecuniam ad pacem hanc emendam et statim effudit, et in posterum etiam daturum se promisit; præterea artifices et operarios omne genus, vel paci vel bello utiles, Decebalo donavit: non, inquam, ex hostium spoliis, sed ex principalibus tributis instruxit.' En, pacem a Domitiano emtam, en mimicos triumphos! Atque ab his principiis (o Romani, quo ivistis?) passim postea barbari auro redemti et adstricti. Attila rex facete id objecit et suggillavit, narratiuncula veteris scriptoris, apud Suidam: 'Cum Mediolanum,' inquit, 'cepisset, vidissetque ibi in pictura, Romanos principes solio aureo insidentes, Scythas autem iis ad pedes jacentes; ipse contra, sese jussit pingi solio sublimem, Romanos autem imperatores sacculos humeris bajulare, et aurum effundere ad ejus pedes.' Hæc Suidas in Κόρυκος. *Idem.*

Ingentibus damnis] Vocabulum *damnis* ab omnibus editoribus antehac est evulgatum. In codice meo lego *donis;* quam lectionem non paucis exemplis comprobare nisus sum in Excurs. XIX. Nondum tamen audeo pristinam et ubique vulgatam vocem de possessione sua dejicere, quamvis haud destituar calculo Gesneriano. Fortasse Plinius æque bene dicere potuit, *damnis emere et pacisci pacem,* ac Claudianus de Cons. IV. Honor. 456. dixit, 'Germanica fœdera .... Marte sed ancipiti, sed multis cladibus, emta.' *Schwarz.*

Paciscimur] Allusum semper ad Domitianum. Abunde Xiphil. *Patarol.*

Muneribus, paciscimur] Claud. de Stilic. 'Qui nec principibus donis precibusque vocati Paruerant, jussi properant.' *Lips.*

Rogant, supplicant] Dio in Fragmentis: Ὅτι πλεῖσται ὅσαι πρεσβεῖαι πρὸς Τραϊανὸν παρὰ βαρβάρων ἄλλων τε καὶ Ἰνδῶν ἀφίκοντο· *Quod varii multique legati, cum ab aliis barbaris, tum et ab Indis, ad Trajanum venerint.* Etsi hæc magis postea gesta, sicut et illud, quod in Dionis compendio est:

'Trajanum gravatum dare pecuniam, quam Daci annuam capiebant, ad bellum se parasse, timente Decebalo, qui rem sibi fore, non cum Domitiano, sed cum populo Romano, et principe justitia, robore, et militia claro, videbat.' Nam id bellum, anno post hæc Pliniana, cœpit. Porro similia istis, sed in viro dissimili, Stilicone suo, jactat Claudianus: 'Illi terribiles, quibus otia vendere semper Mos erat, et fœda requiem mercede pacisci, Natis obsidibus pacem tam supplice vultu Captivoque rogant, quam si post terga revincti Tarpeias pressis subeant cervicibus arces.' *Lips.*

Te adsedisse] Castra et prætenturas habuisse, in fluminum ripa. Quia enim ibi firmiter et adsidue, ipsa castra etiam *sedes* posteriore isto ævo dicta. *Idem.*

Te adsedisse] Virgil. Cir. vs. 268. 'nostris qui mœnibus adsidet hostis.' Sil. lib. IX. 'atque adsidet arcis.' lib. XII. 'Adsessos Capuæ muros.' Val. Max. VII. 4. 'apud mœnia armato sedendum foret.' *Bern.*

Ferocissimis populis] Nam feritate, ferociaque corporum, animorumque præstantia, in bello prævaluisse, testes Strabo, Tacit. lib. de Morib. Germ. c. 4. Solin. Pompon. Dionys. immo ipsum nomen. *Idem.*

Ferocissimis populis] Germanis, quos domuit Trajanus. De illorum feritate plura Catanæus, et Rayanus, ad hunc locum. *Patarol.*

Amicissimum illis] Claud. VI. Honor. Cons. de Getis: 'quod gentibus illis Frigore consuetis favet inclementia cœli.' *Livin.*

Ripas gelu jungit] Sic et pontibus jungi dicuntur, cum scilicet commeare licet et adire, ut junctas. De re ipsa, et immani hoc frigore, copiose Herodian. lib. VI. p. 139. pr. quem vide. Ait, inter alia, 'utrumque fluvium, et Rhenum et Danubium, per hiemem sic gelascere, ut camporum in morem perequitentur. Esse autem adeo solidam firmamque glaciem, ut non pedibus modo ungulisque hominum et equorum subsistat; sed qui hausturi aquam sunt, non tam urnas, aut vasa, secum afferant, quam secures et dolabras, ut excisam aquam quasi lapidem, sine ullo vase, asportent.' Quæ postrema tangere Catonem in Fragm. Orig. quod apud Nonium est, scio: 'Qui aquatum, ut lignatum, videntur ire. Securim atque lorum ferunt, gelum crassum excidunt, eum loro colligatum auferunt.' De Rheno, opinor, dixit. *Lips.*

Duratusque glacie ingentia tergo bella transportat] Tergum Danubii, ut 'amica terga.' *Rittersh.*

Suo cœlo] In Taciti Germania c. 29. 'Mattiaci, ipso adhuc terræ suæ solo et cœlo acrius animantur.' Sidus autem, Arctoum, certum est capi. *Lips.*

Suo cælo] 'Hominum ingenia ad similitudinem cœli sui horrent,' Senec. Consol. ad Helv. cap. 6. Poëta: 'Durum a stirpe genus, natos ad flumina, primum Deferimus, sævoque gelu duramus, et undis.' Similia, immo majora de Magni regis milite magnus Heinsius in simili Panegyrico: 'Et quis,' inquit, 'prœlia quotidiana ejus gentis ferret, cui animos ac robur frigora ac crudæ tempestates durabant? quæ in nive ac glacie cubaret, hostem cœlo ejus, ejus frigore, oppugnaret?' *Bern.*

Latibulis] Subterraneis suis specubus, quos contra hiemem operiunt. Vid. Tacit. Germ. c. 16. *Lips.*

Latibulis] Pompon. de Sarm. lib. II. 'Ob sæva hiemis adsiduæ, demersis in humum sedibus, specus aut suffossa habitant.' *Bern.*

Hiemem suam barbaris inferre] Poëticotera sunt hæc omnia, et floride tumentia. Dicit, milites paratos uti occasione hiemis et glaciei, ac transire fluvium: quod antea illi in nos solent. *Lips.*

Hiemem suam barbaris inferre] Lipsius recte observavit, hæc, et proxima omnia, ποιητικώτερα, et floride tumentia esse; quem, si lubet, adeas. *Schwarz.*

Cap. xiii. *Tecum inediam*] Præcipit Honorio ita pater Theodos. apud Claudian. 'Inventis utare cibis; solabere partes Æquali sudore tuas.' *Lips.*

Tecum inediam] 'Cato Uticensis, galeam, sitientibus cunctis, aqua plenam sibi porrectam effudit, comes in calamitate et dux suis effectus.' Est vero nota boni militis, 'famem sitimque ferre, qua se jactant Cæsariani,' apud Suet. c. 68. Plura Gruter. in Discurs. xv. ad Tacit. Ann. xiv. 24. 9. 10. At qui possis? Assuetudine et arte. Gens Martia, Scythæ, ut famem longius tolerent, fasciis ventrem strictissime circumligant; qua ventris compressione esuritionem depellunt. Nam fames fit propter inanes atque patentes intestinorum et ventriculi fibras. A. Gell. l. xvi. c. 3. Hinc Tacito in Germ. cap. 30. et Vegetio i. 6. vel hac caussa commendantur in milite stricti arcus et stricta corpora: improbantur crassuli illi, et superflua carne distenti. Alias ἄλιμα et ἄδιψα φάρμακα, h. e. *remedia famem ac sitim arcentia.* Videsis apud Plut. in Sympos. Johannem Langium in Epist. Medicinal. ii. 28. Henr. Rantzovium de Conservand. Valet. c. 39. et 40. At superstitiosum illud Zonaræ, in Vit. Imp. Mauricii referentis, 'quosdam Turcas milites gessisse supercilia in crucis modum compuncta, infusoque atramento; ea de caussa, quod superiori tempore cum fame periclitarentur, a Christiano quodam moniti hoc fecerint, nec ullus ex eis, qui paruerit, fame perierit.' *Bern.*

Meditatione campestri] Infra mox 'exercitationes' appellat. Virgil. 'Silvestrem tenui musam meditaris avena.' *Livin.*

Meditatione campestri] Exercitio in campo, μελέτῃ. De ista, ejusque modis, scripsi affatim, de Militia lib. v. *Lips.*

Differens: quum] Hæ duæ voces in tribus codicibus Mss. desiderantur; in quarto autem, nempe Guelpherbytano, itemque in libro Vossiano, et altero Gudiano, harum loco scriptum est *dispar.* Cuspinianus, pro participio *differens*, edidit verbum *differres.* Quod non reticendum duxi. Reliqui vero libri impressi omnes, quos evolvi, referunt lectionem vulgatam. *Schwarz.*

Libero Marte] Sine tui reverentia, cum quasi miles in militem esses compositus. *Lips.*

Tela librares] Forte *vibrares.* Livin. Recte. *Rittersh.*

Tela librares] Sic legimus in quatuor codicibus Mss. omnibusque libris antiquioribus. Lipsius hinc sequentia verba ita concinnanda putavit, *nunc cominus tela librares; nunc librata susciperes:* non male; poterat enim alterum vocabulum *vibrata* ex interpretatione et glossa librariorum assumtum videri; haud secus ac quidam viri eruditi monent apud Ovid. Epist. Heroid. iii. 125. in vetustioribus codicibus Mss. extare, 'Validoque, precor, librata lacerto, Transeat Hectoreum Pelias hasta latus;' ubi vulgo excusum est 'vibrata lacerto.' Verbum hoc 'librare' satis aptum est ad rem exprimendam; nam proprie notat, 'libra ponderare' et 'expendere;' deinde, lacerto, vel funda, vel tormento, aliquid jaculari, et excutere; v. g. Virgil. Æneid. ix. 417. 'Ecce, aliud summa telum librabat ab aure.' Ovid. Met. ii. 322. 'Intonat, et dextra libratum fulmen ab aure Misit in aurigam.' Neque secius Quinctilianus Declam. iv. 13. 'Nescio, quæ me prodigiosa feritas in patrem, velut telum aliquod, casurumque pondus, librat, impingit.' Ubi miror, celeberrimo commentatori Burmanno non animadversum esse,

verbum 'impingit' ex glossa arreptum prorsus otiose abundare. Sic et Tacitus loquitur, Hist. III. 27. 'Primo sagittis saxisque eminus certabant, majore Flavianorum pernicie, in quos tela desuper librabantur.' Adde Curt. IV. 14. 'Alium nihil præter jaculum habere; alium funda saxa librare.' Imo, hinc veteribus 'libratores' dicebantur certi milites, qui hastas, jacula, vel tela, emittebant. Horum meminit Annal. Tacit. II. 20. 'Funditores, libratoresque, excutere tela, et proturbare hostem, jubet.' Et XIII. 39. 'Libratoribus funditoribusque attributus locus, unde eminus lapides et glandes torquerent.' In loco Pliniano, quidam maluerunt reponere, *nunc cominus tela vibrares; nunc vibrata susciperes.* Sed hæc correctio primum ex sola conjectura Livineii nata, neque adhuc alicujus codicis Ms. auctoritate confirmata est. Ac nescio, cur putemus, Plinium, quasi ex quadam verborum inopia, mox idem repetiisse verbum, *ipse vibrares.* Quod si ego animosior essem in refingendis veterum scriptis, dicerem, mihi videri rescribendum, *nunc cominus tela, nunc eminus, librares; nunc librata susciperes.* Aut sic, *nunc cominus tela librares; nunc eminus librata susciperes.* Verum, satius duxi, exhibere verba Plinii, prout ea in libris scriptis, excusisque plurimis, hucusque deprehendi. *Schwarz.*

Nunc vibrata] Immo *librata.* Lips.

Quippe ferientes] *Quippe ipse ferientes* C. G. *Livin.*

Arma componeres] Munus alioquin præfecti legionis, ut et medicos ægris adhibere; Trajanus utrumque occupavit.

Si quod durius] *Si quid durius* Livin. sed *si quod durius* V. C. G. *Livin.*

Si quod durius] *Si quod gravius.* Ita legerim, pro *si quid durius.* Rittersh.

Si quod durius] In quibusdam libris minus probe excusum est *si quid durius.* Præterea Rittershusius rescribendum esse censuit *si quod gravius.* Verum, licet vox *durius* recte hic explicari possit per *gravius;* haud tamen necesse est, ut vox *durius* exturbetur. 'Durum' proprie dicitur, quod solidum est; ut lignum, ferrum, lapis, et similia: deinde, quia pleræque ejusmodi res duræ, quo solidiores sunt, eo graviores onerosioresque esse solent; hinc usu venit, ut eadem vox etiam ad res graves, et onerosas, asperasque significandas transferretur. Terentius, quamvis μεταφορικῶς locutus, utramque illam vocem conjungit, Heaut. v. 2. 4. 'Scio, tibi esse hoc gravius multo, ac durius.' *Schwarz.*

Ægris opem] Confirmat Suidas: 'In bello sauciatos curabat; et, cum vincula vulnerum deessent, ne suæ quidem vesti pepercit,' &c. Quod quidem a Trajano præstitum, secundum Romanorum veterum morem, qui, referente Tacit. Ann. IV. 'magna post prælia saucios largitione, et cura, sustentabant.' *Patarol.*

Ægris opem] Ars imperatoria, valde ad benevolentiam parandam. Velleius de Tiberio v. 3. 'Per omne belli Pannonici tempus, nemo e militibus, cujuscunque gradus, imbecillus fuit; cujus salus et valetudo non ita sustentaretur Cæsaris cura, tanquam distractissimus ille tantorum operum mole, huic uni negotio vacaret animus. Erat desiderantibus paratum junctum vehiculum, lectica ejus publicata: cujus usum cum alii, tum ego sensi. Jam medici, jam apparatus cibi, jam in hoc solum importatum instrumentum balnei, nullius non succurrit valetudini.' At de nostro Trajano, Dio in compendio: cujus tamen verba pluria et meliora leguntur in Suida, istæc: Τραϊανὸς ὁ βασιλεὺς τοὺς ἐν πολέμῳ τετρωμένους ἐθεράπευεν· ἐπιλειπόντων δὲ σφᾶς τῶν ἐπιδέσμων, οὐδὲ τῆς ἑαυτοῦ ἐσθῆτος ἐφείσατο, ἀλλ' εἰς τὰ λαμπάδια αὐτὴν κατέτεμε πᾶσαν. *Trajanus princeps milites in prælio vul-*

neratos curabat: cum autem fasciæ et volumina deficerent, nec suæ quidem vesti pepercit, sed eam totam in ligamenta et fomenta discidit. O factum (quid enim altius possim?) vere Trajani! quod tamen et femina simile, ante eum, usurparat Agrippina, Germanici uxor, in Tacito Annal. I. 69. 'Sed femina ingens animi, munia ducis per eos dies induit, militibusque, ut quis inops aut saucius, vestem et fomenta dilargita est.' Macte et tu, alio patre et patruo, quam Tiberio, digna! *Lips.*

Non tibi moris] Unicus codex Ms. Guelpherbytanus habet *non tibi mos.* Sed perstet vulgata lectio, quæ solennis est Plinio; v. g. Epist. II. 19. 8. 'illis erat moris.' Epist. VII. 27. 14. 'Reis moris est, submittere capillum.' Epist. VIII. 19. 2. 'Est autem mihi moris.' *Schwarz.*

Inire tentoria] Ausonius de Gratiano: 'Vidi te circumire tentoria; satin' salvæ? quærere; tractare vulnera sauciorum, et ut salutiferæ apponerentur medelæ, instare.' *Lips.*

Nisi post omnes] 'Sic Hannibal princeps prælium inibat; ultimus, conserto prælio, excedebat,' Liv. XXI. 4. 'Multus in prælio Cæsar fuit: mediusque inter imperatorem et militem,' Flor. IV. 2. 50. 'Bonus nempe paterfamilias primus cubitu surgat, postremus cubitum eat,' Cato de R. R. Plura in hanc rem Gruter. Discurs. XV. 5. 6. *Bern.*

Inter Fabricios] Notissimos eximiæ virtutis duces, tolerantiæ, ac continentiæ præclarissimæ, priscis reip. temporibus. *Patarol.*

Imitationis ardor] 'Alit æmulatio ingenia, et nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit: qua sine languescit alioquin industria, et intenditur socordia,' Tacit. Ann. II. 38. 8. Sed Trajanus sine exemplo a se nititur ad virtutem, et se sibi æmulum laudum proponit, quod longe laudabilius. *Bern.*

Melior aliquis] *Melior aliis* V. f. glossa est. *Livin.*

A manibus ad oculos] Quas manus non in pugna, sed in theatris circisque movemus. Ibi gladiatores, ibi bestiarios depugnantes, oculis usurpamus; et in stadiis, athletas. *Lips.*

A manibus ad oculos] h. e. postquam nos ipsi non amplius, more majorum, armis exercemur, remque gerimus manu; sed tantummodo spectaculis gladiatorum, ludorumque Circensium, oblectamur, &c. *Schwarz.*

Ad voluptatem] Sive ob caussam jam dictam, sive quia tangit gymnasia, Græcorum ritu usurpata. *Lips.*

Muralis, aut civica] In codice Ms. Guelpherbytano præmittitur his vox *corona.* Quod supplementum forte e glossa librarii natum. Etsi enim frequenter etiam hoc vocabulum simul in his exprimatur; v. g. 'corona civica, vallaris, muralis,' &c. prout apud Liv. XXVI. 48. 'Præcipuum muralis coronæ decus ejus esse, qui primus murum adscendisset.' Nec raro tamen nomen 'coronæ' etiam omittitur, ita, ut non nisi mente suppleatur; v. g. apud Sueton. Jul. II. 2. 'Cæsar a Thermo in expugnatione Mitylenarum civica donatus est,' &c. *Schwarz.*

Muralis] Corona, qua ab imperatore donabatur ille, qui primus murum subiisset. Primum frondeam fuisse docet Plin. XVI. 4. mox ex alia materia arte facta constructam conjectare licet ex eo, quod 'quasi muri pinnis decorata erat;' teste Gell. V. 6. Unde et Silius Ital. cecinit lib. XIII. 'Tempora murali vinctus turrita corona.' Civica vero illi dabatur, qui Romanum civem in prælio servasset; eratque primum ex ilice, mox ex æsculo, seu etiam quercu. Vide Plin. loc. cit. *Patarol.*

Græculus magister] Per derisionem dictum de magistro molli et effeminato, qui prælia tantum umbratilia noverit. Talis Phormio ille apud

Cic. de Orat. lib. II. qui Annibalem militarem artem docere conabatur, cum tamen hostem ipse nunquam vidisset. Palæstra corpora ad mollitiem frangi, legitur apud Plut. in Philopæmene. *Idem.*

Græculus magister] Progymnastes, vel aliptes, Græcis item vocibus. Nam 'proh facinus,' ait Seneca in ista re, 'ne Romanis quidem vitiis laboramus:' nempe in ceromate dediti et haphe. Enimvero Plutarchus, etsi Græcus, fatetur, 'palæstram effeminasse corpora, et ad mollitiem deduxisse specie exercendi.' *Lips.*

Quam magnum est, unum ex omnibus] *Quam magnum est ex omnibus* Livin. sed *quam magnum est unum ex omnibus* V. C. G. *Livin.* Recte. *Rittersh.*

Patrio more] Quid ergo? quid a te disco, Plini? Trajanum e Romanis, aut Italis, esse? Victoris Epitoma hoc etiam dicat, in qua scribitur, 'Ulpius Trajanus, ex urbe Tudertina.' Atqui 'Tuder' in Italiæ Umbria est. Si tamen hoc; quid fiet Dioni? qui diserte scribit, ὅτι Ἴβηρ ὁ Τραϊανὸς, οὔτε Ἰταλὸς, οὔτε Ἰταλιώτης ἦν, *quod Hispanus esset Trajanus, et nec Italus, nec quidem Italicus.* Potestne clarius Hispanum asserere, et 'nec Italum, nec Italo patre natum?' Et addit, μηδεὶς πρόσθεν ἀλλοεθνὴς τὸ τῶν Ῥωμαίων κράτος ἐσχήκει· *Nemo antea alienigena et exterus Romanum imperium est adeptus.* Et pondus lapidis accedit, quod non amoliare, sic insculpti:

IMP. CAES. NERVAE. TRAIANO. AVG. GERMANIC.
DACIC. PARTHIC. PONT. MAX. TR. XV. POT. COS. VI. P. P.
DE. ROMANO. IMPERIO. DE. PATERNA. ET. AVITA.
HISP. PATRIA. ET. DE. OMNI. HOMINVM. GENERE. MERITISS.
POPVLARES. PROVINC. AREVATVM. OPTIMO. PRINCIPI.

Et vero origine Hispana fuisse, patremque talem, nihil ambigo: de ipso, suspendit me ipse lapis, dum scrutor. Nam nominat Hispaniam, paternam et avitam ejus patriam: cur non ejus simpliciter, si ibi natus? Considera, et momentum hoc est ad inclinandum: sicut et Victor alter 'ortum' dicit Italica, non etiam 'natum.' Sed nec Panegyricus satis aperte, qui Theodosio dictus, 'Hæc (Hispania) Trajanum illum, hæc Hadrianum dedit imperio.' Immo si ita intelligit datum, ut Hadrianum; profecto origine tantum Hispanus sit, non etiam nativitate. Nam ille, in Spartiano, parentes quidem ab Italica Hispaniæ habuit, 'natus tamen Romæ.' Hoc iterum si verum; quid Dionis superior assertio, nonne concutitur ab ipso Dione, qui in Hadriano scribit, πολίτην Τραϊανοῦ, *civem et ex eadem urbe* fuisse? Ergo uterque Romanus. Contra tamen, liquido Eutropius, et ex eo Eusebius ut solet, 'natum Italicæ in Hispania,' affirmant. Distrahi me fateor, et quod ad Victorem, parata correctiuncula erat, 'ex urbe Turdetana:' etsi lapis tum etiam turbat, qui Arevates (Ptolemæo Arevacas) populares Trajani facit, aut certe videtur: illi autem in diverso Hispaniæ tractu, et prope Cluniam, in ejus meditullio, ponuntur. O in viro tam illustri pudendas tenebras! Ubi estis Græci Latinique, qui vitam et res hujus principis scripsistis? supra decem fuisse scio, sed, o dolor, fuisse. Pergamus in Plinio; qui aut vere Romanum eum habet, aut callide ubique dissimulat, Hispanum fuisse. *Lips.*

Imperat solus] *Impararet* V. forte *imperet.* Livin.

Imperat] In codice Ms. Guelpherbytano, item nostro, et antiquo Livineii, scriptum est *imperaret.* Unde Livineius in margine conjecit, forte legendum esse *imperet.* Schwarz.

CAP. XIV. *Nonne*] Quatuor codices Mss. et liber Vossianus habent

simpliciter *Non.* Idem.

Nonne incunabula] *Non incunabula.* C. V. *Livin.*

Rudimenta] 'Tirocinia,' quæ 'Trajanus tanta prudentia transegit, ut neque audacia periclitaretur,' sicuti 'postea,' et 'senectutem, eo animi' robore, ut ocio non marcesceret. Suidas. *Bern.*

Quum puer admodum Parthica lauru] Ingens et illustris gloria Trajani, sed de qua in Xiphilino altum silentium. Græculum accusem, an fatum principis querar? cui de tot scriptoribus, Mario Maximo, Fabio Marcellino, Aurelio Vero, Statio Valente, quos Ælius Lampridius in Alexandro Severo commemorat, nemo hactenus superstes. Quid? Dionem credimus in Historia Romana, quam totis LXXX. libris complexus est, scelerate plagium fecisse? non ἐν τοῖς κατὰ Τραϊανὸν saltem, opere, ut de Suida colligas, singulari, omnem optimi imperatoris memoriam congessisse? Et tamen quam jejuna, quæ Græculus exscripsit! Enimvero ita est, postquam hæc literaria quædam sectio coorta est, alte in jugulos itum omnis generis scriptorum, et insolenti libidine sævitum, dum pro captu quisque et ingenio mutant, invertunt, ingerunt, recidunt, quæ collubitum. Sed 'vetera querimur,' ait ille, et jam redeo in viam. *Livin.*

Parthica lauro] Nihil hac de re legi: comitem patri fuisse, id apparet. Mox velim scribi *augeres.* Lips.

Parthica lauro] Joh. Maria Catanæus metonymice explicat pro gestis contra Parthos, quorum incursiones juvenis repressit. *Bern.*

Parthica lauro] De hac apud historicos nulla mentio, quod sciam; sed fortasse sub Nerone contigerit, quo principe ex Armenia contra Parthos pugnatum. *Paterol.*

Gloriam patris] Cujus? Nervam intelligit Rayanus, futurum patrem adoptivum. Lipsius contra, naturalem patrem Trajanum, cui comes ipse fuerit in expeditione adversus Parthos. *Idem.*

Augeres] In multis antiquis editionibus inquinate excusum est *augens.* Sed Lipsius jam vidit, rescribendum esse *augeres.* Quem deinceps Gruterus, et alii, sunt secuti. Atque hæc ipsa lectio nunc quatuor codicum Mss. consensu comprobatur. *Schwarz.*

Nomenque Germanici] Miror, neminem adhuc commentatorum attendisse, quomodo ista cohæreant; et an hæc omnia ad tyrocinia pueritiæ, ac rudimenta virtutis bellicæ, recte referri possint, quod Trajanus, uno quasi tenore, dicatur etiam 'cognomen Germanici meruisse; ferociam superbiamque hostium, ex proximo auditus, magno terrore cohibuisse; Rhenum et Euphratem admiratione famæ suæ conjunxisse, et orbem terrarum, non pedibus magis, quam laudibus, peragrasse;' an putemus, Trajanum duabus expeditionibus Germanicis interfuisse, alteri juniorem, alteri majorem quadragenario, et jam imperio proximum. Sed nullam lucem his dubiis conciliat reliqua veterum historia; neque a nostris libris quicquam subsidii suggeritur. Conabar primum, adscita transeundi formula, *Quid vero?* quæ nec alias a Plinii stilo est aliena, sententiam Panegyristæ hunc in modum adjuvare: *Nonne incunabula hæc tibi, Cæsar, et rudimenta, quum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augeres? Quid vero? quum nomen Germanici jam tum mererere, quum ferociam, &c.* Sed nec mihi ipsi hæc medela satisfacit. Opto ergo, ut alii in vetustiores plenioresque incidant codices, unde his et aliis, tam præstantis Panegyrici vulneribus, certius medeantur. *Idem.*

Barbarorum] Ubique antehac legebatur *Parthorum;* sed in Excurs. XX. copiosius demonstravi, necessitatem congruentis sententiæ constituendæ

requirere, ut rescribatur *barbarorum*, per quos ex more Romanorum intelligantur Germani; quibus magno terrore cohibitis, victisque, Trajanus Germanici cognomen meruisse dicitur. Hanc qualemcunque conjecturam nostram jam probam et ἀποδοχῆς ἄξιον judicavit Gesnerus, æquissimus harum rerum existimator. *Idem.*

Ex proximo auditus] Albertus Christianus Rothius, qui Epistolas Plinii ex editione Jac. Thomasii an. 1686. Halæ Magdeb. et an. 1695. Lipsiæ, recudendas curavit, Panegyricumque Plinianum, notulis quibusdam instructum, adjecit, ad hunc locum ridicule hæc commentatus est: 'Fortassis stentorea voce Trajanus terrorem incussit hosti, cum patris in Parthica expeditione comes esset.' Hæc tamen ita arriserunt Godofredo Ludovici, ut eadem sua faceret in 'annotationibus,' ut vocat, 'necessariis,' ad Panegyricum Plinii, Schleusingæ an. 1700. recusum. Plinius vero non de voce, sed de fama Trajani adventantis loquitur, qua hostes jam perterritos fuisse ait. 'Fama' enim 'bella stare,' dixit Curt. III. 8. atque idem, v. 13. 'Nomen,' inquit, 'Alexandri, et fama, maximum in bello utique momentum, pavidos in fugam convertit.' Sic et Stilico Honorium alloquitur, apud Claudian. de B. G. vs. 384. 'Plus nominis horror, Quam tuus ensis, aget.' Hinc Cic. pro lege Manil. c. 15. cum de auctoritate famaque Pompeii ageret: 'Vehementer,' inquit, 'pertinere ad bella administranda, quid hostes, quid socii, de imperatoribus vestris existiment, quis ignorat; cum sciamus, homines in tantis rebus, ut, aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus famæ, quam aliqua certa ratione commoveri?' *Idem.*

Rhenumque et Euphratem] Orientem et occidentem. *Bern.*

Admirationis tuæ famu] Ita in antiquioribus pariter, et recentioribus libris, hæc verba sunt excusa. At in codicibus Mss. et in Cuspiniani editione, legimus, *admirationis tuæ societate.* Ex conjectura rescribendum videretur, *admiratione tuæ famæ.* Vide Excurs. xx. in fine. *Schwarz.*

Fama conjungeres] *Societate conjungeres.* V. C. *Livin.*

Non pedibus magis] *Magis* abest V. *Idem.*

Contigisses] *Contigisti* Livin. sed *contigisses* V. C. G. R. *Idem.*

Germaniam quidem] *Germaniamque.* Defectum aliquem video, sed levem. *Lips.*

Germaniam quidem] Hucusque in omnibus libris, scriptis pariter et impressis, legi *Germaniamque;* ita quidem, ut hæ voces vix aliter, nisi per intercisum, aut semicolon, a superioribus distinguerentur. Unde locus hic perobscurus extitit, meritoque mancus habitus est. Levi igitur mutatione, pro particula ἐγκλιτικῇ *que*, particulam transeundi, vel connectendi, *quidem*, substituendam opinatus, post verbum *eras*, interpunctionem perfectam interea posui, usque dum ex aliis subsidiis certior proferatur emendatio. Particulæ *cum* et *tum*, quæ in hac periodo occurrunt, more consueto idem significant, quod *et - et;* sive, *non solum, sed etiam.* Vide Excurs. XXI. *Schwarz.*

Tum Pyrenæus] Quid hoc audio? Germaniam montes Pyrenæi muniunt, dirimuntque? Non hoc geographi, non fert natura rerum; sed suspicio mihi, respectu quodam positus, et itineris Trajani nominatos, quem Domitianus ab Hispania usque ut validissimum præsidium ad bella, quæ in Germania gereret, excivit, ut mox sequitur. *Livin.*

Tum Pyrenæus] Itane Pyrenæus inter Germaniæ terminos? ita, sed late illius sumtæ, ut Gallias etiam comprehendat. Nec id novum est: et sicut Celtas eos prisci Græci communiter vocarunt, sic Latini modo

Germanos, modo Gallos, alternant. Plura exempla sunt; sed hoc Senecæ huc aptissimum, Consolat. ad Helviam: 'Pyrenæus Germanorum transitus non inhibuit;' ubi de gentium migratione agit. Ergo Germani in Hispaniam? non, quod sciam; sed Galli, id est, Celtæ, a quibus et Celtiberia nomen habet. *Lips.*

Tum Pyrenæus] Eadem quæ heic Livineio respondet Lipsius; dudum est, quod et ego quoque prompseram in Senecæ animadversione, Consolatione ad Helviam matrem. *Grut.*

Tum Pyrenæus] Pomponius, Diodorus lib. VI. diversa de hoc monte tradunt. Cluverius in Germania Antiqua lib. I. p. 93. linea 74. etiam Lipsii notam castigat. Appianus, Dionysius, et Philargyrus in Virg. Georg. IV. Pyrenæum tribuunt Germaniæ proprie dictæ et extra Galliam consideratæ. Assentitur Barsus poëta in epigram. quod in laudem Germanici scripsit: Οὔρεα Πυρηναῖα καὶ αἱ βαθυάγκεες Ἄλπεις Αἳ Ῥήνου προχθὰς ἔγγυς ἀποβλέπετε. *Saxa Pyrenæi et depressæ vallibus Alpes, Quæ Rheni flumen non procul aspicitis.* Ortelius in Thesaur. Geogr. scribit, eum Brenner ab urendo Germanis appellari, seque eum aliquando in Comitatu Tyrolensi superasse. Temere itaque Wolfgangus Hungarus in annot. ad Cuspinian. sub Conrado Salico, hunc Pyrenæum a Georgio Fabricio fabricatum esse scribit. *Bern.*

Tum Pyrenæus] Mons est, seu potius catena montium, a Mediterraneo in Oceanum Occidentalem, Galliam hodiernam ab Hispania dividens. 'Est hic hiatus,' inquit, Baudius; 'aut Gallias annectit Germanis, aut fallitur Plinius in Chorographia.' Ejusdem ferme sententiæ Lipsius, quem vide rem pluribus illustrantem. *Patarol.*

Alii montes] Quibus dividitur a Sarmatis, secundum Melam III. 3. Terra ipsa quoque, eodem teste, 'multis montibus aspera, &c. quorum altissimi Taunus et Rhetico.' *Idem.*

Pyrenæus] Sic appellatur præcipue mons, qui Gallias ab Hispaniis sejungit. Sed et idem nomen habet mons Germaniæ, inter Germaniam et Italiam situs, cui nomen Germanicum *der Brenner*. Uter hoc loco intelligendus, dependet a determinatione itineris Trajani. Vide Excurs. XXI. in extrema parte. *Schwarz.*

Compararentur] In unico libro altero Gudii scriptum est *comparentur.* Idem.

Non vehiculum] Quidam codices Mss. et libri impressi, præposuere his particulam *sed*, hoc modo, *sed non vehiculum.* Verum nihil opus est hoc supplemento, quod ii intrusere, qui priorem partem hujus periodi non satis intelligere potuerunt. Ea ergo particula in codice Ms. Veneto, et Guelpherbytano, itemque in melioribus editionibus, rectius omissa est. *Idem.*

Non vehiculum] Nota duritiem et perpessionem laboris in principe, de quo etiam Dio: Ἐβάδιζεν ἀεὶ μετὰ παντὸς τοῦ στρατοῦ πεζῇ, τούς τε ποταμοὺς, ὅσους γε ἐκεῖνοι, πεζῇ διέβαινε. *Pedibus ibat, juxta ac totus exercitus; et quoscumque fluvios illi, etiam ipse pedester transibat.* At Vell. II. 114. 7. in Tiberii laudibus ponit, quod 'solus semper equo vectus sit,' in bello Germanico: quo colore, aut caussa? Quod molliores principes vehiculo semper, aut lectica; et durior est equus. Suetonius de Domitiano cap. 19. 'In expeditione et agmine, equo rarius, lectica assidue vectus est.' Neque omnes sane Trajani fuerunt, cujus factum ore qui subsannat, animo miretur. *Lips.*

Non equum, respexisti] Infra, 'Frustra tunc Ægyptus nubila optavit, cœlumque respexit.' Catullus, 'Nec meum respectet, ut ante, amorem.' *Livin.*

Non equum, respexisti] 'Incedebat Trajanus semper cum toto exercitu pedibus, flumina vero quæcunque milites pedibus pariterque vadebat,' Dio. *Bern.*

Et cum ceteris subsequebatur] Mirum est, cur vox *ceteris* desideretur in codicibus Mss. Parisiensi, Veneto, et meo. In codice Guelpherbytano, et libro Vossiano, legimus, *sed decus; et tamen subsequebatur*. Schwarz.

Die stativorum] In codice Parisiensi et Guelpherbytano vitiose scriptum est, *die statutorum*. In libro Vossiano, *die stationum*. Quod posterius non omnino displiceret; statio enim non solum locus appellatur, in quo naves, aut milites, tuto stant; sed etiam de ipsis dicitur militibus, qui custodiæ caussa in statione sunt dispositi. Imo, quod potissimum huc pertineret, ponitur etiam pro standi, vel consistendi, actione, vel pro commoratione. Id quod exemplis comprobat Steph. Doletus, Comment. Linguæ Lat. tom. II. pag. 49. Nondum tamen ideo deserere velim lectionem vulgatam; cui etiam duo codices Mss. suffragantur. Equidem stativa proprie, et frequenter, dicuntur castra, diutius uno loco fixa, explicante Lipsio de Milit. Rom. v. 1. Videntur tamen stativa similiter, ac stationes, aliquando etiam μετωνυμικῶς dici pro ipsa quiete et commoratione exercitus in itinere. Sic Liv. III. 2. 'Q. Servilius,' inquit, 'in Latino agro stativa habuit intra castra. Quies necessaria morbo implicitum exercitum tenuit.' Quanquam verba hæc in nonnullis editionibus paullo aliter leguntur, et distinguuntur. Idem vero Liv. XXXVI. 88. 'Ibi paucos dies stativa habuit.' Sic et Curt. VI. 6. 'Jam nonum diem stativa erant.' Cf. Tacit. Hist. I. 66. Itaque *dies stativorum* apud Plinium Germanice dicitur *ein rast-tag*. Idem.

Quin ille] *Quin Domitianus ille.* Liviu.

Quin ille] Domitianus, dum bella parum prospera cum variis Germaniæ gentibus habet. Sed accitum ait ab Hispania. Unde nunc ergo, aut quare illic? Existimo post consulatum, quem gessit sub Domitiano, anno DCCCLIII. missum in Hispaniæ aliquam partem, ut præsideret. Illinc nunc cum legionibus excitum. *Lips.*

Ille, qui te] Domitianus, qui Trajanum in Hispania degentem cum exercitu vocavit adversus Germanos. *Patarol.*

Inter illa] Gryphius habet *inter ipsa;* quam lectionem etiam H. Stephanus, et A. Rivinus, in margine annotarunt. Forte pronomen *illa*, vel *ipsa*, prorsus rejici potuisset. *Schwarz.*

Ab Hispania usque] In codice Guelpherbytano extat, *ad Hispaniam usque*. Quam lectionem etiam edidit Beroaldus; quæ vero vix locum invenire potest. *Idem.*

Invidus Imperator] Domitianus semper, qui etiam a Tacito Agric. c. 41. dicitur 'infensus virtutibus princeps.' *Idem.*

Genitus Jove] Hercules, cui Euristheus Junonis instinctu imperabat, ut varia monstra superaret, quo posset perire. *Bern.*

Ille genitus Jove] Hercules. Nota fabula de Euristheo tyranno, qui Herculi asperrima injungebat, Junone instigante. *Patarol.*

Post sævos labores] Ἐπίθετον *sævos* prætermisere codex Ms. Venetus, Catanæus, Aldus, Rhenanus, Cratander, Gruterus; sed ceteri codices Mss. plerimique libri impressi id exhibent. 'Sævi labores' autem dicuntur 'labores magni,' 'gravesque ærumnæ;' prout Virgilio Æn. II. 559. dicitur 'sævus horror.' Aut per μετωνυμίαν sic appellantur; quia a sævo tyranno injungebantur. *Schwarz.*

Regi suo] Eurystheo, qui talia imperabat. *Lips.*

Aliis super alias] Formula loquendi Plinio etiam alibi usurpata. Epist. VII. 8. 'Saturninus noster,' inquit, 'summas tibi apud me gratias aliis super alias epistolis agit.' Ita loquitur et Liv. XXIII. 36. 'Occupatus primo auspiciis repetendis; deinde prodigiis, quæ alia super alia nuntiabantur.' Et Suet. Ner. c. 41. 'Urgentibus aliis super alios nuntiis, Romam prætrepidus rediit.' Alias Plin. Ep. I. 3. 'Reliqua,' inquit, 'rerum tuarum post te alium atque alium dominum sortientur.' Seneca de Tranq. c. 2. 'Aliud ex alio iter suscipitur.' Sic et ipse Cic. Famil. IX. 19. 'Me quotidie aliud ex alio impedit.' Sallust. Jug. LX. 5. 'Ab eo magistratu, alium post alium sibi peperit.' Et aliter idem, XXXVI. 2. 'Jugurtha trahere omnia, et alias, deinde alias, moræ caussas facere.' Quæ variandæ orationis caussa sunt notanda. *Schwarz.*

Itinere illo] h. e. cum, propter iter illud tam laudabiliter confectum, invenireris dignus aliis super alias, h. e. multo pluribus, expeditionibus. Ita legimus in codicibus Mss. Parisiensi, Veneto, Guelpherbytano, et nostro; item in editionibus Beroaldi, Aldi, Rhenani, Cratandri, Gryphii, Gruteri, Berneggeri. Philomusus habet solum *itinere*. Equidem jam Catanæus pro *itinere illo*, edidit *munere alio*. Quam posteriorem lectionem etiam animadvertimus in Cuspiniani, Stephanorum, Jacobi de la Baune, et Cellarii libris excusis; sed veremur, ne ea primum ex illorum ingenio sit profecta, qui opinati fuere, structuram vocum *itinere illo* dependere a voce *dignus*. Rivinus, in editione an. 1650. utramque lectionem incommode conjunxit, *itinere illo*, *munere alio*. Idem.

Itinere illo dignus invenireris] In excuso quodam Venetiis a. 1510. legitur *munere alio dignus*. Juret.

Itinere illo] *Munere alio* C. corrupte. *Livin.*

Itinere illo] Tam longo, difficili. Sed magis arridet, quod libri alii *munere alio* habent. Per munera et præfecturas, quas sustinebas, gerendo probabas, te aliis majoribusque sufficere. *Lips.*

Tribunus] Sex olim erant in legione tribuni, qui eidem imperabant, non quidem omnes simul, sed bini, et bini, per vices, stato tempore. Quia vero Romana legio sex millibus militum circiter constabat; ideo nonnulli, inter quos Rayanus, putant, tribunum mille militibus præfuisse. Improbat Lipsius, quem vide de Mil. Rom. I. 9. *Paterol.*

CAP. XV. *Disjunctissimas terras*] Parthiam, Hispaniam, Germaniam. *Bern.*

Teneris adhuc annis] Nam tribuni, illo ævo, adolescentes fiebant. Hadrianus demum instituit, 'neminem tribunum, nisi plena barba fieri.' Spartianus. *Lips.*

Præmonente fortuna] Lego, *præmuniente*, vel *præmoliente*. Nam Deus, inquit, jam tunc disposuit et præstruxit, ut adolescens disceres, quæ exercenda, aut jubenda, princeps haberes. *Idem.*

Præmonente fortuna] Just. Lipsius, *præmoliente fortuna*. Placet Livineio. Dubito. *Rittersh.*

Præmonente fortuna] Lipsius maluit *præmuniente*, vel *præmoliente*. Sed jam alii recte monuerunt, nihil esse mutandum. Participium *præmonente* satis congruit cum sequentibus verbis, *perdiscere* et *præcipere*. Monitis enim præceptisque aliorum docemur ac discimus. 'Præmonere' est antea monere, ac quasi docere et instruere. Sic idem Plin. Epist. III. 18. 'Ut futuri principes, non quasi a magistro, sed tamen sub exemplo, præmonerentur, qua potissimum via possent ad eandem gloriam niti.' *Schwarz.*

Prospexisse castra] i. e. eminus et e

longinquo vidisse castra; quod fere timidorum est, qui manum cum hoste conserere ipsi non audent: prout Vitellius dicitur 'prælium et incendium e Tiberiana prospexisse domo,' apud Sueton. Vitell. cap. 15. Sic Plinius etiam Epist. v. 13. loquitur: 'Magnam capies voluptatem, si hunc regionis situm ex monte prospexeris.' Et Terent. Adelph. III. 3. 32. quamvis μεταφορικῶς· 'Istuc est sapere, non, quod ante pedes modo est, videre; sed etiam illa, quæ futura sunt, prospicere.' *Idem.*

Egisti tribunum] Beroaldus, cum forte non satis intelligeret, quid esset 'agere tribunum,' edidit *egisti tribunatum;* sed inutiliter, et sine ullius libri suffragio. 'Agere tribunum,' est se gerere, prout tribunum decet; præstare ea, quæ sunt tribuni; agere partes tribuni. Est metaphora a Comicis petita. Eodem modo Cic. Fam. VIII. 2. dicit, 'agere nobilem.' Et Epist. 16. 'agere civem mirificum.' Ipse Plin. Paneg. LVI. 3. 'agere bonum consulem.' Epist. III. 16. 'matrem agere.' VIII. 16. 'Inde adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, ut imperare parendo; duces agere, dum sequuntur, adsuescerent.' *Idem.*

Nihilque discendum haberes] i. e. nihil haberes, quod deberes discere; sive, nihil necesse haberes discere. Plinio perquam familiaris est hæc loquendi formula. Sic idem infra, in fine hujus cap. 'Nec habent annumeranda tibi vulnera.' Et Epist. I. 8. 'enitendum haberemus.' VIII. 14. 'ut . . . disceremus, quæ facienda; mox ipsi, ac per vices quasdam, tradenda minoribus haberemus.' Eadem loquendi ratione utuntur etiam Seneca, Quinctilianus, Suetonius, Tacitus, et alii. Vide Vechnerum in Hellenol. pag. 259. et Vorstium de Latinitate Falso Suspecta, cap. 7. p. 71. *Idem.*

Per stipendia decem] Decem scilicet annos. Militarium officiorum annuale curriculum prisci dixere stipendia. Vox passim occurrit apud historicos præcipue: nos vocare solemus *Campagne.* Patarol.

Per stipendia decem] Equites enim dena stipendia, pedites vicena, implere oportebat intra annum quadragesimum sextum. Auctor Polyb. lib. VI. *Livin.*

Per stipendia decem] Totius militiæ? non puto, sed tribunatus. Nam si 'puer admodum,' ita Plin. XIV. 1. militiæ Parthicæ interfuit, si 'a teneris annis tribunus militum;' si denique a. XLII. ad imperium venit; quomodo probabile, decem tantum annos militasse? At Polybius ita de Equitibus. Scimus: sed hoc quoque licuisse et receptum fuisse, ut ultra; et denique hoc ævo, illa Polybiana in oblivionem et situm abiisse. *Lips.*

Mores gentium] Cum illo Ulysse . . "Ος μάλα πολλὰ Πλάγχθη . . . Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω. *Qui per sola multa Jactatus. . . . Multorumque hominum mores atque oppida novit.* Cassiodorus: 'Interdum expedit patriam negligere, ut sapientiam quis possit acquirere. Ulysses Ithacus nisi hoc fecisset, in laboribus (scribe, 'laribus') propriis forsitan latuisset.' *Idem.*

Regionum situs] Quod utilissimum futuro duci. Plutarchum in Philopœmene vide. *Idem.*

Aquarum cœlique] Cur de aquis? quia Romani milites aquam aceto mixto vulgo bibebant. *Idem.*

Aquarum] Romani milites alias bibebant poscam, i. e. aquam aceto mixto: qualem petulantia Romanorum coprearum bis, semel felle quoque mixto, Matth. XXVII. 34. ori deinde morientis Servatoris admovit in spongia, circumligata οἰσύπῳ, hoc est, *lana succida,* non ὑσσώπῳ planta illa tenui, ut tandem pie hunc locum Jo. XIX. 29. qui magnas animas exercuit, legit et illustravit in Exercit. Sacr. c. 29. Magnus Heinsius, cui

plurimum omnis studiosa juventus, præsertim sacris operata, debet. Vide et Casaub. in Exercit. ad Baron. Annal. c. 88. Exercit. 461. et seqq. *Bern.*

Consuesti] Ita hoc verbum exprimunt codices Mss. Livineius, Gruterus, alii: haud tamen in paucis libris legitur, *consuevisti*. Schwarz.

Emerita arma] Munere suo egregie perfuncta: ut 'emeriti' dicebantur milites, qui post certum annorum numerum, quibus bello inserviissent, vacationem impetrabant. *Patarol.*

Emerita arma] i. e. arma, quæ post peractam militiam, pacis tempore, quasi quiescunt; aut quæ, post impleta stipendia, milites emeriti laribus consecrabant, suspendebantque; vel, quæ belli duces, qui re bene gesta redierant, Jovi Reduci in templo dedicabant. Ad quem ritum respicit Ovid. Trist. IV. 8. 2. 'Miles, ut emeritis non est satis utilis armis, Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, lares.' Quamquam ibi in nonnullis libris legatur, 'emeritis annis.' Lucanus etiam, I. 239. seqq. 'Rupta quies populi, stratisque excita juventus, Diripiunt sacris affixa Penatibus arma, Quæ pax longa dabat.' Et rursus Ovid. Heroid. Epist. XIII. 49. 'Dî, precor, a nobis omen removete sinistrum; Et sua det Reduci vir meus arma Jovi.' Idem Ovid. Fast. I. 665. etiam 'aratrum emeritum' vocat, quod post peractos labores suspendebatur, et velut quiescebat: 'Rusticus emeritum palo suspendit aratrum.' Plinium nostrum imitatus Lat. Pacat. Paneg. cap. 10. 'Vix emerita arma suspenderas; jam hosti armatus instabas.' *Schwarz.*

Visendumque tradere] Particulam ἐγκλιτικὴν *que* ex codice Ms. Parisiensi, et nostro, recepimus; quam etiam Livineius, Gruterus, et De la Baune, jam prodidere. *Idem.*

Campus] In quo te exercuisti. *Lips.*

Refectiones tuas arbores] Pro rustico et militari item ritu, qui cibos capiebant 'propter aquæ rivos, sub ramis arboris altæ.' *Idem.*

Somnum saxa] Credemusne? credamus, et res est: duces militesque olim, non in culcitris, sed in terra, aut gramine, et (ut magnum) in antro, aut specu, saxo impendente ac tegente, dormisse. Marius in Sallustio: 'At illa multo optima edoctus sum, hiemem et æstatem juxta pati, humi requiescere.' *Idem.*

Prætexerint] Plinius innuere voluit, arbores tantum, veterum heroum exemplo, Trajanum, tenui cibo et potione se reficientem, obumbrasse, et saxa in speluncis dormientem obtexisse, ut saltem a frigore et calore defenderetur. Eadem postea de heroë suo Stilicone prædicavit Claud. de B. G. vs. 354. seqq. 'Raptos contentus in armis Delibasse cibos . . . nec mollia fesso Strata dedere torum. Tenebris si cæca repressit Nox iter, aut spelæa subit metuenda ferarum, Aut pastorali jacuit sub culmine, fultus Cervicem clypeo.' Speluncæ vero obtegi solent saxis. Unde Cic. de Fato, cap. 3. scribit, 'ex spelunca saxum in crura Icadii incidisse.' 'Puto,' inquit, 'etiamsi Icadius in spelunca non fuisset, saxum tamen illud casurum fuisse.' *Schwarz.*

Magnus hospes] Claudianus Bello Getico de Stilicone, 'Stat pallidus hospite magno Pastor.' *Livin.*

Impleveris] Aut magnitudine, nam et corpore talis, aut certe majestate. *Lips.*

In præsentia] Non habuit H. Stephanus, cur de Latinitate hujus formulæ dubitaret; utpote cui in Pseudo-Cic. p. 98. suspecti dicuntur loci omnes apud Cic. ubi legitur *in præsentia*. Vult enim tantum dici *in præsenti*, ut respondeat Græcis ἐν τῷ παρόντι. Verum haud credibile est, tam multos locos, non solum apud Cic. sed etiam apud Terent. Cæs. Nepot.

et alios, in omnibus codicibus fuisse corruptos, ubi etiam occurrit *in præsentia*. Certe hoc loquendi genere non raro usus est Plinius noster; v. g. Epist. I. 7. 3. 'Neque enim tantopere mihi considerandum est, quid vir optimus in præsentia velis; quam quid semper sis probaturus.' II. 5. 10. 'In præsentia tamen ista tibi familiariora fient.' III. 9. 26. 'Fides in præsentia eos, quibus resistit, offendit.' Cf. VIII. 11. 2. *Schwarz.*

Vetustior miles] i. e. senior natu, vel ætate major. Hanc enim significationem identidem habent et 'vetus' et 'vetustus,' ut junioribus, natuque minoribus, opponantur. Certe, ipse Liv. XLII. 47. dixit 'veteres,' quos paullo post vocat 'seniores.' Vide expositionem nostram veteris inscriptionis de Æsculapio et Hygea, Diis φιλανθρώποις, § IX. 'Vetustum' pro seniore dici, pluribus exemplis e Tacito depromtis, ad Plinii Epist. VIII. 14. jam comprobavit Cellarius. Unum hic annotasse sufficiat ex eodem Tacito, Hist. I. 23. 'In itinere, in agmine, in stationibus, vetustissimum quemque militum nomine vocabat Otho.' *Idem.*

Censetur] i. e. æstimatur, insignitur, atque dignoscitur. Verbum hoc e more census Romani explicandum. Scilicet, si cives Romani bona sua deferrent in censum, ea censebantur, h. e. æstimabantur a magistratibus. Censu etiam dignoscebantur senatorii, et equestris, plebeiique ordinis homines. Cives tenuissimarum facultatum dicebantur 'capite censi.' Hinc autem usu venit, ut verbum 'censeri' aliquando simpliciter et generatim, extra istum censionis proprie dictæ casum, poneretur pro 'æstimari;' quemadmodum hæc verba conjunxit Cic. Parad. VI. 2. 'Si censenda nobis,' inquit, 'atque æstimanda res; utrum tandem pluris æstimabimus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat; an continentiam Fabricii, qui illam pecuniam repudiabat?' Ita vero etiam homines dicebantur 'ea re censeri,' cujus in ipsorum æstimatione præcipua habebatur ratio. Vide Perizon. ad Sanctii Minerv. III. 2. pag. 321. Quæ res et caussæ, ob quam aliquis æstimatur, ac notabilis, et quasi nobilis, habetur, prædicaturque, in casu auferendi addi solet verbo 'censeri;' v. g. Martial. I. 62. 'Censetur,' inquit, i. e. magni æstimatur et celebratur, 'Apona Livio suo tellus.' Cf. idem VIII. 6. Sic Juvenal. Sat. VIII. 2. 'Quid prodest, Pontice, longo Sanguine censeri?' Et vs. 74. 'Sed te censeri laude tuorum, Pontice, noluerim.' Et Justin. IX. 2. dixit, 'Scythas, virtute animi, et duritia corporis, non opibus censeri.' Cumulat hujus generis συνώνυμα Latinus Pacatus, aliquando imitator Plinii, Paneg. cap. III. 'Mevania memoretur armento; Campania censeatur monte Gaurino; Lydia prædicetur amne Pactolo,' &c. Alioquin, 'censere,' est verbum curiæ et judiciorum, ubi significat, 'sententiam ferre' deinde generatim, 'judicare,' 'arbitrari.' *Idem.*

Nomine appellas] Blandimentum efficax apud milites, et iis gratum: imperatori decorum ac gloriosum, posse eos nomine compellare, ait Barthius ad Claudian. Stilic. II. 152. 'Nomine quemque Compellas, clari, sub te quod gesserat olim, Admonitor facti.' Sed et hæc ars affectandi studia militum, eosque excitandi ad rem bene gerendam, jam vetustis belli ducibus usurpata est. De Tarchonte Virgil. Æn. XI. 731. canit, 'Variis instigat vocibus alas, Nomine quemque vocans.' Sallust. Cat. cap. LIX. de C. Antonio: 'Ipse,' inquit, 'equo circumiens, unumquemque nominans appellat, hortatur, rogat. . . . Homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus, aut præfectus, aut legatus, aut prætor, cum magna gloria fuerat, plerumque ipsos, factaque

eorum fortia noverat; ea commemorando militum animos accendebat.' Ac de Othone Tacit. Hist. I. 23. 'In itinere, in agmine, in stationibus, vetustissimum quemque militum nomine vocans, ac memoria Neroniani comitatus, contubernales appellando, alios agnoscere, quosdam requirere,' &c. Alii alia exempla annotarunt. *Idem.*

Prope omnes nomine appellas] Mirum, tam hercules, quam in Cyro, qui milites in numeroso exercitu omnes nomine compellasse dicitur. Sed hoc studium in toga et militia Romanis, hac comitate erga inferiores uti, et sic devincire. Mox infra XXIII. 1. *Lips.*

Nomine appellas] Otho apud Tacit. Hist. I. 23. 'In itinere, in agmine, in stationibus, vetustissimum quenque militum nomine vocavit.' Adde Thucyd. VII. 14. Piccart. Observat. VII. 8. II. 2. *Bern.*

Adnumeranda tibi] Non opus recenseant, aut suggerant: cum tu plerisque factis præclaris interfueris. His rebus effectum, ut milites unice amarent Trajanum, 'neque unquam (Dioni scriptum) contemtus aut seditio eum militaris exceperit.' *Lips.*

Testis] Agricola apud Tacit. in ejus Vita XXII. 6. 'nunquam per alios gesta avidus intercepit: seu centurio, seu præfectus, incorruptum facti testem habebat.' Adde Dio. Marc. Anton. Imp. in Xiphil. p. 282. *Bern.*

Testis contigisti] Pertinent hæc verba Annibalis, quibus milites suos alloquitur, apud Liv. XXI. 43. 'Non ego illud parvi æstimo, milites, quod nemo vestrum est, cujus non ante oculos ipse sæpe militare aliquod ediderim facinus; cui non idem ego, virtutis spectator ac testis, notata temporibus locisque referre sua possim decora.' *Schwarz.*

CAP. XVI. *Sed tanto magis*] *Sed magis* Livin. At *sed tanto magis* V. C. *Livin.* Recte. *Rittersh.*

Tanto magis] Vocem *tanto* Livineius haud offendit in antiquis membranis, eamque præterea Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Aldus, Junta, Philomusus, Rhenanus, Cratander, Stephani, Boxhornius, et alii prætermisere: neque ea ipsa incommode abesse posse videtur. Retinuimus tamen, cum eandem non solum in aliis quibusdam libris impressis, sed et in omnibus codicibus scriptis, quorum quidem auctoritate uti nobis contigit, deprehenderimus: unde etiam verbum *est* adscivimus. *Schwarz.*

Moderatio tua] Item Dioni laudata. *Εἰ δὲ καὶ φιλοπόλεμος ἦν, ἀλλὰ τῇ τε κατορθώσει, καὶ τοῦ ἐχθίστου μὲν καθαιρέσει, τοῦ οἰκείου δὲ αὐξήσει ἠρκεῖτο. Etsi autem militaris gloriæ cupidus erat, tamen victoria contentus, et hostes depressisse, socios sublevasse, satis habebat.* Lips.

Innutritus] h. e. a primis annis, et per ipsam educationem assuefactus. Sic, 'homines innutritos mari,' idem Plin. Epist. IX. 33. vocat homines per omne vitæ tempus adsuetos natare et navigare in mari. Et Seneca in Consol. ad Polyb. cap. 21. 'Sciebas,' inquit, 'animum ejus liberalibus disciplinis, quibus non innutritus tantum, sed innatus est, sic esse fundatum, ut supra omnes corporis dolores emineret.' Haud secus et Velleio II. 94. 2. 'Tib. Claudius Nero dicitur innutritus cœlestium præceptorum disciplinis.' Ita vero Annibal, apud Livium, loco paullo ante excitato, se dicit 'in prætorio patris, clarissimi imperatoris, prope natum, certe eductum, domitorem Hispaniæ Galliæque, victorem eundem,' &c. *Schwarz.*

Triumphalis] De patre vero, non adoptivo, Trajani sermo est; cujus jam supra meminit Plin. IX. 2. Is adeo hoc loco dicitur *triumphalis*, non quod re ipsa triumpharit, cum facultas triumphandi isto ævo non amplius concederetur privatis: sed quia, quod jam supra Patarolus bene observavit, ob res in bello fortiter feliciterque

gestas, dignus fuerit qui triumphasset, si quidem mos liberæ reipublicæ adhuc dum viguisset; vel, quia triumphalia duntaxat ornamenta obtinuerit; unde et post mortem a filio imperatore statua triumphali decoratus est. De triumphalibus ornamentis vide infra ad LXXXIX. 3. annotata. *Idem.*

Ex occasione omni] Videtur obstare Dionis locus, quo tradit, 'Trajanum expeditionem fecisse adversum Armenios et Parthos, sub specie, quod Armeniorum rex diadema non a se, sed a rege Parthorum cepisset, re autem vera cupidine gloriæ, nisi factum post hanc laudationem.' Vide perstrictam ambitionem et omni occasione triumphum quærentis apud Juvenal. Sat. x.

Certum triumphi] Ita recte scriptum legimus in cod. Vatic. R. A. n. 1475. et in codice Parisiensi. Taceo libros typis excusos. Quidam vero codices Mss. nempe Vaticanus 1776. Venetus, et noster, perperam habent *certus triumphi.* Longius aberrant Vaticani, n. 1775. et 3461. item et Guelpherbytanus, qui referunt *certum triumphum;* nisi opineris, hinc excidisse verbum *reportare, promereri,* vel simile. Structura verborum hæc est, *magnum est, stare in Danubii ripa, certum triumphi,* i. e. cum certus sis triumphi, *si transeas.* Tralatitium autem est, vocem 'certus' admittere casum gignendi; prout idem Plin. Epist. IX. 3. loquitur: 'certus posteritatis cum futura gloria vivit.' Et Tacit. Annal. XIV. 36. 'Certus eventus Suetonius dabat pugnæ signum.' *Schwarz.*

Mimicos currus] In Excurs. XXII. hanc scripturam asserui Plinio; quam etiam ex observationibus nostris amplexus est cl. Gesnerus. Vulgo legebatur *non inanes currus;* quæ lectio ex ingenio eorum, qui antiquæ scripturæ vestigia non sunt assecuti, prognata, haud satis congruere videtur sententiæ Plinianæ; eo, quod Domitianus, etiam in triumpho mimico, haudquaquam currus inanes, sive vacuos, sed spoliis provinciarum, et extorto sociis auro, simulacrisque falsæ victoriæ, onustos. deduxit in urbem. Veteres codices, quotquot consuluimus, et nonnulli libri impressi, ex ignoratione vetustioris scripturæ, habebant *inimicos currus.* In solo meo codice adhuc inquinatius scriptum est *iniquos currus.* Dicuntur autem 'mimici currus,' qui ad speciem curruum vere triumphalium ficte apparabantur. *Idem.*

Mimicos currus] *Inanes currus.* Sed *inimicos* V. forte, *mimicos.* Livin. Optime. *Rittersh.*

Mimicos currus] *Inanes currus.* Iterum hæc in Domitianum. *Inanes* autem spoliis vacuos. Propertius: 'Qua videam spoliis onerato Cæsaris axe, Ad vulgi plausus sæpe resistere equos.' Possis et universe referre ad currus, qui cum spoliis solent præire, grandi numero. Vide Plut. in Æmilio. *Lips.*

Mimicos currus] *Inanes currus.* Sunt, qui substituunt *mimicos;* sed ex supervacuo, nam illud *inimicos* librorum, natum est certe a glossa. *Gruter.*

Non inanes] Notat Plinius rursum triumphum Domitiani, de quo diximus cap. XI. aut illum Neronis, quando, fœde in fugam verso a Parthis Cesennio Pæto, Romæ tamen 'tropæa de Parthis, arcusque, medio Capitolini montis sistebantur,' &c. Tacit. Annal. XV. *Patarol.*

Simulacra victoriæ] Spolia nempe cæsorum hostium, et alia, quæ in triumpho ducebantur. Insignis locus Ciceronis Orat. in Pison. singula complectitur: 'Disseres de triumpho. Quid tandem habet iste currus? Quid simulacra oppidorum? Quid aurum, quid argentum? Quid legati in equis, et tribuni?' Vide Cæsaris triumphum ap. Flor. IV. 2. *Idem.*

Simulacra victoriæ] Imagines et iconismi pugnarum, quæ in ferculis. *Lips.*

Simulacra] Romanorum vincentium; cadentium cæsorumque hostium; fugientium, insequentium, urbium oppugnatarum, defensarum, captarum, ustarum, excisarum. Videatur Appian. lib. II. *Bern.*

Sed Imperatorem] *Sed Imperatore* Livin. Malim *Imperatorem*, et mox, *reportantem*, distinctiunculis mutatis leviter. *Lips.*

Imperatorem ... reportantem] Hanc lectionem, quæ jam Lipsio venerat in mentem, confirmant novem codices Mss. item liber Vossianus, et uterque Gudianus; eandemque jam edidere Cuspinianus, Berneggerus, et Hackius. Ex conjectura ita legendum censuit Behrius: *Imperatorem veram ac solidam gloriam reportantem, hoc est, reportantem pacem, tranquillitatem, &c.* Alii vulgo habent, *Imperatore veram ac solidam gloriam reportante.* Quæ vulgaris lectio si cui magis arrideat, minus reluctabor. *Schwarz.*

Reportantem pacem, tranquillitatem] *Reportante tranquillitatem.* Sed *reportante pacem, tranquillitatem* C. *Livin.*

Pacem, tranquillitatem] Vocabulum *pacem*, ex editione Vindobonensi Cuspiniani, Francofurtana Gruteri, Plantiniana Lipsii, Salmuriensi Tanaqu. Fabri, Argentoratensi et Lugdunensi Berneggeri, admisimus; ex aliis vero libris impressis et scriptis idem fere exulat. Non tamen est superfluum; cum et ad numerum oratorium explendum faciat; nec raro, cum vocabulo *tranquillitatis*, in uno verborum ambitu conjunctum, etiam apud alios probatos scriptores occurrat. Ita loquitur Cic. ad Q. F. I. 1. 'Tibi data est summa pax, summa tranquillitas.' Et in Orat. contra Rull. I. 8. simul dicit 'summam tranquillitatem pacis atque otii.' Item Liv. lib. XXXIV. 7. 'Ad conjuges tantum nostras pacis et tranquillitatis publicæ fructus non perveniet?' *Schwarz.*

Tam confessa] Pro particula *tam*, *tamen* habent e codicibus Mss. Vaticanus R. A. 1475. Parisiensis, Guelpherbytanus, et liber Vossianus: in libris excusis, Beroaldus, Aldus, Junta, Philomusus, Cratander, Rhenanus, Gryphius, Ascensius, R. et H. Stephani, Livineius, Boxhornius, Cellarius. Particulam *tantum* exhibet codex Venetus; *tandem* Paulli Stephani editio. Quæ vero ternæ particulæ minus satisfaciunt nexum verborum respicienti. Nescias enim, unde dependeat particula caussalis *ut*, cum verbo modi conjunctivi; cum potius expectasses infinitivum cum casu accusandi. Igitur recepi particulam *tam*, quam rectius sequitur illa particula *ut*; i. e. *tam confessa et manifesta hostium obsequia, ut non opus fuerit debellare et vincere quemquam populum.* Hoc autem ipsum adverbium intendendi, *tam*, jam prodidere Cuspinianus, Lipsius, Tanaq. Faber, Gruterus, Berneggerus, De la Baune, Ceva. Idem ratum esse volunt quatuor codices Vaticani, noster, et alter liber Gudianus. Plinius autem *confessa obsequia* παθητικῶς dixit, quasi manifesta et certa obsequia, quæ ipsi hostes publice confitentur, atque testantur. Hoc enim participium annumeratur iis, quæ et active et passive usurpantur. Sic et Cic. locutus est in Verr. III. 56. 'Ut omnes intelligant, quam improbam, quam manifestam, quam confessam rem, pecunia redimere conentur.' Item Plinius Major, II. 12. 'Nunc confessa de iisdem breviter atque capitulatim attingam.' Solet etiam Quinctilianus, præceptor Plinii Junioris, eandem notionem participio 'confessus' subjicere. Instit. Orat. v. 14. 'Ceterum,' inquit, 'hæc propositio aut confessa est, aut probanda.' Et ibidem paullo post, 'indubitata colligunt, et probant confessa.' Ac Declamat. CCCXI. 'Confessis,' i. e. manifestis, 'argumentis ostendere volo.' Ceterum, magna utique est imperatoris gloria, si hostes eo redigantur, ut imperium ejus ag-

noscant, et ipsi se pro victis habeant, atque obsequium et submissionem confiteantur. Unde Claudian. Cons. Honor. VI. vs. 248. sic cecinit: 'Nulla est victoria major, Quam quæ confessos animo quoque subjugat hostes.' Hoc Velleius, II, 39. dixit, 'extorquere hostibus confessionem parendi.' Atque idem c. 90. 'Dalmatia,' inquit, 'xx. et cc. annos rebellis, ad certam confessionem pacata est imperii.' Recte hinc et Scipio apud Liv. XXI. 40. 'Confessionem hostis cedentis, ac detrectantis certamen, habuit pro victoria.' *Idem.*

Tam confessa] *Tamen confessa.* Sed *tam confessa* C. *Livin.*

Obsequia, ut vincendus n. f.] Mira corruptela has voces in quibusdam codicibus Mss. occupavit; quamquam verioris lectionis vestigia facile appareant. In Vaticano R. A. 1475. et in Parisiensi scriptum est, *obsequi, aut vincendus.* Adhuc vitiosius in codice Veneto, et meo, *obsequi, aut incendiis.* At in tribus codicibus Vaticanis, et Guelpherbytano, omnibusque, quos inspexi, libris excusis, evulgata lectio reperitur. Istud autem exemplum corruptelæ ideo annotandum duxi, ut juniores cognoscant, quemadmodum etiam in ipsis corruptis veterum codicum locis sæpe adhuc lateat, et aliquando feliciter erui possit, lectio verior; deinde, ut alii intelligant, librarios, qui istas corruptelas repetiere, magis videri rudes, quam sciolos, fuisse: cum ne quidem mentem Plinii fuerint assecuti; tantum abest, ut commodam sententiam ex ingenio suo potuerint effingere. Rudes autem nihilominus haud raro in ipsis crassis vitiis vestigia quædam genuinæ lectionis indagandæ reliquere; scioli contra, verbis sententiisque quibusdam, pro lubitu suo, et aliquando satis speciose, mutatis, aditum ad primævam scripturam, vel penitus præclusere, vel certe reddidere difficillimum. Exemplum hujus rei cape ex hoc ipso capite. Cum nempe utriusque generis librarii non satis caperent, quid essent *mimici currus;* scioli, seu ingenio abusi, substituere, *inanes currus;* rudes, *inimicos,* vel *iniquos currus.* Absque his rudibus librariis si fuisset, quis, quæso, cogitasset de veriore lectione? *Schwarz.*

Pulchrius hoc omnibus triumphis] Sine pugna et sanguine hostem superare et cohibere, ac pacem reddere patriæ, semper in præcipua parte felicitatis et gloriæ ducum belli positum est: quamvis apud Romanos, tales duces, qui incruentam retulerant victoriam, duntaxat mererentur ovationem, minorem triumpho. Hanc vero laudem Plinius noster, quod jam annotarunt Catanæus et Behrius, tribuit Epist. II. 7. Vestricio Spurinnæ: 'Spurinna,' inquit, 'Bructerum regem vi et armis induxit in regnum, ostentatoque bello, ferocissimam gentem, quod est pulcherrimum victoriæ genus, terrore perdomuit.' Sic et Scipionem belli terrore plurima peregisse, narrat Liv. lib. XXIX. Ovid. Fast. I. 711. seqq. 'Frondibus Actiacis comtos redimita capillos, Pax, ades, et toto mitis in orbe mane! Dum desunt hostes, desit quoque caussa triumphi: Tu ducibus bello gloria major eris.' Etiam Seneca Octav. vs. 472. seqq. 'Pulchrum eminere est inter illustres viros; Consulere patriæ; parcere afflictis; fera Cæde abstinere; tempus atque iræ dare, Orbi quietem, sæculo pacem suo. Hæc summa virtus; petitur hac cœlum via.' *Idem.*

Ut vinceremus] Rittershusius noster olim hanc lectionem pro manifeste falsa habuit, rescribendumque censuit *ut vinceremur;* propterea, quod contemtus non sit caussa victoriæ, sed potius τῆς ἥττης. Et videtur nunc huic opinioni adstipulari codex Parisiensis, in quo ita, uti Rittershusius voluit, scriptum est. Sed jam Grute-

rus recte animadvertit, retinendam esse lectionem vulgatam, quam in omnibus ceteris codicibus, librisque impressis, deprehendimus. Ex qua lectione etiam eximia surgit sententia, qua contemtus non quidem tanquam caussa proxima, attamen tanquam occasio victoriæ, designatur. Secundum enim mentem Plinii, Romani hostium debellandorum justam caussam, eorumque vincendorum occasionem, nacti sunt, quoties ab iis contemti injuriisque lacessiti fuere. Contra vero, neque necessarium, neque justum, existimarunt, bello prosequi et vincere exteros populos, quando hi, reveriti majestatem potentiamque imperii Romani, sese ab omni contemtu injuriisque abstinuerunt. Ubi enim desunt hostes, hostiumque injuriæ et contemtus; ibi deest etiam justa belli victoriæque caussa. *Idem.*

Ut vinceremus] Manifeste falsa lectio. Scribe *vinceremur*. Contemtus enim non est causa victoriæ, sed potius τῆς ἥττης. *Rittersh.*

Ut vinceremus] Minime heic locum habet *vinceremur;* quod tamen non nullis convenientius videtur. Hactenus enim Romani terrore nominis sui continebant hostem: itaque simulatque illa eorum majestas spreta, sub principibus scilicet inertibus, bello opus fuit, et victoria. Respicit huc Mamert. Geneth. Max. 'Neque enim pars ulla terrarum majestatis vestræ potentia caret, etiam cum ipsi abesse videamini. Ne tantulum quidem barbaræ nationes audent animos attollere, quod vos in interiora imperii vestri secesseritis: quin immo ipsi magis in vobis fiduciam pertimescunt, quod se contemni sentiunt, cum relinquuntur.' Facit et huc Ammian. lib. XIV. 'Non ille hostis vincitur solus, qui cadit in acie pondere armorum oppressus et virium; sed multo tutius etiam, turba tacente, sub jugo mittitur voluntarius, qui sentit expertus, nec fortitudinem in rebelles, nec lenitatem in supplices animos deesse.' Inde et ipse Plin. infra, 'Quid spernere barbarorum fremitus, hostilemque terrorem, non armorum magis, quam togarum, ostentatione compescere?' &c. *Grut.*

Barbarus rex] Decebalus, cum quo bellum jam in opinione, et anno sequenti inchoatum. *Lips.*

Mereatur] Unicus codex Venetus habet *promereatur*. Schwarz.

Præcipiti monte] Hoc quoque ad ipsum. Nam Dacia montana, et ibi in prærupto arces Dio Cassius: Ὁ δὲ Τραϊανὸς ὄρη τε ἀντετειχισμένα ἔλαβε· *Trajanus montes emunitos cepit.* Et Statius, 'Quæque suum Dacis donat clementia montem.' *Lips.*

Defenditur] Ut agnoscas inertiam librariorum, libet notare, etiam in hoc noto verbo exarando quosdam errasse. In quibusdam enim codicibus Vaticanis pro *defenditur* scriptum est *deprehenditur*, et in Parisiensi *dependitur*. Schwarz.

Sentiet] Nescio, cur et in hoc verbo scribendo varie hallucinati fuerint librarii, nisi putem, ex dictantis vitio mendum in plures libros manasse. Codices Mss. Vaticani, Parisiensis, Guelpherbytanus, et alter Gudii liber, habent *censet;* codex Venetus *transiet*. Imo et Beroaldus mendosissime edidit *scienter*. Hæsitabam primum, an forte legendum *cernet*, an potius *sciet*, ut apud Petron. cap. 58. 'Jam scies, hoc ferrum fidem habere.' Verum, nihil est innovandum; cum nec Livineius, nec Gruterus, neque alii, aliam lectionem in vetustis membranis animadverterint; et cum verbum vulgatum, idque sententiæ Plinii satis opportunum, omnes, quos vidi, libri reliqui confirmarint. Verbum autem *sentio* commodum locum in comminationibus habet; v. g. apud Terent. Eun. I. 1. 21. 'Sentiet, qui vir siem.' Apud Cic. Cat. II. 12. 'Sentiet, in hac urbe esse consules vigi-

lantes.' Apud Ovid. Met. XIII. 864. 'Sentiet, esse mihi tanto pro corpore vires.' Apud Phædr. V. 2. 'Jam curabo, sentiat, quos attentarit.' Ita et Plinius barbaris regibus, Trajanum lacessere ausuris, quasi comminatur, fore, ut tunc experti sciant, et cum damno suo discant, se frustra variis munimentis defendi adversus vindictam Trajani. *Idem.*

Subsedisse montes] In quatuor codicibus Mss. scriptum est *subsidisse;* satis convenienter analogiæ. Cum enim diversa verba esse videantur 'subsideo' et 'subsido,' quorum illud quasi quietem ejus, qui in aliquo loco manet ac subsistit; hoc motum quendam ejus, qui se inclinat ad fundum, vel locum inferiorem, denotet; hoc modo ea non obscure a se invicem distinguerentur, si quidem prius ex se produceret infinitivum *subsedisse,* hoc, quod præsenti loco accommodatum est, *subsidisse.* Equidem Priscian. X. p. 889. et 893. tradit, se ab eo, quod est 'sido,' præteritum non invenisse; et hujus loco usurpari præteritum verbi 'sedeo,' id est 'sedi.' Attamen, cum nihilominus a simplici verbo 'sido' Columella XII. 24. formaverit 'siderit,' non video cur non et compositum formari debeat, 'subsiderit,' et in infinitivo *subsidisse.* Qua de re, si lubet, adire licet Brouckhus. ad Propert. III. 7. 37. et Burman. ad Petron. cap. 96. p. 458. Ceterum, Orator noster hoc loco tam florido dicendi genere utitur, ut vix ποιητικωτέρως hanc ὑποτύπωσιν exprimere potuerit Claudian. de Cons. Honor. vs. 104. seqq.: 'Extruite immanes scopulos; attollite turres; Cingite vos fluviis; vastas opponite silvas; Garganum Alpinis, Appeninumque nivalem, Permistis sociate jugis, et rupibus Æmum Addite Caucasiis; involvite Pelion Ossæ: Non dabitis murum sceleri; qui vindicet, ibit: Omnia subsident meliori pervia caussæ.' *Idem.*

Interceptum mare] i. e. vel quodam telluris hiatu absorptum, vel æstu recedente, aut miraculo quodam, quasi aversum, et e medio sublatum. In unico libro Vossiano, loco hujus participii, annotatum est *interruptum.* Quod fortasse ex glossa natum est. Aliquando enim 'intercipere' et 'interrumpere' idem valent; v. g. quando Quinctil. Instit. VI. 4. dixit, 'Obstrepente ingenti clamore medios sermones intercipere;' id Cæs. de Bello Civ. III. 19. dixerat, 'interrumpere mediam orationem.' Verum hoc loco rectius retinetur lectio ab omnibus hucusque evulgata, et nunc codicum Mss. suffragiis comprobata. Certe, plus esse videtur, mare *interceptum,* quam *interruptum,* si quidem Donatum audiamus. Ubi enim Terent. Eun. I. 1. 35. ait, 'Quod nos capere oportet, hæc intercipit;' ibi Donatus ait, 'intercipere' esse 'totum capere.' *Interruptum mare* proprie esset, in quo, exempli gratia, subito existant arenæ, aut insulæ; quanquam et tunc *mare interceptum* dici posset, prout Mosellam vs. 35. seqq. sic alloquitur Ausonius: 'Non superante vado rapidos remeare meatus Cogeris, extantes medio non æquore terras, Interceptus habes; justi ne demat honorem Nominis, exclusum si dividat insula flumen.' Sic vero Alexander M. mare Pamphylium, stata æstus reciprocatione, quasi interceptum, cum exercitu transiisse dicitur Straboni lib. XIV. pag. 458. Et fortasse tunc etiam *mare interceptum* dici potuisset, ubi historici de Xerxe ejusque exercitu, per ὑπερβολὴν narravere, quod flumina siccarit, et Hellespontum ita navibus operuerit, ut Europam junxerit Asiæ. *Idem.*

Interceptum] E medio sublatum. *Lips.*

Terras ipsas] Quasi Italia jam, exempli caussa, contigua Africæ aut Illyrico esset. *Idem.*

Terras ipsas] An intelligit multitu-

dinem navium, in quibus tanta hominum multitudo, ut urbes ipsas in regnum Decebali, non illatas classes arbitretur? *Bern.*

CAP. XVII. *Non spoliis provinciarum*] Ut moris fuit Domitiano, cujus summa rapacitas nota: nec non et aliis, qui 'aurum coronarium,' quod a provinciis imperatori solvebatur pro aurea corona, quotannis ab iisdem, tanquam vectigal, exigebant. Abunde Rosinus Antiquit. Rom. Paralip. ad cap. 29. Quo circa, Spartiano teste, aurum coronarium Hadrianus, princeps bonus, Italiæ remisit, in provinciis minuit. *Patarol.*

Extorto sociis auro] Omnia in Domitianum. Aurum porro coronarium intelligit, quod prætextu victoriæ acerbe exigebant, nec ut collationem (ita olim) sed ut tributum. Vide me in Admirandis, lib. II. *Lips.*

Extorto sociis auro] Contra illud Aristot. Pol. v. p. 488. rex non sit σφετεριστὴς, ἀλλ' ἐπίτροπος, *non extortor bonorum, sed tutor.* Bern.

Hostilibus armis] Jam Catanæus repererat in membranis *Sed hostibus, armis, captorumque, &c.* Quæ lectio etiam extat in codice Vaticano R. A. 1475. item in Parisiensi, et meo: eandemque prodidere Beroaldus et Puteolanus; atque in margine annotarunt H. Stephanus et Rivinus. Verum, laudatus Catanæus recte probavit lectionem vulgatam; quam et ceteri editores retinuere, et confirmant plurimi codices Mss. Sic enim, quasi per contentionem, 'hostilia arma' opponuntur 'spoliis provinciarum;' et 'captorum regum catenæ,' 'extorto sociis auro.' *Schwarz.*

Captorumque regum] Qui pariter in triumphum trahebantur. Legat, qui plura cupit, præter antiquos, ut Dionys. Halic. lib. v. de triumpho Poplicolæ; Plut. in P. Æmilio, &c. e recentioribus Onuphr. Panvin. de Triumpho, I. 1. Alexandr. ab Alexandr. VI. 6. *Patarol.*

Captorumque regum catenis] Solenne ad pompam et speciem. Ovid. 'Vinclaque captiva reges cervice gerentes, Ante coronatos ire videbis equos.' Pedo Albinovanus, 'Aspiciam regum liventia colla catenis, Duraque per sævas vincula nexa manus.' Vopiscus Aureliano, 'Incedebat etiam Zenobia gemmis ornata, catenis aureis, quas alii sustentabant.' Adeo graves scilicet catenæ istæ, ut supportandæ essent. Vetus plane mos, et Dionysius in triumpho T. Quinctii Cincinnati: Τόν τε ἡγεμόνα τοῦ πολέμου, καὶ τοὺς ἄλλους ἐπιφανεῖς ἄνδρας, ἁλύσεσι δεδεμένους ἦγε. *Ducem hostium, aliosque illustrium, catenis vinctos ante se egit.* Lips.

Captorumque regum] Hi a portis ad forum triumphantium currus honestabant: simulatque in capitolium flectere cœperat imperator, abrepti catenis, quibus erant vincti, et in carcerem ducti necabantur. *Bern.*

Ingentia ducum nomina] Liber Vossianus minus apte habet *ingentium.* Omnino enim designantur grandia, et, quod alii jam annotarunt, barbara, ipsoque sono horribilia nomina; hisque nominibus congruentia corpora ducum. Cujusmodi nomina olim erant, Boduognatus, Camulogenus, Convictolitanes, Eporedorix, Guturvatus, Induciomarus, Moritasgus, Vercingetorix, Vergasillanus, ac longe plura, quæ vel a solo Cæsare commemorantur. Et talia nomina etiam innuebat Plinius noster Epist. VIII. 4. cum Caninium hortaretur, ut bella, quæ Trajanus confecerat contra Dacos, describeret: 'Nonnullus,' inquit, 'et in illo labor, ut barbara et fera nomina, in primis regis ipsius, ('Decebali,' sive antea 'Diurpanei' dicti,) Græcis versibus resultent. Sed nihil est, quod non arte curaque mitigetur.' *Schwarz.*

Nec indecora nominibus corpora] Nomina magna et in fama omnium, et corpora ita magna, respondebant.

An *nomina magna*, longa et polysyllaba? ut Decebalus, et talia barbarorum. *Lips.*

Noscitare] *Vocitare* alii; at *noscitare*, sic H. Stephan. in margine. *Faber.*

Noscitare] Codex Vaticanus R. A. 1475. et liber Vossianus, item in impressis, Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Aldus, Rhenanus, Philomusus, Stephani, et Boxhornius, habent *vocitare;* quod vero verbum congruenter quidem ad 'nomina ducum,' minus tamen apte ad 'corpora' et faciem 'ducum,' refertur. Magis ergo placet verbum *noscitare*, quod utrobique locum habet, et in ceteris codicibus Mss. librisque excusis exprimitur. Quin et alibi eodem verbo utitur Plinius; v. g. Epist. IX. 23. 'Demosthenes jure lætatus est, quod illum anus Attica noscitavit.' Cf. idem, Epist. VI. 20. IX. 6. Curt. VIII. 13. 'ut vix colloquentium inter ipsos facies noscitaretur.' Taceo Livium etiam eodem verbo aliquoties usum esse. *Schwarz.*

Immanibus ausis] Insignis lacuna antehac in non paucis libris impressis, et recentius adhuc an. 1693. in editione Cellariana, hunc locum fœdaverat, cum ibi sic editus legeretur, *Videor intueri in manibus sequentem; mox ipsum te sublimem, &c.* Nunc defectum istum non tantum ope meliorum editionum, sed plurimorum etiam codicum Mss. explevimus. Vide Excurs. XXIII. *Idem.*

Fercula] Hæc erant instrumenta, quibus in triumpho non solum vestes, et arma, hostibus erepta; sed et signa ac simulacra opidorum expugnatorum, montium, fluviorum, arcium, ac, quod Plinius nunc maxime significat, tabulæ et signa, quibus prælia et audacia barbarorum facinora erant expressa; item aliquando ipsi homines nobiliores ex captivis, imponebantur, ut lento gradu et per pompam gestarentur, vel veherentur. Sic Tacit. Annal. II. 41. de Germanici triumpho: 'Vecta,' inquit, 'spolia, simulacra montium, fluminum, præliorum.' Ac Dion Cass. l. XLIII. p. 234. vocat ἔργων εἰκόνας, *factorum imagines*, quas Plinius hic μετωνυμικῶς dicit *immania barbarorum ausa*, quibus fercula fuere onusta. Nihil attinet hoc loco dicere de usu ferculorum in conviviis, quibus vasa plura, eaque plena cibis, una vice imposita, inferebantur mensis; aut, quibus etiam in funeribus cineres defunctorum gestabantur. Vide Lipsium ad h. l. Onuphrium Panvin. de Ludis Circens. II. 2. Bulengerum de Triumpho, c. 26. Schefferum de Re Vehiculari II. 3. Commentatores ad Cic. de Offic. I. 36. II. 8. *Idem.*

Onusta fercula] Id est, in ipsis ferculis expressa facinora audacia barbarorum. Nam ibi flumina, urbes, pugnæ, quidquid singulare, populo ostendebatur. Tacit. Ann. II. de Germanici triumpho: 'Vecta spolia, captivi, simulacra montium, fluminum, præliorum.' Propertius, 'et titulis oppida capta legam.' Claudianus, 'Hi famulos traherent reges, hi facta metallis Oppida, vel montes, captivaque flumina ferrent.' 'Metallis' ait facta, id est auro vel argento; sed et ebore, citro, aut si quid aliud carum, vel rarum. Vide Sueton. Jul. c. 37. Dionem 43. qui hæc *fercula*, πομπεῖα vertit, iisque imponit ἔργων εἰκόνας, *factorum imagines;* sed ante omnes Josephum, in Judaico triumpho, qui 'pegmata' ea dicit. *Lips.*

Fercula] Hæc tardius, ostentandi nimirum gratia, solita incedere. Hinc Cic. contra spissigrados Offic. lib. I. 'Cavendum est,' inquit, 'ne tarditatibus utamur in ingressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur.' *Bern.*

Fata] Antehac in omnibus editionibus legimus *facta*. Jam vero Baudius, quamvis codicibus Mss. destitutus, gestiit legere *fata*, si liceret in-

dulgere conjecturæ. Nunc autem hoc vocabulum ita, uti volebat Baudius, scriptum deprehendimus in codice Veneto. Quod dignum utique existimamus, ut recipiatur. Alioquin enim, cum Plinius jam commemorarit fercula 'immanibus barbarorum ausis,' i. e. immanium facinorum imaginibus onusta, frigida evaderet oratio, si nunc simplici 'factorum' nomine usus, idem repetiisse videretur. Multo significantius is dixit, captivos in triumpho Romano 'sua fata sequi;' dum vel in animo habuit illud Virgil. Æn. v. 709. 'Quo fata trahunt, retrahuntque, sequamur;' vel improbum Romanorum morem respexit, quando, teste Cic. Verr. v. 30. duces hostium, in triumpho ductos, cum de foro in capitolium currum flectere inciperent, duci in carcerem jussere, ut ibi necarentur, h. e. ut quisque 'fato suo' defungeretur. Haud vero mirum esse potest, vocabulum *facta*, in tot aliis libris occurrere, cum hæc duo nomina, *fata* et *facta*, etiam alibi a librariis frequenter inter se fuerint permutata. Exemplum hujus permutationis capiemus ex hoc ipso Panegyrico, LXXX. 5. Sic etiam ap. Senec. Consol. ad Marc. in fine, jam recte editum est, 'juvabat unius sæculi fata componere;' ubi olim itidem legebamus 'facta.' *Idem.*

Vinctis manibus] Nota morem triumphalem. Facta ipsa in ferculis, auctores præcipui eorum juxta ea sequebantur. Aut etiam in ipso ferculo inpositi, sublimes ita monstrabantur. Josephus clare, *Τέτακτο δὲ ἐφ' ἑκάστῳ τῶν πηγμάτων ὁ τῆς ἁλισκομένης πόλεως στρατηγός. Impositus erat in unoquoque pegmatum dux urbis captæ.* Seneca de Vita Beata, 'In alienum imponar ferculum, exornaturus victoris feri pompam.' Propertius, 'Et subter captos arma sedere duces.' Nam habitu ita mœsto et supplice repræsentabantur. *Lips.*

Mox ipsum te sublimem] Puto, hic occurrere exemplum, ubi particula *mox* non tam temporis successionem, quam rei gestæ ordinem significet, ac pro 'deinde' ponatur. Qua de notione supra egi ad VIII. 6. *Schwarz.*

Opima defuerint] Cur spolia, quæ dux duci hostium in prœlio detraxerat, dicta sint *opima*, exponit Festus, de Verb. Signif. 'Opima spolia,' inquit, 'dicuntur originem quidem trahentia ab Ope, Saturni uxore, quod ipse agrorum cultor habetur, nominatus a satu, tenensque falcem effingitur, quod est insigne agricolæ. Itaque illa quoque cognominatur Consiva, et esse existimatur terra. Ideoque in regia colitur a populo Romano, quia omnes opes humano generi terra tribuat. Ergo et opulenti dicuntur, terrestribus rebus copiosi, et hostiæ opimæ præcipue pingues, et opima magnifica et ampla: unde spolia quoque, quæ dux populi Romani duci hostium detraxit, 'opima' dicuntur.' Deinde, ubi Festus non nihil egit de raritate horum spoliorum, etiam legem Pompilii Regis de iisdem affert: QVOIVS. AVSPICIO. CLASSE PROCINCTA. OPEIMA. SPOLIA. CAPIVNTVR. IOVEI. FERETRIO. BOVEM. CAEDITO. QVEI. CEPIT. AERIS. DVCENTA DARIER. OPORTETO. &c. Quamquam hæc multo contractiora legantur in editione Festi an. 1474. Curt. III. 11. 7. et VII. 4. 40. hujusmodi spolia vocat 'opimum belli decus.' *Idem.*

Opima] 'Spolia, quæ dux duci detrahit,' Liv. IV. 20. *Bern.*

Venire in manus] Hæc loquendi formula non insolens est de rebus inanimis, quæ nobis forte occurrunt, aut in potestatem nostram veniunt; v. g. Plin. Epist. I. 1. 'Ut quæque,' inquit, 'epistola in manus venerat.' Cicer. ad Q. Fr. II. 15. 'Quicunque calamus in manus meas venerit, eo sic utar, tamquam bono.' Idem Acad. Quæst. IV. 4. 'Isti libri duo Philonis tum primum in Antiochi manus venerant.' Bene tamen dicuntur etiam

'hostes in manus venire,' qui nobis obvii dantur, et copiam faciunt conserendi manum. Ita etiam loquitur Sallust. Jug. LXXXIX. 1. 'Ac primo mediocria gerebat consul, existimans, Jugurtham, ob suos tutandos, in manus venturum.' Atque idem CI. 4. 'Ceteri in loco manentes, ab jaculis eminus emissis corpus tegere, et, si qui in manus venerant, obtruncare.' *Schwarz.*

Nec modo] Res ipsa requirere videbatur, ut sic scriberetur, *nec, non modo.* Atque ita etiam excudendum curavit Gesnerus. Sed, nescio, quomodo illud, *nec non modo*, ingratum accidat auribus; nisi forte particula *non*, a reliquis sejuncta, demum collocetur ante verbum *perhorrescat.* Præterea, quotquot nobis contigit conferre hujus Panegyrici exemplaria, manu typisque exscripta; ea alteram illam particulam negantem *non* omisere. Quod si audimus grammaticos criticosque, hæc ipsa ἔλλειψις optimis quibusque Latinæ linguæ auctoribus est perquam familiaris. Etenim, *non modo*, pro *non modo non*, sæpe apud veteres legi, cum oratio dubia non sit, variis exemplis comprobarunt Muretus Var. Lect. x. 7. Manutius ad Cic. Fam. I. 9. Bosius ad Epist. ad Attic. IV. 2. Grævius ad Orat. ad Quirites post Redit. cap. 4. Sanctius in Minerv. cap. 7. Commentatores ad Justin. IX. 2. &c. Muretus vero, postquam hanc loquendi rationem variis exemplis comprobarat: 'Hæc omnia,' inquit, 'aliaque ejusdem generis plurima, ita in antiquissimis libris scripta sunt; quorum tantum consensum pro nihilo putare, hominis esse ingenio suo præfidentis puto: præsertim cum Græci quoque ita loquantur, apud quos, οὐχ ὅτι, μὴ ὅτι, οὐχ ὅπως, interdum valent, *non solum;* interdum, *non solum non.*' Quod et docuit, et multis præstantissimorum scriptorum testimoniis confirmavit Guilielmus Budæus in Commentariis Linguæ Græcæ. *Idem.*

Oculorum etiam] Hæc verba ita commode transposita deprehendimus in omnibus codicibus Mss. cum in vulgatis libris legamus *sed etiam oculorum.* 'Conjectum' autem 'oculorum ferre non posse,' dixit Curtius IX. 7. Sic et Pacatus, imitator Plinii, Paneg. cap. 31. 'An sustinere te coram,' inquit, 'et solum oculorum tuorum ferre conjectum ille ... potuisset?' Confer Lipsium et Baudium ad h. l. *Idem.*

Oculorum conjectum] Cæsaris titulus, 'Veni, vidi, vici,' Suet. cap. 37. 'Viderent modo adversarios, et adspicerentur id satis ad victoriam,' Tacit. Ann. III. 45. 'Samnites interrogati, quæ caussa eos movisset in fugam? aiebant, oculos sibi Romanorum ardere visos, vesanosque vultus et furentia ora: inde plus, quam ex alia ulla re, terroris ortum,' Liv. VII. 33. Adi Grut. Discurs. XIII. *Bern.*

Proxima moderatione] De priore, ut arbitror, in Dacos expeditione loquitur, qua Decebalus ab imperatore primum, ac post legatis Romam dimissis ab senatu pacem impetravit. Quæ sequuntur tamen, de modestia capi suaserint, qua imperium Trajanus ægre, ac diu cunctatus suscepit. *Livin.*

Proxima moderatione] Cum ad Danubium sederes, certus victoriæ, si transisses. *Lips.*

Proxima moderatione] Modo dicta, qua a Danubii transitu abstinuisti, licet victoriæ securus. *Patarol.*

CAP. XVIII. *Speciosum*] i. e. pulchrum, illustre, eximium. Quod ἐπίθετον non magis personis, quam rebus, convenit. Quod ad personas, sic Quinctiliano Instit. Orat. VII. 4. Alcibiades dicitur 'homo speciosissimus,' Petronio cap. 140. 'filia speciosissima,' i. e. pulcherrima. De rebus usurpat sæpius auctor noster; v. g. Epist. III. 21. 'Nostris vero temporibus, ut alia speciosa

et egregia, ita hoc inprimis exolevit.' In Paneg. LIV. 7. 'Quod ego titulis omnibus speciosius reor.' Cf. LVI. 7. Velleius II. 76. 'Pollio Asinius .... magnis speciosisque rebus editis,' &c. Et ipse Cic. in Bruto, cap. 71. 'Et splendore vocis, et dignitate motus, fit speciosum et illustre, quod dicitur.' Aliquando tamen 'speciosum' etiam dicitur, quod apparet bonum, aut speciem dignitatis, virtutis, vel veritatis, præ se fert. Cujusmodi exempla huc afferre, nihil attinet. Ceterum, in his verbis subsequens particula *enim* omissa est ab Ascensio, H. et Paul. Stephano, Boxhornio, et Cellario. *Schwarz.*

Lapsam exstinctamque refovisti] Disciplinam et mores 'labi' dixit in Prooemio operis Livius: 'Labente deinde paullatim disciplina, velut desidentes primo mores sequatur animo; deinde, ut magis magisque lapsi sint; tum ire cœperint præcipites.' Etiam Cicero de Legatibus, II. 15. 'Quarum (civitatum Græciæ) mores lapsi, ad mollitiem pariter sunt immutati cum cantibus.' Idem et dixit 'extingui disciplinam,' de Univ. cap. 1. 'Sic judico, post illos nobiles Pythagoræos, quorum disciplina exstincta est quodammodo, cum aliquot sæcula, in Italia, Siciliaque, viguisset; hunc extitisse, qui illam renovaret.' Notes Cic. hic dicere 'renovare disciplinam,' quod 'refovere' dixit Plin. hoc loco, pariter ac Epist. III. 18. 'Studia prope exstincta refoventur.' Leve est, quod addo, in quibusdam codicibus Paneg. scriptum esse *lapsam atque exstinctam.* Idem.

Extinctam] 'Quam olim aspero et abscisso castigationis genere, omnibus etiam imperii nervis veluti præcipuum decus et stabilimentum Rom. imperii servarunt,' Val. Max. II. 8. *Bern.*

Prioris sæculi malo] Ab oratoribus et poëtis crebro confunduntur hæc nomina: 'sæculum,' 'ævum,' 'ætas,' 'tempus,' 'dies.' Ac 'sæculum' quidem, quod alioquin tempus vitæ humanæ longissimum, aut magis definite, spatium centum annorum notat; sigillatim pro tempore imperii cujusque Imperatoris dicitur; cum vel boni ominis, vel quasi grandiloquentiæ caussa, tempus regiminis cujusque vocarent 'sæculum.' Sic Plin. et in Epistolis et in Panegyrico, sæpius locutus est; v. g. Epist. x. 1. ad Trajanum: 'Digna sæculo tuo contingant!' i. e. tempore imperii tui. Quod tamen deinceps etiam ad tempora malorum imperatorum accommodabatur. Atque ita idem Plinius, Epist. IV. 2. de Domitiano: 'Qui illustrari sæculum suum ejusmodi exemplis arbitrabatur.' 'Domitianus occisus est XIV. Kal. Octobr. anno ætatis XLV. Imperii XV.' inquit Sueton. in Domit. cap. 17. h. e. docente Antonio Pagio in Critic. Baron. anno Christi 96. Trajanus vero dictus est Cæsar et collega imperatoris, A. C. 97. d. XIV. Kal. Octobr. Et, cum Nerva anno sequenti, A. C. 98. exeunte Januario, supremum diem obiisset, tunc jam solus Trajanus imperare cœpit. Ergo, proprie loquendo, non alio sæculo Domitianus, alio Trajanus, imperarunt; et tamen utrique quasi suum tribuitur sæculum. Hoc ipso igitur loco, Plinius, per 'sæculum prius,' duntaxat generatim indicat antecedens tempus imperii Domitiani; cum scilicet, quod idem notat Plinius, Epist. VIII. 14. 'suspecta esset virtus; inertia in pretio: cum ducibus auctoritas nulla, nulla militibus verecundia; nusquam imperium, nusquam obsequium; omnia soluta, turbata, atque in contrarium versa.' In eadem epistola, Plinius illud ipsum sæculum, sive tempus regiminis Domitiani, vocat 'priorum temporum servitutem.'

Ceterum, verba hujus loci in quibusdam codicibus mutata et corrupta leguntur; v. g. in altero Gudiano, *propriis sæculo malo;* ac in cod. Veneto et Guelpherbytano, *propriis sæculi malo.* Schwarz.

Dedignatione parendi] Raro vox, qua vero etiam Quinctilianus usus est Instit. Orat. I. 2. 'Est quædam tacita dedignatio, vim dicendi, tantis comparatam laboribus, ad unum auditorem demittere.' Hoc loco Plinius significanter exprimit animum militum contumacem, et refractarium, erga duces suos; quorum imperium adspernentur, et quos indignos habeant, quibus pareant. Hinc et Tacit. II. 2. Parthos, qui contempserant imperium Vononis, regis sui, vocat 'dedignantes.' Est enim usus hujus verbi, quam nominis, frequentior; utpote quod verbum vel in hoc ipso Panegyrico aliquoties occurrit. *Idem.*

Dedignatione parendi] Quod malum ipsi principes augebant, quibus nec gratum, nimis audientes ducibus milites esse. Immo nec tutum erat, ut addit, reverentiam mereri. *Lips.*

Aut non amari] Acute. Securi duces nunc, inquit, vel in odio militum, vel in amore. Cur in odio? quia delationibus non apud te locus. In amore? quia nec tuæ virtuti ab aliena times. *Idem.*

Offensæ pariter gratiæque] Sic apte translocatæ sunt hæ voces in codicibus Mss. cum vulgo legantur *offensæ gratiæque pariter.* Ita easdem translocavit Liv. XXIX. 31. 'Virtutis specimen dedit sociis pariter, hostibusque.' *Schwarz.*

Instant operibus] Quæ res odia gignere solet, si duces rigidi operum et munium exactores; præsertim ævo et militia jam molliore. At sub Trajano faciebant, disciplinam et morem veterem instaurantes. *Lips.*

Adsunt exercitationibus] Nam et eæ sub tyrannis omissæ, aut remissæ, cum segnitia pro sapientia esset. *Idem.*

Arma, mœnia] Nescio, quis mœnium usus in campestri meditatione, et supra dixerat, 'cum spectator moderatorque ineuntium certamina virorum arma componeres.' Itaque duas voces in unam contraxerim, et *armamenta* reposuerim, id est, τὸν καθοπλισμόν. *Livin.*

Mœnia, viros] Recte censuit Patarolus, nihil hic esse immutandum. Neque præterea necesse est, quod Jac. de la Baune annotavit, *mœnia* hic per 'munia' interpretari; quasi ἀρχαϊκῶς scriptum sit, sicut apud Lucr. I. 30. 'Fera mœnera militiai.' Multo minus ex correctione Behrii rescribendum, *arma viris, pugnæ viros, aptant.* Aptabant enim belli duces, ac defensioni accommodabant, mœnia, et urbium, et castrorum. *Schwarz.*

Arma, mœnia] Legit *armamenta* Livineius, parum feliciter meo judicio. Meliori conjectura reposuit Lipsius *munia.* Ego nihil immuto. *Patarol.*

Mœnia] Castrorum, aut urbium in limitibus. An *munia* placet legi? Inde 'munifices' milites, qui facere ea cogebantur; 'immunes,' qui exempti. Nam quod vir doctus *armamenta* junctim hic legit, cui docto probabit? *Lips.*

Aptant] Codex Vaticanus R. A. 1475. perperam habet *captant.* At verbum *aptant*, hoc loco simpliciter positum, idem valet ac, 'parant,' 'comparant,' 'præparant,' 'in ordinem redigunt,' 'instruunt.' De ejusmodi apparatu id usurpat Virgil. Æn. IV. 289. 'Classem aptent taciti: socios ad littora cogant; Arma parent.' Apud Liv. hæc vox frequenter occurrit de apparatione rerum bellicarum; v. g. X. 33. 'Vix dum satis aptatis armis, in ordines eunt.' XXI. 21.

'Jam paratas aptatasque habebat lintres.' Ibid. cap. 49. dicit plenius, 'aptare classem ad pugnam.' Sic et ipse Plin. Epist. VI. 16. 'Jubet liburnicam aptari.' Et Quinctilian. Instit. Orat. X. 7. 'Hoc, dum egredimur de portu, si nos, nondum aptatis satis armamentis, aget ventus; deinde paullatim simul euntes aptabimus vela, et disponemus rudentes.' *Schwarz.*

In hostes paretur] *In hostes parent* V. *Livin.*

Illorum] Malorum principum; puta Neronis, Domitiani, et similium. *Patarol.*

Iidem ergo, torpere] Scilicet iidem imperantes, qui hostilia, cum fecissent, timuerant, *gaudebant, torpere militaria studia.* Hanc eximiam lectionem, quam in nulla ἐκδόσει adhuc reperi, vindicavi Plinio, auctoritate veterum codicum Mss. et elegantia sententiæ inductus, in Excurs. XXIV. Hucusque in omnibus libris excusum legimus, *Eodem ergo tempore, militaria studia.* In Salisburgensi codice hæc verba ex parte vitiose scripta sunt, relictis tamen quibusdam verioris lectionis vestigiis *iidem ergo torpebant.* Miror vero, hanc emendationem nostram, non integram, sed tantum ex parte, se approbasse Gesnero, viro alioquin exactissimo. Hic enim excudendum curavit *Eodem ergo torpere.* Vix satis caussæ est, cur tam apta, et ex codicibus antiquis in lucem protracta, lectio rejiciatur. *Schwarz.*

Retundique] Alter liber Gudii habet *recondique;* non inepte. Dicebantur enim gladii 'condi,' aut 'recondi,' quando reddebantur, includebanturque vaginæ; adhæc, quando ob pacem, aut finitis bellis, ii prorsus reponebantur, tunc in templis, aut horreis, condi solebant. Ita apud Tacit. Hist. IV. 66. legimus 'condebant gladios.' Et apud Cic. de Invent. II. 4. 'gladium cruentum in vaginam recondidit.' Item et apud Quinctil. Instit. Or. VIII. in Procemio, dicitur 'gladius conditus atque intra vaginam suam hærens.' Nondum tamen ausim verbum *retundi* deturbare de possessione, tot codicum suffragatione comprobata; maxime, cum id etiam de gladio, aliaque materia acuta, quæ hebetatur, dici soleat. Sic Cic. Catil. l. III. c. 1. 'Gladios in rempublicam districtos retudimus.' Horat. Od. I. 35. 'O utinam nova Incude diffingas retusum in Massagetas Arabasque ferrum.' Ipse Plin. Epist. III. 15. quamvis μεταφορικῶς: *Aculei judicii hebetentur fortasse et paullulum retundantur.* In codice Parisiensi, item Veneto, ac meo, pro verbo *retundique,* mendose scriptum est *et undique,* in Salisburgensi simpliciter *undique:* in quo tamen mendo agnoscas vestigia rectioris scripturæ. *Idem.*

Exterorum] Hanc vocem adscivimus ex codicibus Mss. et melioribus editionibus; cum antehac in nonnullis impressis legeretur *ceterorum.* Idem.

Regum exterorum] *Regum ceterorum* Livin. sed *regum exterorum* V. C. G. *Livin.* Et hoc optime. *Rittersh.*

Suorum Principum] Isti enim plures e senatoribus, honestisque civibus, ex privata invidia, de medio tollebant. Inter ceteros, Domitianus, ad quem noster usque respexit, 'complures senatores, in his aliquot consulares, interemit; ex quibus Civicam Cerealem in ipso Asiæ proconsulatu,' &c. Sueton. Domit. cap. 10. *Patarol.*

Principum insidias] Qui vel per calumnias in senatu, vel per submissos percussores in castris tollebant. Ideo subjungit, *commilitonum manus* timuisse: et est in Tacit. Agric. c. 42. de sublato Civica, struente Domitiano, exemplum. Quid, quod

ipse Agricola veneno sublatus a suspicioso atque invido principe putabatur? At Trajanus noster liber purusque horum scelerum: qui, ut Dio ait, οὔτε ἐφθόνει, οὔτε καθῄρει τινὰ, ἀλλὰ καὶ πάνυ πάντας τοὺς ἀγαθοὺς ἐτίμα καὶ ἐμεγάλυνε. *Neque invidit cuiquam, neque occidit, sed plane omnes bonos et honestabat, et dignitate augebat.* Lips.

Principum insidias] Dux regius ut fere semper in lubrico, præsertim sub principe iniquiore. Joseph. Antiq. VI. 14. 'Quotquot in eorum gratiam plurimos labores exhauriunt, eos primum evehunt, deinde jam honoratos per invidiam non solum dignitatibus privant, sed per calumniam opprimunt.' Similia apud Xenoph. lib. V. Curt. VI. Demosth. Olynth. II. Liv. XXVI. 40. Plutarch. in Crasso, Tacit. Ann. I. 52. Zonar. tom. III. Gruter. Dicurs. Tacit. c. 33. *Bern.*

CAP. XIX. *Validiorum exortus*] Habent *validorum* codex Ms. Venetus, Salisburgensis, et meus; item liber Vossianus, et alter Gudianus; in impressis, Puteolanus, Beroaldus, Aldus, Philomusus, Rhenanus, Ascensius, Junta, Stephani, Cratander: ceteri rectius *validiorum*. 'Validiora' autem 'sidera' dicuntur, quæ cetera magnitudine, splendore, et efficacia, superant, ac, si exoriantur, obscurant parva et exilia sidera; prout proverbio dicitur, 'lumen majus obfuscat minus.' Aliter rem hanc exprimit Plin. infra, LXI. 2. 'Accidit, ut corpora, quamlibet ardua et excelsa, procerioribus admota, decrescant,' &c. *Exortus*, pro simplici nomine, *ortus*, ponitur. Sic noster supra, VIII. 3. imperatoris initium vocat 'exortum.' Hac voce idemtidem usus est Plinius Major; v. g. XI. 12. ubi de melle apum agit: 'Venit hoc ex aëre, et maxime siderum exortu, præcipueque ipso Sirio exsplendescente fit, nec omnino prius Vergiliarum exortu.' l. XVIII. cap. 34. eadem vox quinquies occurrit. *Schwarz.*

Legatorum] Hic 'consulares,' inquit Lipsius, 'intelligit et provinciis copiisque præfectos. Nam legati isto ævo duplices: 'consulares' jam dicti, loco præsidum, et 'prætorii,' minores, qui sub illis singulis legionibus præfecti. Sunt ista ab ordinatione Augusti, quæ Dioni optime expressa in orat. Mæcenatis, lib. LII.' *Patarol.*

Legatorum dignitas] Vide supra notam nostram, ad IX. 2. Addo nunc locum ex Strab. Geogr. III. p. 166. ubi narrat, provinciam Bæticam populo Romano esse attributam, mittique in eam στρατηγὸν, ἔχοντα ταμίαν, καὶ πρεσβευτὴν, *prætorem, cum quæstore, et legato*; reliquam Hispaniæ provinciam esse Cæsaris, et in eam mitti δύο πρεσβευτὰς, στρατηγικόν τε, καὶ ὑπατικὸν, *duos legatos, prætorium, et consularem.* Conf. idem lib. VII. p. 840. sub calcem operis. *Schwarz.*

Dignitas inumbratur] Codex Guelpherbyt. atque e Vaticanis, n. 3461. et 1775. habent numerum multitudinis, *dignitates inumbrantur.* Idem.

Quam absente] Hæ duæ voces desiderantur in cod. Guelpherb. tribus Vaticanis, et altero libro Gudiano. *Idem.*

Imperatorem commilitonemque miscueras] h. e. imperatoris auctoritatem, ac socii et collegæ humanitatem, et commilitonis operam, eximio temperamento conjunxeras, cum in provinciis, et apud exercitum, cum legatis, militibusque, pari studio versareris. 'Imperator' et 'commilito,' hoc loco per μετωνυμίαν subjecti pro adjuncto, uti loquuntur rhetores, pro virtutibus et officiis propriis hujusmodi personarum ponuntur; uti supra Plinius dixit, II. 8. 'sentit sibi, non Principi, dici,' i. e. suis virtutibus et meritis, non dignitati et fortunæ suæ. Sic Claudian. IV. Consul. Honor. 294. ait, 'Tu civem patremque geras.'

Id vero in imperatoribus magnisque belli ducibus inprimis laudari consuevit, si quis, quod Sallust. Catil. cap. 60. dixit, 'et strenui militis, et boni imperatoris, officia, simul exsequeretur.' Quod de se promittebat etiam Marius, apud eundem Sallust. Jug. c. 85. 'Egomet in agmine, in prælio, consultor idem, et socius periculi, vobiscum adero; meque vosque in omnibus rebus juxta geram.' Quo nomine laudatur etiam Agamemnon ab Homero, Iliad. III. 179. Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής, *utrumque, rex bonus, et fortis bellator*. Verbo autem, *misceo*, eodem fere modo usus est Liv. l. VIII. c. 36. 'Sensit peritus dux, . . . temperandum ingenium suum esse, et severitatem miscendam comitate.' Tacit. Hist. III. 65. 'Haud facile libertas, et domini, miscentur.' Ipse Plin. Epist. VIII. 5. et 21. *Idem*.

Imperatorem commilitonemque] Et 'Titus in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore,' Tac. Hist. v. 1. 'Et Philippus imperator nihil majestati suæ decedere putavit, etiamsi scholares suos conscholasticos appellaret, non secus ac olim fortissimi imperatores, milites commilitones vocarunt.' Piccart. dec. VII. c. 1. ex Historia Sclavonica Helmoldi VII. 14. Sic Cæsar, Suet. c. 67. Augusto tamen improbante, Suet. c. 25. Auctor Histor. Miscell. VII. 16. 'nomen suum et militis miscuit.' Otho, Tacit. Hist. I. 37. Agr. c. 31. Galba, Suet. c. 20. Imperator apud Ammian. Marc. lib. XXIX. c. 26. 'milites contubernales devotos compellavit,' quos 'consecraneos etiam,' ejusdem sacramenti militaris participes, vel eorundem sacrorum castrensium socios vocant Scriptores Hist. Aug. Adhuc longius progressus Imp. Antoninus Caracalla apud Herodian. lib. IV. p. 96. qui a militibus commilitonem se, quam principem, appellari malebat. *Bern.*

Miscueras] Auctoritate et comitate, tum etiam, quod exigebas opera sive exercitia, et idem obibas. *Lips.*

Miscueras] 'Nerva Cæsar res olim dissociabiles miscuit, principatum et libertatem,' Tacit. Agr. c. 3. Videatur Paneg. XXIV. 1. *Bern.*

Exactor] Sic utplurimum vocatur, qui vectigal, aut aliam quamcunque pecuniam, exigit. Hoc vero loco, *exactor* dicitur is, qui præpositus est tanquam custos et observator, ad exigendum aliquid conficiendumque. Inde Colum. III. 13. 'Opus est,' inquit, 'perito ac vigilante exactore.' Ipse Plin. Epist. IX. 37. 'Ex meis aliquos exactores operi, custodes fructibus, ponam.' Suetonio Cæs. c. 65. dicitur 'exactor gravissimus disciplinæ.' *Schwarz.*

Et interpretes] Ita hoc loco non dicuntur ii, qui aliorum res gestas simpliciter nuntiant et referunt; sed qui judicium suum interponunt, et, pro animi sui affectu, res, vel in meliorem, vel in deteriorem partem, rapiunt. Hujusmodi interpretes intelligit Petronius c. 107. 'Quod, velim, tam candide ad vestras aures perveniat, quam simpliciter gestum est. . . . Quid attinet, veritatem per interpretem quærere?' Cicero hos 'fallaces' vocat 'interpretes,' Epist. c. 10. ad Brutum: 'Cæsarem improbissimis literis quidam, fallacibusque interpretibus, ac nuntiis, impulerunt in spem certissimam consulatus.' Verbo 'interpretari' eandem notionem tribuit Tacit. Annal. II. 73. 'Nam, ut quis misericordia in Germanicum, et præsumta suspicione, aut favore in Pisonem, pronior, diversi interpretabantur.' Idem Annal. III. 25. cavillationes delatorum eodem sensu vocat 'interpretationes.' *Idem.*

Probabantur] Non pauci editores in præsenti tempore exhibuerunt *probantur*. Verum, omnes, qui nobis innotuere, codices Mss. nec minus libri antiquiores typis descripti, habent

probabantur. Quod tempus præteritum etiam requirere videntur verba subsequentia, *Consequuti sunt, ut . . . crederes.* Idem.

CAP. XX. *Ut plane*] Codices Vaticani et Guelpherbytanus habent *ac plane;* Salisburgensis, meus, et liber Vossianus *et plane;* Venetus, voce *plane* omissa, *et a pace;* cod. Paris. et omnes libri excusi produnt *ut plane.* Quam lectionem retineo, quamvis et priores duæ locum habere possint. Particula *ut* hoc loco ponitur pro 'tanquam,' 'quasi.' Sic ea sæpe usus est Cicero v. g. de Orat. I. 24. 'Moderabor ipse, ne, ut quidam magister atque artifex; sed quasi unus e togatorum numero, videar, non ipse aliquid a me promsisse,' &c. Tacit. Hist. II. 91. 'Omnem infimæ plebis rumorem, in theatro, ut spectator; in circo, ut fautor, affectavit.' Plin. ipse, Epist. V. 15. 'Quum sequerer Cornutum, ut magistrum; ut parentem vererer.' Particula autem *plane* hic ponitur pro 'omnino.' Ita non raro Plin. v. g. Epist. IV. 8. 'Quod sacerdotium, cum priscum et religiosum; tum hoc quoque sacrum plane et insigne est.' IV. 11. 'Fœdum contactum, quasi plane a casto puroque corpore, novissima sanctitate rejecit.' Id unum adhuc annoto, in Vossiano libro, particulam *a*, ante vocabulum *pace*, delendam indicari. *Schwarz.*

A pace] Non a bello et victoriis, quibus milites incitari solent ad licentiam. *Patarol.*

Non pater] Qui filiæ suæ timeret; non maritus, qui uxori. *Lips.*

Non pater quisquam, non maritus] Vitellii vox ad senatum: 'Se a parentibus audivisse, admitti conjuges ad libita Cæsarum.' Tacit. 'Domitianus contractis multorum uxoribus fratris filiam alii collocatam corrupit.' Domitiam Longinam Ælio Lamiæ nuptam abduxit. *Bern.*

Castitas, tibi ingenita et innata] Circa pueros quidem impari laude, ut Xiphilinus ac Zonaras tradunt. Et Hadriano ars hæc una ac præcipua multorum opinione Trajani captandi per ea tempora, quibus in aula familiarior fuit, 'curasse delicatos, eosdemque depilasse.' Verba sunt Spartiani. *Livin.*

Castitas, tibi ingenita] Excipe, quod περὶ μειράκια ἐσπούδαζε, (ut ait ille Dio, ex quo Xiphilin. in Trajano p. 2. 43.) *circa puerorum amores hæsit.* Lips.

Affectata aliis castitas] Verbum 'affectare' fuit inter μέσα, sive *media et communia.* Aliquando enim simpliciter notat, intendere, studiose quærere, appetere. Atque sic magis in laude, quam vitio, potuit Cornelius Nepos in Attico, c. 13. quando dixit, Atticum 'omni diligentia munditiem non affluentem affectasse;' i. e. studiosum fuisse munditiei non affluentis. Sic et, sine vituperatione Augusti, cecinit Virgil. Georg. IV. 560. seq. 'Cæsar dum magnus ad altum Fulminat Euphratem bello, victorque volentes Per populos dat jura, viamque affectat Olympo.' Ad quæ verba Philargyrus Scholiastes hæc notat: "'Affectat,' pro intendit; ut apud Plaut. Aul. III. 6. 39. 'Ut me deponat vino, eam affectat viam.'" Ita et 'affectatum' simpliciter dicitur, quod non innatum, aut ab ipsa natura insitum; sed studio acquisitum est. Unde Quinctil. Instit. Or. XI. 3. hæc conjungit, 'affectata, et parum naturalia.' Deinde vero, si quis affectu et conatu aliquid æmulatur, aut nimis ambitioso et solicito studio quærit, aut simulate accersit, quod assequi nequeat, refragante natura; tunc is, docente Laur. Valla Elegant. IV. 78. etiam, sed cum quadam reprehensione, dicitur 'affectare:' prout Phædr. III. 18. ait, 'Noli affectare, quod tibi non est datum.' Et tunc recte dicit Quinctil. Inst. Or. I. 6. 'nihil esse odiosius affectatione:' quamquam ibi saltem de vitiosa stili affectatione

loquatur. *Affectata* igitur *castitas* hoc loco videtur simpliciter dici castitas multo studio acquisita; cum Plinius ei non tam opponat castitatem veram, quam ingenitam et innatam; aut quæ ' ex consuetudine in naturam vertit;' ut sic cum Sallustio loquar, Jug. cap. 85. Neque tamen repugnavero, si quis existimet, *affectatam castitatem* omnino hoc loco in deteriorem partem appellari castitatem ambitiosius accersitam; quam, tanquam fictam et compositam, cum natura ad libidinem pronissima non convenire, facile appareat: ut ita, præter alios principes, respiciatur potissimum Domitianus; qui quamvis, contrectatis multorum uxoribus, clam palamque profanasset pudorem; videtur tamen affectasse gloriam ex justitiæ et castitatis tuendæ studio: cum, teste Sueton. cap. 8. ' Equitem Rom. ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissæ adulterii crimen intenderat, erasit judicum albo: quosdam ex utroque ordine, lege Scatinia, in illos lata, qui pudicitiam alterius solicitassent, vel suam prostituissent, condemnavit; incesta Vestalium virginum varie ac severe coërcuit.' *Schwarz.*

Innata] Script. Hist. Aug. de Traj. ' Amoribus quidem puerorum fuit deditus, sed nihil ob eam caussam turpiter ac nequiter fecit, passusve est, quam ob rem jure deprehenderetur.' *Bern.*

Quæ imputare non possis] Ut bene facta, aut virtutes. Vix enim judicio usurpas, sed naturæ instinctu. *Lips.*

Imputare] Imputare est tanquam sibi debitum jactare. Jactare igitur castitatem, inquit, non potest Trajanus; quia ipsa in eodem non virtutis meritum est, sed naturæ munus. *Patarol.*

Quæ imputare non possis] H. e. castitatem non habes inter ea singularia beneficia, quibus tibi obliges rempublicam, ut inde gratiam laudemque referas; utpote quæ virtus nullo tibi labore constat, sed naturæ felicitate data est. Verbum *imputare*, absolute positum, est idem, ac aliquid beneficii loco habere, et ideo gloriari, atque gratiam, aut laudem postulare; cujus verbi usus frequenter apud Plin. et alios ævi argentei scriptores, occurrit. Vide Cellarii Curas Posteriores, pag. 65. et 164. Nimis autem oratorie hic loquitur Panegyristes, maxime si ea vera, vel tunc nota fuissent, quæ postea de Trajano Xiphilinus et Spartianus tradidere. Neque tamen hunc Panegyricum pro satyra cum quibusdam habere velim; cum major Plinii candor et prudentia, tum ex hac ipsa oratione, tum ex Epistolis ejus eluceat, quam ut credibile sit, eum publice et coram perstrinxisse principem tam bene de se meritum. Sed et sagacior ac gloriæ studiosior fuit Trajanus, quam ut figuras in se jactas ipse non sensisset vindicassetque. *Schwarz.*

Vehiculis] Vide Lipsium et Jac. de la Baune ad h. l. et inprimis Schefferum de Re Vehiculari Veterum, I. 18. ubi de vario usu vehiculorum in bello agit. *Idem.*

Exigendis vehiculis] Quæ etsi publica per vias disposita; non tamen comitatui principis sufficiebant. Erat itaque Palatinum munus in hanc rem, ut in lapide: M. VLPIVS. AVG. L. CRESCENS. AB. VEHICVLIS. fueritque profecto hujus Ulpii Trajani. Est et in Nervæ nummis inscriptio: VEHICVLATIONE. ITALIAE. REMISSA. sed ea ad publicum cursum spectat, cujus onus in se transtulit, quod ad Italiam attinet, princeps. *Lips.*

Annona, quæ ceteris] Spartianus in Hadriano cap. 10. pr. ' Libenter cibis castrensibus in propatulo utebatur, hoc est, larido, caseo, posca, exemplo Scipionis Æmiliani, et Metelli, et auctoris sui Trajani.' Auctorem vocat, quia Hadrianum principem fecit, et quasi condidit: ipse ejus, ut lo-

quimur, creatura. *Idem.*

Annona, quæ ceteris] Catanæus, 'Satis constat,' inquit, 'annonam pro commeatu, i. e. omni esculento et potulento usurpari; nam Varro de R. R. lib. III. et Tranquillus in Tib. 'annonam macelli;' Colum. IV. 'vini ac musti annonam;' Veget. lib. III. 'pro omni commeatu, posuere,' &c.' Hic intelligitur 'cibus castrensis,' qui, ut Lipsius jam ex Spartiano notavit, plerumque constitit larido, caseo, posca. Eodem Spartiano referente, c. 11. 'Pescenninus Niger in omni expeditione ante omnes militarem cibum sumsit ante papilionem.' Hujusmodi frugalitatem Mamertinus etiam laudavit in Juliano, Paneg. c. 11. 'Qui sæpius,' inquit, 'statarium prandium ad necessitatem humani corporis capiat, gaudens castrensi cibo, ministro obvio, et poculo fortuito.' Et Latinus Pacat. Paneg. c. 13. Theodosium vocat 'imperatorem parce contenteque viventem, modico et castrensi cibo jejunia longa solantem.' Contrariam consuetudinem et disciplinam, quæ Vitellii tempore increbuit, Tacit. Hist. II. 62. his verbis notavit: 'Ex Urbe atque Italia irritamenta gulæ gestabantur, strepentibus ab utroque mari itineribus; exhausti conviviorum apparatibus principes civitatum: vastabantur ipsæ civitates; degenerabat a labore ac virtute miles, assuetudine voluptatum, et contemtu ducis.' *Schwarz.*

Comitatus accinctus et parens] *Accinctus*, i. e. paratus et expeditus; ut recte explicarunt Catanæus, Lipsius et Jac. de la Baune; atque infra ad XXX. 5. Berneggerus, ubi Plinius 'bonitatem' vocat 'accinctam.' Pro voce *parens*, Cuspinianus edidit *parcus*. Cui lectioni favent Rittershusius et Jac. de la Baune. Nec male conveniat hæc laus in comitatum, ad exemplum sui principis, frugalem et sobrium. Est enim *parcus*, parvo contentus, sumtibus parcens, frugalis, et sobrius. Sic Ciceroni de Orat. II. 71. dicitur 'optimus colonus, parcissimus, modestissimus, frugalissimus.' Et idem de Off. I. 30. bene ista conjunxit: 'Intelligemus, quam sit turpe, diffluere luxuria, et delicate ac molliter vivere; quamque honestum, parce, continenter, severe, sobrie.' Verum, contra auctoritatem tot librorum nihil muto; maxime, cum *comitatus* principis satis congruenter etiam dicatur *parens*, i. e. obsequens, et ad nutum imperantis intentus. Virgilio Æneid. I. 693. dicitur 'dicto parens.' In codice Salisburgensi, et quibusdam editionibus antiquioribus, pro *parens*, vitiose extat *patens*. Idem.

Ad hoc, comitatus] *Ad hos comitatus;* sed *ad hoc* V. C. R. G. *Livin.*

Accinctus] Metaphora, non fluens aut solutus, vere adstrictus, et ut milites tuos decebat. *Lips.*

Accinctus] Quid si expeditus, non hærens aut subsistens cum incommodo provincialium? Sic XXX. 5. quod adi sis. *Bern.*

Et parens] *Parcus* C. recte. *Rittersh.*

Magnum aliquem ducem] Designat ducem virtutibus magnum, et severa disciplinæ militaris exactione inclytum, qui possit aliquo in numero putari, prout Cicero loquitur: qualis Trajanus erat, cum adhuc dux esset; in qua moderationis laude etiam perstitit, cum jam imperii gubernaculum suscepisset. Alioqui fuere omnino non pauci duces, qui sæpe sibi plus licentiæ, quam postea imperatores, sumsere. Quam graves Italiæ et provinciis fuerint Vitelliani milites, 'obnoxiis ducibus, et prohibere non ausis,' eleganter exponit Tacit. Hist. II. 56. Et Cic. jam in republica libera, de hujusmodi ducibus imperatoribusque queritur, pro lege Manil. c. 13. 'Propter hanc avaritiam imperatorum, quantas calamitates, quocumque ventum sit, nostri exercitus

ferant, quis ignorat? Itinera, quæ per hosce annos in Italia per agros atque opida civium Romanorum nostri imperatores fecerunt, recordamini: tum facilius statuetis, quid apud exteras nationes fieri existimetis. Utrum plures arbitramini per hosce annos, militum vestrorum armis, hostium urbes; an hibernis, sociorum civitates, esse deletas? Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipsum non continet; neque severus esse in judicando, qui alios in se severos esse judices non vult.' *Schwarz.*

Ad exercitus ire] Tunc enim fere moderatiores adhuc sunt duces, cum e pace ad bellum progrediuntur, rerum futurarum nondum certi; quam cum jam imperatores ex victoria redeunt. *Idem.*

Brevi futurum] Vocabulum *brevi* omittunt codices Mss. præterea Puteolanus, Cuspinianus, Plantinus, Gruterus, Berneggerus, Patarol: ceteri libri habent. Videtur, sine damno sententiæ abesse posse. Inter imperatorem autem factum, et futurum, notante Catanæo, hoc interesse solet, ut facti plerumque magis insolescant propter fortunam; futuri vero, qui adhuc ambiunt imperium, modestiam præ se ferant, ut inde favorem hominum aucupentur. Pertinet huc egregia Marii sententia apud Sallust. Jugurth. cap. 85. 'Scio ego,' inquit, 'plerosque non iisdem artibus imperium a vobis petere, et, postquam adepti sunt, gerere: primo industrios, supplices, modicos, esse; dehinc per ignaviam et superbiam ætatem agere.' Plura in hanc sententiam testimonia et exempla congessit Gruterus in Discurs. Polit. ad Tacit. c. 4. ubi agit de magistratuum initiis sine melioribus. Conf. Lips. Polit. II. 5. *Idem.*

Transitus ille] Gryphius hunc locum ita mancum edidit: 'Quam dissimilis nuper alterius principis transitus ille, non populatio fuit.' Similiter hic locus notatus est in libro Vossiano. Atque in ejusmodi mancum exemplar fortasse etiam inciderat Lipsius, cum Epistol. Quæst. v. 15. ita legendum existimaret, *transitus ille; imo populatio fuit.* Gesnerus hæc verba ita excudenda curavit, *alterius principis transitus? si tamen ille non populatio fuit.* Sed, si post pronomen *ille* non repetatur vox *transitus*, nescio quomodo aliquid elegantiæ σχήματος decedere orationi videatur. Et sane locum hunc in omnibus aliis libris scriptis, impressisque, quotquot inspeximus, ita integrum invenimus, uti nos jam exhibemus. In solo Salisburgensi codice inquinate scriptum est, *Principis transitus, ille vero populator fuit.* Figura ἐπανορθώσεως prorsus eodem modo utitur Cic. pro Mil. c. 12. 'An vero, judices, vos soli ignoratis, quas ille leges, si modo leges nominandæ sunt, ac non faces urbis, et pestes reipublicæ, fuerit impositurus nobis omnibus atque inusturus?' *Idem.*

Abactus hospitum] Utique, quod jam annotavit Patarol, paullo insolentior est hæc loquendi ratio; neque vocabulum *abactus* in ullo melioris Latinitatis auctore facile invenias. Quid? cum post verbum *exerceret*, et post subsequentem copulam *que*, pronis auribus expectares similis modi et temporis verbum; v. g. 'perureret attereretque;' hæc oratio in solis participiis, *perusta* et *attrita*, subsistit. In scriptis tamen excusisque exemplaribus, menda quidem, sed nullam alicujus momenti varietatem, deprehendi. Beroaldus, pro voce *abactus*, edidit *ab actis.* In codice Veneto, pro *exerceret*, legitur *exereret.* In Vaticanis, Salisburgensi, Guelpherbytano, et nostro, libroque Vossiano, pro *hospitum*, extat *hospitium.* E quibus quid aliud eruas non video. Planissime contra Liv. IV. 21. scripsit, 'prædæ abactæ homi-

num pecorumque.' Amico cuidam in mentem venit, an forte pro verbo *exerceret*, nomen *exercitus* sit rescribendum, ut generatim pro multitudine ingenti accipiatur; prout Virgilio Georg. I. 382. dicitur 'exercitus corvorum?' Unde vox *abactus* evaderet participium, cum Plinius sic scripsisse videri posset, *cum abactus hospitum exercitus, omniaque, &c.* Conjectura non indigna, quæ memoretur. Neque Plinio insolens est ἔλλειψις verbi substantivi, etiam post adverbium *cum*. Ita, v. g. scribit Epist. VIII. 14. 7. 'Nos juvenes fuimus quidem in castris; sed, cum suspecta virtus, inertia in pretio; cum ducibus auctoritas nulla, nulla militibus verecundia, nusquam imperium, nusquam obsequium, omnia soluta, turbata, atque etiam in contrarium versa.' At, cum Cortio, in notis ad Epist. VIII. 24. Plinii, propter auctoritatem codicis Guelpherb. placuerit, hoc loco reponendum *hospitium*, prout aliquando 'civitatium' pro 'civitatum' dicitur; tunc ego mihi fere religioni ducerem, hujusmodi archaismum, vel potius mendum librariorum, obtrudere velle Plinio. *Idem.*

Abactus] Dura vox, ab 'abigendo' derivata, et durior modus dicendi. Sensus est, Cum abigeret, hoc est, expelleret, a propriis laribus hospites. *Patarol.*

Abactus hospitum] Quomodo? hospites abegit, an res atque animantes eorum? fortasse et servos aut liberos, hostilem in morem. *Lips.*

Vis aliqua] Hostilis, an et cœlestis? *Idem.*

Vis aliqua] Quærit Lipsius, 'hostilisne, an cœlestis vis' sit intelligenda? Sed hostilitatem barbarorum Plinius distinguit ab hac vi devastante. Credo, significari aliquam vim divinam, qualem Annibali in quiete visam narrat Liv. XXI. 22. ubi dicit, eum 'vidisse, post se serpentem mira magnitudine, cum ingenti arborum ac virgultorum strage, ferri, ac post insequi cum fragore cœli nimbum; tum, quæ moles, quidve prodigii esset, quærentem, audisse, Vastitatem Italiæ esse.' Cic. de Divin. I. 24. idem narrat, traditque, tum 'Annibali visam beluam vastam, et immanem, circumplicatam serpentibus, quacunque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta, pervertere, et quærenti Deum respondisse, Vastitatem esse Italiæ.' Tale iter tamque noxium transitum Verris describit Cic. in Verr. I. 17. 'Ut iste Verres profectus est, quacunque iter fecit, ejusmodi fuit, non ut legatus populi Romani, sed ut quædam calamitas, pervadere videretur.' Atque ibid. cap. 38. 'Per omnes,' inquit, 'partes provinciæ, te, tanquam aliquam calamitosam tempestatem, pestemque, pervasisse, demonstro.' Jam, si, teste Cic. Nat. Deor. III. 25. etiam perniciosis rebus, ut Febri, et Malæ Fortunæ, nomen Deorum, et vis divina tribueretur; quid ni huc etiam referantur, Vastitas, Calamitas, Pestis, Tempestas? De Tempestate diserte Ovid. Fast. VI. 193. 'Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur.' *Schwarz.*

Quos fugiebat] Adde, quæ supra, de falsis ejus victoriis. Acerbe enim et hæc in Domitianum, tota hac oratione materiem ictibus Plinianis, et sagittis scopum. *Lips.*

Inciderent] Philomusus edidit *incederent*. Non male de Diis et rebus divinis. Nam sic Virgil. Æn. I. 46. 'Ast ego, quæ Divum incedo regina, Jovisque Et soror et conjux.' Ita etiam Cic. l. c. dixit, beluam illam, Annibali in somnio visam, seu Vastitatem Italiæ, 'quacunque incederet,' omnia pervertisse. Sic et Tacit. Annal. III. 26. 'Postquam,' inquit, 'exui æqualitas, et, pro modestia ac pudore, ambitio et vis incedebat,' &c. Verum tamen, propter consensum tot librorum, locum ad-

hnc reliqui verbo *inciderent;* quamvis tunc malim *inciderint.* Sic vero loquitur etiam Terent. Heaut. II. 4. 15. 'Ut nunquam ulla amori vestro incidere possit calamitas.' *Schwarz.*

Domitiani] i. e. Domitiani cujusdam, ducis, et hominis privati; non ipsius principis, utpote a cujus sanctitate aliena esse debeat ejusmodi immoderatio. Similiter fere Batavi, in Chinam advenientes, quæsiti, an Christiani essent, aliquando, ad evitandum nominis Christiani odium, respondisse dicuntur, se esse Batavos sive Hollandos. Fortasse et Plinius per alliterationem allusit ad nomen Domitiani, quasi denotetur quidam sævus dominator, non princeps modestus et benignus. *Idem.*

Domitiani] Hoc est, truculenti et pessimi hominis, non Romani Imperatoris. *Patarol.*

Edicto subjecisti] Quod edictum reversus proposuit in publico, de hostibus pacatis, limite defenso; et denique in imo (hoc est, *subjecisti*) de impendiis viæ. *Lips.*

Cum imperio calculum ponere] Id est, *μετὰ τῶν ἀρχομένων,* ut 'dominia' et 'servitia' passim pro 'domini' et 'servi.' *Livin.*

Cum imperio calculum ponere] Boëtius de Consol. Philos. Pros. 3. pag. 973. 'Visne ergo cum fortuna calculum ponere? Ante occupatam rempubl. ab imperatoribus solebant duces rationem impendii facere.' Tranquill. 'Boni principes debent expensi curam tenere, tanquam si populo essent reddituri rationem.' Vide tamen not. Berneg. in Just. II. 9. 14. *Bern.*

Cum imperio calculum ponere] H. e. cum imperio rationes computare, sive redituum et sumtuum imperii rationem inire ac subducere. Calculi enim pro rationibus dicuntur; quia et veteres, dum computarunt, usi sunt calculis, sive lapillis. Hinc Plin. Epist. II. 19. 'Omnes, quos ego movi, in utraque parte calculos pone.' Idem Epist. v. 2. 'Accepi pulcherrimos turdos, cum quibus parem calculum ponere non possum.' Cic. in Lælio c. 16. dixit, 'Hoc quidem est nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum.' Sic dicere possimus, 'ad calculos revocare imperium,' an par sit ratio redituum et expensorum; ne plus impendatur, quam recipiatur. Fuit autem proprie 'ratiocinatoris, ponere calculum,' secundum Colum. de R. R. III. 3. *Schwarz.*

Sic redeat] *Sic exeat* V. C. G. R. probe. *Rittersh.*

Edicat] Scriverius rescribendum censuit *Et dicat;* fortasse opinatus, magistratum, aut principem, non posse dici 'edicere,' nisi aliquid vel jubeat, vel vetet. Sed nulla emendatione opus est; haud enim unius generis et argumenti fuere edicta. Erant, maxime sub imperatoribus, non solum jubentia et vetantia; sed etiam *monitoria, consolatoria, nuntiatoria,* et alia, quæ explicat Brisson. de Formul. lib. III. pag. 277. Sic Domitianus, ubi publico scripto declaraverat, se recepisse uxorem antea repudiatam, referente Suetonio, cap. 13. 'non dubitabat, in reducenda post divortium uxore, edicere, revocatam eam in pulvinar suum.' Sic et Trajanus recte dici potuit 'edicere;' cum publico scripto saltem declararet, notumque faceret, quos sumtus impenderit in iter. Quin et privati homines, non magistratus modo, dicebantur aliquando *ἐμφατικῶς,* 'edicere,' si quid serio aliis significarent, denuntiarentque; v. g. Parmeno Terentianus, in Eun. v. 5. 19. 'At, ne hoc nesciatis, Pythias, dico, edico vobis, nostrum esse illum herilem filium.' Plaut. Pseudol. III. 2. 113. 'Nunc ibo intro, atque edicam familiaribus, Profecto ne quis quicquam credat Pseudolo.' *Schwarz.*

Tanti constat] Quidam libri ha-

bent *tantum constat;* plurimi *tanti tuum constat!* Aliqui, *sciant tamen: constet, propositisque, &c.* Puto, in vetustioribus quibusdam codicibus scriptum fuisse, *tm̄*, pro *tamen;* inde ex ignorantia a quibusdam librariis *tantum;* ab aliis *tuum*, fuisse repositum; et ex adscripto glossemate, *quanti constet*, forte receptum esse verbum *constat;* atque ab aliis aliter ista verba esse reficta. Ergo malim hunc locum ita concinnare, *velint, nolint, sciant tamen; propositisque, &c.* Ne vero nimis audax viderer, si hanc conjecturam jam insererem contextui; tantisper, dum certius lumen aliunde afferatur, vulgatam retinui lectionem, prætermisso solo pronomine *tuum*, quod nec in paucis libris est prætermissum. *Tanti constat!* i. e. tanti est, ut sciant, quid impensum absumtumque sit. Rationes hujus conjecturæ et emendationis paullo pluribus expositas vide in Excurs. xxv. *Idem.*

Tanti constat] *Tantum constat*, ita scriptum et in V. neque aliter in C. G. *Livin.*

Tanti constat] *Tanti tuum constat.* Adminiculer ego, et rescribam *tanti itum constat*, manifesta sententia. Infra quoque, 'Quin etiam Deum ipsum tuum prærip. volupt. oper. sui percept. crediderim,' fidenter corrigam, 'Deum ipsum tum prærip.' Intelligit autem Jovem, qui capitolii præses. *Livin.*

Tanti constat] *Tanti tuum constat* Lips. Rectum est, nec patienter audio, qui conantur, *tanti itum.* Quis finis criticæ pruriginis? Rectum et clarum est, ut dixi. Sciant, inquit, posteri, tanti tuum iter constitisse; tanti, alterius. *Lips.*

Tanti constat] Livin. *Tanti itum constat.* Malim, *tanti iter tuum constat.* Rittersh.

Hoc, vel illud] Domitiani pravum, aut optimum Trajani exemplum. *Paterol.*

Cap. xxi. *Nomen patris patriæ*] Vox *nomen* abest V. recte. *Rittersh.*

Patris patriæ] Principes, reges, imperatores appellabant patres patriæ, parentes publicos, bonarum auctores literarum, ut monerent subditos, uti pietatem Deo, pietatem patriæ, pietatem parentibus, naturaliter et jure gentium debeant, ita principi suo tanquam parenti publico. Sic primus dictus Cicero. Plutarch. Juvenal. Sat. viii. Plin. Senior lib. vii. Appian. lib. ii. ab isto venit in Augustum, Sueton. Aug. c. 58. *Bern.*

Patris patriæ] Nomen hoc valde decorum. Primus illud accepit, ex senatus universi sententia, M. T. Cicero; ut ipse testatur, Orat. in Pison. et confirmat præ ceteris Plin. Epist. vii. 30. 'Salve primus omnium Pater Patriæ appellate.' *Paterol.*

Nomen Patris Patriæ] Vocabulum *nomen* in nullis, quos vidimus, codicibus Mss. extat; neque id repererat Livineius in antiquis membranis; nec prodidere Sichardus et Gryphius. Ac sane, pro stilo Pliniano, abesse poterat; cum proxima verba *honores* et *titulos* facile adhuc inhæreant animo lectoris; et cum parum grata ejusdem vocis repetitio, sine figuræ ornamento, recurrat; quia mox sequitur, *Nomen illud.* Per me ergo istam vocem expungat, quisquis velit. *Schwarz.*

Alii primo statim] Non invenio, quinam hi fuerint ante Trajanum; nam, si Suetonium, diligentissimum alioquin, consulas; alios nomen hoc non recepisse, alios distulisse, invenies; uno C. J. Cæsare excepto, qui honorum appetentior dicitur ab eodem c. 76. Quod magis etiam patet ex Jul. Capit. cum de Pertinace ait, 'Primus sane omnium, ea die, qua Augustus est appellatus, etiam Patris Patriæ nomen accepit.' Imperatores autem 'ita nominati sunt, (inquit Xiphil. in Aug.) ut, quos in

potestate habent, perinde ut filios diligant, et hi eos ut patres revereantur.' Hæc igitur in Trajani gratiam, et ad augendas principis laudes, a Plinio dicta, credendum est. *Patarol.*

Primo statim principatus die] Non immerito quæritur, quinam fuerint illi imperatores, ante Trajani tempora, qui primo statim principatus die, una cum Imperatoris et Cæsaris titulo, appellationem Patris Patriæ receperint: cum, teste Appiano B. C. lib. II. pag. 432. hoc honoris vocabulum imperatoribus, quantumvis jam Augustis, non statim cum ceteris cognominibus, sed cum tempore, velut perfectum maximarum rerum ab iis gestarum testimonium, publice decerni consueverit. Jul. Cæsari hoc nomen non statim fuisse delatum, facile ex iis patet, quæ Sueton. c. 76. et Dio Cass. lib. XLIV. p. 242. narrant. Ac Mediobarbus in Numism. Imperator. pag. 6. nummos Jul. Cæsaris, titulo PARENTIS PATRIÆ insignitos, demum ad quartum ejus consulatum, h. e. ad A. U. C. 709. refert. Augusti titulis hoc nomen sero accessisse, ex loco Ovidiano, mox excitando, patet. Norisius in Cenotaph. Pis. pag. 177. ex fragmento vetusti Kalendarii, apud Grut. CLXXXVI. 2. probare nititur, id demum publice decretum fuisse AVGVSTO. COS. XIII. TRIB. POT. XXI. anno U. C. 752. Sed Mediobarbus tamen, jam ad annum U. C. 746. annotavit nummum, hoc titulo signatum: AVGVSTO. DIVI. F. PONT. MAX. TR. POT. XVI. IMP. XIIII. COS. XI. PATRI. PATRIÆ. S. P. Q. R. S. C. Tiberium vero hoc cognomen ab initio imperii constanter recusasse, tradunt Sueton. in ejus Vita, cap. 26. et 27. et Dio Cass. lib. LVII. p. 607. quo titulo et nummi ejusdem imperatoris carent. Rejecit idem nomen sub initium Nero, propter ætatem: nummos tamen extare, testatur Spanhemius, qui indicent, eum jam dum primo anno id recepisse. Vespasiani nummi, in altero imperii anno cusi, titulum 'Patris patriæ' præferunt. Domitianus, mortuo fratre Tito, cum jam designatus esset cos. VIII. demum nomen 'Patris patriæ' in nummis gerit. Cum adeo, neque ex historia, neque ex nummis, aliisque monimentis, adhuc liqueat, quendam ante Trajanum, primo statim principatus die, hunc titulum involasse; Plinius noster, ad exaggerandam principis sui laudem, nimis oratorie hic loqui videtur. Vide omnino de hoc argumento Spanhem. de Præstantia et Usu Numism. Vet. tom. II. pag. 455. seqq. ubi idem docet, Trajano certe altero imperii anno plures nummos Romanos; anno autem tertio, nempe TRIB. POT. II. COS. III. P. P. EX. SC. veterem lapidem, in Gruteri Thesauro, CCXLVI. 5. hunc 'Patris patriæ' titulum tribuere. *Schwarz.*

Ut imperatoris] *Imperatoris* Livin. sed *ut imperatoris* V. G. *Livin.*

Principatus die, ut imperatoris] Eho Plini, Trajanus, aut omnino quisquam Imperatoris et Cæsaris nomen distulit? aut qui eas nomenclaturas statim receperunt, usurpasse eos dixeris, et invasisse? Meræ nugæ et liquida scriptura, quæ in V. G. *principatus die, ut imperatoris;* nam de Patris patriæ sermo est, quam Trajanus distulit; ceteri, qui minus modesti, æque ac Cæsaris et Imperatoris, ilico invaserunt! Sed quid Julio Capitolino faciemus, qui diserte primum omnium Pertinacem ait eadem die, qua Augustus est appellatus, etiam Patris patriæ nomen recepisse? At ecce, ante Plinium et alii statim primo principatus die receperunt. Equidem non video, qui conciliem. *Idem.*

Principatus die, ut imperatoris] Non omnes, ne hoc persuasurum te puta, Plini. Nam nec Augustus quidem, nisi sero recepit, et Tiberius obla-

tum, per modestiam distulit; Nero, per ætatem; quæ singula in Suetonio ita leges. Quin tamen plerique alii statim, non imus negatum, aut Plinio hoc ereptum. An non tamen Capitolinus, qui sic in Pertinace? 'Primus sane omnium, ea die, qua Augustus est appellatus, etiam Patris patriæ nomen recepit.' Aperte, ut videtur, et nostri φιλαρχαῖοι hic obhærent. Expediam, favete. Aio, totum locum et concipiendum aliter, et ordinandum hoc modo: 'Eadem die, qua Augustus est appellatus, et Flavia Titiana, ejus uxor, Augusta est appellata, eis horis, quibus ille in capitolio vota solvebat; prima sane omnium ea die, qua Augustus est appellatus. Etiam Patris patriæ nomen recepit.' Quam levi aut nulla mutatiuncula, sententiam totam mutamus! et vere, quamvis audacter dico. Non de Augusto, sed Augusta hoc adfirmat, primam eodem die hoc nomen sumsisse, quo et maritus. Examina priorem historiam, ita reperies. Livia illa, post mortem denique mariti, 'testamento in nomen Augustæ adsumta;' quod Tacitus et Dio adfirmant. Agrippina Claudii, longule post nuptias 'augetur cognomento Augustæ.' Tacitus. Et Domitianus ille, superbus, tamen suam 'altero denique anno consalutavit Augustam.' Suetonius. Antoninus Pius, aliquamdiu post imperium, 'Faustinam Augustam appellari a senatu permisit.' Notes igitur hoc postea, et fere a senatu factum, neque aliud Capitolinus voluit, quam hunc gratificandi studio properum, dum Pertinax in capitolio est, eum titulum accensuisse uxori. *Lips.*

Esses, antequam fieres] i. e. esses re ipsa, antequam fieres nomine, publiceque declarareris. Eandem tamen sententiam jam ante de Augusto expressit Ovidius Fast. II. 127. seqq. 'Sancte Pater patriæ! tibi plebs, tibi curia, nomen Hoc dedit; hoc dedimus nos tibi nomen eques. Res tamen ante dedit: sero quoque vera tulisti Nomina; jam pridem tu Pater orbis eras.' *Schwarz.*

In animis, in judiciis nostris] Codex Parisiensis, omissa præpositione *in*, habet, *Eras enim animis, eras judiciis nostris.* Sed nihil innovandum est. Ceterum, eodem fere modo loquitur Plinius infra LXXXIV. 8. 'Dignæ sunt quæ in animis nostris et sint et habeantur Augustæ, quia non vocantur.' *Idem.*

Patrem experiretur] I. e. paternum tuum animum, paternamque curam, usu cognosceret atque sentiret. Similiter loquitur Plinius infra, XXVI. 3. 'Ut jam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur.' Et Epist. v. 1. 'Ut te coheredes mei tractabiliorem experiantur.' *Idem.*

Exerces] Scio quidem, verbum 'exercere' ad varias res solere accommodari; attamen hæc loquendi formula, 'exercere nomen patris,' mihi, nescio quomodo, paullo insolentior visa est. Hinc cogitabam, an fortasse verbum hoc irrepserit pro *exerere*, sive *exserere;* i. e. ostendere, exhibere, facto ipso declarare, promere; prout Plin. Epist. VIII. 7. 'Exeram,' inquit, 'in librum tuum jus, quod dedisti.' Crebrius autem ista duo verba 'exercere' et 'exerere' in antiquis libris inter se sunt permutata. Ita, cum antea apud Quinctil. Inst. Or. IV. 1. in editis legeretur, 'Fiducia se ipsa nimium exercere non debet;' jam Passeratius, Philander, Obrechtus, et Cl. Burmannus, demonstrarunt, legendum esse 'exserere.' Apud eund. Decl. XIII. 6. ab aliis vulgatum erat, 'Exercete libertatem fortibus verbis.' Hic itidem Obrechtus, et nunc celeberrimus Burmannus edidit, 'exerite libertatem,' i. e. verbis fortibus et liberis ostendite. Conferantur Quinctil. Decl. CCLXV. Seneca de Clement.

I. 19. Sueton. Tib. cap. 33. in quo posteriore loco, ex Casauboni emendatione, jam recte editum est, 'Paullatim principem exeruit, præstititque.' Utcunque vero est, contra auctoritatem veterum librorum, nondum audeo exturbare evulgatam Plinii lectionem. Is 'exercet nomen patris,' qui utitur nomine patris, non sine insigni benignitate et clementia. Hanc fere notionem verbo 'exercere' tribuit Sallust. Catil. cap. 38. 'Utrique victoriam crudeliter exercebant,' i. e. utebantur victoria. Et Phædr. III. 7. 'Qui sine virtute vanas exercet minas,' i. e. utitur vanis minis. Denique, si Plin. ipse, Ep. VIII. 14. dixit 'Libet exercere, quod sumus;' quidni etiam similiter dicamus, 'libet exercere, quod nominamur;' sive, 'libet exercere nomen patris?' Nisi forte suspiceris, in isto etiam Plinii loco requiri verbum 'exserere.' *Idem.*

Cum liberis parens] Huc pertinet eximius locus Senecæ, ab aliis jam notatus, de Clement. I. 4. 'Patrem quidem patriæ appellamus, ut sciret, datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens.' Nam, quod Philo de Providentia, pag. 1197. ait, Βασιλεῖ δὲ οὐκέτι πρόῤῥησις οἰκειοτέρα πατρός. *Regi nulla appellatio magis propria est, quam Patris.* Idem.

Cum liberis parens] 'Titus non modo principis solicitudinem, sed et parentis adfectum unicum præstitit,' Sueton. cap. 8. Claudian. ad Honor. 'Tu civem patremque geras, tu consule cunctis, Non tibi, nec tua te moveant, sed publica damna.' Auson. de Nerva, 'Princeps nomine, mente parens.' Aurea Senecæ Clem. I. 14. 4. 'Principem,' inquit, 'appellavimus Patrem patriæ, non adulatione vana adducti. Cetera cognomina honori data sunt. Magnos et Felices, et Augustos dicimus, et ambitiosæ majestati quidquid potuimus, congessimus, illis hoc tribuentes: patrem quidem patriæ appellavimus, ut sciret, datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens. Tarde sibi pater membra sua abscindat: etiam cum absciderit, reponere cupiat: et in abcindendo gemat, cunctatus multum diuque.' Simonidis apud Xenoph. præceptum, 'Princeps existimet civitatem suam propriam domum, cives vero propinquos, amicos, aut filios, et filios velut animam propriam, et hos omnes obligare nitatur officio.' Observavit id Valens Imp. 'Qui singulas provincias, ut domum propriam custodiebat indemnes.' Ammian. XXXI. 40. Addesis Symmach. X. 22. Nimius forte in isto, sed cui attendant dominationes celsæ. *Bern.*

Privatus exieras] Privatus dicitur Trajanus, quod primum duntaxat sub legati nomine exierat in provinciam, unde in urbem revertit imperatoria majestate præditus. Sub principatu, omnes, præter principem, habebantur privati, quantumvis fungerentur magistratibus, aut, ut legati et duces, cum imperio essent in provincia. Quid? quod de ipso Trajano, jam Cæsare a Nerva declarato, dixit Plinius, X. 4. 'Privatus tibi videbaris, quamdiu Imperator et alius esset.' Vide Lipsii notam ad hunc Paneg. VII. 2. Id vero adhuc noto, in Parisiensi codice Ms. omissum esse verbum *exieras*. Schwarz.

Agnosceris! Agnoscis] Antehac verba hæc ita edita legimus, *qui privatus exieras, agnoscis, agnosceris! Eosdem nos, &c.* Nunc ex indicio trium codicum Mss. Bibliothecæ Vaticanæ hæc verba, *agnoscis, agnosceris*, saltem ordine inverso collocanda, et interpunctione secernenda duxi. Qua de re egi in Excurs. XXVI. ubi etiam notionem verbi 'agnoscere' exposui. Nunc unicum locum ex Curtio huc refero, ubi rex Alexander, VIII. 2.

'Non agnosco,' inquit, 'vos milites; nec agnosci videor a vobis.' *Idem.*

Agnosceris! Agnoscis] Nihil in fastum mutatus, comiter appellas, salutas cives; et ab iis vicissim idem ille agnosceris, quod ad mores. Imperium accessit, modestia non abscessit. *Lips.*

Agnoscis] Tacit. Hist. I. 23. de Othonis artibus, 'quibus sibi milites conciliavit: eos contubernales appellando: alios agnoscere, quosdam requirere.' *Bern.*

Quo melior] Livineius in margine editionis suæ annotarat, pro *quo*, fortasse legendum *quod*. Hanc conjecturam probavit Rittersh. Censuit et D. D. Heumannus, reponendum esse *quod*. Nec mihi displicet hæc emendatio; ubi vox 'hoc,' vel 'eo,' idem valet ac 'ob,' vel 'propter hoc,' vel 'propter id.' Sic Plin. in hoc ipso Paneg. LXXXIV. 7. 'Hoc magis dignæ sunt quæ in animis nostris et sint et habeantur Augustæ, quia non vocantur.' Et Epist. IV. 21. 'Cujus ego pro salute hoc sum magis anxius, quod unicus factus est.' Cic. ad Attic. IX. 8. 'Consilio vestro utar libenter, et hoc libentius, quod mea sponte facere constitueram.' Præterea, in editione Veneta hujus Panegyrici, quæ cum commentario Catanæi an. 1519. per Jo. Rubeum Vercellensem excusa est; item et in ea, quam Paullus Stephanus impressit, ac quæ an. 1643. Genevæ prodiit, forte animadverti, ibi typis exscriptum legi *et ob tantum ceteris major.* Ubi conjicias, saltem pronomen *hoc* negligenter fuisse omissum; cum dici debuisset, *et ob hoc tantum ceteris major;* quam loquendi rationem etiam ipsi Ciceroni frequenter usitatam esse, docet Tursell. de Particulis, c. 140. Quod si igitur hæc præpositio *ob*, non ex mero typographorum mendo nata, sed ex vetusto quodam codice producta esset: eo magis particula *quod*, pro *quo*, foret necessaria; atque sic planissima evaderet sententia, *et ob hoc tantum ceteris major, quod melior.* Interim vero, in ista dubia lectione, adhuc retineo vulgatissimam; maxime, cum omnes, quod consulere mihi contigit, codices Mss. ei adsentiantur, eademque satis commode locum habere posse videatur. *Schwarzius.*

CAP. XXII. *Qui dies ille*] Suppleas mente *qui dies ille fuit!* Pronomen *qui* hoc loco valet idem quod *qualis quantusque;* dum inprimis cum admiratione conjungitur. Sic ipse loquitur Cic. Philipp. II. 35. in fine: 'Post diem tertium veni in ædem Telluris, et quidem invitus, cum omnes aditus armati obsiderent. Qui tibi ille dies, M. Antoni, fuit?' Et mox, cap. 36. 'Qui tu vir, Dii immortales, et quantus, fuisses, si illius diei mentem servare potuisses!' Plura ad hunc locum vide in Excurs. XXVII. *Schwarz.*

Qui dies] Quem votis advocat Martialis Ep. X. 6. et 7. *Lips.*

Quadrijugo curru] H. e. ejusmodi curru, quem quatuor equi una conjuncti duxere: e quibus duo fuere jugales, duo funales; illi in medio, hi utrinque e lateribus jugalium; quod docet Schefferus de Re Vehiculari, II. 13. Ita jam de rege Latino cecinit Virgil. Æn. XII. 162. 'Quadrijugo vehitur curru.' Docente autem Servio ad Æn. X. 571. 'Et quadrijugus, et quadrijugis, dicimus; sicut inermus et inermis; exanimus et exanimis.' Inprimis vero triumphantes vehebantur equis albis. Unde Ovid. Arte Am. I. 213. cum quasi vaticinaretur Caio Cæsari, Agrippæ filio, triumphum ex Parthica expeditione referendum, sic cecinit: 'Ergo erit illa dies, qua tu, pulcherrime rerum, Quattuor in niveis aureus ibis equis!' Atque ita, maxime post Camilli tempora, omnes fere triumphantes, in vetere et nova republica, sine ulla exprobratione arrogantiæ, qua-

drigis equorum candidorum, et aliquando quadrigis, vel bigis, elephantum, aut leonum, uti consueverunt. Verum hic non de triumpho, sed primo, post susceptum imperium, modestoque Trajani adventu e Germania in urbem, agitur; quem comparat Plinius cum pompa aliorum adventantium imperatorum. Vix tamen satis constat, qui imperatores, si sine triumpho rediere, quadrigis introierint urbem; nisi forte respiciatur Nero, qui, teste Sueton. cap. 25. 'reversus e Græcia Neapolim, quod in ea primum artem protulerat, albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos hieronicarum erat. Simili modo Antium; inde Albanum; inde Romam.' Trajanus vero, uti pedibus fecerat iter cum exercitu narrante Xiphilino, et ipso Plinio nostro, XIV. 3. ita etiam pedes intravit urbem. Equidem, in Ducis Arschotani Numismatibus Imperatorum, Tab. XXXV. 9. designatur nummus Trajani, in cujus aversa parte conspicitur Imperator equitans, et hastam manu tenens; circum legitur, ADVENTVS. AVGVSTI: verum, potuit Trajanus, equo quidem insidens, usque ad portas urbis accedere; deinde vero pedibus introire in urbem; prout Severum imperatorem, adventantem Romam, id fecisse testatur Dio LXXIV. p. 839. *Schwarz.*

Humeris hominum] Succollati in lecticis. Imitatur Pacatus in Theodosiana laude, ut plerosque eminentiores (semel monitum esto) locos: 'Quin si quando in lucem venire, et diem ferre potuissent, lecticis thensisque subvecti, et densissima supra circumque cooperti virorum armorumque testudine, sensim atque ad numerum movebantur:' et plura, sodes, adde vel cum Plinianis argutiis et Venere certantia. Porro a nostro Domitianum præcipue tangi, certum est. *Lips.*

Humeris hominum, quod arrogantius erat] Voces postremæ tres manarunt ab interprete aliquo: satis enim subintelliguntur, et alioquin nescio, quomodo infringant elegantiam totius periodi. *Grut.*

Quod arrogantius erat] Haud præter caussam verba hæc, tanquam e glossemate adscita, suspicatus est Gruterus; quamvis ea adhuc in omnibus libris scriptis excusisque deprehendantur. Ac certe nobis non liquet, quando inter Romanos arrogantius habitum fuerit, humeris hominum in lecticis ferri, quam vehi curru quadrijugo et albis equis. Contra vero, cum Camillus dictator, tradente Liv. v. 23. post Veios devictos, rediret triumphans in urbem, et supra morem tunc consuetum, 'conspiceretur curru equis albis juncto urbem invectus; parum id, non civile modo, sed humanum etiam, visum est. Jovis Solisque equis æquiparari dictatorem, in religionem etiam trahebant.' Per se quidem etiam usus lecticarum aliquid altum spirare videbatur; cum honoratiores, lecticis portati, quasi super ora et capita aliorum veherentur. Inde Seneca Epist. 80. 'Istorum personata felicitas est,' inquit, 'quos supra capita hominum, supraque turbam, lectica suspendit.' Neque enim lecticæ nostri ævi more erant apparatæ; sed velut lecti strati, qui humeris servorum impositi, more funerum nostrorum, portabantur. Sic, qui recumbebant in illis lecticis, super ora aliorum vehebantur. Verum, non minus hoc etiam iis contigit qui curribus vehebantur. Id certe indicat Juvenal. x. 36. seqq. 'Quid? si vidisset prætorem curribus altis Exstantem, et medio sublimem in pulvere circi, In tunica Jovis,' &c. Dixit et ipse Plinius supra, XVII. 2. 'sublimem curru.' Deinde, temporibus imperatorum, res adeo vulgata, et civibus etiam mediocribus usurpata fuit, lecticis vehi; ut Domitianus, referente Sueton. c. 8. earum usum saltem 'probrosis feminis ademerit.' Quo-

modo ergo Plinius dicere potuisset, arrogantius tunc fuisse humeris hominum portari, quam vehi curru quadrijugo et albis equis? Sed neque hanc sententiam, hancque appendiculam, admittunt particulæ illæ, quibus usus est Plinius, *non dico, . . . sed;* quibus exprimitur correctio, antequam res dicatur, et quæ sic explicandæ: Priores, si non vehebantur et importabantur quadrijugo curru et albis equis, minimum tamen humeris hominum invehi et importari solebant. Sic etiam loquitur Cic. pro Sext. cap. 20. 'Depugnarem potius cum summo, non dicam, exitio, sed periculo certe vestro, liberorumque vestrorum.' Et ipse Plinius non raro hac utitur formula, similiter explicanda; v. g. Epist. IX. 14. 'Nos certe meremur, non dico, ingenio; id enim superbum: sed studio, et labore, et reverentia posterorum.' Cf. VIII. 6. VII. 9. Denique, si illa sententia omnino locum haberet; concinnitati Plinianæ congruentius, sic collocanda videretur, *Sed, quod arrogantius erat, humeris hominum.* Imo, tunc malim eandem sententiam prorsus protrahere ad prius membrum, *non dico, quadrijugo curru, et albentibus equis, quod arrogantius erat; sed humeris hominum.* Schwarz.

Corporis proceritate] Augebat majestatem Trajani, præter animi virtutisque altitudinem, etiam corporis proceritas, dignitasque oris, 'quæ longe lateque principem ostentabant,' ut Plinius supra, IV. 7. dixit. Hæc erat illa imperatoria forma, quam in Iphicrate laudavit Nepos, c. 3. 'Fuit,' inquit, 'et animo magno, et corpore, imperatoriaque forma, ut ipso adspectu cuivis injiceret admirationem sui.' Omitto multo plura hujus laudis exempla. Ceterum, corporis Trajani proportionem et proceritatem ex effigie hujus principis, quæ in vetusta columna conspicitur, metiri conatus est Raphaël Fabrettus in Syntagm. de Columna Trajani, p. 56. *Idem.*

Elatior aliis] I. e. altior aliis. Sic Plinio, Epist. VI. 16. nubes dicitur 'elata in altum.' Idem Epist. III. 13. dum de oratione magnifica et sublimi loquitur, hæc conjunxit, 'elata et excelsa.' Atque Cic. in Brut. cap. 17. 'Horum sententiis,' inquit, 'officit Theopompus, elatione atque altitudine orationis suæ.' Tritum vero est, alias 'elatum' ἠθικῶς dici hominem superbum, animoque inflatum; v. g. ut Nepos in Paus. c. 1. 'elatus victoria;' et c. 2. 'elatius se gerere cœpit.' *Idem.*

Patientia nostra] Denotatur patientia rerum indignarum et servilium, quas perferre, superiorum quorundam imperatorum temporibus, Romani identidem necesse habuerunt. Tacit. Agr. c. 2. 'Dedimus profecto grande patientiæ documentum; et, sicut vetus ætas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute, ademto per inquisitiones loquendi audiendique commercio.' Quem locum nobis ostendit D. D. Heumannus. Recte Memmius apud Sallust. Jug. XXXI. 1. 'Multa,' inquit, 'dehortantur a vobis, Quirites, ni studium reipublicæ superet: opes factionis, vestra patientia, jus nullum,' &c. Ubi recte ait Cortius, 'Patientia dicitur pro animo humili, et ad omnes injurias perferendas demisso.' *Idem.*

Medentium imperio] Sic Plinius Senior Hist. Nat. XXIV. 1. medicinam vocat 'unam artium, quæ imperatoribus quoque imperet.' Præcipiendi et imperandi auctoritatem medicis etiam tribuit Seneca de Benefic. VI. 16. 'Itaque medico, si nihil amplius quam manum tangit, et me inter eos, quos perambulat, ponit, sine ullo affectu facienda vitandaque præcipiens, nihil amplius debeo; quia me non tanquam amicus vidit, sed tanquam imperator.' Ita enim hunc locum a Mureto emendatum lego. Cf. Donat. ad Ter. Andr. III. 2. 4. *Idem.*

Medentium imperio] Imperare medicorum. Senec. de Ira I. 16. 'Si intrassem valetudinarium exercitatus et sciens, non idem imperassem omnibus per diversa ægrotantibus.' Terent. 'Quod jussi dare bibere, et quantum imperavi, date.' Adde Duaren. Annivers. Disput. I. 54. Marcum Lyklama II. 19. VII. 13. Seneca tamen de Benef. VI. 16. 2. 'ægrum dicit imperare medico:' 'Medico,' inquit, 'qui me inter eos, quos perambulat, ponit, nihil amplius debeo, quia me non tanquam amicum videt, sed tanquam imperatorem.' Forte, quia tunc non dignissimæ sortis, et annua mercede obstricti. Adde Alfen. lege 26. de Libertat. Varron. de Re Rom. *Bern.*

Ad conspectum tui] Liber Vossianus habet *ad conspectum tuum.* Ita loquitur Terent. Heaut. III. 1. 25. 'Tuum conspectum fugitat propter peccatum.' Et Hecyr. V. 2. 22. 'Etsi scio, pol, iis fore meum conspectum invisum hodie.' Haud secus ac Cic. contra Rull. II. 3. 'Qui aditum hujus loci, conspectumque vestrum, [non 'vestri,'] magnopere fugerunt.' Nihil tamen muto; cum Plinius etiam alibi utatur genitivo pronominis primitivi, ubi is casus a nullo nomine affectus, vel facultatis, dependet; v. g. Paneg. LXXVI. 1. 'Triduum totum senatus sub exemplo tui sedit.' Cf. LXI. 6. Et Trajanus ad Plin. Epist. X. 19. 'qui ad eosdem mei loco mittereris.' *Schwarz.*

Tui, quasi ad salutem] *Tuum* V. *Livin.*

Ad salutem] *Ad salutem tui,* Rhenan. sed *ad salutem sui.* Faber.

Ad salutem sanitatemque] Rhenanus ediderat *ad salutem tui, &c.* Scaliger, notante Hearne, legit *ad salutem sui.* Sed utraque lectio nihili est. Putes, per Salutem Sanitatemque designari Deas salutares; quarum hæc nomina in mythologia et antiquis monimentis occurrunt; v. g. apud Grut. p. LXVIII. 1. 2.

ASCLEPIO. ET. SALVTI
COMMILITONVM. COH. VI. PR.
VOTO. SVSCEPTO
SEX. TITIVS. MEDIC. COH.
VI. PR.
D. D.

Et apud Reines. Class. I. n. 118.

AESCVLAPIO. ET. SANITATI.
L. CLODIVS. HERMIPPVS. &c.

Imo Plinius ea potuit respicere, quæ vel tentata a Satana, vel ab hostibus nominis Christiani ficta, de Fl. Vespasiano tradidere Sueton. c. 7. Tacit. Hist. IV. 81. et e Dione Xiphil. pag. 748. Solius Suetonii verba huc afferre libet: 'E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem [Vespasianum] pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam a Serapide per quietem; restituturum oculos, si inspuisset; confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cum vix fides esset, rem ullo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet; extremo, hortantibus amicis, palam pro concione utrumque tentavit; nec eventus defuit.' *Schwarz.*

Se satis vixisse] Hæc vox eorum aliquando esse solet, qui, veluti complementum ac cumulum felicitatis suæ nacti, optant mox felices migrare e vita, ne ista felicitas forte interturbetur, aut destituat. Etenim, quod recte ait Val. Max. II. 6. 7. 'Et prospera et adversa fortuna finiendi spiritus rationem præbet: illa, ne perseveret; hæc, ne destituat.' Hujus rei memorabile exemplum idem Valerius ibi n. 8. affert, de femina Cea, quæ cum, viso et præsente Pompeio, consumere se veneno destinasset, 'Ipsa,' inquit, 'hilarem fortunæ vultum semper experta, ne aviditate lucis tristem intueri cogar, reliquias spiritus mei prospero fine permuto.' Sed multo sanctius Divus Simeon, viso susceptoque vero generis humani Servatore, mortem bea-

tam sibi optavit, vel divinavit. Luc. II. 29. *Idem.*

Nunc magis esse vivendum] Aliud votum eorum, qui, post tristem priorum temporum memoriam, lætitia adventus imperatoris optimi recreati, optant, ut diutius vivant, fruanturque ista felicitate. Sic Phædromus apud Plaut. Curc. I. 3. 16. ubi voti sui compos factus erat, 'Hoc etiam est,' inquiebat, 'quamobrem cupiam vivere.' Et apud Terent. Adelph. III. 3. 90. Demea, viso Hegione, homine antiqua virtute ac fide, 'Quam gaudeo,' inquit, 'ubi etiam hujus generis reliquias restare video! Vah, vivere etiam nunc libet!' *Idem.*

Fecunditatis suæ] 'Tollere filios cupiunt, et publicis malis sterilitas indicta recluditur. Bene se meriturum de liberis suis quisque non dubitat, quibus tale seculum ostenderit.' Sen. Clem. I. 15. *Bern.*

Referta tecta] Supremæ ædium partes, vicinæ tectis. An et ipsa tecta proprie capis, quæ plana et constrata sæpe olim, ideoque apta insisti? Claudianus Stiliconis ingressu: 'Nonne vides, et plebe vias, et tecta latere Matribus?' Iterum in Honor. 'quantum licuit consurgere tectis Una replet turbæ facies, undare videres Ima viris, altas effulgere matribus ædes.' Itaque altiora ædium feminis, in his spectaculis, dicata, ut et in theatris. *Lips.*

Laborantia] Sic dicuntur hoc loco tecta, quæ nimio onere pressa vacillant, ac minitantur ruinam, nisi fulciantur. Quod Ovid. de Nuce vs. 14. dicit de ramo arboris, pondere fructuum presso, qui impar est oneri ferendo: 'Pomaque læsissent matrem, [arborem] ni subdita ramo, Longa laboranti furca tulisset opem.' Ita et ea omnia dicuntur 'laborare,' quæ periculo versantur, ne opprimantur. Sallust. Catil. c. 60. dicit, 'succurrere laborantibus,' nempe militibus, qui in prælio ab hoste premuntur, periculumque subeunt, ne oppressi pereant. *Schwarz.*

Suspensum vestigium] Loquitur Plinius de ejusmodi loco, ubi vix tantillum spatii superest, ut quis ei totis pedum plantis insistere possit; sed duntaxat vel uno pede, vel certe digitis primoribus, inniti necesse habeat. Alias, 'gradus suspensus' etiam dicitur gradus tam lenis et mollis, ut euntes, pedibus quasi sublatis, non facile sentiantur. Terent. Phorm. v. 6. 28. 'Ad fores suspenso gradu placide ire perrexi.' Phædr. II. 4. de fele: 'Inde evagata noctu, suspenso pede.' Ovid. Fast. I. 425. 'Surgit amans, animamque tenens, vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu.' *Idem.*

Suspensum et instabile] Ut in suggrundiis, aut projecturis parietum. *Lips.*

Tam æqualis] Plurimi, et in his potissimum antiquiores, libri typis excusi, habent *Tam æqualiter.* Verum omnes, quibus usi sumus, codices Mss. et in impressis, Cuspinianus, Gryphius, Plantinus, Berneggerus, Jac. De la Baune, et pauci alii, produnt *Tam æqualis.* Quam scripturam etiam Anton. Sconhovius annotavit. Fateor, me, quasi æqualibus calculis, diu suspensas habuisse rationes, utram lectionem admitterem; cum utraque locum habere posse videatur. Etenim et adverbium 'æqualiter,' i. e. pariter, et sine discrimine, non solum Plinius noster alibi etiam usurpavit; v. g. Paneg. XC. 4. Epist. II. 9. 5. Epist. VIII. 2. 2. sed et optimi quique probatæ Latinitatis auctores idem adverbium adhibuere. Satis est, nunc excitare Ciceronem, qui pro Milone, c. 28. 'Clodius æqualiter,' inquit, 'in rempublicam, in privatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in suos, irruebat.' Et in Lælio, c. 16. 'Ut nostra in amicos benevolentia illorum erga nos benevolentiæ

pariter æqualiterque respondeat.' Addo Ovid. Fast. v. 109. 'Gratia Pieridum nobis æqualiter adsit!' Tandem tamen mirus tot codicum Mss. consensus, ac non nulla ratio, mihi persuasit, ut illam alteram lectionem amplecterer. Sicuti enim proxime præcedit, 'ubique par gaudium, par clamor;' ita satis apte sequitur, *æqualis lætitia.* Vocabula enim *par*, et *æqualis*, hoc loco sunt *συνώνυμα*, prout hæc aliquoties conjungit Cic. v. g. de Orat. I. 18. 'Easque ipsas virtutes esse inter se æquales et pares.' Et in Orat. cap. 36. 'Erit rebus ipsis par et æqualis oratio.' Alioquin constat, 'æqualem' dici ejusdem ætatis et temporis; ut Cic. in Cat. c. 4. dixit, 'Ego Q. Maximum adolescens ita dilexi senem, ut æqualem.' Haud raro tamen, non solum ætate, sed et animo, ut moribus, et dignitate, aliisque rebus persimiles, dicuntur 'æquales.' Sic Pamphilus Terent. Andr. II. 6. 22. 'Quem,' inquit, 'ad cœnam vocabo meorum æqualium?' Atque ista conjungit Ovid. Met. I. 750. 'Fuit huic animis æqualis et annis.' Item Vell. I. 16. 'Æquales ejus ætatis magis, quam operis.' *Schwarz.*

Quam omnibus venisti] Vox *æqualis* ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetenda est, *quam æqualis venisti omnibus:* dum scilicet adventus tuus sine discrimine patuit omnium ordinum hominibus; aut dum summis pariter, et mediis, et infimis, æqualis, et æque bonus, venisti. Imo dicitur *æqualis omnibus*, quasi 'civis æqualis,' quem Vell. II. 124. opponit principi eminenti: 'Ut potius,' inquit, 'æqualem civem, quam eminentem liceret agere principem.' Et hac potissimum notione Trajanus Imp. adhuc *æqualis omnibus* haberi voluisse videtur: cum Plinius paullo post XXIV. 5. dicat, ante eum principes, quodam æqualitatis metu, etiam usum pedum amisisse. Sed et vox *omnibus* referri potest ad verbum *venisti;* scilicet, *venisti omnibus*, i. e. bono et commodo omnium; quamquam tunc forte adverbium *æqualiter* commodiorem locum haberet. Istam vero vim sæpe habet casus dandi; etiam apud ipsum Plinium nostrum; v. g. Paneg. XXVI. 3. 'Crescerent de tuo, qui crescerent tibi.' Sic loquitur etiam Plaut. Merc. Prolog. vs. 71. 'Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis.' Cic. de Finib. II. 14. 'Non sibi se soli natum meminerit homo; sed patriæ, sed suis.' Ac Sallust. Jug. c. 8. 'Ultro illi, et gloriam, et regnum venturum.' Similiter et Græce ita loquitur Divus Matthæus XXI. 5. Ἰδοὺ, ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι· *Ecce rex tuus venit tibi*, i. e. tuo bono et commodo! Ceterum, quandam horum verborum varietatem in libro Vossiano deprehendi, quam vero nihil pensi habeo. Legitur enim ibi, *Jam æqualis ab omnibus ex adventu tuo lætitia percepta est; quia omnibus venisti.* Idem.

Omnibus venisti] Nempe, æqualiter venisti, cuique ordini bonus, et benignus. *Lips.*

In singulos gradus] Capio de gradibus, qui in quaque urbis regione ad usum publicum erecti, panibus in plebem dividundis. Prudent. contra Symm. I. 'Quæ regio gradibus vacuis jejunia dira sustinet?' Rursum, 'Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.' *Livin.*

In singulos gradus] Tuos, nec aliter acceperis. Te procedente, magis magisque ipse placuisti, et spectantium lætitia auxit. Nam semper aliqui radii virtutis aut comitatis sparsi. *Lips.*

In singulos gradus] Tacitus de Neronis ingressu, 'Per singulos conjugum liberorumque cœtus, per sexum et ætatem dispositos lætitia auxit.' *Bern.*

In singulos gradus] Gradus ipsos imperatoris ambulantis intelligo; quod et Lipsio visum est: nec assen-

tiri possum Livineio, cujus verba, ‘Capio de gradibus, qui in quaque urbis regione ad usum publicum erecti, panibus in plebem dividundis.’ *Patarol.*

CAP. XXIII. *Osculo*] Amoris signo: contra ab illis humani generis hostibus præstitum, Caio, Nerone, Domitiano, ut videre est apud Sueton. *Idem.*

Osculo exciperes] Moris quidem inter amicos et paris sortis homines fuit, ut inter occurrendum osculo se salutarent, ita quidem, ut inprimis digressuri invicem osculo, quasi vale dicerent, et peregre reversi osculis exciperentur. Vide Martial. XI. 98. et Horat. I. Od. 36. et Ovid. Epist. XVIII. 100. Unde etiam Trajanus, cum legatus proficisceretur in Germaniam, tanquam senator, a reliquis senatoribus, veluti par a paribus, osculo dimissus est. At non nisi ad exempla singularis humanitatis pertinebat, si principes etiam, et potentiores, osculi honore dignarentur inferiores: quemadmodum hoc loco Plinius Trajano magnæ ducit laudi, quod, quamvis interea absens ad summum imperatoriæ majestatis fastigium fuisset evectus, reversus tamen haud secus, ac adhuc senator, senatum salutantem exceperit osculo. Certe, Augustus Agricolam, rebus præclare gestis reducem, non nisi ‘brevi osculo’ excepisse dicitur Tacito, Agric. c. 40. Nero, teste Tranquillo, c. 37. ‘neque adveniens, neque proficiscens, quemquam osculo impertivit.’ Cujusmodi exempla plura jam collegit Lipsius ad h. l. Istam vero dedignationem osculandi, fortasse in gratiam Tiberii, exemplo regum Numidiæ, excusavit et laudavit Val. Max. II. 6. 17. ‘Ne Numidiæ quidem reges,’ inquit, ‘vituperandi, qui, more gentis suæ, nulli mortalium osculum ferebant. Quicquid enim in excelso fastigio positum est, humili et trita consuetudine, quo sit venerabilius, vacuum esse convenit.’ *Schwarz.*

Senatum osculo] Pacatus de Theodosio, ‘Ille cohonestatus affatu, ille mensa beatus, ille osculo consecratus est.’ Et digniores igitur osculo solent excipere: etsi pravi aut superbi principes fastidierunt. De Caligula Dio: ‘Paucissimos osculatus est, plerisque autem, etiam senatorum, vel manum vel pedem præbuit osculandum.’ De Nerone Tranquillus, ‘Neque adveniens, neque proficiscens, quemquam osculo impertivit.’ Quid Domitianus? ille, necdum princeps, ‘Cænidi patris concubinæ, osculum, ut solet, offerenti, manum præbuit.’ Cogita, quid in principatu. Nempe his talibus illud, apud Arrian. lib. IV. rerum Alexandri, insederat: Τοὺς μὲν ἀνθρώπους φιλεῖσθαι πρὸς τῶν ἀσπαζομένων· τὸ θεῖον δὲ ἄνω που ἱδρύμενον, καὶ οὐδὲ ψαῦσαι αὐτοῦ θέμις, ἐπὶ τῷδε ἄρα τῇ προσκυνήσει γεραίρεται. *Hominibus osculum a salutantibus dari; at numina in alto posita, quia contingere non licet, adoratione coli.* Et isti profecto inter numina se censebant. De toto ritu pluscula ego Elect. XXI. suo capite. *Lips.*

Osculo exciperes] Fuit et consuetudo principum, quos amarent, eorum non ora tantum, sed pectus quoque et manus osculari. Theodoritus lib. V. de Theodosio, Meletium Episcopum excipiente, περιεπτύσσετο καὶ κατεφίλει καὶ ὀφθαλμοὺς, καὶ χείλη, καὶ στέρνα, καὶ κεφαλὴν, καὶ τὴν στεφανώσασαν δεξίαν. Item Persæ occurrentes sibi, se mutuo, loco salutationis, osculati sunt. Herodot. lib. I. Xenoph. Cyrop. lib. I. Hebræis idem charitatis symbolum in usu fuit, Gen. XXXIII. 4. et passim Christianis ista salutatio in osculo sancto inter præcepta charitatis, 1 Cor. XVI. 20. 1 Thess. V. 25. 1 Petr. V. 14. qua tamen abstinebant jejunantes. Tertull. de Orat. Soli nos Germani hac parte rusticuli, et hanc unam humanitatis partem nondum didicimus a Gallis, a quibus et vestes, et linguam, et morum cul-

turam hodie petimus. Quanquam Gallicæ basiationes promiscuæ sua habent incommoda. Vide Michaël. Montagne in Gustib. III. 5. *Bern.*

Dimissus osculo] Adhuc illis par, et pro communi more. *Lips.*

Equestris ordinis decora] Nota, non vero totum ordinem, (multa in eo millia) sed decora et apices. Et satis mirum de Nerone scribi a Tranquillo, 'Omnes ordines subinde, ac memoriter salutavit.' Tresne omnes ordines? populum, equitem, senatum? infinitum sit, et nulla memoria fecerit. Sine cavillo igitur aut calumnia acceperis 'omnes,' quasi esset, singulos ordines, cum res ferret, salutavit; aut, ut expressius dicam, omnes quidem ordines, sed non qui in ordinibus. Mens est, nec plebem quidem in salutationibus omissam. Sed vel sic magna et rara memoria, quæ in Augusto etiam laudabilis, quod 'patres in curia salutaverit, sedentes, et quidem nominatim singulos, nullo submonente.' Ita Suetonius de illo: sed 'patres' tantum, qui ad 'sexcentos tunc,' aut circa. Lusi igitur aliquando in priore loco, et tentavi, *Omnes s. ordine subinde,* quod esset, omnes senatores et ordine uti sedebant, Augusti exemplo. Sed ut dixi, lusi: ipsius Trajani nonne insigne exemplum, 'qui omnes prope milites nomine appellabat?' ita supra noster. *Lips.*

Equestris ordinis decora] Hic ineptiisse videtur Catanæus, alioqui de Plinio satis bene meritus, dum putavit, equites Romanos ideo dici *decora*, quod auri fulgore illustrari consueverint. De isto auri fulgore in equitibus Rom. nihil tradit antiquitas, nisi forte huc referas eorum annulos aureos. *Decora* autem sunt lumina et ornamenta præcipua, sive primores, ordinis equestris. Sic Cic. Philipp. II. 22. Pompeium nominavit 'decus ac lumen imperii populi Romani;' et Tacit. Annal. III. 75. viros togæ artibus illustres, Asinium Saloninum, et Capitonem Ateium, vocat 'duo pacis decora,' quæ illa ætas simul tulerit. Mox Plinius noster eosdem primores vocat 'florem equestris ordinis.' Inde vero bene notat Lipsius, Trajanum non omnes et singulos totius ordinis equestris, in quo multa fuerint millia; sed decora saltem et apices, nominatim appellasse. *Schwarz.*

Sine monitore] Erant Romæ, qui obviorum nomina suggerebant, candidatis præcipue, dicebanturque 'nomenclatores.' Maximum autem humanitatis signum in imperatore, qui, nullo suggerente, singulis sua nomina reddidisset. Præstitit hoc etiam Nero, sed primis imperii temporibus. De ipso Sueton. cap. 10. 'Omnes ordines, subinde, ac memoriter, salutavit.' *Patarol.*

Sine monitore signares] Ita scilicet etiam Augustus, referente Sueton. cap. 53. 'Die senatus numquam patres, nisi in curia, salutavit, et quidem sedentes, ac nominatim singulos, nullo submonente; et discedens eo modo sedentibus singulis valere dicebat.' Nempe Augustus, quod notat Pitiscus ad h. l. patres, quorum præteriit subsellia, ingrediens in curiam sic nominatim salutavit: 'Ave,' vel 'salve, Pollio!' 'Ave, Messala!' egrediens vero: 'Vale, Pollio!' 'Vale, Messala!' &c. Inprimis enim ad conciliandam benevolentiam valebat, si major et potentior inferiorem nomine proprio compellaret. Id quod Donatus ad Terentii Adelph. v. 6. 3. testatur. Unde et Q. Cic. de Petit. Consul. cap. 7. id vitio vertit Antonio, quod nescierit homines adjungere et invitare ad amicitiam, 'quos per se suo nomine appellare non potuerit; cum stultum sit, existimare, eum studiosum fore tui, quem non noris.' Contra vero minus decorum habebatur, imperatorem, aliosque summis honoribus fulgentes, ab infe-

riore propriis saltem nominibus appellari: cum et Caius Caligula iratus fuerit Herennio Macro, quod ipsum salutaverit Caium, memorante Seneca, de Constant. cap. 18. Utebantur vero ut plurimum 'monitoribus' et 'nomenclatoribus,' qui nescientibus suggererent nomina; de quibus plura tradit Pignorius de Servis. Sed ne putes, hujusmodi servos, nomenclatores dictos, quorum usus maxime fuit in via, in foro, et campo Martio, etiam in curiam admissos fuisse. Ibi Cæsar etiam ab aliquo senatore, si voluit, submoneri potuit, quæ nomina essent aliorum senatorum. Denique, quod ad verbum 'signare' attinet, id idem hoc loco valet, quod insignire, clarum et celebrem facere, decorare; prout idem Plin. Epist. IX. 19. dixit, 'Duobus versiculis signare, quod egregie feceris.' Similiter Columellæ I. 3. Virgilius dicitur vetus quoddam præceptum et adagium 'numeris signasse,' i. e. in versus redactum notabilius celebriusque reddidisse. Itaque et 'honore signare aliquem' est, honore aliquem condecorare et illustrare. Sic Plin. non solum hoc loco, sed etiam Epist. V. 1. loquitur: 'Curianus factum meum antiquum nobili honore signavit;' prout hunc locum bene emendavit Cortius, subnotato Ovidii lib. V. 474. Fastorum: 'Ut celebrem festo signet honore diem.' Ceterum, hunc Plinii locum luculenter illustrat Gisb. Cuper. Obs. IV. 8. *Schwarz.*

Sine monitore] Nomenclatore, qui inter necessaria officia claris olim viris apparebat. *Lips.*

Gratum] Salutatio cum quibusdam familiaritatis notis opponitur 'levi illi rigoris suspicioni,' Sueton. Aug. c. 66. et 'vultu minus familiari,' Cæs. c. 78. et 'limo adspectui,' Terent. Græco ὑποβλεψία. *Bern.*

Tantum non ultro] *Tantum tum non ultro.* Lege *tantum non ultro.* Rittersh.

Tantum non] Has duas voculas prorsus præteriit librarius codicis Parisiensis. Vitiosius adhuc sola particula *non* omissa est in aliis codicibus Mss. item et in libris excusis Puteolani, Beroaldi, Aldi, Cuspiniani, Juntæ, Philomusi, Rhenani, Rob. Stephani, Gryphii, Sichardi. Catanæus exhibuit *tantum num.* Livineus, *tantum tum-ultro.* Henr. Stephanus et Gruterus, inter primos veriorem lectionem protulere, quam deinceps alii certatim amplexi sunt. Formula autem ista *tantum non* Pliniano ævo perquam usitata, idem valet ac 'propemodum,' 'ferme,' 'pæne.' Græce, μόνον οὐ, μονονουχί. Sic loquitur Quinctil. Declam. III. 7. 'Tantum non ardorem luminum ante oculos dicendo posuerunt.' Idem Declam. VI. 7. 'Prospero cursu cadaver tantum non ad ipsa majorum sepulcra depositum est.' Idem Declam. CCXLVII. 'Hoc tantum non satis erat, judices, si dicerem: non negavit.' Supersedeo similia exempla ex Valerio Maximo, Seneca, Suetonio, et aliis, repetere. Pro hac formula auctores etiam aliquando dixere, 'modo nôn;' v. g. Terent. Phorm. I. 2. 18. 'Is senem pellexit, modo non montes auri pollicitus.' *Schwarz.*

Familiaritatis notas] Omnino varia esse possunt familiaritatis et benevolentiæ signa, quæ aliquando etiam fronte, ac vultu, et nutu declarantur. Unde Jul. Cæsar, apud Sueton. cap. 78. dicitur 'admonentem Trebatium minus familiari vultu respexisse.' Huc quoque pertinet come alloquium, et apprehensio manus, et alia ejus generis signa. Sic apud Terent. Adelph. V. 5. 2. cum Demea Syro blandiri vellet, familiarius eum ita salutavit: 'O Syre noster, salve quid fit? quid agitur?' Exprimit talia etiam Ovid. Art. Am. II. 253. 'Nomine quemque suo, nulla est jactura, saluta: Junge tuis humiles, ambitiose, manus.' Plaut. Amph. II.

2. 83. conjungit quasdam ejusmodi notas: 'Equidem te certo heri advenientem illico, Et salutavi, et valuissesne usque? exquisivi simul, Mi vir, et manum prehendi, et osculum detuli tibi.' *Idem.*

Gratius tamen, quod sensim] Similes affectus aperit Panegyristes Constantini: 'Felices, qui te propius aspicerent, longius positi nominabant, quos præterieras, loci, quem occupaverant, pœnitebat.' Et statim, 'Ausi etiam quidam, ut resisteres, poscere et queri tam cito accessisse palatium:' et plura. *Lips.*

Respectantium turba] Qui te antecedebant, per officii speciem; sed et ii cupidi videndi, identidem respectabant, et, ut solet, gradum suum tuumque una tardabant. *Idem.*

Et quantum respectantium] Tres codices Vaticani et Guelpherbytanus habent *et quo cum te spectantium.* Illud *quo tum,* et in altero libro Gudiano *quorum,* pro *quantum,* ex inertia librariorum natum est. At *te spectantium* majorem speciem præ se fert; quod etiam notatur in altero libro Gudiano. Verum neutiquam solicito vulgatam scripturam, quæ et ceterorum codicum suffragio firmatur, et commodam efficit sententiam. 'Respectare' proprie ii dicuntur, qui crebro respiciunt, sive se oculosque retro flectunt; vel ex metu, ne a superveniente opprimantur aut vincantur; vel ex cupiditate se oculosque suos pascendi, et quasi satiandi, adspectu rei personæque gratæ. Prioris notionis exemplum capies ex Plauto Menæchm. I. 2. 51. 'Ne te uxor sequatur, respectas identidem.' Ubi bene Taubmannus: 'Sicut aurigator,' inquit, 'in ludis Circensibus identidem respicit eos, qui pone sequuntur; sic Menæchmus crebro oculos retorquet, timens, ne ab uxore conspiciatur.' Similiter loquitur Terent. Adelph. II. 1. 3. 'Quid respectas? Nihil periculi est.' Adde Latinum Pacat. Paneg. cap. 28. 'Ibat interim Maximus, ac te post terga respectans, in modum amentis, attonitus avolabat.' Alterius notionis, quæ ad hunc locum illustrandum facit, exemplum arcesso ex Vell. II. 107. ubi unus e Germanis, ætate senior, corpore excellens, qui cupierat videre Tiberium Cæsarem, impetrata venia, dicitur diu tacitus contemplatus esse Cæsarem, et reversus in naviculam, qua accesserat, 'sine fine respectasse Cæsarem,' quasi non satiari potuerit adspectu Tiberii. *Schwarz.*

Occursantium populus] Codices Vaticani, item et Guelpherbytanus, et alter liber Gudianus habent *accursantium.* Quod verbum 'accursare' non importunum videatur. Qui enim 'occursant,' ii velut ex adverso duntaxat frequentes obviam veniunt; qui vero 'accursant,' hi undique, et ex omnibus partibus, advolare dici possunt. Verum, id verbum 'accursare,' a nonnullis quidem glossatoribus medii ævi annotatum invenitur; at apud probatæ Latinitatis auctores non facile occurrit: nisi suspiceris, uti verba, 'accurrere' et 'occurrere,' ita et frequentativa, 'accursare' et 'occursare,' a librariis identidem inter se fuisse commutata. Retinemus interim participium *occursantium,* quod omnino pluribus libris proditur, et cujus verbum usitatius, nec minus accommodatum est ad studia populi exprimenda. Hinc enim et nomen 'occursatio' notat studium occupandi alios humanitate et officio. Sic Cic. pro Mil. c. 35. 'Vestras,' inquit, 'et vestrorum ordinum occursationes, studia, sermones, quemcunque cursum fortuna dederit, secum ablaturum esse, dicit.' Nomen autem *populus* hoc loco pro multitudine dicitur; uti paullo ante dicebatur 'respectantium turba.' Ita Seneca de Benefic. VI. 33. dixit, 'populum amicorum;' et Flor. I. 1. 'populum viro-

rum.' *Idem.*

Te immo] Codex Salisburgensis et liber Vossianus habent *te uno*. Codices Vaticani, Guelpherb. et alter liber Gudii habent *te in uno*. Sed hæc non sunt, nisi menda librariorum; unde quidam inani conatu effingere voluerunt *te in imo*, aut *te in infimo;* quasi 'in plano.' Corruptelæ occasio facile patet. Cum enim alii *immo*, alii *imo* scripserint, neque olim punctum imposuerint literæ *i*: hinc quidam ex *immo* procuderunt *in uno;* ex *imo* autem *uno*. Parisiensis codex, et meus, itemque omnes, quos vidi, libri excusi, aperte recteque produnt *te imo*, vel *te immo*. Idem.

Te immo maxime] Probe *immo*, nec moverim. Sed amicus noster, vir doctus, *in imo* probabat, id est, in plano, ut infra Plinius, 'devexus in planum.' Quod ἐνὶ λόγῳ non est de mente et sententia loci. *Livin.*

Adstaret] Adsisteret in propinquo. Nam describit cupide et improbe occursantes; qui propinqui gradum tunc firmabant, et utrimque principi imminebant. *Lips.*

Adstaret] Mirum est, quomodo populus, videndi cupidissimus, 'adstare' potuerit; cum potius simul progressurus videatur, eo incedente et progrediente, cujus adspectu non poterat satiari. Sed et insolens loquendi ratio est, 'te adstaret,' pro 'tibi adstaret.' Parum itaque abfuit, quin pro verbo *astaret*, hoc in loco reponendum curarim *artaret* vel *arctaret*. Unde hæc Plinii sententia existeret: Gratius fuit, . . . quod frequentissima occursantium turba, ex nimia spectandi tui honorandique cupiditate, non solum se invicem, sed et te incedentem, immo te maxime *arctaret*, sive ad arctum angustumque tramitem redigeret. Sic certe usitata verborum structura ex omni parte sibi constat. Sic etiam populi Romani ingens illud excipiendi et spectandi imperatoris studium multo vividius significantiusque exprimitur. Præterea vero nec nimiæ audaciæ argui queat hæc emendatio; dum verbum *artaret*, (ita enim antiquitus sæpius scriptum est, quam *arctaret*,) unica tantum literula differat a verbo *astaret*. Certe Longobardis inprimis hæ literæ, *r* et *s*, ipso fatente Scioppio, simillimæ fuere, ut eas non temere in Mss. internoscas. Quin et ille ipse, qui mihi ex codice Vaticano 3461. descripsit exemplar hujus Panegyrici, literam secundam in verbo *astaret* ita pinxit, forte ductum veteris librarii secutus, ut potius legam *artaret*. Utcunque est, nondum tamen audeo, abdicentibus ceteris libris omnibus, hanc emendationem ipsi inferre Panegyrico. Si cui vacat paullo plura hanc in rem legere, evolvat licet Excurs. XXVIII. Ceterum, in proximis Plinii verbis, *quod primo statim die*, codex Vatic. 1475. pro *statim*, habet *quoque;* quæ vero inutilis est varietas. *Schwarz.*

Satellitum manu] Satellites erant certi milites, ad custodiam corporis et palatii principis electi. In Glossariis antiquis vocantur φύλακες σώματος βασιλικοῦ, et a ferendis hastis δορυφόροι. His primus Romæ usus esse dicitur Tarquinius Superbus, teste Dionysio Halicarn. lib. IV. pag. 182. utpote qui Tarquinius, principatu in manifestam tyrannidem verso, satellitio se stipavit audacissimorum hominum, gladios et lanceas gestantium, qui noctu excubarunt circa regiam, et interdiu prodeuntem, quocunque iret, comitati sunt. Hinc Hesychio δορυφόρος dicitur φύλαξ τυράννων. Et Quintil. Instit. Orat. VII. 2. satellites, tyrannidis signum ac præsidium habitos esse, innuit: 'Pro reo,' inquit, 'tyrannidis affectatæ, objicis, Ubi sunt arma? Quos contraxit satellites?' Ad custodiam tamen corporis sui palatiique postea imperatores adhibuere 'prætorianos milites,' et præterea aliquando Ger-

manos, proceros homines, et alios ex omni numero selectos. Vide Herodian. v. 4. Trajanus vero, qui foris domique civilis haberi volebat, ingressus Romam, istiusmodi satellitio stipari noluit. *Idem.*

Frequentiæ genus] I. e. prout major frequentia et multitudo modo senatorum, modo equitum Romanorum, se invicem prævertisset, latusque tuum stipasset. Cic. ad Attic. IV. 1. 'Similis et frequentia, et plausus, me usque ad capitolium celebravit; in foroque, et in ipso capitolio, miranda multitudo fuit.' *Idem.*

Silentes quietosque] Duo lictorum officia; clamore et virga monebant, aut submovebant. De illo, infra etiam LXI. 7. 'Solennis ille lictorum et prænuncius clamor.' Quid prænunciant? Consulem aut magistratum venire, solenni verbo, 'animadvertite.' De virga, qua pellebant, aut pulsabant, Panegyricus Theodosio: 'Tum longe populus abigebatur, nec otiosa viatoris manus plebem verbere abigebat.' Plura in Elect. I. 23. de lictorib. p. 427. *Lips.*

Quietosque] Cic. ad Q. Fr. Ep. I. 'apud Cn. Octavium primus lictor quievit, tacuit accensus.' *Bern.*

Silentes quietosque lictores tuos] Lictores apud Romanos erant ordinarii magistratuum majorum ministri, qui liberi cives, non servi fuerunt. Festus: 'Lictores,' inquit, 'dicuntur, quod fasces virgarum ligatos ferunt.' Jam Romulus, teste Liv. I. 8. 'tum cetero habitu se augustiorem, tum maxime lictoribus duodecim sumtis, fecit.' Deinceps vero etiam consulibus lictores apparuerunt. Liv. II. 55. Horum præcipuum munus erat, ut singuli, alius post alium, magistratum per viam prægrederentur, et admonerent obvios honoris magistratibus debiti, obstantesque submoverent. Quod submovendi officium etiam indicat Liv. VIII. 33. XLV. 7. et 29. Id quod ordinarie fiebat inclamando obvios, ut animadverterent; aliquando et pulsando. Inde infra, LXI. 7. Plinio dicitur 'solennis lictorum et prænuntius clamor.' Conf. Sueton. Cæs. LXXX. 4. Quem vero honorem magistratui incedenti exhibere debuerint obvii, indicat Seneca Epist. lib. LXIV. 'Si consulem videro, aut prætorem; omnia, quibus honor haberi solet, faciam: equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam.' Luculenter hæc declarat historia Q. Fabii Maximi consulis apud Liv. lib. XXIV. 44. 'Pater,' [Q. Fabius Maximus,] inquit, 'filio legatus ad Suessulam in castra venit. Quum obviam filius progrederetur, lictoresque, verecundia majestatis ejus, taciti anteirent; præter undecim fasces equo prævectus senex, ut consul animadvertere proximum lictorem jussit, et is, ut descenderet ex equo, inclamavit; tum demum desiliens, 'Experiri,' inquit, 'volui, fili, satin' scires, consulem te esse.'' Cf. Val. Max. II. c. 2. ex. 4. Trajanus vero, qui ceteris civilior haberi voluit, subsecutus est lictores silentes, quos tacitos dixit Livius; quum non inclamarent obvios, ut animadverterent; et quietos, quum neminem pulsarent, aut de semita submoverent. Sic et Plinius noster infra, LXXVI. 8. 'Nemo,' inquit, 'perturbabatur; nemo submovebatur. Tanta viatoribus quies, tantus pudor fascibus.' Sed hæc jam uberius exposuit Lips. Elect. I. 23. et in comment. ad h. l. item Spanhem. de Usu et Præst. Numism. Vet. tom. II. p. 88. seqq. Equidem Trajanus, cum tunc ingrederetur urbem, non erat consul: attamen jam Augusto, inter alia summi imperii insignia, consularis potestas in perpetuum erat data, et a senatu decretum, ut eidem duodecim fasces præferrentur, narrante Dione Cass. lib. LIII. pag. 327. *Schwarz.*

Nam] Utrum pro *Nam* reponendum sit *Jam*, an particula *Nam* hoc

loco non tam notionem caussalem, quam vim continuationis et ordinis habeat, quæ inserviat transitioni, disquiram in Excurs. XXIX. Ceterum, hac occasione non possum non annotare, postquam operæ typographicæ, propter quædam impedimenta, aliosque meos labores, ab hoc libro procudendo ultra sesquiannum cessarint, tunc, quum hæc excuderent, primum mihi contigisse duas conferre eximias hujus Panegyrici editiones, quas interim viri eruditissimi humanissimique, Arntzenius et Gesnerus, felicibus auspiciis evulgarunt. *Idem.*

Nam milites] Ii quoque stipabant principem, et ferociter solent submovere. Non fecit Trajanus; nec Pertinax quidem, de quo Herodianus, Ἐκέλευσε τοὺς στρατιώτας παύσασθαι τῆς πρὸς τοὺς δήμους ὕβρεως, καὶ μήτε παίειν τῶν παριόντων. *Milites jussit abstinere ab omni contumelia in populum, et nec pulsare aliquem adeuntem.* Lips.

Nihil a plebe, habitu] Quiane togati erant? Capitolinus in M. Antonino, cap. 27. pr. 'In Italiam veniens togam et ipse sumsit, et togatos jussit esse milites: nec unquam sagati fuerunt sub eo.' Quod honori Italiæ et urbis datum, in qua ipsa custodia principis togata. Tacitus Hist. I. 38. 'Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet.' *Idem.*

Nihil a plebe] Moris, ut illa cohors, quæ more militiæ excubabat, sine armis, gladiis tantum lanceisque contenta, et togis, non sagis, induta, modestiæ causa, ne Mars palam in urbe habitare videretur. Vide sis Martial. VI. 76. Lips. in not. 48. Tacit. Hist. I. 38. 4. *Bern.*

Nihil a plebe habitu] Codex meus pro *plebe*, vitiose habet *plebis*. Bene autem jam observavit Lipsius ad h. l. et ad Tacit. Hist. I. 38. honori Italiæ et urbis datum fuisse, ut milites, maxime prætoriani, more liberæ plebis, togati Romam introierint. Casaubonus ad Spart. Sever. cap. 6. notavit, istam prætorianorum vestem vocatam esse εἰρηνικὴν, *habitum pacis.* Ipsum etiam imperatorem tunc aliquando sagum mutasse toga, seu trabea, exemplum M. Antonini declarat, de quo Capitolinus in ejus Vita, cap. 27. hæc tradit: 'Revertens ad Italiam navigio, tempestatem gravissimam passus est. Per Brundusium veniens in Italiam, togam et ipse sumpsit, et milites togatos esse jussit; nec unquam (Romæ) sagati fuerunt sub eo milites.' Etiam de Severo imperatore hæc narrat Dio lib. LXXIII. p. 839. cujus verba, ut chartæ parcam, ex Latina duntaxat interpretatione afferam: 'His rebus confectis, Severus Romam venit, cumque insedisset equo usque ad portas Urbis, veste equestri amictus; inde urbana (toga) indutus, pedibus introiit. Comitabatur eum omnis exercitus; pedites equitesque armati sequebantur.' Sed Spartianus in Severo, c. 7. refert, fuisse ingressum ejus odiosum atque terribilem; quia introduxisset milites armatos, vastationemque urbi minantes. Sic et Vitellio imperatori vitio vertebatur, quod, referente Sueton. c. 11. 'urbem, ad classicum, [quod buccinatores per cornu canebant,] introiit paludatus, [veste militari indutus,] ferroque succinctus, inter signa atque vexilla, sagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis.' Putes, istum togæ usum Romam ingredientium jam in republica libera viguisse; cum Cic. in Pis. cap. 23. narret, Pisoni ex provincia reverso, at nullo comitatus honore condecorato, solos lictores, togulis indutos, quasi catervam præbuisse: 'Togulæ,' inquit, 'lictoribus ad portam præsto fuerunt; quibus illi acceptis sagula rejecerunt, et catervam imperatori suo novam præbuerunt.' Quod vero Plinius dicit, milites Trajani etiam tranquillitate et modestia nihil a plebe distulisse; id eo valet, ut sig-

nificetur, istos quoque neminem submovisse, aut pulsasse, ferociterque læsisse; prout, Herodiano teste, II. 14. Pertinax quoque imperator militibus edixerat, ne cui ex populo contumeliam facerent, neve quemquam progressorum pulsarent, cuncta denique referrent ad modestiam. *Schwarz.*

Capitolium ascendere] Prisca pietate et ritu, Diis in abitu vota nuncupare, in reditu solvere. *Lips.*

Eodem loco salutaverant] Gryphius et Sichardus habent *eodemque loco.* Sed nulli alii libri, sive scripti sive impressi, istam copulandi particulam agnoscunt; quam nec sententia necessario requirit. Verbum autem sequens varie flexum observatur. *Salutaverint* minus probe scriptum est in Veneto meoque codicibus, et in editione Sichardi. *Salutaverunt* plures omnino habent; sed *salutaverant* optime codex Salisburgensis, Livineius, Lipsius, Gruterus, Parisienses, aliique recentiores. Hujus autem salutationis jam supra, v. 4. facta est mentio: 'Omnis turba, quæ limen insederat, ad ingressum tuum foribus reclusis, illa quidem, ut tunc arbitrabatur, Deum; ceterum, ut docuit eventus, te consalutavit Imperatorem.' Cf. XCIV. 4. *Schwarz.*

Deum ipsum tuum] Loco pronominis *tuum*, adverbium *tum*, ex conjectura in margine notaverat Livineius; idem approbavit Rittershusius; et in contextum Panegyrici recepere Lipsius, Berneggerus, Ceva, et Gesnerus. At, alio nomine adscito, Beroaldus et Junta ediderunt *Deum ipsum, patrem tuum;* satis bene, si satis certo veterum librorum auctoritate nisi viderentur. Contra vero omnes codices, et, præter nominatos, omnes libri impressi, habent *Deum ipsum tuum.* Sed et rursus in diversas partes secedunt commentatores, incerti quis designetur Deus. Quidam intelligunt Jovem Capitolinum; quia, interpretibus Catanæo et Jac. Baunio, Jovis opus fuerit adoptio Trajani, quæ ad aram Jovis facta. Alii jam cum Beroaldo et Junta Nervam statuunt indicari; utpote quem Plinius propterea dixerit *Deum*, quod Trajanus Nervam vita defunctum fecerit Deum; unde Plinius Trajano dixerit, *Deum tuum;* haud secus ac infra, XCIII. 1. et 3. vocantur 'consules tui,' i. e. consules a te facti; prout hæc bene exposuit Arntzenius; qui vero forte prætermisit annotare, jam quoque margini libri Vossiani adscriptum esse *Deum tuum*, i. e. Nervam, utpote quem Deum fecit Trajanus.' *Idem.*

Deum ipsum tuum] Legitur et alias *ipsum tunc*, sed præter libros. Vocat autem *Deum* suum, Jovem Capitolinum. *Grut.*

Operis sui] Supra, VIII. 2. 'Sibi Dii gloriam illam vindicarunt: horum opus fuit, horum illud imperium.' *Patarol.*

Iisdem vestigiis] Non est, quod hic cum Lipsio quæramus de suggestu quodam, in quo constiterit Nerva, cum adoptavit Trajanum; et deinde Trajanus, cum, imperium adeptus, reversusque in urbem, vota solvit Diis. Vestigii propria significatio est pedis, vel corporis impressio, id est, signum et forma pedis, vel corporis, quæ relinquitur in loco, ubi gradimur, aut assidemus, aut accumbimus. Deinde pro exemplo, signo, indicio, item pro monimento, et reliquiis, translate accipitur. Hic, prout recte annotavit Gesnerus, et ante eum Catanæus, generatim ponitur pro loco, ubi quis fuit, etiamsi non appareant ejus vestigia proprie dicta. Quo sensu idem Plin. Epist. VI. 7. dixit, 'Sæpe etiam in vestigio meo libellos meos colloces.' Huc fortasse et illud Cic. de Orat. III. 2. referri potest: 'Post ejus interitum veniebamus in curiam, ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur.' *Schwarz.*

Iisdem vestigiis] In suggestu, aut editiore loco, ut ex Cedreno dixi in adoptione a Nerva factum. Sed cur ille, hoc clarum: cur nunc Trajanus? neque enim ibi concio. Puto alterutrum: sive ut Jovem eminentior, et conspicuus omnibus, salutaret; sive ut populum ipsum. Nam et hunc venerari in publico principes solent. *Lips.*

Deorum prolaturus arcanum] Te imperatore dicendo, cujus ei consilii Dii auctores. Mox *similis illi dies, &c. illi, quo adoptio peracta, hunc gen. diem*, quo imperium coram suscepisti. Sed et clarius, meo judicio, dixisset, *sim. illi diei, qui hunc gen. dies*, eodem intellectu. *Livin.*

Prolaturus arcanum] Observamus hic quandam varietatem. Sichardus edidit *ploraturus*, quam vocem etiam Henr. Stephanus notavit in margine. Sed ea huc non quadrat, etiamsi dixeris, verbum 'plorare' primum idem valuisse quod 'clamare.' Aliam, sed non satis commodam interpretationem admitteret *imploraturus*; quod participium ostendunt codices Vaticani, item et Guelpherbytanus; si quis inde putet, 'implorare arcanum Deorum,' ἓν διὰ δυοῖν dici, quasi 'implorare arcanos Deos;' sicut 'arcanas Deas' dixit Ovid. Amor. I. 7. 10. et Virgil. Æn. I. 262. 'Fastorum arcana movebo.' Deducebar inde ad conjecturam, an forte locum habere debeat *exploraturus*. Explorasse enim arcanum Deorum non intempestive ille dici posset, qui scrutatus est per oracula arcanos Deorum sensus. Sed firmo stat talo vulgata lectio, *prolaturus arcanum*, h. e. publicaturus arcanum Deorum decretum; quia scilicet Dii in consilio fuisse censebantur Nervæ, eligenti Trajanum successorem; et quia Trajanus dicebatur 'ab Jove ipso coram ac palam repertus, electus quippe inter aras et altaria,' supra I. 5. Proferebat ergo Nerva istam arcanam Deorum voluntatem, dum publice denuntiaret populo, declararetque Trajani adoptionem. Atque adeo istam vulgatam lectionem confirmant veteres codices, Parisiensis, Venetus, Salisburgensis, ceterique libri excusi. *Schwarz.*

Recens clamor] Nescio, cur vocabulum *recens* non statim se approbarit Lipsio, et, quem excitat Arntzenius, Nicol. Heinsio, qui præoptarunt substituere *repens*; dum forte respexerunt poëtas; v. g. Sil. Ital. III. 220. 'Repensque,' i. e. subitus, 'castra quatit clamor;' item Claudian. de B. G. vs. 460. 'Gavisa repens per mœnia clamor tollitur.' Alia hujusmodi exempla collegit Kirchmaierus ad h. l. Solere etiam librarios sæpe in eo peccare, ut has voces, *recens* et *repens*, confundant, observavit Drackenb. ad Sil. XV. 604. Sed in nullo prorsus hujus Panegyrici exemplari quandam varietatem hic animadvertere licet. *Recens clamor* dicitur præfervidus, alacris, qui nondum deferbuit, et repetitur, tantusque est, quantus ab initio. Sic Livio XXI. 52. usurpatur: 'Consul alter,' inquit, 'equestri prælio uno, et vulnere suo minutus, trahi rem malebat: recentia animi alter, eoque ferocior, nullam dilationem patiebatur.' Sic et ipse Plin. Epist. IV. 9. 'Inveni,' inquit, 'ita erectos animos, ita recentes, (nequaquam languentes,) ut priore actione incitati magis, quam satiati, viderentur.' In verbis proxime antecedentibus, codex Salisburg. habebat *Quæ circumstantium studia!* sed jam antiquitus, supra vocem *studia*, scriptum est *gaudia*; alioquin et *studia* in tali caussa locum habere potuissent. Sic enim loquitur Tacit. Hist. I. 35. 'Non populus tantum, et plebs, in plausus, et immodica studia, sed equitum plerique, ac senatorum,' &c. *Idem.*

Quam recens clamor] An *repens* et subitus? Sed nil muto, tota nempe via clamaverant faverantque, tamen nunc alacriter et fortiter iterum, quasi recentes. *Lips.*

Similis illi dies] Luculenter hæc

explicat Cellarius: 'Dies, quo intrasti capitolium, ex Germania imperator reversus, similis est diei adoptionis tuæ, qui hunc ingressus tui diem quasi genuit.' *Schwarz.*

Plena altaribus] Panegyrist. Max. 'Totam hanc urbem repentina tua in hostes eruptione solicitam, lætitia, et exultatione, et aris flagrantibus, sacrificiis, et odoribus accensis nomini tuo, implevisti.' Similia lege sis apud Just. XXIV. 3. 4. Cæsar. Gall. Bell. VIII. 51. Suet. Calig. 13. et ad eum Casaub. et Galb. 18. Aug. 98. Curt. V. 1. 33. Val. Max. IX. 1. 15. Plutarch. in Dion. c. 37. et Pomp. Herod. lib. IV. Ammian. lib. XXI. Sic cereos rebus sacris præisse, discimus ex Historia Ecclesiastica Sozom. lib. VIII. mox ad episcoporum honorem adhibitos. Chrysostomo 'cum cereis obviam procedit populus Constantinop.' Theod. V. 34. Sozom. d. l. necnon in conciliis patrum, ut in Nicena II. Hodie in solennib. Doctorum. Origo gentium est; nam 'Diis hic honos primum datus, cum eorum imagines transferrentur,' Cic. in Verrem. *Bern.*

Augusta victimis] Ut moris in adventu et auspiciis novi principis, quem Diis commendabant. Tacit. Hist. II. 70. 'Exstructis altaribus, cæsisque victimis, regium in morem,' Vitellio scilicet adventante. Quid, quod in Caligulæ, optatissimi (heu vanæ spes!) principis initiis, 'supra centum sexaginta millia victimarum cæsa,' Suetonius tradit? et ego plura, ad Taciti dictum locum. *Lips.*

Augusta] Σεβαστὰ veneratione et adoratione digna. Xiphil. in Cæs. Aug. πάντα τὰ ἐντιμότατα καὶ ἱερώτατα αὔγουστα προσαγορεύεται. Ov. Fast. I. 'Sancta vocant augusta patres, augusta vocantur Templa,' &c. Ejusdem notionis 'augere,' 'auctus,' 'mactus,' 'mactare,' 'magmentum,' εὐφημισμός. Illud ergo vulgatum plane falsum; Augustum ab augendo, id est, amplificando: et longe aliud illud, in edictis imperatorum: 'Semper Augustus.' Nec recte Engelbertus Abbas Admotensis de Ortu et Fine Rom. Imp. c. 18. opponit inter se Augustum et Augustum, cum ait, 'Imperium debere semper augeri, et nunquam minui: adeoque Imperatores, contrarium facientes, non Augustos, ab augendo, sed Angustos, ab angustando fines Imperii Romani, posse appellari.' Hæc docuit me clar. Berneg. nota in Augustum Sueton. c. 7. Adde Dempst. Rosin. p. 92. Dio. LIII. 581.

Augusta victimis cuncta] Legimus hic modo *angusta*, modo *augusta*. Actum vero agerem, si cumulatis ostenderem exemplis, quam sæpe hæ voces in antiquis codicibus inter se commutentur. Utralibet vox hic locum habere posse videtur. Uti enim et *aræ* ipsæ infra, LII. 1. dicuntur 'augustæ;' ita loca quoque aris pariter atque victimis plena recte possunt *augusta* vocari, i. e. sancta, et veneratione digna. Sic loquitur Lucan. VIII. 861. 'Augustius aris saxum:' et Propert. IV. 6. 23. 'Hinc augusta ratis, plenis Jovis omine velis.' Sed et *angusta cuncta victimis* dici possunt, ubi omnia loca altaribus victimisque sunt repleta, ut vix via pateat; quemadmodum hæc bene explicat Arntzenius. Sic etiam Catull. LXIV. 355. dixit, 'iter cæsis angustare corporum acervis.' Diu hæsitavi, utram sequerer lectionem. Tandem me induxit potissimum consensus plurium librorum veterum, ut, cum Arntzenio modo laudato, eligerem *angusta*. Ita enim hoc vocabulum scriptum legitur in codicibus Vaticanis, Parisiensi, Salisburgensi, Guelpherbytano, et meo. Venetus habuit primum *angusta*; sed antiqua manu superscriptum est *augusta*. Eadem lectio extat in libris excusis Livineii ac Gruteri. Et quid mirum est, tum cuncta victimis angusta dici potuisse, cum non nunquam in adventu ingres-

suque principum aliquot millia victimarum fuerint mactata? Sueton. Calig. cap. 13. et 14. 'Ut a Miseno,' inquit, 'Caius inter altaria, et victimas, ardentesque tædas, densissimo et lætissimo agmine incessit, .. tanta lætitia, ut tribus proximis mensibus, ac ne totis quidem, supra centum sexaginta millia victimarum cæsæ tradantur.' Plurima hujusmodi exempla jam recensuere Lips. ad Tacit. Hist. II. 70. et Casaubonus ad Sueton. Calig. cap. 13. Neque Gesnerus ab hac lectione alienum se, in Epistola Appendice ad Plinium, profitetur. *Schwarz.*

In unius salute] Vulgaris grammatices ratio requireret, ut legeremus *salutem*. Et hunc casum plurimi recentiorum edidere, ita quidem, ut recte annotarit Arntzenius, ante Sichardum aliter edidisse neminem. Restituit adeo ille casum sextum *salute;* non solum propter similes loquendi formulas, quæ identidem apud veteres scriptores occurrant; sed et, quia hujus scripturæ notas invenerit in excerptis Vossianis et Gudianis. Sed in eo libro Vossiano, cujus excerptis mihi contigit uti, et in ipso codice Gudiano, qui nunc in Guelpherbytana bibliotheca asservatur, non nisi lectionem recens vulgatam observare mihi licuit; nisi quod in libro, quem voco alterum Gudianum, omnino extet *salute.* Et hanc posteriorem scripturam etiam confirmant ceteri codices, nempe Vaticani, Parisiensis, Venetus, Salisburgensis, meus. Fateor tamen, Plinium nostrum neque alibi facile sectari insolentiores loquendi formulas, neque a consueta hujus verbi structura recedere videri; dum, v. g. infra, XCII. 5. ait, 'inter secunda omina, et vota certantia, quæ præsenti tibi conferentur.' Et Epist. III. 19. 'quæ unum in locum conferas,' &c. Quin nec apud alios auctores, mihi, quamvis non perfunctorie indaganti, simile occurrit exemplum; nisi apud unum Frontin. Strateg. III. 4. 6. quod et laudatus Arntzenius præoccupavit, 'Tectorum cameræ,' inquit, 'in quibus, [pro, 'in quas'] id frumentum conferebatur, rescissæ,' &c. Nihil autem attinet, aliorum verborum exempla, ubi præpositio *in*, promiscue cum casu accusandi et auferendi aliquando conjungitur, in hunc locum congerere; quæ jam alii, v. g. Linacer, Sanctius, Gifanius, Scioppius, Vossius, Muncker, Bangius, Davies, Cortius, alii, cumulatissime annotarunt, et quæ tamen ipsa sæpe varie scripta reperiuntur. Cum Lampridius in Commodo, c. 8. dixit, 'Dalmaticus in publico processit;' bene monuit Casaubonus, 'in publico procedere,' pro 'in publicum,' recentiorem esse Latinitatem, et sic apud Græcos passim illos duos casus confundi. Equidem haud assevero, veteres prorsus ab ejusmodi verborum structura abstinuisse: cum tamen certum sit, labente demum Latinitate, nimis invaluisse istam loquendi rationem, vereor saltem, ne librarii permulta veterum loca ad eandem inflexerint, adeoque suadeo, ut juventus studiosa, in antiquis auctoribus legendis interpretandisque, ista exempla magis observet, quam imitetur. Interim nihilo minus mirus ille in hoc loco tot codicum Mss. editionumque veterum consensus apud me jam prævaluit, ut crediderim, Plinium nihil ab ἀναλογίᾳ alienum admisisse, cum participium *collata* cum casu sexto conjunxerit; si quidem *collata* tunc dicantur 'conjuncta,' et 'unita,' quæ magis statum quendam, et quietem, quam motum significent. Unde ista Plinii verba sic interpretanda forent: Ut in unius principis salute conjuncta fuerunt, et quasi acquieverunt omnium vota! Hanc vero notionem, præter alios scriptores, etiam ipse Plinius aliquando subjicit huic verbo, et maxi-

ine participio; v. g. Epist. VII. 17. 10. 'In numero ipso [suffragantium] est quoddam magnum collatumque consilium.' Idem Epist. III. 9. 9. 'Ne gratia singulorum collata atque permista pro singulis quoque vires omnium acciperet.' Et Epist. VIII. 14. 4. 'collatis viribus,' i. e. conjunctis, cetera. *Schwarz.*

In unius salute] *In unius salutem.* Livin.

In unius salute] Infra, 'Non distringimus te (Jupiter) votis: simplex cunctaque ista complexum, unum omnium votum est: Salus Principis.' *Lips.*

Inde tu in palatium] Pronomen *tu* recentiores quidam omisere, quod vero omnes probant veteres codices. *Palatium* erat domus Cæsarea, in Monte Palatino sita. Unde Ovid. Trist. I. 1. 63. 'Forsitan expectes, an in alta palatia missum Scandere te jubeam, Cæsareamque domum.' Ibi scilicet non solum olim Romuli sedes fuit; sed et imperatores Romani inde ab Augusto habitarunt: quamquam, si quis imperator etiam alibi suum haberet domicilium, id æque palatium appellari solitum est. Vide Dion. lib. LIII. p. 507. Si quando igitur imperatores adventantes, aut triumphantes, solenni splendidoque comitatu introierunt urbem; tunc, referente Josepho de Bello Jud. VII. 18. terminus pompæ ejusmodi fuit templum Jovis Capitolini; in quo ubi hostiæ mactatæ, et vota fuerunt persoluta, recesserunt εἰς τὸ βασίλειον, *in palatium.* Ceterum, in hoc loco Pliniano videri possit præpositio *in* abundare, quia sequitur *privatam domum peteres;* unde sic supplenda forent prægressa verba, *Inde tu palatium* petiisti. Sed nequaquam abundat ista præpositio; cum potius ἔλλειψις hæc quasi ἀνακόλουθον admittat, hunc in modum supplendum: *Inde tu in palatium quidem* processisti; *sed eo vultu, ea moderatione, ut, si privatam domum peteres; veteri ad penates suos* reverterunt. *Schwarz.*

Iteraturus gaudii fidem] Codex Salisburgensis perperam habet *iter acturus*, pro *iteraturus.* Pro 'iterare,' Plinius infra LXI. 9. dicit 'renovare gaudia,' 'redintegrare lætitiam.' *Gaudii* autem *fides* denotat gaudium verum, fidele, minimeque fictum; prout Gesnerus per ἓν διὰ δυοῖν recte explicat. Ita utrumque conjungit Plin. Epist. VII. 17. 3. 'Historia non ostentationi, sed fidei, veritatique, componitur.' Et infra, Paneg. LXXIII. 4. 'Comprobasti et ipse acclamationum nostrarum fidem lacrymarum tuarum veritate.' Scilicet, quod jam Catanæus annotavit, 'domi licet affectus libere detegere, tanquam in tuto. Non ergo palam gaudebant, laudabantque Trajanum, secreto lamentabantur, atque eundem vituperabant, uti in Neronis ingressu, quem publice venerabantur, privatim vero, quoties tuto et libere loqui poterant, carpebant et vellicabant.' Dio Cass. lib. LXI. pag. 697. *Idem.*

Necessitas gaudendi] Domi licet adfectus libere detegere, tanquam in tuto. Non ergo palam gaudebant, secreto lamentabantur, uti in Neronis ingressu, 'quem publice venerabantur, privatim vero, ubi impune licebat, quid sentiret quisque, enunciare, acerrime lacerabant,' Dio. *Bern.*

CAP. XXIV. *Onerasset alium*] Arntzenius monet, interpretes sensum hujus verbi non vidisse. Et sane non vidit Catanæus, qui sic explicavit: 'Inflasset superbia.' At mentem Plinii omnino jam assecutus est Cellarius, cujus explicationem, non possum, quin huc afferam: 'Instar oneris,' inquit, 'est ingens laus et expectatio virtutis; quia urget et premit, ut tales nos geramus, quales videmur aliis. Noster lib. VIII. Epist. ult. n. 8. 'Onerat te quæsturæ tuæ fama; onerat testimonium principis;

onerat tribunatus.'' [Ubi recte Buchnerus: 'Gloria, quam ex muneribus antéa præclare gestis comparasti, incumbit tibi veluti, instat, urget, ne quid mutes; sed tueri et servare potius modis omnibus contendas.'] Sic et Cic. Fam. II. 4. 'Est tibi gravis adversaria constituta, et parata incredibilis quædam expectatio.' Adde Panegyr. LXXIII. 6. Quin et his præterea addi possunt Plin. Epist. I. 8. 5. I. 13. 10. III. 7. Symmach. Ep. VII. 60. 'Onerabat verecundiam meam, quod prior scripseras.' Idem Epist. III. 43. 'Urget te expectatio, bonis semper onerosa; nam etsi dignos respicit; periculo tamen proxima est, dum amplius sibi pollicetur.' Etiam Germanicus interpres, Dammius, rem bene expressit: *Ein solcher einzug würde einem andern wegen der folge zur last gereichet seyn.* Ceterum mox, ubi bene editum est *ejusmodi;* contra consensum ceterorum librorum, *hujusmodi* habent codex Salisburg. Rhenanus, Lipsius, Bernegger, De la Baune, Patarol. *Schwarz.*

Quotidie admirabilior et melior] Ὡς χαλεπὸν ἐσθλὸν ἐμμέναι, præsertim in alta illa statione. At Trajanus profecit; item 'Vespasianus solus omnium ante se principum in melius mutatus,' Tacit. Hist. I. 31. Hodie fere personam Agamemnonis agunt apud Eurip. in Aul. vs. 337. Vide supra XCV. 3. et Gruter. Discurs. in Tacit. c. 4. *Bern.*

Quales alii principes] Quemadmodum multi principes optimos benignissimosque futuros se polliciti sint, at deinceps imperii diuturnitate plerumque in deterius mutari consueverint, multis exemplis sententiisque veterum comprobavit Gruterus in Discurs. Polit. ad Tacit. c. 4. Sic inprimis Eurip. Iphig. in Aul. vs. 357. pulchre describit Agamemnonem, ab initio, cum imperium Græcorum ambierit, modestum, humanum, affabilem; deinde vero, ubi hic voti sui compos factus fuerit, elatum, difficilem aditu, inhumanum. Tacit. Hist. I. 31. tradit, 'Vespasianum solum omnium ante se principum in melius mutatum.' Quæ jam quoque annotavit Bernegger. *Schwarz.*

Res diversissimas] Inter duas has voces particulam *olim* interjectam exhibent aliquot editiones; quam autem bene recteque omittunt, et duntaxat in proximis verbis, *securitatem olim imperantis,* collocant codices Vaticani, Parisiensis, Venetus, Salisburgensis, Guelphicus, meus, item liber Vossianus, et alter Gudianus; atque, in libris excusis, Puteolanus, Aldus, Cuspinianus, Junta, Rhenanus, Rob. Stephanus, Lipsius, Gryphius, Sichardus, Navius, Livineius, Bernegger, Parisienses, Patarol, &c. Nihil enim auribus accideret molestius, quam si eadem particula, in brevi verborum ambitu, bis, sine figuræ ornamento, repeteretur; cum mox sequatur, aut certe sequi debeat, *securitatem olim imperantis.* Idem.

Res diversissimas] Phrasi pari et acumine, Tacitus in Agric. c. 3. de Nerva: 'Res olim dissociabiles miscuit, principatum et libertatem.' Pacatus de sese: 'Res diversissimas junxi, metum et temeritatem.'' *Lips.*

Securitatem olim imperantis] Prædecessoris Nervæ. Maleque est in editis quibusdam, *misc. res olim divers. securitatem imper.* nullo commodo sensu. *Livin.*

Securitatem olim imperantis] Qui diu imperarunt, fidunt jam sibi, ac potentiæ suæ sunt securi: qui incipiunt, metum aliquem et pudorem, ut in re nova et ardua, habent. At tu, inquit, utrumque jungis et temperas: securus, ut vetus regnandi; verecundus, modestusque, ut tiro. *Lips.*

Securitatem olim imperantis] *Olim imperantis,* id est, 'prædecessoris Nervæ,' inquit Livineius: non recte, mea

quidem opinione; nam nec Nerva usquam legitur regnasse in securitate; neque adeo potuit; cum præfuerit tantum Romanis annum unum, menses quatuor, dies novem, ut placet Dioni, nec dissentiunt ceteri: quid igitur? respicit Plinius ad morem principatus universi. Obtinet plane, ut magistratus omnes potestatis suæ tyrocinio, reverentiæ populi sui inserviant, neque eam præ se ferant securitatem, quam ipsis circumdat imperium longius; ut ostendimus exemplo non uno in prioribus Discursibus ad Tacitum; quibus infinita alia adtexta nobis ad illud ejusdem Cornelii Annal. XIV. 1. 'C. Vipsanio, Fonteio consulibus, diu meditatum scelus non ultra Nero distulit, vetustate imperii coalita audacia.' *Grut.*

Securitatem olim imperantis] Securitas sæpe in vitio est, quando notat socordiam quandam et negligentiam omnis necessariæ curæ. Aliquando tamen in bonam partem accipitur pro curarum requie, et quadam animi tranquillitate, item et pro pace: prout hæc conjungit Cic. de Offic. I. 20. 'Vacandum autem est omni animi perturbatione, .. ut tranquillitas et securitas adsit, quæ affert cum constantiam, tum etiam dignitatem.' Idem de Fin. V. 8. 'Democriti securitas, quæ est animi tanquam tranquillitas.' Et Plin. infra, L. 6. 'Tanta securitas temporum est, ut .. nos non timeamus,' &c. Hoc adeo loco *securitas*, quatenus pudori, id est, verecundiæ cum solicitudine conjunctæ, opponitur, denotat fidentem animum, sive fiduciam; Gallice, *fermeté;* Germanice, *treustigkeit.* Cujusmodi fidens animus si cui est, is vacuus curis et metu esse videtur. Particulam *olim* necessitas quædam sententiæ Plinianæ requirit, aut certe commodissime admittit. *Olim* enim hic significat 'jam diu,' 'jam pridem,' 'jam a longo tempore.' Sic loquitur Plin. Epist. I. 11. 'Olim mihi nullas epistolas mittis.' Epist. VI. 34. 'A Veronensibus olim amaris, suspiceris, ornaris.' Epist. VIII. 9. 'Olim non librum in manus, non stilum, sumsi.' Jam igitur Plinius inter se contendit 'principem olim imperantem,' et 'principem incipientem imperare.' Ille, qui jam diu et a longo tempore imperat, confirmata potestate sua, securior et confidentior est, constantiusque et animosius agit: quia, ut loquitur Tacit. Annal. XIV. 1. 'vetustate imperii' vel ipsa 'coalescit audacia.' Hic vero, qui modo incipit imperare, fere modestius adhuc, ac solicitius, et quasi timidius pudentiusque, rem gerit. Talem securitatem et fidentem animum principis, jam diu imperantis, cum verecundia ac modestia principis, imperare incipientis, laudabilissime in imperio suo conjunxisse dicitur Trajanus. Itaque nonnulli editores, contra concinnitatem Plinii, particulam *olim* bis posuere, *res olim diversissimas, securitatem olim imperantis.* Pauci eandem particulam in priore quidem, at incommodo loco, reliquere; at posteriore loco, ubi sententia orationis illam cum maxime requirebat, perperam omisere. Contra vero illi libri omnes, quos in superiore nota indicavi, eandem rectissime posteriore duntaxat loco exhibuere. Aberravit autem a vera Plinii sententia Livineius, qui, cum non cogitarit de notione particulæ *olim* huic loco congruente, per principem *olim imperantem*, Nervam intellexit; sed is jam a Grutero in viam reductus est. Nimis autem severi censoris partes in me exercuit D. D. Heumannus, qui, ubi primum hanc observationem proposueram, hæc commentatus est, Pœcil. tom. III. lib. IV. 'Mendum hic non sustulisti, sed intulisti. Τὸ *olim* enim priori loco relinquendum erat, et pro *incipientis*, rescribendum *præcipien-*

tis. Ita scilicet fluunt verba Plinii: *Junxisti enim ac miscuisti res olim diversissimas, securitatem imperantis, et præcipientis pudorem,* hoc est, verecundus es in præcipiendo dandisque mandatis. Simile est illud Taciti Agric. III. 1. 'Nerva res olim dissociabiles miscuit, principatum ac libertatem.'' Hactenus Heumannus. Verum, vir doctissime, quomodo ego intuli mendum Plinio, qui eam lectionem tuendam susceperim, quæ tot codicum Mss. totque eximiarum editionum auctoritate stabilitur, et quæ sententiam Plinio dignissimam fundat? Quæ necessitas urget, ut, sicubi Tacitus dixit 'res olim dissociabiles,' nos credamus, etiam Plinium hoc loco dicere debuisse *res olim diversissimas?* Annon etiam Liv. XXI. 4. simpliciter, et sine particula *olim,* dixit, 'Nunquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum atque imperandum, habilius fuit?' Vereor, vir optime, ut tute ipse a culpa illati mendi te defendere possis: qui, dum ne assecutus quidem videris sententiam Plinii, nec expendisse vim vocum, *securitatis,* et *incipientis;* pro posteriore voce frigidissime substituendum censueris *præcipientis.* Quantillum, quæso, differunt 'imperare' et 'præcipere?' Annon principes etiam 'præcipere' dicuntur? ac, si urendo secandoque in veteres auctores sine necessitate sævire licet, annon Plinius etiam sine vocabulo *præcipientis,* sic eadem dicturus fuisset, *miscuisti securitatem et pudorem imperantis?* Multo autem luculentius discrimen inter principem *olim imperantem,* et *modo incipientem imperare;* quam inter principem *imperantem,* et *præcipientem,* intercedit. *Schwarz.*

Non tu civium amplexus] Caium Cæsarem tangit, de quo adi Senec. de Benef. II. 12. Sequitur, *nec osculum manu reddis.* Quod ad Domitianum equidem traxerim, qui Cænidi, patris concubinæ, ex Istria reversæ, 'osculumque (ut assueverat) offerenti manum præbuit.' Verba sunt Suetonii c. 12. Denique ubi est in nostro, *quæ prior oris human.* in R. legitur, *quæ prioris human.* Inveni ego, et emendem, *quæ prius oris human.* Livin.

Ad pedes] Ut Caligula, et ejusmodi monstra. *Lips.*

Ad pedes] Papa hanc quoque servitutem sibi vindicat, ut calcare possit Cæsarum cervices, et regum oscula deprimere infra solum crepidarum. Baud. in Orat. quapiam. *Bern.*

Ad pedes] Plura Dio de Trajani humanitate; præcipue, quod os præberet osculandum; non manus, nec pedes, ut Caligula et Domitianus; de quibus Suetonius. *Patarol.*

Nec osculum manu reddis] Alias est amicorum familiarium, et amantium, non solum mutuo corpus amplecti; sed oscula etiam oribus figere. Unde Virgil. Æn. I. 687. 'Cum dabit amplexus, atque oscula dulcia figet, Occultum inspires ignem.' Cujusmodi cultus familiaris signa, etsi aliquando admiserint principes civilitatis studiosi, insolentiores tamen sunt dedignati; quippe qui amplexus accedentium depresserunt ad pedes; sive noluerunt, ut ii, qui venerationis testandæ caussa se adierant, oscularentur manus, aut pedes ipsorum; aut etiam, quod jam olim fuit supplicum, genua saltem amplecterentur. Sic Virg. Æn. III. 607. de Achemenide canit, 'Dixerat, et genua amplexus, genibusque volutans, Hærebat.' Et de alio, Æn. X. 523. 'Et genua amplectens affatur talia supplex.' De Trajano autem Plinius, 'Nec amplexus,' inquit, 'deprimis ad pedes; nec osculum manu reddis.' Quæ posterior loquendi ratio fere insolita est. Sententia quidem Plinii facile patet, dum hoc dicere voluit: nec loco osculi oris das præbesque manum osculandam; sive,

secundum Sueton. Domit. cap. 12. 'nec osculum offerentibus manum præbes.' Cf. idem Calig. cap. 56. Erant enim omnino principes, qui, uti infra, cap. LXXI. 2. loquitur Plinius, 'velut affixi curulibus suis manum tantum, et hanc cunctanter, et pigre, et imputantibus similes, promerent.' Sic Caius Caligula, teste Dione lib. LIX. p. 661. 'paucos osculabatur; plerisque etiam senatorum manum tantum, aut pedem adorandum, porrigebat.' Idemque Cæsar, referente Seneca de Benefic. II. 12. 'Pompeio Penno, viro consulari, agenti gratias, porrexit osculandum sinistrum pedem, adeoque invenit aliquid infra genua, quo libertatem detruderet.' Præterea, post Trajanum, Maximinus Junior, tradente Capitolino c. 2. 'in salutationibus superbissimus erat, adeo, ut manum porrigeret, et genua sibi osculari pateretur, nonnunquam etiam pedes: quod nunquam passus est senior Maximinus, qui dicebat, Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat!' Verbum 'reddere' hoc loco ex fori usu sumtum videtur, ubi aliquando notat, 'rem pro re dare.' Quam significationem explicat Seneca de Benefic. VI. 5. 'Cum dicimus, Beneficium reddidi; non hoc dicimus, illud nos, quod acceperamus, reddidisse; sed aliud pro illo. Reddere enim est, rem pro re dare. Quidni? cum omnis solutio non idem reddat, sed tantundem. Nam et pecuniam dicimur reddidisse, quamvis numeraverimus pro argenteis aureos; quamvis non intervenerint nummi; sed delegatione et verbis perfecta solutio sit.' Fortasse potuisset Plinius eandem rem etiam exprimere per verbum 'repræsentare:' *Nec osculum manu repræsentas;* prout Cic. Philipp. III. 46. dixit: 'Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repræsentari [i. e. reddi, præstarique,] morte mea libertas civitatis potest.' *Schwarz.*

Manu reddis] Infra LXXI. 2. 'Cum velut affixi curulibus suis, manum tantum, et hanc cunctanter, et imputantibus similes promerent.' *Lips.*

Prior oris humanitas] *Prior humanitas* Livin. sed *prior oris humanitas* V. C. *Livin.*

Prior oris humanitas] Aliquid hic altioris vulneris aut defectus, sed ex Cuspiniani libro supplendi. In illo est, *quæ prioris humanitas, dexteræ verecundia.* Plane legendum, *quæ prior oris humanitas, dextera verecundia.* Ad antecedentia hoc refer: Ore osculum reddis, humanitas est; dexteram osculandam non offers, verecundia est. *Lips.*

Prior oris humanitas] *Prior oris humanitas* V. C. præclare, post inserit C. *dextræ verecundia:* bene. *Rittersh.*

Quæ prior oris humanitas] Pro his, antehac Puteolanus, Rhenanus, Gryphius, et Sichardus, edidere *quæ prioris humanitas.* Quæ lectio cum minus commoda esset; alii, qui non animadverterant, in voce *prioris*, jam duas coaluisse voces, *prior oris*, simpliciter reposuere *quæ prior humanitas.* In libris tamen impressis, primus defectum feliciter supplevit Cuspinianus; a quo Lipsius supplementum adscivit; falso tamen tradidit, in Cuspiniani libro legi, *quæ prioris humanitas;* cum ibi, jam ante Lipsium, distincte pleneque descriptum fuerit *quæ prior oris humanitas.* Quam lectionem pleniorem plures editores deinceps amplexi sunt; eamque nunc aperte confirmant codices Vaticani, Venetus, Salisburgensis, Guelpherbytanus, liber Vossianus, et primus liber Gudianus. Eandem etiam in suo vetere codice observaverat Livineius; qui vero ex conjectura maluit *quæ prius oris humanitas.* In solo meo codice scriptum est *quæ prima oris humanitas.* Schwarz.

Dextræ verecundia] Non mirum esset, has duas voces, quas Cuspinianus primus in lucem protraxit, ab iis li-

brariis omissas esse, qui in proximis verbis omiserant vocabulum *oris;* propterea, quod sic nulla facile appareret relatio mutua, *oris* et *dextræ*. Nescio vero, cur eædem voces nihilo minus exciderint etiam ex omnibus nostris codicibus Mss. in quibus plene scriptum est, *quæ prior oris humanitas;* cum tamen, quod recte judicat Arntzenius, 'omnino sapiant dictionem Plinianam, ut vel sola illa re sese tueri possint, etiamsi relatio ad superiora verba abesset.' Cuspiniani lectionem amplexus est, aliisque commendavit Lipsius, et eam ad antecedentia verba referendam esse ostendit: 'Ore osculum reddis; humanitas oris est; dextram osculandam non offers; dextræ verecundia est.' Fortasse Plinius sic simul oblique, et per figuram, tetigit exemplum Caligulæ, qui, referente Sueton. c. 56. Cassio Chæreæ, tribuno cohortis prætoriæ, 'ex aliqua caussa agenti gratias, minus verecunde osculandam manum obtulit, formatam commotamque in obscœnum modum.' Significanter autem 'dextram' nominat, cum ejus avunculus Hist. Nat. XI. 45. scripserit, 'Inest et aliis partibus quædam religio; sicut dextra osculis aversa appetitur; in fide porrigitur.' *Idem.*

Dextræ verecundia] Hæ duæ voces a textu Livineii absunt; sed eas habet C. *Livin.*

Dextræ verecundia] Osculandam dabant dextram civibus, tanquam servis. Soli enim servi manus, alii oculos, alii collum, osculabantur. Senec. Epist. 47. Arrian. II. 20. Invaluit tamen postea, ut et potentiorum manus osculo libarentur. Plutarch. in Caton. Hotoman. Observat. Vet. Rit. Nupt. c. 2. Lips. Elect. II. 6. *Bern.*

Incedebas pedibus] Magnæ laudi et gloriæ ducebatur antiquis ducibus, et imperatoribus, si quando pedites incederent. Silius I. 242. de Hannibale: 'Primus sumsisse laborem, Primus iter carpsisse pedes.' Et vs. 249. 'Celsus et in magno præcedens agmine ductor, Imperium perferre suum.' De M. Catone Seneca Epist. CIV. scribit, 'Per medias Africæ solitudines pedes duxit exercitum.' Plura hujus generis exempla collegit Grut. Discurs. Polit. ad Tacit. c. 15. ubi docet, 'Imperatorem præeuntem nullo casu destitui a milite.' Quem morem etiam imitabantur quidam Romanorum imperatores. Tacit. Hist. II. 11. de Othone, 'Nec illi segne, aut corruptum luxu, iter; sed lorica ferrea usus est, et ante signa pedester.' Trajanum etiam pedibus iter fecisse cum exercitu, Xiphilinus ex Dione, p. 781. et supra, X. 3. Plinius noster testantur. Idem Plinius XXII. 2. innuit, Trajanum quoque, cum primum imperator adventarit, pedestrem, et sola corporis proceritate excelsiorem, urbem solenniter ingressum esse. Nunc eundem laudat, quod et in pace, et in ipsa urbe, pedibus incesserit; ut scilicet se civilem probaret omnibus, et libenter obvieque exciperet desideria suorum. Qualem modestiam jam quoque in Augusto laudavit Sueton. c. 53. 'In consulatu pedibus fere; extra consulatum, sæpe adaperta sella, [ut sic quoque pateret adeuntibus,] per publicum incessit.' *Schwarz.*

Incedis] Et hoc moderationis signum in principe. Refert de Augusto Sueton. c. 53. *Patarol.*

Incedis] Ammian. XXII. 9. de Juliano: 'Humilior,' inquit, 'princeps visus est in officio pedibus gradiendo cum honoratis: quod laudabant alii, quidam ut affectatum et vile carpebant.' Sed audiant Vologesem apud Tacit. Ann. XV. 2. 6. 'Vestra quidem vis et gloria in integro est, addita modestiæ fama, quæ neque summis mortalium spernenda est, et a Diis æstimatur.' *Bern.*

Eademque omnia illa] Vide ne argutius veriusque, *eademque omnia. Ita circa te, nihil in ipso te fortuna mutavit.* Lips.

Eademque omnia illa] Quid in hoc loco explicando et corrigendo, Livineius, quid Lipsius, quid Gruterus, quid recentius Gesnerus tentarint, ex eorum notis et commentationibus intelligere licet. Ego velim, ut potissimum animadvertatur pronomen *illa*, quod in unica Cevæ editione desideratur, et in cod. Salisb. primum quidem omissum, deinde vero ab æque antiqua manu supra scriptum est; at in ceteris omnibus libris expressum legitur. Hoc ipsum pronomen omnino respicit antecedentia, de quibus jam locutus est Plinius; nempe de Trajani singularis modestiæ et civilitatis signis et exemplis; qualia fuerunt, pristina oris ejus humanitas, dextræ verecundia in osculis excipiendis, incessus pedestris, et vita laboriosissima. *Illa*, et hujus generis alia *omnia* documenta ait Plinius manere *eadem* circa Trajanum imperatorem, adeo, ut nec ipsa fortuna, quæ alias facillime maximeque mutat homines, eum mutarit. Quantum vero valeat fortuna in mutandis hominum animis, moribusque, ejus generis sententiis et exemplis pleni sunt veterum libri. Ita Curt. x. 1. 40. 'Res secundæ valent commutare naturam.' Et apud eund. III. 2. 18. hospes quidam dixit Dario, 'Tu quidem licentia regni subito mutatus, documentum eris posteris, homines, cum se permisere fortunæ, etiam naturam dediscere.' *Schwarz.*

Nihil ipsa te fortuna] Omnes omnino codices manu scripti habent *nihil ipso te.* Neque aliam lectionem exhibuerunt editores in libris impressis; nisi quod omnium primus Boxhornius, qui vero nullo vetusto codice usus est, ex conjectura, quam et ante eum jam proposuerant Petrus Faber, et Conr. Rittershusius, excudendum curavit *nihil in ipso te fortuna mutavit.* Quam lectionem deinceps plurimi recentiorum sunt secuti. Commoda quidem hæc emendatio, neque a sententia Plinii aliena; veterum tamen codicum auctoritate destituitur. Ac licet Arntzenius tradat, eam a codicibus suis confirmari; constat tamen, ipsum nullo codice Ms. usum esse, nisi excerptis Vossianis, et variantibus lectionibus e codice Guelpherbytano descriptis. At in hoc codice Guelph. extat omnino vulgaris lectio, *nihil ipso te*, sine præpositione *in.* Excerpta vero Vossiana nituntur quidem aliquando testimonio codicum Mss. sed incertorum, nec nominatim designatorum; præterea nec raro solas conjecturas admiscent. Equidem fateor, nec meæ correctioni adhuc succurrere alicujus antiqui codicis suffragium. Veruntamen, si in corrigendis locis aperte corruptis, ubi nihil præsidii afferunt codices vetusti, ea, quæ lenissima et facillima emendandi ratio haberi potest, iniri debet; non video sane, quid lenius faciliusque fieri possit, quam si in pronomine *ipso*, unica duntaxat literula *o* in *a* convertatur; unde nihilo minus planissima, et Plinio dignissima, evadit sententia, etiam sine adjumento particulæ aliunde adsciscendæ. Quam facile autem et quam frequenter *a* in *o* a librariis sit mutatum, adeoque et *ipso* pro *ipsa* scriptum, ostendit Scioppius in Arte Critica, ubi de literis, quæ corruptæ sunt, agit, p. 52. Taceo, sic per singularem ἔμφασιν dici, *nihil ipsa te fortuna mutavit;* quæ scilicet alias facillime mutat principes. Nulla hic oppositione opus est inter particulas, *circa te,* et *in te:* cum hoc unum Plinius dicere voluerit, eadem illa omnia, de quibus modo locutus erat, manere circa Trajanum imperatorem; cum ne quidem ipsa fortuna eum mutarit. *Idem.*

Nihil ipsa te fortuna] Editio Rhenana, *nihil ipso te fortuna;* sed *nihil in ipso te fortuna.* Faber.

Nihil ipsa te fortuna] *Nihil ipso te fortuna* Ritter. sed Livin. pro *ipso* reponit ex conjectura, *ipsum:* vide, an

non melius jam olim conjecerim, *in ipso te*. Ritter.

Nihil ipsa te fortuna] *Nihil ipso te fortuna* Gruter. Conjeci olim, *eademque, quæ omnia circa te, nihil ipsum te fortuna mutavit;* sententia planissima ut loco fuerit vitiando non repetita vocula *quæ*, et ita profecto videtur. *Grut.*

Nihil ipsa te] Livineii textus *nihil ipso te;* sed in margine: forte, *ipsum.*

Fortuna mutavit] 'Nec quidquam in te mutavit fortunæ amplitudo, nisi ut prodesse tantundem posses, quantum velles,' Plin. in Præfat. Hist. Nat. ad Tit. *Bern.*

Ingrediente per publicum principe] Codex Vaticanus 8461. et Guelpherbytanus, omissa principis mentione, habent *Liberum est, ingredientem per publicum subsistere, &c.* Codex Parisiensis, abjectis duobus verbis, *Liberum est, ingredientem per publicum principem comitari, præterire.* At hæc non sunt, nisi menda et temerariæ correctiones librariorum. *Schwarz.*

Liberum est, ingrediente] Contra ac sub Caio Cæsare, quo 'transeunte prospicere ex superiore parte criminosum et exitiale habebatur,' ait Sueton. cap. 1. Paullo post *quasi contingas*, id est, bona quadam forte fortuna ac beneficio copiam in publico tui facias, cum alii studiose secretum et solitudinem captarent. Pacatus quoque in Theodosio laudat, quod creber egressu expectantibus populis se fateretur. *Livin.*

Inter nos, non] Viri summi emendant, *ambulas inter nos, nos quasi contigas.* Quibus cur acquiescere non ausim, posui in Suspicionum libellis. *Gruter.*

Non quasi contingas] *Non quasi contingat* Livin. sed *non quasi contingas* V. C. R. *Livin.*

Non quasi contingas] Iterum melius, *inter nos, nos quasi contingas;* quasi unus sis e nobis. *Lips.*

Non quasi contingas] Recte Livin. ex veteribus libris *contingas*, rectius etiam si τὸ *non* delevisset. *Rittersh.*

Non quasi contingas] Hanc lectionem habent et confirmant codices Vaticani 1475. 1775. 1776. codex Parisiensis, Venetus, Salisburgensis; in impressis, Puteolanus, Beroaldus, Gryphius, Sichardus, Gruterus, Puteanus, et alii. Alii exhibent, *non quasi contingat.* In libro Vossiano annotatum est, *ut contingas.* In meo codice scriptum est, *ambulas inter nos, ut quasi contingas.* Ego nunc amplector lectionem superiorem; cujus caussa tot testibus innititur, et quæ non incongruentem affert sententiam. Ea nempe ut plurimum dicuntur *contingere*, quæ ex voto, et optato, eveniunt; aut, ut Donatus ad Terent. Andr. IV. 2. 13. notat, 'quæ vix eveniunt,' i. e. interprete Burmanno ad Quinctil. Declam. X. 2. 'quæ vix audemus sperare nobis eventura.' Sic vero jam Agroëtius, de Orthographia, pag. 2269. discernit cognatæ significationis verba: 'Contingunt bona; accidunt mala; eveniunt utraque.' Et licet Seneca Epist. CX. dixerit, 'Scies, plura mala contingere nobis, quam accidere. Quoties enim felicitatis caussa et initium fuit, quod calamitas vocabatur? Quoties magna gratulatione excepta res gradum sibi struxit in præceps?' Seneca tamen hic de iis loquitur malis, quæ aut ex ipso hominum voto eveniunt, aut tandem meliorem habent exitum. Dum igitur Plinius ait, *Ambulas inter nos, non quasi contingas*, hoc voluit dicere: Versaris et incedis inter nos, non ut quasi singulari et rara quadam felicitate, quam expectemus diu, ac vix nobis eventuram sperare possimus, nobis obvenias, et te conspiciendum adeundumque præbeas; sed, quod infra, XLVIII. 2. legimus, 'sibi quisque præstat, quod te videat, quod te frequentet, ac tanto liberalius et diutius vo-

luptatis hujus copiam præbes.' Hanc lectionem, ejusque interpretationem, etiam recentes editores, Gesnerus et Arntzenius, receperunt, luculenterque confirmarunt. Mihi mei codicis Ms. lectio olim arridebat, *ambulas inter nos, ut quasi contingas.* Cui lectioni quam probabilitatem conciliare annisus sim, vide sis in Excurs. xxx. Quia vero præterea etiam liber Vossianus habet *ut contingas*, parum abest, quin gestiam hanc scripturam cum vulgari ita conciliare, *ambulas inter nos, non ut quasi contingas.* Sic enim hæc sequentibus verbis aptius congruunt, *et copiam tui, non ut imputes, facis.* De significatione verbi 'imputare,' jam supra egi ad xx. 2. *Schwarz.*

Non ut imputes] Ut quasi beneficium inscribas, in rationibus nostris ponas. Id est, ita hoc facis, tanquam faciendum sit, non quasi novum aliquid aut magnum. *Lips.*

Hæret lateri tuo] Quo nomine laudatur et Marcus Imp. ab Herodiano lib. I. pag. 3. p. *Παρεῖχε δὲ καὶ τοῖς ἀρχομένοις ἑαυτὸν ἐπιεικῆ καὶ μέτριον βασιλέα, τούς τε προσιόντας δεξιούμενος, καὶ κωλύων τοὺς περὶ αὐτὸν δορυφόρους ἀποσοβεῖν τοὺς ἐντυγχάνοντας. Exhibuit se subditis comem et commodum principem, cum quosvis accedentes exciperet, et vetaret stipatores quemquam advenientem a se repellere.* Idem.

Hæret lateri tuo] Nam et viliores, principatus membra. Insigne est monitum Rudolphi imperatoris Austriaci, qui cum submoveri a satellitio suo tenuiores quosdam videret, ad se affectantes, non sine stomacho edixit, 'Per Deum, sinite homines ad me venire. Non enim ideo ad imperium sum vocatus, ut in arcula includar.' Lips. II. 3. 7. *Bern.*

Suus cuique pudor] Qui sermonem magnum brevemque faciat, ut ipse talis. *Lips.*

Suus cuique pudor] Lipsius imitator hujus loci in Dedicat. Tacit. ad Max. 'Finemque sermoni suus quisque pudor, non fastidium faciebat.' *Bern.*

Non tua superbia] Neminem scilicet superbe rejicis; omnes quin immo tecum loqui sinis, quantum velint, et quousque præ pudore recedant. *Patarol.*

Ut potestas] Liber Vossianus habet *et potestas;* sed ἁρμονικὴ repetitio particulæ *ut*, quam etiam Arntzenius agnovit, est vividior, et concinnitati Plinianæ multo convenientior. Sic et codex Guelpherbytanus mox exhibet *supra homines;* ubi in ceteris omnibus libris legitur *super homines.* Schwarz.

Ante te] Vaticani quidam codices et Guelpherbytanus particulam *At* bis præmittunt, *At ante te;* quam vero nemo facile hic requirat. *Idem.*

Fastidio nostri] I. e. contemtu nostri, eoque ex fastu nato. 'Fastidire' enim non solum generatim notat, satietate alicujus rei vel personæ, offendi, quæ nos ad eam repellendam impellat; sed etiam, cum fastu quodam aliquem contemnere, et dedignari. Sic Virgil. Ecl. II. 73. 'Invenies alium, si te hic fastidit Alexis.' Et ibid. vs. 14. 'Nonne fuit satius, tristes Amaryllidis iras, Atque superba pati fastidia?' Ad quem locum Servius, 'Ex fastidio,' inquit, 'venit omnis superbia.' Sic et Cic. de Orat. II. 52. fastidium cum insolentia conjungit: 'Non sunt tanti,' inquit, 'ulla merita, quanta insolentia hominis, quantumque fastidium.' Veriti autem fastidiosi principes, ne æquales senatoribus haberentur, si quando ingrederentur pedites; lecticis maxime vehebantur. Quem lecticarum usum, pro moribus illius temporis, non in universum reprehendebat Plinius; sed quatenus ii semper in lecticis essent, etiam ubi senatores in pompa pedibus incederent. De usu lecticarum non nihil supra dixi ad XXII. 1. *Idem.*

Usum pedum amiserant] Præ super-

bia ferri solebant lectica; nec imperatores tantum, sed privati etiam, et feminæ. Erat autem illa gestatorium quoddam, in quo strati erant pulvini, ut mollius jacerent; ferebanturque suppositis exemptilibus asseribus a servis, modo quatuor, modo sex, modo octo. Quare mentio fit 'hexaphori' apud Martial. II. 81. IV. 51. et 'octophori' apud eund. IX. 3. et apud Cic. in Verr. X. 2. 'Nam, ut mos fuit Bithyniæ regibus, lectica octophoro ferebatur; in qua pulvinus erat perlucidus, Melitensi rosa fartus. . . . Sic confecto itinere, cum ad aliquod opidum venerat, eadem lectica usque in cubiculum deferebatur.' Allusit ad hunc morem Juvenal. Sat. III. 239. 'Turba cedente, vehetur Dives, et ingenti curret super ora Liburno.' Consule Lips. Elect. I. 19. et Scheffer. de Re Vehic. II. 5. *Patarol.*

Humeri cervicesque] Nempe in lecticis. Sed quid? nonne vulgo eæ in usu? nonne, non dicam senatores, sed equites, et omnes paullo honestiores iis vecti? Factum, et docui Elector. lib. I. Quæ igitur hic superbia culpata? Quod, ubi princeps, et major illa persona, itemque in publicis conventibus aut pompis, alii abstinerent a lecticis, et pedibus graderentur. At illi, ut eminerent, assumebant, et quod hic addit, super ora et capita aliorum ferebantur. *Lips.*

Super ora nostra] Juvenal. Sat. III. 'turba cedente vehetur Dives, et ingenti curret super ora Liburno.' Arbitror vero hic inprimis Domitianum notari, qui laboris impatiens per urbem pedibus non temere ambulavit, Suetonius cap. 19. *Livin.*

Super ora nostra] Juvenal. Sat. III. 239. 'turba cedente vehetur Dives, et ingenti curret super ora Liburno.' Seneca: 'Quos supra capita hominum lectica suspendit.' *Lips.*

Te libertas] Hæc desunt in contextu Livineii; sed in margine legitur, *Pietas, te libertas, super* V. C. G. *Livin.* Optime. *Ritter.*

Te civium pietas, te libertas] Vocabulum *civium* unicus omittit codex Venetus; et fortasse non male, si et sequentes duæ voces, *te libertas*, rejiciantur, ut non tam civium, quam ipsius Trajani, pietas designetur. Has autem utique non agnoverunt liber Vossianus, Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Aldus, Philomusus, Rhenanus, Rob. et Henr. Stephani, Navius, Livineius, (qui tamen, æque ac Henr. Stephanus, eas in margine annotavit,) Boxhornius. Attamen, propter tot aliorum librorum, manu typisque exscriptorum, auctoritatem, nondum easdem loco suo movendas existimavi. Neque vero primus Sichardus, ut Arntzenius tradidit; sed ante eum jam Cuspinianus, et Gryphius, has ipsas voces evulgarunt. *Schwarz.*

Super ipsos principes] Unicus codex Vaticanus, n. 3461. habet, *super omnes principes;* sed hinc nihil est innovandum. *Idem.*

Humus ista communis] Vexatus hic locus. Antiquiores quæque editiones habent *te ad sidera tollit humus: ita communia et confusa principis vestigia.* In codice Guelphico scriptum est *tollit humus ista, communia et confusa principis vestigia.* Parisiensis contra, et Venetus, et Salisburgensis codices habent *tollit humus ita communis, et confusa principis vestigia.* At in codicibus Vaticanis, atque libro Vossiano, legimus *tollit humus ista communis, et confusa principis vestigia.* Dedi huic postremæ lectioni locum, quæ etiam Arntzenio se probavit. Alioqui, quamvis libenter receperim *communis*, non quidem ex divinatione, sed ex suffragio codicum Mss. Vaticanorum, Veneti, Salisburgensis, mei, et veteris Livineii; fateor tamen, me ægre dimittere particulam *ita*, eamque cum pronomine *ista* commu-

tare; cum et hæc firmetur quatuor codicum Mss. testimonio; neque incommodam efficiat sententiam, si cumprimis explicetur, 'hoc modo,' (scilicet hoc incessu tuo;) aut, 'ob hoc,' 'per hoc;' uti, e. g. Sallustius loquitur, Jug. LIII. 3. 'Postquam impeditos ramis arborum, atque ita disjectos, circumveniri vident.' Ad quem locum vide Cortium. Quam facile autem voces hæ, *ista*, *ita*, confundantur, jam Livineius exemplis docuit. *Idem.*

Tollit humus] Locus obscurus ac mendosus. In V. scriptum *communis*, non *communia*. Ceteri libri, quos quidem inspexerim, conspirant. Sed mihi dubium non est, quin sub manu, quod dicitur, vere et liquido emendaverim, *tollit humus ista communis, et confusa prin. &c.* nam aperte humum communem et confusa principis vestigia opponit cervicibus humerisque servorum. *Confusa* autem, id est, promiscua nobiscum. Infra iterum, 'amœnissima quæque largiris et donas, ita, inquam, donas in quæ electus, in quæ adoptatus es,' itidem legendum manifeste, *ista inquam donas, &c.* Adscribam et Arnobii verba e lib. VII. quæ ab eodem inquinamento laborant: 'Vos pronunciate, vos dicite, quidnam illud fuerit, si personarum officia sunt certa, certarum vestra. Cum res ita sit, deque vestro numine,' &c. Tu meo periculo, Lector, rescribe, et distingue, *si person. off. sunt certa certarum. Vestra cum res ista sit, &c.* et mox *vestraque de religione tractetur.* De his locis sic censeo, alia fortasse alibi dicemus. *Livin.*

Ista communis] Jam olim emendavimus, *ita communis;* de humo scilicet, quam tu Trajane nobiscum calcas, et vestigia cum nostris misces. *Lips.*

Ita communia] Retineo vulgatam lectionem, quam vult castigare Livineius, ac legere *humus ista communis;* Lipsius autem, et Cellarius, *humus ita communis.* Cur enim ad divinationes confugiendum, ubi sententia æque bene sine mutatione reddi potest? *Patarol.*

Confusa principis vestigia] Freinsh. in Comment. ad Curt. VI. 5. 5. mentionem hujus loci Pliniani injicit, eumque sic constitui posse putat: *Te ad sidera tollit humus, te communia et confusa privatis vestigia.* Cujus emendationis Freinshemianæ indicium debeo Heumanno: nondum tamen invenio, cur in illa acquiescam. Si mihi in his liceat esse audaci; malim hunc locum ita concinnare: *te ad sidera tollit humus ita communis, et confusa plebis ac principis vestigia.* Saltem nihil sic a dictione Pliniana alienum afferrem. Ita enim ipse infra LI. 3. scribit, 'æquatus plebis ac principis locus.' Quod si autem fas esset, ex antecedentibus verbis dimittere vocem *civium*, tum et rescribi posset *confusa principis civiumque vestigia.* Schwarz.

CAP. XXV. *Aguntur principi gratiæ*] Codex Parisiensis habet *agunt principi gratias;* quæ inepta variatio debetur audaciæ librarii. *Schwarz.*

Quæ quidem reverentius] In codice Vaticano n. 346. item in Veneto, nec minus in libro altero Gudiano, extat *quæ quodque;* quam posteriorem vocem, per compendium scriptam lego *quodque.* Hæreo, an quid hic lateat; maxime cum mox recurrat particula *quidem.* Facile tamen inducor, ut credam, hic non nisi particulam *quidem* ab imperitis librariis depravatam exhiberi. Alii jam ad hunc locum annotarunt verba Taciti de Morib. Germ. c. 34. 'Sanctius ac reverentius visum, de actis Deorum credere, quam scire.' Et sane non raro major reverentia tacito cultu sensuque, quam omni verborum copia declaratur; nec minor ars oratoris est, aliquid tempestive supprimere, aut velut occultata saltem eminus ostendere, quam copiose efferre. Pertinet huc præteritio illa et reticentia

oratorum, quæ non solum ad transeundi rationem, sed etiam ad attentionem renovandam, tædiumque auditorum discutiendum, est accommodata; nec minus aliquando ad rem exaggerandam valet. Sicuti enim, quod Jac. De la Baune ad h. l. scribit, in tenebris majora nobis fingimus omnia, quam in luce; sic quæ supprimuntur, aut velut tenebris quibusdam absconduntur ab oratore, facile ab auditoribus majora cogitari fingique possunt. Quo consilio Quinctil. Instit. Orat. II. 13. 'In oratione,' inquit, 'operienda sunt quædam; sive ostendi non debeant; sive exprimi pro dignitate non possint: ut fecit Timanthes in tabula. Nam cum in Iphigeniæ immolatione pinxisset tristem Calchantem, tristiorem Ulyssem; addidit, quem summum poterat ars efficere mœrorem. Consumtis affectibus, non reperiens, quo digne modo patris vultum posset exprimere; velavit ejus caput, et suo cuique animo dedit æstimandum.' 'Nonne huic,' inquit idem Quinctilianus, 'simile est illud Sallustianum, 'Nam de Carthagine tacere, satius puto quam parum dicere?'' Quo nomine etiam a Plinio Majore, XXXV. 10. laudatur Parrhasii pictura, quæ 'sic apte desinebat, ut promitteret alia post se; ostenderetque etiam, quæ occultaret.' Atque adeo huic præcepto artis oratoriæ etiam convenit sententia Plinii nostri; 'Illa, de quibus taceas, tanta, quanta sunt, esse videntur.' Quamvis vero hic orator eam artis oratoriæ virtutem agnoscat, verbisque præ se ferat; re ipsa tamen fere nimius est in quibusque laudibus herois sui diducendis. *Idem.*

Reverentius] Tacit. de Germ. c. 34. 'Sanctiusque ac reverentius visum, de actis Deorum credere, quam scire.' Sallust. Jug. c. 9. 'De Carthagine silere melius puto, quam parum dicere.' *Bern.*

Carptim breviterque perstringi] Arntzenius bene monet, *carptim perstringere* proprie non notare, 'modice, leviter, summatim, delibare,' nec cuncta complecti, neque ordine continuo historiam contexere; sed præcipua quædam eligere, de quibus dicturus sis. Et sic ipse hanc loquendi formulam explicat Plin. Epist. VI. 22. 'Egit autem carptim, et κατὰ κεφάλαια,' i. e. *attingendo tantum capita rerum.* Cortius etiam ad Sallust. Catil. IV. 2. exponit de singulari materia, hinc inde decerpta; *carptimque,* reddit Germanice, *stückweise.* Metaphora ab iis ducta, qui, dum flores colligunt, eos hinc inde decerpunt. Interim vero, cum ea, quæ *carptim,* i. e. hinc et illinc decerpendo, et non ipsam sequendo seriem, dicuntur, omnino brevius, quam juncta et contexta, dicantur; et cum verbum 'carpere' idem aliquando notet, quod attenuare, et diminuere; id quod commentatores observant ad Virgil. Georg. III. 215. 'Carpit enim vires paullatim, uritque videndo Femina;' mirum non est, *carptim* dicta etiam de modice et summatim, ac velut minutatim dictis, recte posse explicari. Certe hoc ipso loco Plinius conjungit *carptim breviterque.* Schwarz.

Illa quidem] Doctiss. Gesnero videtur in hac periodo aliquid intercidisse: 'Præcesserunt,' inquit, 'duo membra: prius, *integra illibataque cogitationibus reservari:* alterum, *carptim breviterque perstringi.* Infert deinde: *quia fere sequitur, ut illa quidem, de quibus taceat, . . . videantur.* Quis non hic expectet simile quiddam his? *ea autem, quæ breviter perstringuntur, dictis non majora putentur.*' Hæc Gesnerus. In similem fere suspicionem incidit Christophorus Behr, Professor quondam Gymnasii Gedanensis, qui hunc locum ita partim emendare, partim supplere, conatus est: *Quia fere fieri solet, ut illa quidem, quæ dicas tenuiter, quamvis magna sint, tenuia; de quibus taceas, tanta, quanta sint, esse*

videantur. Sed ego nihil hic requiro, desideroque. Potuisset quidem Plinius sententiam propositam simili quodam modo diducere; sed non necesse fuit, ut ita diduceret. Satis erat oratori, ex præcepto oratorio ostendere, sua præteritione, suoque silentio, laudes Trajani integras illibatasque reservari cogitationibus auditorum; cujus unici membri rationem reddit; alterius membri rationem, quæ per se patebat, sciens prudensque prætermisit. Quid enim, si ipse Plinius, dum usus est præteritione oratoria, aliquid quasi de industria supprimere, et cogitationibus auditorum supplendum relinquere voluerit? Nescio, annon idem in mentem venerit Catanæo, qui ad hæc Plinii verba ita commentatus est: 'Suppressit Plinius aliquam partem, scilicet, *quæ vero dicuntur, tanta, quanta dicuntur, duntaxat esse videantur*. Nam non semper omnia dicenda; sed et aliqua supprimenda, quæ possit auditor per se intelligere.' Præterea, haudquaquam quidem nego, particulæ *quidem*, non raro in sequenti membro respondere 'sed,' 'autem,' 'tamen,' 'vero;' scio tamen, eam non minus etiam absolute poni, sine subsequenti adversativa, aut alio membro, maxime si pro 'inprimis,' 'certe,' vel similibus, ponatur; aut saltem pondus quoddam addat affirmationi; v. g. apud Terent. Heaut. III. 3. 5. 'Nam isthæc quidem contumelia est, hominem amicum recipere ad te,' &c. Phorm. I. 2. 84. 'Illa quidem nostra est.' Apud Cic. ad Famil. I. 5. 'Et Catoni quidem, quoquo modo se res habet, profecto resistemus.' Apud Sueton. Cæs. c. 82. 'Ista quidem vis est.' Immo apud Plinium in hoc ipso Paneg. II. 6. V. 2. XV. 5. XXI. 4. XXIII. 5. LXXI. 6. LXXVI. 3. &c. De qua loquendi ratione adire licet Perizon. ad Sanctii Minerv. p. 564. seqq. *Idem.*

Locupletatas tribus] Quas Plinius *locupletatas tribus* dixit, has Martial. VIII. 15. dixit 'ditatas,' cum indicaret, Domitianum tribubus dedisse tertium congiarium: 'Et ditant Latias tertia dona tribus;' item Claudian. VI. Cons. Honor. vs. 73. 'Tecum prælarga vocavit Ditandas ad dona tribus.' Non ergo mirum est, Trajanum inde elogium LOCVPLETATORIS CIVIVM promeruisse, quod ei tribuitur in vetusta inscriptione apud Fabrett. de Columna Trajani, p. 206. Quod vero ad tribus populi Romani attinet, jam aliunde constat, quemadmodum eæ fuerint institutæ, et sensim auctæ, usque dum circa annum urbis 510. numerus 35. tribuum expletus esset; prout optime ex Livio deducit Sigonius in Annot. ad II. 21. Totidem tribus suo tempore indicat Cic. Verr. III. 14. et in Rull. II. 17. Totidem agnovit et Tiberii ætas, testibus antiquis marmoribus, in Fabretti Inscript. Antiq. p. 683. v. g.

PLEBS. VRBANA. QVINQVE. ET
TRIGINTA. TRIBVVM
GERMANICO. CAESARI
TI. AVGVSTI. F.
DIVI. AVGVSTI. N.
AVGVRI. FLAMINI. AVGVSTALI
COS. ITERVM. IMP. ITERVM
AERE. CONLATO.

Totidem quoque tribus adhuc numeratæ sunt, Trajano imperante, teste lapide apud Grut. pag. CCXLVI. 8. Hæ autem tribus erant partes civitatis, et indicium libertatis Romanæ, ita, ut, qui more veteris reipublicæ pleno jure civis Romanus esset, jusque suffragii haberet, cujuscunque ordinis esset, non posset non in una 35. tribuum esse. Vide Cic. in Anton. VI. 12. et Liv. XLV. 15. Unde Floro III. 16. 1. 'homo sine tribu' dictus est homo servilis, et obscuræ conditionis. Sicuti vero plebis Romanæ potestas sub imperatoribus exaruerat; ita et tunc 'in tribu esse,' vel 'tribulis esse,' dicebatur sæpe is, qui præ ceteris inferioris paupe-

riorisque conditionis esset. Unde ad hæc Martialis verba, IX. 50. 'tremulo vix accipienda tribuli,' bene annotat Raderus, 'tribulem' prima notione ex tribu civem Romanum significare, qui domicilium Romæ habuit; deinde et pro homine tenui et paupere, ac capite censo usurpari. Id quod etiam docet Scriverius ad Martial. VIII. 15. Videtur ergo Plinius hoc quoque loco *tribus* distinguere a 'populo,' et pro infima plebe habere; uti Sueton. Aug. cap. 101. 'Legavit populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinque:' ubi, Casaubono explicante, et probante, 'populi' nomine designantur cives Romani honestiores; qui tamen, ob indigentiam, talium liberalitatum consortes esse, aut vellent, aut solerent; 'tribuum' autem nomine indicantur homines infimi, et tenuissimi, iique mendaciores. Tacitus vero, Annal. I. 8. ubi de iisdem legatis Augusti loquitur, 'plebem' vocat, quas Suetonius et Plinius dicunt 'tribus.' 'Legata,' inquit, 'non ultra civilem modum, nisi quod populo et plebi CCCCXXXV. dedit.' Idem Tacit. Hist. I. 35. 'Tum vero non populus tantum, et imperita plebs, in plausus et immodica studia; sed et equitum plerique, ac senatorum, posito metu incauti.' Luculentissime idem Tacit. Hist. I. 4. plebem a populo, et reliquis ordinibus, discernit: 'Sed patres læti,' inquit, . . . 'primores equitum proximi gaudio patrum; pars populi integra, et magnis domibus annexa, in spem erecti; plebs sordida, et circo ac theatris sueta, . . . aut qui adesis bonis, per dedecus Neronis alebantur, mœsti, et rumorum avidi.' Etsi itaque populi, plebis, aut tribuum nomina alias sæpe confundantur; videmus tamen, aliquando aliud per 'populum,' aliud per 'plebem,' aut 'tribus' designari. Nec illud quidem novum est, inquit Casaubonus, c. 1. quod 'tribus' appellet Suetonius (sic et Plinius,) 'vilissimam populi partem,' quam Tacitus 'plebem' κυρίως. Observare enim licet, cum populus Romanus a scriptoribus modo in tres ordines distinguatur, modo in quatuor, modo in plures; appellatione 'tribuum' persæpe ultimum ordinem notari. Hæc Casaubonus. Locupletabantur autem, aut saltem sustentabantur hæ tribus, et pauperioris conditionis homines, ordinarie potissimum frumentatione menstrua, et posthac panibus gradilibus; extra ordinem vero etiam cum aliis accipiebant congiaria. Vide Spanhem. de Præst. et Usu Numism. tom. II. pag. 585. seq. *Idem.*

Locupletatas tribus] Imitatus hunc locum Claudian. in Laudib. Honorii: 'tecum præclara vocavit Ditandas ad dona tribus.' *Bern.*

Congiarium populo] Id est plebi, nec nisi illi parti fere (ita observes) quæ frumentum e publico capiebat. Martial. 'Dat populus, dat gratus eques, dat thura senatus.' Ita 'popularia' in theatris, plebis loca: et 'populares,' homines e plebe. Suetonius voce 'populi' crebro sic utitur, vel assidue. *Lips.*

Congiarium] A congio, liquidorum mensura sex sextariorum capace; data antiquitus in populum, eaque vel vini vel olei. Inde nomen longius ductum ad quasvis, etiam pecuniæ donationes, sed maxime principum, aut publicas in plebem; quod 'congiarium in capita promissum' vocat Senec. Epist. 73. longissime ad quodvis munus privatim et in singulos collatum Senec. ad Marci c. 22. 2. Ben. c. 16. 'Alexandri congiaria fuerunt urbes,' *hat ganze städt weggeschenckt.* Bern.

Congiarium] Quod imperatores populo largiebantur, *congiarium* dicebatur; quod autem militibus, 'donativum.' Unde congiarii a Trajano exhibiti typum videas. Ex quo disces, congiarium eo anno primum a Traja-

no datum, tertio nempe consulatu. Triplex autem ab hoc principe congiarium exhibitum testantur nummi, quos illustrat Vaillantius. *Patarol.*

Datumque congiarium populo] De congiariis non nihil exponam in Excurs. XXXI. Siquti vero maxime tribubus, et egenis civibus, quibus non aliunde erat solatium, (ut Dion. Halicarnass. Antiquit. lib. IV. pag. 228. Valentinianus Imp. leg. V. Cod. Theodos. de annonis civicis, testantur,) principum largitiones distribuebantur; ita, cum Plinius dicat, etiam populo Romano congiarium esse datum, idemque et alii scriptores, et veteres nummi, testentur; facile intelligimus, etiam aliorum ordinum homines, aut certe 'partem populi integram,' quam vocat Tacit. Hist. I. 4. si qui ex illis uti hujusmodi beneficiis opus habuerint, inter primos ad istiusmodi liberalitatem principum admissos esse. Ita de Jul. Cæsare scribit Sueton. c. 27. 'Omnibus circa eum, atque etiam parte magna senatus, gratuito, aut levi fœnore obstrictis, ex reliquo quoque ordinum genere, vel invitatos, vel sponte ad se commeantes, uberrimo congiario prosequebatur.' Quanquam Suetonius hic magis de privatis, quam solennibus congiariis, loqui videatur. Per 'populum Romanum' vero universa aliquando significatur civitas Romana, quæ senatu, equite, et plebe constabat; aliquando autem populus a plebe distinguebatur, teste Gellio Noct. Attic. X. 20. 'In populo omnis pars civitatis, omnesque ejus ordines, continentur: plebs vero ea dicitur, in qua gentes civium patriciæ non insunt.' Aliquando populus a solo senatu distinguebatur; cum nimirum equestrem ac plebeium ordinem simul complecteretur, uti frequentissime in illa solenni formula 'senatus populusque Romanus.' Nonnunquam 'populus' æque ab equestri ac senatorio ordine discernebatur, uti est apud Plinium Majorem, XXXIII. 2. 'cœpit adjici senatui populoque Romano et equester ordo.' Sed is tertius ordo popularis rursus distinguebatur in partem integriorem populi, et in plebem imperitam ac sordidam; prout, in superiore nota, ex Tacito demonstravimus. Dum itaque sæpe legimus 'populo Romano congiarium datum,' facile credimus, non quidem omnes omnino cives Romanos, sed potissimum cives tertii ordinis, nec minus tamen etiam ex ceteris ordinibus quosdam, qui forte hujusmodi beneficiis indiguerunt, accepisse congiaria. *Schwarz.*

Populo] Martial. VIII. 50. 'Vescitur omnis eques tecum, populusque Patresque.' Populi voce pro plebe posita sæpissime a Sueton. August. 42. Casaub. p. 81. c. 101. p. 125. *Bern.*

Cum donativi partem] Hæc res ita fuit. Promiserat congiarium plebi, donativum militi, eodem tempore (nam sic fere solet) Trajanus. At cum ærarium utrique largitioni simul non sufficeret; dimidium promissi militibus statim dedit; populo, totum, sed paullo serius. Ita illi in tempore prælati, hi in summa. *Lips.*

Donativi partem] Per 'donativum' denotatur munus a principe militibus extra ordinem datum, vel ob auspicium imperii, vel ob adoptionem, vel ob victoriam, aliasve festivitates, haud secus, ac populo tunc dari consuevit congiarium. Hinc, referente Sueton. Ner. c. 7. 'deductus in forum tiro, populo congiarium, militi donativum, proposuit.' Et Tacit. Annal. XII. 41. 'Additum,' inquit, 'nomine Neronis donativum militi, congiarium plebi.' Etiam Lampridius in Alexandro Severo, c. 26. 'Congiarium populo ter dedit; donativum militibus ter.' Quasi legitimus modus donativi post susceptum imperium fuere vicena millia nummum, cuique militum, prætorianorum præsertim; at centurionibus duplum, tribunis vero

et præfectis alarum alterum tantum, dari consuevit; ut ad Capitolinum in Antonino Philos. c. 7. annotavit Casaubonus. Qui tamen modus etiam variavit. Sueton. Calig. c. 46. 'Pronuntiato,' inquit, 'militi donativo, Caius Cæsar centenis viritim denariis, quasi omne exemplum liberalitatis supergressus: abite, inquit, læti; abite locupletes!' Hujusmodi donativum aliquando etiam 'clavarium' dictum invenio apud Tacit. Hist. III. 50. 'Seditiosæ militum voces, clavarium, (donativi nomen est,) flagitantium;' quod donativum milites sic appellasse videntur, quod ad emendos sibi 'clavos caligares' faceret. Vocabulum autem 'donativum,' quantum mihi constat, demum sub imperatoribus Romanis in usum est introductum. Nescio vero, an Claudius imperator omnium primus dicendus sit, qui principatum adeptus militi promiserit; quod quidem Sueton. Claud. c. 10. tradere videtur: 'Promisit singulis,' inquit, 'quina dena HS. primus Cæsarum fidem militis etiam præmio pigneratus.' Annon etiam Augustus 'militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii, pellexit?' Quod tradit Tacit. Annal. I. 2. Annon et Jul. Cæsar, 'muneribus, monumentis, congiariis, epulis, multitudinem imperitam lenierat?' Quod ait Cic. Philipp. II. 45. Verum ars ista favorem militum largitione demerendi etiam temporibus reipublicæ liberæ non ignota fuisse videtur; quamvis tunc alio, et interdum communi 'congiarii' nomine designaretur; ut est apud Cic. ad Attic. XVI. 8. 'Legiones congiarium ab Antonio accipere noluerunt, et ei convicium grave fecerunt, concionantemque reliquerunt.' Atque ita etiam scriptores Hist. Aug. quamvis alioqui discernant 'congiarium' et 'donativum,' interdum tamen hæc nomina promiscue usurpant; v. g. Capitolinus in Antonino Pio, cap. 4. 'Congiarium militibus ac populo de proprio dedit.' Similiter 'donativum' de muneribus, quæ milites, et populus acceperant, promiscue dixit Spartianus in Hadriano, cap. 23. 'Donativum populo ac militibus expendit.' Conf. Spanhem. de Præst. et Usu Numism. tom. II. p. 533. Cur autem Trajanus tunc saltem partem donativi militibus dederit, exponit Lips. ad h. l. *Schwarz.*

Repræsentare] Donare interpretatur Catanæus, seu pecunias enumerare, persolvere; quod magis probo. 'Totum in præsenti solvere,' inquit Lipsius; quod quidem magis consonum hujus loci sententiæ. *Patarol.*

Repræsentare] Recte explicavit Lipsius hoc verbum, quod ex jure sumtum videtur. Quamvis autem generatim non notet, nisi, aliquid statim, et sine mora, præsens exhibere, aut exequi; proprie tamen, et potissimum de pecunia statim persolvenda dicitur: prout Gronov. de Pecunia Vet. I. 6. ostendit, sic Cic. Senec. Sueton. aliosque, locutos esse. Et Cicero quidem ad Famil. XVI. 14. 'Dies,' inquit, 'promissorum adest; quæ etiam repræsentabo, si veneris.' Atque hæc significatio etiam apud Plinium locum habet. Deinde vero hoc verbum ad alia quoque transfertur, quæ dicimur exequi, maturare, et mox ad effectum adducere. Sic Cæsar de B. G. I. 40. dixit, 'se, quod in longiorem diem collaturus esset, repræsentaturum,' h. e. sine mora præstaturum. Et Hirtius de B. Alex. c. 70. 'Cæsar respondit, se fore æquissimum Pharnaci, si, quæ polliceretur, repræsentaturus esset.' Etiam Curt. X. 1. hac notione dixit 'repræsentare supplicia,' et VI. 33. 'repræsentare consilium.' Quod autem Plinius dixit, non mediocris animi esse, populo potius et prius repræsentare congiarium, cui magis negari potuerit, quam donativum militibus; id spectat ad laudem Trajani,

qui, cum auctoritate pariter, ac singulari animi magnitudine, polleret, non necesse habuerit, statim milites ferociores magno sibi obligare beneficio, ne seditionem concirent; prout Galbæ, aliisque, exigua auctoritate et mediocri animo præditis, negatum, aut certe dilatum, donativum, fuit exitiosum. Atque adeo hic imperator nihil dubitavit, pro civilitate sua, plebi inermi, a qua nihil periculi facile metuendum erat, et cui id tutius negare potuisset, potius et prius, quam militibus, ex mera liberalitate eximii beneficii partem efferre. *Schwarz.*

Magis negari potest] Quidni? aut quid a populo, præter voculas et querelas, timeas? Sed miles et facta addere potest: tamen illi totum datum, huic negatum aut dilatum: quod magnitudinem animi jure interpretatur. *Lips.*

Sed priores] Hæc mendosa exhibent codices Vaticani, Parisiensis, Venetus, Guelpherb. et meus, itemque uterque liber Gudianus, et Vossianus; nec minus editio Cuspiniani; in quibus corrupte, et sine sensu commodo, legimus *sed prior est populus militibus, quod posterior, s. t. s. a.* Nec aptior est Gryphii lectio, qui pro voce *priores* reposuit numerum singularem *priorem*. Commodiorem verioremque lectionem jam prodidere Puteolanus, Catanæus, Aldus, Junta, Rhenanus, et ceteri; eandemque confirmat codex Salisburgensis. *Schwarz.*

Quantæque curæ] Voculam *que*, quam nequaquam a librariis huic loco frustra intrusam opinor, probant codices Vaticani, Parisiensis, Venetus, Salisburgensis, veteres membranæ Livineii, liber Voss. et in excusis, Gryphius, Sichardus, et H. Stephanus. Mox, ubi apud Plinium sequitur *post edictum tuum*, codex Guelph. vitiose habet *post editum suum;* Beroaldus, *post editum tuum.* Idem.

Quantæque curæ] *Quantæ curæ* Livin. sed *quantæque curæ* V. *Livin.*

Edictum tuum] Quo proscripsisti, et pronunciasti publice, te daturum. *Lips.*

Post edictum] De congiarii dispensatione facienda. *Paterel.*

Erasorum] E publicis tabulis, in quibus eorum incisa erant nomina, quibus congiarium distribuendum. Radebantur autem, 'si qui morerentur, vel migrarent; erasis nominibus alii substituebantur, vel per annonæ præfectum, vel per ejus dividendæ curatores.' Lipsius. *Idem.*

In locum erasorum] In tabulis civium nomina, qui frumentum capiebant. Si qui morerentur, vel migrarent, erasis nominibus alii substituebantur, vel per annonæ præfectum, vel per ejus dividendæ curatores. Nunc igitur dicit: Si qui substituti postea et subscripti, jure non iis debebatur; neque enim promissum erat, nisi qui tunc essent: at Trajanus tamen benigne etiam hos admisit. Aliter atque Augustus, qui, 'cum congiario proposito multos manumissos insertosque civium numero comperisset, negavit accepturos, quibus promissum non esset,' Sueton. Aug. c. 42. *Lips.*

In locum erasorum subditi] Imperiti librarii in codice Veneto *eragorum*, et in Salisburgensi *crassorum* exararant; sed in utroque verior lectio *erasorum*, jam ab antiqua manu superscripta est. Qui vero dicantur *erasi*, jam dilucide explicavit Lipsius. In horum ergo locum, Trajano benigne permittente, mox alii sunt *subditi*, i. e. substituti, sive suffecti. Sic verbo 'subdere' utitur Cic. Verr. VI. 5. 'Quos in eorum locum subditos domi suæ reservavit.' Et pro Domo sua, c. 32. 'Quis in meum locum judicem subdidit?' Hos substitutos, et, demum post Trajani promissum congiarium, tabulis adscriptos, nihilominus indulgentissimus hic princeps admit-

tebat ad capiendum congiarium, eo nomine liberalior Augusto, qui, teste Sueton. c. 42. 'quum proposito congiario multos manumissos,' insertosque civium numero, comperisset, negavit, accepturos, quibus promissum non esset. *Schwarz.*

Exspectatum est, provisumque] Tres codices Vaticani, item Parisiensis, Venetus, Salisburgensis, Guelpherbytanus, et meus; nec minus in excusis, Gryphius et Sichardus, habent *exspectatus est;* ut ita hoc verbum referatur ad antecedentes voces, *aliquis, alius, hic, ille.* Arntzenio ita se probavit hæc lectio, ut eam jam in contextum receperit; eandemque sibi placere, testatur Gesner. in Epistola de sua Plinii editione. Ego fere distrahor in discernendo ; cum modo hæc, modo vulgata, mihi probabilior videatur. Ad istam amplectendam adducor consensu tot codicum Mss. Sed nec caussæ satis invenio, cur damnem, rejiciamque lectionem vulgatam. Efenim et hæc ipsa adjuvatur auctoritate codicis Vaticani a. 1475. et nititur cumprimis suffragio omnium antiquarum pariter ac recentium editionum, si a Gryphiana, Sichardina, et nunc Arntzeniana dicesseris. Accedit, quod hucusque doctissimus quisque commentator et interpres locum hunc sine ulla offensione, aut hæsitatione, legerint, atque interpretati sint. Neque dubito, quin eandem lectionem etiam doct. Arntzenius impune dimissurus fuisset, nisi in Vossiana et Guelpherbytana excerpta, et in editionem Sichardinam incidisset. Nihil etiam vulgata lectio habet ab ἀναλογίᾳ linguæ Latinæ alienum ; quin et usitatissimam notionem verbi 'exspectare' æque retinet, ac illa nova lectio, *expectatus est.* In vulgata, utrumque vocabulum, *expectatum est, provisumque,* impersonaliter positum ad sequentia verba refertur, atque in vernacula sic recte reddi potest: *man hat gewartet, und versehung gethan, oder davor gesorget, dass keiner, &c.* Certe ut Tacit. Hist. I. 33. dixit, 'Non exspectandum, ut, compositis castris, forum invadat ;' et Justin. II. 10. 'Nec exspectandum, ut ab hoste circumveniretur ;' ita et a Plinio bene dici potuit, *expectatum est,* scilicet, ut ægri convalescerent, longinqui reverterentur, &c. *provisumque, ne quis æger, ne quis occupatus, ... fuisset.* Sed et alibi Plinius non raro impersonaliter loquitur ; v. g. IV. 9. 'Consurgenti ei ad censendum acclamatum est, quod solet residentibus. Ex quo potes æstimare, quanto consensu sit exceptum, cum diceret quod tam favorabile fuit, cum dicturus videretur.' In his verbis, librarii, aut critici, pro neutro *exceptum,* facile etiam reponere potuissent *exceptus;* nisi obstitisset sequens vocabulum *favorabile.* Denique, sicut in vulgata lectione, duo neutra, *expectatum est, provisumque,* plano aptoque nexu conjunguntur ; ita nescio, quid insolitum, nec satis inter se cohærens, in nova lectione, *exspectatus est, provisumque,* occurrere videatur ; cum, ad molliendum hunc nexum, Plinium, si is illud, *exspectatus est,* ad præcedentia plura pronomina referre voluisset, potius dicturum fuisse opineris *expectatus est quisque;* aut *expectati sunt.* Interim per me licet cuique suum sequi ingenium : satis est, neutram lectionem sententiæ Plinianæ adversari. *Idem.*

Longe fuisset] Non adeo trita est hæc loquendi ratio ; neque enim, nisi pauca quædam adverbia verbo substantivo 'sum' adjungi solent. Adhæc, a Cicerone, aliisque veteribus, multo frequentius verbum 'absum,' cum adverbio 'longe' committitur ; v. g. ad Famil. II. 7. 'longe absum ; audio sero :' ad Famil. IV. 12. 'Cum non longe a Pyræeo abessem :' ad Famil. XV. 15. 'A Cæsare longissime absum, et afui.' Unde primo intuitu

suspicabar, an forte librarii, hoc etiam loco, pro *fuissent*, debuerint scribere *afuissent?* Sed supervacua est illa suspicio, reclamantibus maxime omnibus libris. Sic certe loquitur Trajanus, inter Epistolas Plin. x. 41. 'quæ non longe a pœna sint.' Ipse etiam Cic. ad Famil. xv. 4. 'Cum viderem, a Cappadocia Parthorum copias aversas non longe a finibus esse Ciliciæ.' In Orat. pro Quint. c. 25. 'Quam longe est hinc in saltum vestrum Gallicanum?' Similiter Sallust. Jugurth. cap. 47. 'Erat haud longe ab eo itinere opidum Numidarum.' *Idem.*

Et tuum] Codex Vaticanus 3461. et Guelpherbytanus habent *et illud;* non quidem prorsus inepte; attamen melior et significantior est vulgata lectio. *Et tuum*, i. e. magnificum, et tibi proprium, neque opus aut munus virtutis cum aliis commune est. Sic ait Cic. ad Famil. x. 5. 'His temporibus difficillimis reipublicæ quicquid subveneris, id erit totum et proprium tuum;' ubi quidam legunt, 'et proprie tuum;' prout idem Cic. ad Famil. x. 24. 'Me diligas, rogo, proprieque tuum esse tibi persuadeas.' Idem pro Marcello, c. 2. 'Totum hoc, quantumcunque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum.' Et c. 4. 'Hæc enim res unius est propria Cæsaris.' *Idem.*

Et tuum] 'Liberalitate nihil est naturæ hominis accommodatius,' Cic. Off. lib. I. et 'principum inprimis, quos armis, quam munificentia vinci, minus flagitiosum est,' Sallust. in Jug. 'Regium est benefacere, ac male audire,' Antisthenis apophthegm. Ille 'diem perdidisse, quo nihil cuiquam præstitisset,' Sueton. Tit. cap. 8. Quo respexit et Imp. Theodos. Valentin. 'Diem,' inquit, 'periisse procul dubio suspicemur, quem nostri numinis beneficentia non illustrat.' Credo principes ex eo quoque Deos in sacris dictos. Certe David. חסד pro nota suæ vocationis habet. 'Ptolemæus Ægypti Rex inde cognominatus est Evergetes,' h. e. 'beneficus.' Quod cognomen et aliis principibus tribui vulgo, sed male, ex Luc. XXII. 25. probant. Locus enim iste (licet, quod libeat monere) minime id vult. Verba Servatoris hæc sunt: Οἱ *βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν, εὐεργέται καλοῦνται·* ubi *ἐξουσιάζοντες αὐτῶν* sunt (non ut vulgo, *qui potestatem habent super eas*, scil. gentes, sed) *potentes αὐτῶν* scil. *βασιλέων*, hoc est, regum dynastæ, proceres, in aula potentes. Hi, cum regem regnumve insigni aliquo beneficio demeruissent, *εὐεργέται* Græcis dicebantur, Persis Orosangæ, quorum, ne meriti memoria intercideret, nomina in regios commentarios referebantur, ut patet ex Estheræ cap. VI. 6. 2. 3. Joseph. Antiq. Jud. II. 6. Herodot. III. 140. VIII. 85. Xenoph. Pæd. lib. VIII. Ælian. Var. Hist. cap. 40. Thucyd. lib. I. p. 85. Quod aulicæ dignitatis nomen in dicto Christi indicari nullus dubitem. Nisi enim hac singulari (non autem vulgari) notione capias, jam fidem Christiani animam, spoliasti suo splendore, inprimis nobis commendato, Matth. v. 16. Tit. I. 8. et alibi: quod est *ἀθεόλογον*. Interdictum igitur Christi *ὑμεῖς δὲ οὐχ' οὕτως*, eam habet vim, quod Apostoli nec dominatum regium, nec adeo nomina dignitatum, quæ dynastis in aula tribuuntur, ambire debeant. Fortassis extra oleas, sed ad meam rem. *Bern.*

Munificentiæ ingenio] i. e. munificentiæ consilio, aut commento, et inventione; seu, munificentia ingeniosa. 'Ingenium' enim dicitur vis quædam naturalis, et nobis insita, suis viribus prævalens ad invenienda et excogitanda nova. Petronius cap. 70. 'Ingenio meo,' i. e. ex mea inventione, 'impositum est illi nomen bellissimum.' Ab homine transfertur etiam ad res alias. Sic Quinctil. De-

clam. VI. 2. 'Unus,' inquit, 'succurrere utrique non poterat; invenit tamen ingeniosa pietas,' i. e. ingenium pietatis. Petronius cap. 135. 'Mirabile quidem paupertatis ingenium.' Haud secus Claudiano de Raptu Proserp. III. 31. dicitur 'ingeniosa egestas:' item Martiali XIII. 62. 'ingeniosa gula.' Ipse Plinius infra, XLIX. 7. commemorat 'exquisita ingenia cœnarum.' *Idem.*

Velut admovere] Quia absentes habiti pro præsentibus, et mox 'intercedere casibus,' ad ægrotos spectat vel occupatos. *Lips.*

Velut admovere] Codex Guelpherb. prodit *admonere;* sed obvio errore librariorum, *u* in *n* mutantium. *Admovere*, hoc loco est, aliquid viciuius facere; item, accelerare. Sic Sil. Ital. XVI. 93. dixit, 'admota bella,' i. e. vicina et contigua. Nec minus alii auctores sæpe dicunt 'admovere exercitum, copias, aciem.' Lucan. VII. 10. 'Mortis vicinæ properantes admovet horas.' Id igitur voluit dicere Plinius: Magnificum, Cæsar, et tuum est, ex ingeniosa munificentia facere, ut etiam disjunctissimæ terræ videantur urbi Romæ vicinæ conjunctæque esse; dum scilicet provides, ut in distribuendo congiario, civium Romanorum absentium, et in remotissimis terris negotii caussa morantium, æque, ac Romæ præsentium, habeatur ratio. Eandem fere sententiam in sequentibus quoque verbis, per ἐξεργασίαν, exprimit orator, *immensaque spatia liberalitate contrahere.* Schwarz.

Intercedere casibus] i. e. providere, et efficere, ne casus calamitosi, cujusmodi sunt morbi, exundationes fluviorum, aliaque fortuita impedimenta, civibus Romanis noceant, et fructum congiarii intercipiant. Similiter dixit Latinus Pacatus, fortasse Plinium imitatus, cap. 27. 'Quin ego nullam majorem crediderim esse principum felicitatem, quam fecisse felicem, et intercessisse inopiæ, et fortunam vicisse, et dedisse homini novum fatum.' Elegantissima hæc loquendi formula petita est e jure tribunitio; quia tribunorum plebis solennia verba fuerunt, 'veto,' 'intercedo.' Liv. VI. 35. Tunc enim hi, sententiæ, legi, rogationi, aut senatus consulto, 'intercedere,' aut ea 'vetare,' dicebantur, cum, auxilium plebi Romanæ laturi, istis solennibus verbis uterentur, et intercessione, sive contradictione sua, impedirent, quominus istæ res procederent, valerentve. Multa hujus notionis exempla, vel in Cic. ad Fam. VIII. 8. occurrunt; ex qua nunc hæc sola verba afferre liceat: 'Senatus existimat, neminem eorum, qui potestatem habent intercedendi, [quæ potestas erat tribunorum plebis,] et impediendi, [quæ potestas etiam erat augurum,] moram afferre debere.... Qui impedierit, prohibuerit, eum senatum existimare contra rempublicam fecisse. Huic senatus consulto intercessit C. Cœlius,' &c. Deinde vero hoc verbum, etiam ad alias personas et res accommodatum, generatim notat, 'resistere,' 'obstare,' 'cohibere;' 'impedire, ne quid fiat, aut noceat.' Sic loquitur Jul. Cæs. de B. G. VIII. 52. 'Quod ne fieret, consules amicique intercesserunt.' Terent. Andr. V. 5. 5. 'nulla ægritudo huic gaudio intercesserit;' h. e. hoc gaudium impedierit, aut interturbarit. Sic Tacit. Hist. I. 19. dixit, 'intercedere consilio;' c. 77. 'intercedere honori.' Flor. III. 10. 'Cum æstibus subductis Oceanus intercedere bello, (i. e. impedire et vetare pugnam,) videretur.' Ipse Plinius infra, VIII. 4. 'O vere principis, intercedere iniquitatibus magistratuum!' At supra, IV. 2. tribunitii juris notionem huic verbo reliquit; cum ipse Trajanus, uti omnes imperatores, tribunitia potestate esset præditus, ubi ait, 'Parens noster privatas gratiarum actiones cohibet et comprimit; intercessurus etiam publicis, si

permitteret sibi vetare, quod senatus juberet.' *Idem.*

Occursare fortunæ] Verbum 'occurrere,' et, quod hinc natum est, 'occursare,' ex vulgari usu notat, obviam ire; uti apud Sueton. Calig. c. 4. 'præ turba occurrentium prosequentiumque;' et apud Plinium nostrum, supra, c. 13. 'populus occursantium.' At deinde idem verbum μεταφορικῶς dicitur tam de 'resistentibus,' ac 'contra nitentibus,' quam de 'juvantibus.' Nec id mirum est; solemus enim et iis 'occurrere' ac contraire, a quibus vim damnumque metuimus, ut eorum consilia et impetum retardemus; et solemus amicis quoque, peregre revertentibus, et ipsis principibus adventantibus obviam ire, ut iis benevolentiam nostram, et studium, officiumque, ac cultum testemur. Unde usu venit, ut ex priore casu, 'occurrere' pro resistere, et obniti, dicatur. Sic Cic. pro Mur. c. 37. 'Horum ego,' inquit, 'quotidie consiliis occurro; audaciam debilito; sceleri resisto.' Et Catil. III. 7. 'Quod si Catilina in urbe ad hanc diem remansisset; quamquam, quoad fuit, omnibus ejus consiliis occurri, atque obstiti; tamen, ut levissime dicam, dimicandum nobis cum illo fuisset.' Ex posteriore casu contigit, ut verbum 'occurrere' etiam significet, juvare, et suppetias ferre; item studium suum et cultum testari. Cic. pro Deiot. c. 14. 'Occurrere ipsa misericordia tua solet supplicibus et calamitosis, nullius oratione evocata.' Ubi Abramus bene observavit, 'occurrere supplicibus,' esse, prævenire supplicantium vota, precibus obviam ire, nec expectare, dum rogetur. Ita et Hirtius de B. Afric. cap. 18. 'M. Petreius, et Cn. Piso, ... satis grandi ex itinere recta subsidio suis occurrunt.' Sic et Plinius infra LXXIX. 6. 'Videmus, ut provinciarum desideriis, ut singularum etiam civitatum precibus, occurrat,' i. e. præveniat, aut subveniat. Idem LXXXI. 1. 'Pia mente adire lucos, et occursare numinibus,' i. e. numinibus placandis venerandisque operam dare. Unde et Cic. pro Planc. c. 29. de studio occurrendi, et prensandi eos, quorum favorem et suffragium ambimus, dicit, 'Facilis est illa occursatio, et blanditia popularis.' In hoc autem Plinii loco, *occurrere fortunæ* videtur idem esse, ac resistere, et obniti fortunæ adversæ, ne cui obsit. Tacit. Annal. XV. 11. dixit, 'obniti adversis.' Cl. interpres, in vernacula, eleganter hanc formulam vertit: *der gewalt des glücks vorbeugen.* Idem.

Hominem se] Pronomen *se* in his verbis plane omissum est in impressis libris Puteolani, Rhenani, Lipsii, Berneggeri, aliisve. In ceteris excusis, ponitur hoc pronomen post verbum 'sentiret.' Eo loco, quo ego collocandum curavi, in omnibus codicibus Mss. scriptum inveni. Per 'hominem,' quatenus is opponitur civi, Plinius indicat hominem velut in statu naturali constitutum, et commodis civitatis destitutum; singulatim apud Romanos, manumissos quidem, sed nondum civibus adscriptos, item et infantes, parvosque pueros, qui homines quidem, sed ante Trajani tempora non facile participes erant congiariorum; sicut neque antehac absentium, aut ægrotantium, in distribuendis ejusmodi beneficiis, ratio habita fuisse videtur. *Cives* vero hic dicuntur Plinio, qui civitati revera inserti, beneficiis et præsidiis non solum aliorum civium et magistratuum, sed et maxime principis, adjuvabantur, et ornabantur. *Idem.*

CAP. XXVI. *Egressum in publicum*] Codices Vaticani, item Guelphicus, et liber primus Gudianus, omittunt præpositionem *in*, qua omissa, posset locum habere *observare principis egressum publicum.* Verum, cum omnes ceteri libri eam præpositionem exhibeant; nescio, cur illam ejiciam,

quam quidam librarii, vel ex oscitantia, vel ex sinistro corrigendi studio, prætermiserunt. Usitatissima sane est loquendi formula, 'prodire,' aut 'egredi in publicum.' Cic. ad Attic. VIII. 11. 'Scio equidem,' inquit, 'te in publicum non prodire.' Nepos in Alcib. c. 7. 'Quotiescunque in publicum prodiisset.' Et Tacit. Hist. IV. 49. 'Piso non in publicum egressus est.' Quidni igitur Plinius eodem modo nomini substantivo præpositionem adjungere potuit, ut dixerit, *principis egressum in publicum?* Secundum Ciceronem autem, de Invent. I. 27. 'Publicum est, quod civitas universa aliqua de caussa frequentat.' *Idem.*

Insidere vias] Vocabulum *vias* non pauci omisere editores; attamen id agnoverunt evulgarantque Cuspinianus, Gryphius, Sichardus, Lipsius, Gruterus, Parisienses, Berneggerus, Hackius, Hearne, Patarol, Ceva; idemque nunc confirmant codices Mss. Vaticani, Parisiensis, Venetus, Salisburgensis, Guelpherbytanus, meus, et Gudii liber primus. Frequens est hæc dicendi ratio, quasi a re militari petita; est enim occupare sedendo, et quasi ex insidiis expectare prætereuntes. Liv. IX. 31. 'Ingens hostium exercitus itinera occultus insederat.' Tacit. Hist. IV. 35. 'Præmissis, qui pontes et viarum angusta insiderent.' Et Annal. IV. 5. 'Quanquam insideret urbem proprius miles.' Ipse Plinius in hoc Paneg. adhuc ter verbum 'insidere' construxit cum casu quarto; v. g. I. 5. v. 4. et XXXIV. 1. Cum jam an. 1729. hanc lectionem inter Observationes meas proposuissem, defendissemque; Heumann. Pœcil. tom. III. lib. IV. non solum nomen *vias*, sed et verbum *insidere*, quamvis hoc in omnibus omnino libris extet, prorsus rejiciendum censuit: cui viro doctiss. ut pluribus respondeam, non est opus; cum jam ab Arntzenio in viam sit reductus. *Idem.*

Insidere vias, examina] *Insidere examina* Livin. sed *insidere vias, examina* C. G. *Livin.* Optime. *Rittersh.*

Examina infantium] I. e. multitudo et turbæ infantium. Rudes librarii, in cod. Vaticano 1475. et in Veneto scripserunt *exanima*. Catanæus: 'Verbum,' inquit, 'opportune translatum, pro multitudine novæ prolis instar apum; (Colum. IX. 9.) quamquam Columella (I. 5.) etiam de aliis animalibus examina dixerit: 'Et infestis,' inquit, 'aculeis, armata gignit animalia, quæ in nos densissimis examinibus involant;'' culices præsertim intelligens. Inde etiam exercitus e juvenibus conflatus, et orienti formidolosus, ut annotavit Jac. De la Baune, Horatio, Od. I. 35. 30. dicitur 'Juvenum recens examen Eois timendum partibus.' Hanc metaphoram imitatus quoque est Latinus Pacatus Paneg. c. 32. 'Omnes Scythicæ nationes tantis examinibus confluebant,' &c. In sequentibus verbis, per 'futurum populum,' designantur 'parvuli cives,' ut paullo post, § 7. dicuntur. Livineius refert, a viro quodam docto hic repositum esse *fruiturusque populus.* Etiam in Vossiano libro annotatum legitur *aturusque*, priori litera erasa vel obscurata: quod pro *maturusque* lectum esse indicat Arntzenius. Sed nostra lectio, et testatissima, et maxime idonea est. *Schwarz.*

Futurusque populus] Bene *futurus*, non enim populus infantes. Martial. VI. 2. 'Lusus erat sacræ connubia fallere tedæ, Lusus et immeritos exeruisse mares. Utraque tu prohibes Cæsar, populisque futuris Succurris, nasci quos sine fraude jubes.' Similique μειώσει Virgilius Georg. IV. ridicule, (quis neget?) ab hac tamen observatione in apibus dixit, 'parvosque Quirites sufficiunt.' Itaque temere hic repositum viro docto, 'fruiturusque populus.' *Livin.*

Ostentare parvulos] Doctiss. Heumannus, l. c. hæc scribit: 'Vide,

quæso, an dubitare valeas, ita scriptum a Plinio fuisse, *Labor parentibus erat, ostentare te parvulis.*' Valeo utique: primum, quia nullum prorsus vestigium alicujus varietatis in his verbis ostendunt scripti excusique libri. Deinde, quia neque ulla offensa, nedum necessitas, nos inducit ad verba ista mutanda: cum aptissimam planissimamque sententiam significanter efficiant. Scilicet, quoniam plebs nulla re melius poterat de republica mereri, quam procreanda et educanda sobole; tum infantes suos adventantibus imperatoribus non solum ostendebant tanquam fœtus alimentorum indigentes; sed et, quodam quasi gloriandi studio, ostentabant tanquam sua merita; ut qui eos genuissent, eosque educarent, qui aliquando populi Romani vires augere, et imperatoribus in militia usui esse, possent. Boni critici est, non mutare, ubicunque in antiquis auctoribus aliquid mutari corrigique potest; sed, ubi debet. *Schwarz.*

Reddebant illi] I. e. illi parvuli voces blandas, quas docebantur a parentibus, ut salutarent imperatores adventantes, aut ab iis alimenta peterent, referebant, et pronuntiabant; etiamsi ipsi eas nondum satis intelligerent: haud secus, ac de psittacis tradit Plin. Hist. Nat. VIII. 42. 'Super omnia humanas voces reddunt psittaci, et quidam etiam sermocinantes. India hanc avem mittit.... Imperatores salutat, et, quæ accipit verba, pronuntiat.' Idem verbum etiam de Echo usurpat Ovid. Met. III. 498. Hoc ergo sensu verbum 'reddere' nobis Germanis dicitur *nachsprechen*. Alias verbum scholasticum est, quando discipuli dicuntur dictata, aut ea, quæ memoriæ mandarunt, magistro 'reddere;' Germ. *auffsagen*. Horat. Epist. I. 18. 14. 'Ut puerum sævo credas dictata magistro Reddere.' *Idem.*

At plerique] Liber Vossianus habet *Et plerumque*. In codice Veneto prorsus vitiose scriptum est *Ac plerisque*. Sive vero *plerumque*, sive *plerique* legas, ad sententiam Plinii parum interesse videtur; nisi si forte putes, per *plerumque* indicari, non quidem semper, persæpe tamen, omnium parentum, parvulorumque liberorum, qui egressum priorum quorundam imperatorum expectaverant, blandas voces precesque fuisse irritas; at per vocem *plerique* significari, non quidem omnes simul, sed plerosque, h. e. majorem partem expectantium et petentium, non fuisse auditos, neque ad beneficii fructum admissos. Neutram sententiam absurdam esse, opinor. Verum, minime mihi placet particula copulandi, sive *Ac*, sive *Et*, scribatur. Ostenderat Plinius in proximis verbis, quam studiose parentes alias observarint egressum alterius principis, quam ostentarint ei parvulos suos infantes, hosque blandas voces et preces docuerint: nunc commemorat, quam irritæ nihilominus sæpe fuerint omnes illæ voces, precesque. Quæ oppositio non bene per particulam copulativam *Ac*, vel *Et*, sed rectius per adversativam *At*, cum præcedentibus verbis connectitur. Ita vero sæpissime errasse librarios, in commutandis particulis *Ac* et *At*, tum ob literarum *c* et *t* similitudinem, præsertim in scriptura Longobardica; tum ob minus claram et distinctam dictantium pronuntiationem, docet eruditiss. Drackenborch ad Sil. VI. 190. et Cortius ad Sallust. Catil. III. 2. Paullo quidem luculentius dicturus fuisse videtur Plinius, si forte antecedenti verbo *solebat* adjunxisset 'antehac,' 'alias,' 'olim,' &c. Sed ita sæpius is in comparatione satis habet, si prioris cujusdam principis exempla per verba temporis imperfecti indicet. Cl. Dammius, in Germanica interpretatione, aptissime evitavit omnem obscuritatem, dum pri-

oribus verbis particulam *sonst* inseruit: *Wenn sonst der tag kam, da ein solches geschenche ausgetheilet wurde, &c.* Et deinde, cum exponendus esset eventus precantium et blandientium parentum ac liberorum, quasi scriptum fuisset, *At*, pro *Ac*, in vernacula, *aber* optime reposuit: *Aber die meisten schickten ein vergebliches flehen zu dem tauben ohre ihres fürsten, &c.* Sic et Gesnerus, animadverso hoc obvio librariorum mendo, in notis novæ editionis, indicavit, se malle adversativæ particulæ *At*, pro *Ac*, hic locum dare. Ceterum nescio, unde Gryphius, Sichardus, et Stephanus sumserint vocem *invitis*, quam, pro *irritis*, in margine editionum suarum annotarunt; utique non dignam, quæ in contextum orationis admitteretur. *Idem.*

Aures adstrepebant] Codices Vaticani, Salisburgensis, Guelpherbytanus, et liber prior Gudii exhibent *obstrepebant;* ceteri scripti impressique *adstrepebant.* Verbum 'obstrepere' hic locum habere non posse, censet Arntzenius; propterea, quod id non nisi de ingrato sono accipiatur, ubi adversantibus et reclamantibus sententiis alios fatigamus, aut strepitu indignationem nostram significamus; prout plura hujus generis exempla Cortius affert ad Sallust. Catil. XXXI. 8. Verum, nescio, an hæc ingrata notio in universum et ubique tribuatur huic verbo. Certe Curtius, ubi luxum et pompam veterum Indiæ regum, VIII. 9. 25. describit, id verbum de cantu avium, ab hominibus docto, usurpat; quem vix opinor gravem molestumque esse intelligendum: 'Ramis,' inquit, 'aves pendent, quas cantu seriis rebus obstrepere docuerunt.' Manifestius idem verbum de levi gratoque susurro aquarum manantium, et ad somnum nos invitantium, adhibet Horat. Epod. II. 28. 'Fontesque lymphis obstrepunt manantibus, somnos quod invitet leves.' Non ergo verbum 'obstrepere,' propter significationem strepitus molesti, (quamquam et is precantium strepitus auribus insolentiorum principum facile gravis accidere potuerit) sed propter σύνταξιν, minus hic admitti posse, mihi videtur. Quotquot enim exempla hujus verbi mihi hucusque occurrerunt, in his illud, ubi non absolute ponitur, casum tertium adsciscit. Licet enim et hoc verbum, propter præpositionem *ob*, ex qua componitur, casum quartum admittere posse videatur; in his tamen verbis usus quammaxime spectandus est. At verbum 'adstrepere,' quamvis non tam antiqui usus, quam 'obstrepere,' inter Romanos fuisse videatur, ævo tamen Pliniano satis usitatum tritumque fuit. Id, sicut perhibetur utplurimum gratiorem strepitum, et applausum quendam, assensumque notare; ita utrumlibet casum, sive tertium sive quartum, partim ex analogia, partim ex usu, sibi adjungit. Casum dandi addit ei Tacit. Annal. XI. 17. 'Adstrepebat huic,' (scil. Italo, Cheruscorum regi,) 'alacre vulgus,' h. e. sono armorum tripudiisque approbabat hunc regem; uti Tacit. Hist. V. 17. de illo Germanorum more loquitur. Cf. idem de Germ. cap. 11. Casum etiam accusandi idem verbum aliquando recipit. Sic cecinit Calpurn. Eclog. IV. 2. 3. 'Quidve sub hac platano, quam garrulus adstrepit humor, In lecta statione sedes? Juvat humida forsan Ripa, levatque diem vicini spiritus amnis?' Cujusmodi plurium verborum structuram exponunt grammatici. Absolute, et sine casu personæ, posuit hoc verbum Tacit. Hist. IV. 49. 'Centurio . . magna voce læta Pisoni omnia, tanquam principi, continuare; obvios, et subitæ rei miraculo attonitos, ut eadem adstreperent, hortari.' Ceterum *surdas aures* Plinius vocat, non, quæ natura, sed

obstinatione sunt surdæ; quæ sunt inexorabiles, nec patent aliorum precibus, sermonibusque, etiamsi audire possint. Sic Tacito Hist. III. 67. 'surdæ ad fortia consilia Vitellio aures,' dicuntur; et Quinctiliano Declam. VI. 3. 'surdi votis Dii.' Curtius IX. 2. 'surdas jamdudum aures pulso;' et cap. 10. 'Quum frustra surdas aures regis fatigarent.' *Idem.*

Donec scirent] Ætate in maturam crescente. *Patarol.*

Donec plane scirent] Quousque igitur? ad undecimum annum, ex his Suetonii cap. 41. in Aug. 'Congiaria populo frequenter dedit, ac ne minores quidem pueros præteriit, quamvis ante non nisi ab undecimo ætatis anno accipere consuessent.' Majores igitur pueri, sed tamen adhuc pueri capiebant. *Lips.*

Differebantur] H. e. rejiciebantur in aliud tempus, et maxime in eam ætatem, ubi jam planius intelligere possent, quid peterent, quidve impetrarent. Sueton. Aug. cap. 41. docet, alias pueros plerumque non nisi ab undecimo ætatis anno congiarium accipere consuesse. Ceterum, frequentissime quidem res; v. g. tempus, arma, bellum, consilium, iter, et sexcenta alia; rarius autem personæ, sive homines, differri dicuntur. Dixit tamen ipse Cic. ad Fam. v. 12. 'Sin autem differs me in tempus aliud, coram tecum loquar.' Tacit. Hist. II. 71. 'Vitellius Valerium Marinum, destinatum a Galba consulem, distulit.' Et Hist. III. 51. 'Distulerant gregarium equitem, tanquam majora meritum, quam quæ statim exsolverentur.' *Schwarz.*

Sustinuisti] I. e. tu ne quidem expectasti, dum rogareris. Germanice reddere possis, *Du hast dich nicht einmahl so lange gedultet, bis du nur erstlich um die wohlthat wärest angesprochen worden.* 'Sustinere' hoc loco est, quasi cum patientia quadam expectare; et sic sæpe dicitur de creditoribus, qui patienter expectant solutionem debitorum. Ita conjungit hæc verba Martial. IX. 4. 'Exspectes, et sustineas, Auguste, necesse est; Nam tibi quod solvat, non habet arca Jovis.' Cic. ad Attic. XII. 51. 'Sustinenda tamen, si tibi videbitur, solutio est nominis Cærelliani, dum et de Metone, et de Faberio, sciamus.' *Idem.*

Sustinuisti] 'Cæsar non sustinuit imitari,' Suet. c. 75. 'Non sustinuit ei nocere,' c. 74. 'Non occidere sustinuit,' Val. Max. VIII. 9. 2. 'Deprecari pro se non sustinerent,' Vell. Pater. II. 86. 'Nemo armatus opem a Diis petere sustinuit,' Curt. IV. 4. Adok. VI. capp. 1. 7. 8. 9. Et Paneg. LX. 5. LXXXVI. 6. *Bern.*

Conspectu Romanæ sobolis impleri] Unicus liber Vossianus hunc locum insigniter mutatum refert, *et, quamquam lætissimus oculis tuis esset conspectus Romanæ sobolis; impleri omnes tamen, . . recipi, incidi, jussisti.* Licet vero sententia Plinii sic satis sibi constet; minus commode tamen verbum *impleri* vel ad posteriora verba referendum, vel, contra auctoritatem omnium aliorum exemplarium, penitus ejiciendum esset. Vulgata lectio, ut recte animadvertit Arntzenius, nihil habet, quod lectorem offendat; sic et Plinius jam supra, XXII. 2. dixit, 'oculos insolito spectaculo implere.' *Schwarz.*

Te viderent, adirentve] In quibusdam Catanæi editionibus legimus *adirentur;* sed nos ultimam literam *e* in *r*, ex typographorum vitio, mutatam, propagatamque, putamus. Illud vero consideratione dignius est, quod Gryphius, Sichardus, et Henr. Stephanus, in margine editionum suarum, loco ultimi verbi, annotarunt *audirentve.* Ea enim varietas, si veterum codicum auctoritate niteretur, neutiquam spernenda esset; cum tunc facile credas, propter similitudinem soni particulæ *ve,* forte omis-

sum esse pronomen *se;* cujus omissionis permulta extant exempla. Inde vero peropportuna existeret lectio *antequam te viderent, audirentve, se recipi, incidi jussisti.* Idem.

Recipi, incidi, jussisti] Plurimi codices Mss. et libri impressi referunt hanc lectionem. Solummodo Vaticanus 3461. et Guelpherbytanus, item et liber prior Gudii, prorsus prætermittunt verbum *incidi;* quod nec facile desideres, nisi potius suspiceris, ejus loco verbum *recipi,* tanquam notius, ex glossa irrepsisse. Codex Salisburgensis contra, pro *incidi* inutiliter reponit *includi;* ubi tamen non obscure apparet, quomodo librarius ex verbo *incidi,* cujus sensum minus capiebat, effinxerit *includi.* Henr. Stephanus, Ascensius, et Elzevir, pro *incidi* habent *indici,* forte, quasi notaret *indicari;* cum parentes infantium suorum, quibus alimenta ex publico dabantur, nomina apud præfectum annonæ indicarint, aut professi sint. Sed sine dubio hoc quoque verbum *indici,* pro *incidi,* receptum, et ex ignoratione moris nominum in ære incidendorum, ortum est ; de quo more infra, ad caput XXVIII. 6. non nihil dicemus. *Idem.*

Incidi] In æneis tabulis, in quibus stili incisione civium nomina scribebantur. *Patarol.*

Incidi] In tabulas publicas, in quibus nomina descripta eorum, qui frumento donarentur. Supra, omnes antequam te viderent adirentque, recipi, incidi, jussisti. Senec. de Benef. IV. 18. ut quidem legitur in cariosis libris, 'Frumentum publicum tam fur, quam perjurus et adulter accipiunt, et sine delectu morum, quisquis incisus est.' Pinciano, qui eam lectionem solicitavit, non assentior. *Livin.*

Incidi] In tabulas. Seneca de Benefic. IV. 2. nota 131. 'Frumentum publicum tam fur, quam perjurus, accipiunt, et sine discrimine morum, quisquis civis est.' Aliquot ibi scripti libri, 'quisquis incisus est.' *Lips.*

Incidi] Inscripti, insculpti in tabulis, in censu. Hinc recensi: quia identidem purgentur eæ tabulæ, aliique sufficiuntur. Sueton. Cæs. c. 41. Aug. c. 40. *Bern.*

Parentem publicum] Rudes quidam librarii, qui fortasse ignorarunt parentem publicum dici patrem patriæ, varie locum hunc corruperunt. In codice Vaticano 1475. nomen *parentem* plane omissum est. Codex Venetus, et meus, habent *parentum publicum munus.* Codex Guelpherbytanus, inversis modo vocibus, *publicum parentum munus.* Verum, bene se habet vulgata lectio. Ita nimirum Trajanus etiam infra, LXVII. 1. et LXXXVII. 1. a Plinio dicitur 'parens publicus.' Ita et Imperator Claudius Caligula, in antiquo senatusconsulto, facto de Pallante, Claudii liberto, apud Plin. Ep. VIII. 6. 10. dictus est 'Princeps. Optimus. Parensque. Publicus.' *Schwarz.*

De tuo] I. e. sumtu tuo, impensa tua, de tuis facultatibus. Similes formulæ frequenter occurrunt in antiquis monimentis. Ita, v. g. apud Grut. pag. VI. 6. de M. Ulp. Muciano legimus, TEMPLVM. A. SOLO. DE. SVO EX. VOTO. FECIT. In alio monimento incisum est, TEMPLVM. EX. SVO. FECERVNT. Apud Terent. Adelph. V. 8. 17. dicit Micio, 'De te largitor, puer.' Ubi Donatus quidem, 'Acutius,' inquit, '*de te* dictum est, quam *de tuo;*' sed non ostendit, quodnam illud acumen sit. Plautus Menæchm. III. 3. 21. 'Da sodes abs te; post ego reddidero tibi.' Illi formulæ, 'de tuo,' opponitur 'de alieno.' Justin. XXXV. 3. 'Facile tunc Romanis de alieno largientibus.' *Idem.*

Alimentisque tuis] 'Frumentariam perceptionem' Jul. Capitolinus appellat Marco Antonino Philosopho; 'alimentaria compendia,' Pertinace. Porro pertinent huc Trajani numi

cum inscriptione ALIM. ITAL. *Livin.*

Quisque deberet] Liber Vossianus, Bernegger, De la Baune, Ceva exprimunt numerum multitudinis *deberent*. Sed nulla opus est mutatione; quam neque alii codices antiqui indicant. *Schwarz.*

Spem Romani nominis... suscipis] Constat, *nomen* sæpe pro homine, gente, et populo, poni. Quam loquendi rationem Græcis etiam Hebræisque communem esse, notat Guil. Canterus, Nov. Lection. II. 10. Sic Sallust. Catil. cap. 52. ait, 'Gallorum gentem infestissimam nomini Romano' (i. e. populo Romano) 'ad bellum arcessunt.' Idem Jug. c. 39. 'A sociis, et nomine Latino, auxilia arcessere.' Sic 'nomen, Romanum, Latinum, Volscum, Albanum, crebro etiam occurrit apud Livium. *Spes* autem *nominis Romani*, est soboles populi Romani, aut, ut brevis modo dixerat Plinius, 'soboles Romana.' Scilicet *spes* non solum de sobole animantium dicitur; ut de capellis Virgil. Eclog. I. 15. 'Spem gregis, ah silice in nuda connixa reliquit;' de apibus Georg. IV. 162. 'Aliæ spem gentis adultos Educunt fœtus:' sed etiam vel maxime dicitur de liberis, qui in spem familiæ, in spem populi et reipublicæ, succrescunt. Casaubonus ad Pers. Sat. II. p. 202. notat, Latinis familiare esse, 'spem' pro pueritia, aut juventute, item pro puero ac juvene dici. Virgil. 'nec spes jam restat Iuli.' Seneca apud Tacit. 'Quartus decimus annus est, Cæsar, ex quo spei tuæ admotus.' Sic et Cic. ad Fam. XIV. 4. 'Mea Terentia, . . . et mea charissima filiola, et spes reliqua nostra, Cicero, valete.' Vide vero, quam selectis aptisque verbis Plinius in hac re exprimenda utatur! Postquam enim Trajanum dixerat 'parentem publicum;' nunc sobolem Romanam vocat *spem*, utpote de qua in futurum tempus optima quæque sperare poterat parens publicus; denique munus et beneficium paternum exprimit per verbum 'suscipere.' 'Suscipis,' inquit, 'spem nominis Romani,' h. e. sobolem Romanam, tanquam pater, alendam educandamve decernis. 'Tollere' enim et 'suscipere liberos,' proprium erat patrum, si quos liberos nutriendos educandosque decernerent. Quis enim nescit, Romanos consuevisse, infantes, simul editi essent, humi deponere, ut Opem, tanquam matrem communem, salutarent, cujus ope posthac indigerent? Quem autem pater probaret et alere, nec exponere vellet, hunc humo 'tollebat,' sive 'suscipiebat;' quam susceptionem credebant fieri ope Levanæ Deæ, quæ scilicet pueris de terra levandis præesset. Qua de re, præter alios, adire licet Th. Bartholinum de Puerperio Veterum, p. 73. seqq. Itaque, et 'tollere' et 'suscipere liberos,' frequentissime dicitur pro nutrire liberos et educare. Sic Terent. Andr. I. 3. 14. ait, 'Quicquid peperisset, decreverunt tollere.' Et Andr. IV. 4. 37. 'Nisi puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam provolvam.' Andr. II. 3. 27. 'Pollicitus sum, me suscepturum puerum.' Phorm. V. 8. 18. 'Clam te uxorem duxit, et inde filiam suscepit jam unam.' Cf. Plaut. Amphitr. I. 3. 3. Cistell. I. 2. 5. Cic. ad Attic. XI. 9. 'Hæc ad te die natali meo scripsi; quo utinam susceptus non essem!' Bene autem addit Plinius, 'sumtibus tuis spem Romani nominis suscipis;' ut significaret, Trajanum, publicum sobolis Romanæ parentem esse, non natura, sed animo, et benignitate, et similitudine curæ paternæ; sicut Sallust. Catil. VI. 6. ait, senatores Romanos 'curæ similitudine patres esse appellatos.' Et Micio Terent. Adelph. I. 2. 46. 'Natura tu illi pater es; consiliis ego.' *Idem.*

Tollendos liberos] De verbo 'tollere' et 'suscipere,' vide proximam notam. Ceterum, de præmiis πολυτεκνίας,

item et de pœnis cælibatus, paullo plura tradunt jureconsulti ad legem Papiam; et, præ ceteris, in compendio, celeberrimus Heineccius Antiquit. Juris, I. 25. 3. seqq. Cf. Lips. Excursu ad Taciti Annal. III. p. 50. 60. seqq. et Bernegger. ad Sueton. Cæs. XX. 5. *Idem.*

Ad tollendos] Panegyristes in Maximin. et Constantin. Leges hæ (Julia, Papia, de quibus vide Paul. v. 71. de hered. instit. et 48. de ritu nupt. et omnino Lips. in Excursu ad Tacit. c.) 'quæ mulcta cælibes notarunt, parentes præmiis honorarunt, vere dicuntur esse fundamenta reipubl. quia seminarium juventutis, et quasi fontem humani corporis semper Romanis exercitibus ministrarunt.' Romanis ergo cum primis curæ erant conjugia: Ciceronis lex, 'Cælibes esse prohibento;' nec solum ignominiæ cælibatus, sed pœnæ erat. Val. Max. II. 9. 1. Inde 'æs uxorium' apud Festum, quod populo pendebat ἄγαμος. Contra præmia πολυπαιδείας posita ex Dione 43. Suetonio Aug. 34. Horatio in Carm. Sæcul. rursus Dion. lib. LIV. discimus, ut tanto alacrius jactura juvenum repararetur, quæ bellis civilibus contigerat. 'In multitudine populi dignitas regis, et in paucitate plebis detrimentum principis.' Proverb. XXIV. 28. *Bern.*

Ingentia præmia] Ex lege Julia et Papia, de quibus affatim Taciti Annal. III. *Lips.*

Ingentia præmia, et pares pœnæ] Præmia erant, inter cetera, jus trium vel quatuor liberorum. Nimirum, qui in urbe tres liberos habuisset, in Italia quatuor, in provinciis quinque, immunis erat a cura, tutela, ceterisque omnibus personalibus muneribus. Secundo, honestior locus in theatro, ac præcedentia in magistratu. Tertio, honorum ac magistratuum petitio ante annos præstitutos. Pœnæ quoque plures: Primo, cælibes legata non capiebant, nisi legi ipsi intra centum dies paruissent. Secundo, ære etiam mulctabantur, dicebanturque 'uxorium' pendere, ut legitur apud Festum. Nec Romanis tantum, verum et Græcis, pari sollicitudine liberis prospectum, cælibesque puniti. Quare Plato de Leg. lib. VI. ait, irrogatam fuisse pœnam illi, qui sine connubio quinque ac triginta egerit annos; ut, si de maximo censu esset, drachmas centum mulctaretur; si de secundo, septuaginta; si de tertio, sexaginta; si de quarto, triginta, &c. *Patarol.*

Pauperibus educandi] *Pauperibus educandis* edit. Rhenan. *Educandi*, quod paullo post dicit 'magnum quiddam est educandi incitamentum, tollere liberos.' Sic in margine H. Steph. *Faber.*

Pauperibus educandi] *Pauperibus educandis*, Grut. Videtur aptius, quod restat in Viennensi editione, *educandi*, quamvis tamen et alteri suus sensus. *Grut.*

Pauperibus educandi una ratio est] Codex Vaticanus 1475. et Salisburgensis, item Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Aldus, Lipsius, aliique produnt *pauperibus educandis*. Sed ceteri codices Mss. nec pauci libri impressi habent *pauperibus educandi*. Quæ posterior lectio utique alteri est præferenda; quod jam vidit Gruterus. Structura grammatica horum verborum est: 'Princeps bonus est una ratio pauperibus parentibus educandi liberos.' Sic Plinius etiam, c. XXVII. 1. absolute loquitur, 'Magnum quidem est educandi incitamentum,' &c. *Schwarz.*

Fiducia sui] Id est, liberalitatis, quæ ab se expectetur. Supra cum dicit, 'ingentia præmia, et pares pœnæ,' legem Papiam Poppæam intelligo. De qua vadi Sueton. Aug. cap. 38. *Livin.*

Frustraque proceres] *Frustra princeps* Livin. sed *frustraque proceres* V. C. optime. *Rittersh.*

Frustraque proceres, plebe] Beroaldus, Gryphius, Sichardus, Livineius habent *frustraque princeps, plebe*. Puteolanus, Catanæus, Manutius, Junta, Philomusus, Rhenanus, R. et H. Stephani, Navius, Elzevir, Boxhornius, et Cellarius, omissa simul copula *que*, referunt *frustra princeps, plebe*. Verum hic est inconcinnus, et quodammodo hiulcus sermo. Cur enim Plinius, sine emphasi et figura, bis repeteret idem vocabulum *princeps*, quod proxime, ante hæc verba, jam posuerat, et cui in priore loco signantius addiderat ἐπίθετον, *bonus princeps?* Adhæc, sic deficit quædam vox. Quis est enim ille, quem princeps, *tanquam defectum corpore caput, tuetur?* An tuetur 'se et imperium suum?' Quod durioris ἐλλείψεως complementum suggerit Catanæus. At planiorem et concinniorem hunc locum, prout eum in contextu exprimendum curavimus, referunt codices Vaticani, Salisburgensis, Guelpherbytanus, meus, liber Vossianus, et codex vetus Livineii; qui omnes, pro vocabulo *princeps*, reponunt *proceres*. Eodem modo integrum hunc locum jam ediderat Cuspinianus. Codex Parisiensis eandem vocem *proceres* exhibet, sola copula *que* prætermissa. Quanquam vero etiam Lipsius, Gruterus, Parisienses, Berneggerus, Hackius, Patarol, Ceva, vocem hanc *proceres* jam prodiderint, hi tamen omnes ei otiose simul addiderunt nomen *princeps;* quod hoc loco fortasse ex nomine *proceres*, compendiose scripto ortum, modo solum, modo deinde cum vero nomine *proceres* conjunctum, libros quosdam inutiliter occupavit. Liber prior Gudii, loco vocabuli *proceres*, prodit *priores;* sed, nisi in hoc forte lateat nomen *primores*, præstat retinere *proceres*. *Proceres* vero, secundum Isidor. Origin. IX. 4. 'sunt principes civium vel civitatis; quasi procedes, quod ante omnes honore præcedant. Unde et capita trabium, quæ eminent extra parietes, proces (proceres) dicuntur, eo, quod primo procedant. Hinc autem ad primores facta translatio; quod e cetera multitudine emineant.' Dubito, an firmum sit, quod Isidorus de voce *proces, procedes*, habet. Alii alia ἔτυμα proponunt; e quibus mihi potissimum placet Græca origo, a προέχειν, *prominere;* hinc προεχὴς, et Æolice προεχὴρ, *eminens, prominens*. Arntzenius ex Aur. Victore Cæs. c. 1. et 26. ostendit, senatores potissimum *proceres* dictos esse. Poterant tamen hoc nomine etiam conspectiores ordinis equestris et plebeii homines, et generatim quivis primarii cives, et optimates, comprehendi. Livio II. 20. equitum Romanorum primores etiam dicuntur 'proceres juventutis.' Gaudebam, mihi primum ex indicio codicis mei et editionis Cuspiniani, (cetera enim subsidia deinceps demum nactus sum) contigisse, ut hunc locum, hucusque vulgo depravatum, pristinæ integritati restituere possem, unde vera Plinii sententia facile eluceat. Atque hanc emendationem etiam Gesnerus et Arntzenius amplecti nihil dubitarunt. At vide, quid huic reposuerit Heumannus! 'Ergo,' inquit, 'veram scripturam sic restituo: *Occasum reipublicæ accelerat, plebe neglecta, ut defectum corpore caput, nutaturumque instabili pondere ruituræ*.' Mihi tantum animi non est, ut veram scripturam, et emendationem moderatæ criticæ congruentem, existimarem, ostentaremque, si ex brevi sententia veteris scriptoris, contra auctoritatem omnium omnino librorum, tres voces, 'frustraque, proceres, tuetur,' rejicerem, et aliam, cujus nullum prorsus vestigium apparet, aliunde adscitam, intruderem; maxime, si multo lenior, et ex antiquis libris luculentior, proferatur emendatio. *Schwarz.*

Defectum corpore caput] I. e. Caput corpore destitutum, sive truncatum.

Sic loquitur Phædr. v. 7. 'Accessit alter, æque defectus pilis.' Ovid. Met. v. 106. 'Sanguine defectos cecidit collapsus in artus.' Val. Flac. VII. 116. 'Solo mæret defecta cubili.' Seneca Hippol. vs. 375. 'Vadit incerto pede Phædra, jam viribus defecta.' Ne vero putes solos poëtas ita loqui, audi et Val. Max. VII. 6. 2. 'Casilinates alimentorum facultate defecti.' Idem III. 2. ext. 'Vir amplissimus atque prudentissimus suo consilio defectus, puerili usus est.' Bene autem sapienterque docet Plinius, illum principem facile exitium et occasum imperii acceleraturum esse, qui solos primores, et nobiles, ditesque tueri velit; contra autem inferiores, et plebem pauperem negligat, neque ejus rationem curamque habeat. Quam parum enim homo vivere, recteque valere, et firmis pedibus stare potest, cujus caput solum superest, sine trunco et inferiore corpore; tam parum etiam stare et florere potest res publica, ubi solus princeps, et cum ipso proceres, tanquam capita, bene se habeant; plebs vero, et pauperes, in dies deficiant, aut intereant, et velut a superioribus partibus reipublicæ prorsus separentur. Pertinet huc eximia sententia Cic. e Platone repetita, Offic. I. 25. 'Omnino, qui reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant: unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut, quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum: alterum, ut totum corpus reipublicæ curent; ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. . . . Qui autem parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam; ex quo evenit, ut alii populares, alii studiosi optimi cujusque, videantur, pauci universorum.' *Idem.*

tum corpore] Martial. XIII. 77. defecta modulatur carmina lingua Cantator cygnus funeris ipse sui.' *Bern.*

Facile est conjectare] Codex Guelpherbytanus et uterque liber Gudianus, pro *conjectare* habent *cogitare*. Sed salva debet esse vulgata lectio. Verbum id est Plinianum: Epist. III. 9. 26. 'Conjectabis,' inquit, 'ex hoc.' Epist. VII. 27. 14. 'Ex quo conjectari potest.' Supra, Paneg. XX. et Epist. III. 27. 6. dicit 'conjecturam facere.' Sic et Quinctilianus, Plinii præceptor, Instit. Orat. VII. 3. 'Utrum sit in re, conjectat.' Quin et ante hos Terent. Eun. III. 4. 5. 'Neque scio, quid dicam, aut quid conjectem.' *Schwarz.*

Aures tuas imbuit] Codex Vaticanus 3461. pro *imbuit* ostendit *incubuit*. Quæ varietas inanem quidem, qualemcumque tamen, præ se fert speciem. At nullo modo exputare possum, quomodo librarii inertes, in codicibus Vaticanis 1475. et 1476. item in Parisiensi, Veneto, et meo, in communem inciderint errorem, ut pro *imbuit* pinxerint *imbutus;* quæ vox etiam conspicitur in libro Vossiano. *Idem.*

Daturus alimenta] Atqui de congiario dixit tantum, quod sane diversum ab istis: et infra XXVII. 1. bis terque disjungit: 'In spem congiariorum, in spem alimentorum.' Iterum, 'Congiarium das de tuo, alimenta de tuo.' Diversa hæc igitur: sed opinari licet, quod qui ad congiaria admissi, iidem ad frumenta. Nam sic *alimenta* interpretari Capitolinus videtur in Antonino: 'Pueros et puellas novorum hominum frumentariæ perceptioni adscripsit:' ut puto, exemplo isto Trajani, sed et Hadriani, de quo Spartianus, 'Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit.' Etsi haud negem, potuisse et in pecuniæ modo hæc alimenta finiri. Sed hæc nunc a Trajano Romæ: postea per Italiam hanc libera-

litatem sparsit. Quæ in eo tam benigna, (verba Dionis) ὡς καὶ ταῖς πόλεσι ταῖς ἐν Ἰταλίᾳ πρὸς τὴν παίδων τροφὴν πολλὰ χαρίσασθαι. *Ut etiam oppidis Italiæ multa, ad puerorum alimenta, contulerit.* Hoc numi ita edunt, IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. Parte versa, ALIM. ITAL. cum figura viri alimenta in pueros distribuentis. Mansit institutum; 'et cura alimentorum in Italia,' inter honestissima munera fuit, atque adeo post regimen provinciarum suscepta. Vide in Vita Pertinacis et Juliani. *Lips.*

CAP. XXVII. *Libeat, expediat*] Hoc ἀσύνθετον exhibent omnes codices scripti, plurimique libri impressi. In his vero duntaxat Gryphius, Sichardus, H. Stephanus, Elzevir, Boxhornius, Hearne, Cellarius, et nunc Gesnerus, copula *et* inserta, legunt *libeat et expediat*. Atque fateor, hoc loco mihi magis placere copulam, quam ἀσύνθετον. Facillime autem fieri potuit, ut copula ista *et*, propter primam syllabam sequentis verbi *expediat*, a dictante quasi fuerit absorpta. Ceterum, hæc prima verba, 'Super omnia,' &c. usque ad 'expediat,' hucusque quidem in vulgatis editionibus, quæ recentioribus temporibus divisionem hujus Panegyrici in capita adsciverunt, superiori capiti XXVI. adhæserunt; verum, cum suavem et elegantem contineant transitum, ac sequentia cum superioribus apte connectant; cumque intempestivam eorum divulsionem etiam agnoverit Gesnerus; ea ipsa jam ad caput XXVII. retuli. *Schwarz.*

Fragilitatis humanæ vices] Hæ vices sunt casus humani, maxime morbi, et mors; quos et Cicero dicebat se timere Cæsari, Orat. pro M. Marcello, c. 7. 'Equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, et incertos eventus valetudinis, et naturæ communis fragilitatem, extimesco.' Ita et Plin. Epist. III. 17. timet pro capite amicissimo, 'quicquid accidere homini potest.' Notabunt vero juniores loquendi formulam, 'parens filio metuit,' sive, quod metu vehementius est, 'horret vices fragilitatis humanæ,' h. e. parens magno cum metu solicitus est de filio, propter istas vices. *Idem.*

Principis ira] 'Ira procul absit,' inquit Cic. Offic. I. 38. 'cum qua nihil recte fieri, nihil considerate, potest.' Gravis hic morbus in quovis hominum genere; in imperantibus, si insanabilis est, pestis est. 'Iracundiæ vitium,' inquit idem Cic. ad Q. Fr. I. 1. 13. 'cum in hac privata quotidianaque vita, levis esse animi atque infirmi videtur; tum vero nihil est tam deforme, quam ad summum imperium etiam acerbitatem naturæ adjungere.' Fuere quidem multi principes ad iracundiam propensi; sed ad eam sanandam identidem admisere remedia. At, judice Themistio, Orat. XVII. p. 448. ne Getarum quidem invasio tantum nocuit imperio Romano, quantum Neronis iracundia, vel Domitiani furor: quorum exempla haud dubie respicit Plinius. *Idem.*

In spem alimentorum] Codex Vaticanus 3461. item et Guelphicus prætermiserunt hæc tria verba; prætermiserat et Salisburgensis; ubi vero ea in margine restituit antiqua manus. Occasio negligentiæ librariorum facile patet; nempe repetitio earundem vocum, *in spem*. Ceterum hic bene notandum est, 'alimenta,' quorum meminit Plinius cap. XXVI. XXVII. XXVIII. a 'congiariis' fuisse distincta, licet eadem sæpe conjungat idem Plinius; propterea, quod utrumque genus beneficii ex liberalitate principis, eodem fine, fluxit, et aliquando ex parte ad eosdem homines redundavit. 'Congiarium,' de quo alibi dixi, et majoribus natu, et pueris, commune esse poterat: 'ali-

menta' autem pueris puellisque ingenuis Trajanus, et alii deinde imperatores, de suo, aut e publico, dedere. Atque ii, qui percepere, inde appellati sunt 'pueri puellæque alimentarii;' item Trajani tempore, a gentili hujus imperatoris nomine, 'pueri puellæque Ulpiani.' Servant hujus rei memoriam non solum scriptores historiæ Augustæ; sed et nummi, et inscriptiones veteres. Ex Grutero nunc duas afferre libet: alteram Trajano, alteram Antonino Pio dicatam.

Ex pag. MLXXXIV. 7.

IMP. NERVAE. TRAIAN. AVG.
GERM. P. MAX. TRIB.
POTEST. COS. III. P. P.
NOMINE. PVERORVM
PVELLARVMQVE
VLPIANORVM
EX. S. C. P.

Ex pag. MXXII. 6.

T. AEL. HADRIANI
ANTONINI. AVG.
PII. PONT. MAX.
TRIB. POT. XIII.
IMP. II. COS. IIII. PP.
FILIO
PVERI. ET. PVELLAE
ALIMENTARI.

Neque vero Trajanus hanc liberalitatem solis præstitit parvulis civibus urbanis; sed etiam in Italicorum opidorum pueros puellasque diffudit, et certos 'procuratores alimentorum,' aut 'curatores pecuniæ reipublicæ alimentariæ,' instituit; id quod jam Lipsius, in Comment. ad superius caput XXVI. ex Dione Cassio, et antiquis nummis ostendit. Et Trajanus quidem, quod Plinius, in sequenti capite XXVIII. 4. tradit, circiter quinque millia hujusmodi puerorum puellarumque ingenuorum, atque, ut opinor, maxime urbanorum, sic aluit, et, quantum quidem ex Capitolino in Pertinace, cap. 9. intelligimus, usque in annum nonum ætatis. 'Alimentaria,' inquit, 'compendia,' sive impendia, 'quæ novem annorum ex instituto Trajani debebantur, obdurata verecundia sustulit Pertinax.' Scilicet ista liberalitas alendorum certorum puerorum, puellarumque, ad exemplum Trajani, etiam ab aliis quibusdam imperatoribus continuata est, v. g. ab Antonino Pio, qui etiam, in honorem Faustinæ uxoris, instituit puellas Faustinianas; item a M. Aur. Antonino, ab Antonino Vero, aliis. Sic, teste Lampridio, c. LVII. Alexander Severus etiam in honorem matris, 'puellas et pueros Mammæanas et Mammæanos' instituit. Paullo plura hanc in rem suggerit Spanhemius de Præst. et Usu Numism. T. II. pag. 543. seqq. *Idem.*

Filios concupiscant] Plin. Epist. X. 2. 'Eoque magis liberos concupisco, quos habere etiam illo tristissimo sæculo volui; sicut potes duobus matrimoniis meis credere.' *Idem.*

Nihil largiatur princeps, dum nihil auferat] 'Munificentia ergo non est summa virtutum in principe,' Cic. Off. II. 15. Sueton. de Tit. cap. 7. 'Nulli civium quidquam ademit; abstinuit alieno, ut si quis unquam, ac ne concessas quidem, ac solitas collationes recepit. Et tamen nemine ante se munificentia minor.' *Bern.*

Nihil largiatur] Sic Domitianus, qui initio liberalitatis experimenta dedit, 'omnes circa se largissime prosecutus; sed conversus ad rapinas, nihil pensi habuit, quin prædaretur omni modo bona vivorum et mortuorum,' Suet. Domit. c. 9. *Idem.*

Largiatur, et auferat; alat, et occidat] Boxhorniana et Cellarianæ editiones, utroque loco, pro *et* habent *ut*. Sed præstat vulgata lectio; quam et omnes codices scripti confirmant. Equidem Heumannus tuendam putavit, quam ego dudum rejeci scripturam; sed nullam, quam recte desideravit Arntzenius, sententiæ suæ exposuit caussam. *Schwarz.*

In tam brevi] Livin. pro *in tam* le-

git *in quam*. Fortasse verior nostra conjectura, *in brevi tempore*. Rittersh.

In tam brevi tempore] Hanc lectionem invenimus in codicibus Vaticanis, Parisiensi, Salisburgensi, Guelphico, et nostro. Venetus quidem paullo aliam exhibet scripturam: *ne*, (*næ*,) *ille vitam brevi tempore;* sed quis non videt, in voce *vitam* etiam latere particulas *in tam?* Has particulas præterea exprimunt Puteolanus, Cuspinianus, et ceteri fere omnes, si a paucis discesseris. Quibusdam enim non satis se probavit præpositio *in;* cujusmodi exemplum etiam supra, ad pag. 464. habuimus. Hinc Ascensius, Henr. et Paul. Stephani, ac Boxhornius, hac præpositione *in* prætermissa, edidere *næ ille tam brevi tempore*. Aliis majori offendiculo est particula *quam;* cum ea ordinarie relationem quandam inferat, hancque vel tacitam, vel expressam; nulla autem hic appareat relatio ad certum tempus, ut intelligas, *quam brevi* alius aliquis idem effecerit. Exempla illa, quibus solet probari particulam *tam* aliquando etiam absolute poni, nihilominus per relationem interpretari possumus; v. g. quando mox dicit Plinius, 'locupletatis tam multis,' intelligas scilicet, quam multos revera locupletavit Trajanus, de quo in præsenti loquitur orator. Quodsi vero audiamus Scioppium, possent hæc verba etiam sine relatione ita explicari: 'intra valde breve tempus.' Lib. II. enim Suspect. Lection. Epist. 4. pag. 96. *Tanto*, inquit, pro *magno* dicitur; sicut *tam* pro *valde;* ut me docuerunt duo Galliæ lumina, Barn. Brissonius et Petr. Faber.' Posse tamen particulam *tam* ab hoc loco abesse, facile putes; cum ejus jactura non solum nullum damnum afferat sententiæ Plinii; sed eam magis explanet, et quasi fluidiorem efficiat. Inde illam rejiciendam dudum censuere Livineius et Rittershusius noster. Livineius in contextu quidem integram servavit vulgatam lectionem; sed in margine, pro *in tam*, reponendum censuit *inquam*. Rittershusius aliquantum aptius, *næ ille in brevi tempore*. Buchnerus in Lexico, (quod Cellarius animadvertit,) existimavit legendum, *næ ille quam brevi tempore*. Jo. Fred. Gronovius in emendationibus suis Mss. ad Plinii Paneg. annotavit, forte legendum *næ ille tum in brevi*. Behrius maluit legere *næ ille ita brevi tempore*. Mihi antehac in mentem venit *næ ille etiam brevi tempore*. Gesnerus, in recentiore editione, exhibuit *næ ille jam brevi tempore*. In notis profitetur, se dedisse lectionem Gruteri; verum Gruterus, in editione Francofurtana an. 1607. prodidit lectionem vulgatam; neque in notis suis aliquid de hoc loco monuit. Ego vero in libro priore Gudii annotatum deprehendi, pro *in tam*, leg. *tamen*, vel *jam;* sed nescio utrum hæc varietas ex conjectura Gudii, an ex fonte alicujus antiqui codicis, dimanaverit. Fateor, me in his fere dubium hærere: interim mihi persuasum habeo, neminem sententiæ Plinianæ vim illaturum esse, sive prorsus abjiciat istas particulas *in tam;* sive in earum locum surroget, vel *tum in*, vel *quam*, vel *jam*, vel *ita*, vel *etiam*. Quodsi autem nos ii esse nolumus, ut ea, quæ nobis placent, statim intrudamus veterum libris, credamusque, ea ipsa, quæ nobis nunc meliora et planiora videntur, etiam antiquis auctoribus, cum scriberent, pariter in mentem calamumque venisse; aut necessario talia etiam visa esse, qualia nunc nobis: cur, quæso, continuo rejiciamus lectionem, tot auctoritatibus jam munitam? Et quamquam eam nec mordicus defendere velimus; tamen nec sine probabili antiquitatis indicio emendationem adhuc incertam, etsi nobis planior videatur, recipere audemus. *Schwarz.*

Sui parentumque pæniteat] Scilicet potuit cives sub tyranno viventes pœnitere posterorum suorum, quos magnis quidem curis laboribusque educaverint; nunc vero viderent, rapacitati, et crudelitati, libidinique tyranni, expositos; inprimis, si parentes ipsi suppliciis filiorum interesse cogerentur: quod factum est Caligulæ temporibus, teste Sueton. Calig. cap. 27. Pœnitere eos potuit 'sui;' quod se servarint tam duris periculosisque temporibus, ut servirent voluntati tyranni, nec suæ virtutis aliud præmium, quam cruciatum, exitium, et mortem, a tyranno expectarent. Pœnitere denique eosdem etiam potuit 'parentum;' quod ab his nati essent, a quibus, per sævitiam principis, vel occisis, vel exspoliatis, non satis educari, nec aliquam hereditatem capere, potuerint. *Idem.*

Ut ferarum catuli] *Ut ferarii catuli* Grut. Ita quidem editio, quam procuravit nobis optimus Livineius; sed, cum abeat verbo uno a scriptura vulgata, neque ullius mutationis mentionem faciat in notis suis, suspicari cogor, illud *ferarii* esse operarum peccatum, reponendumque *ferarum.* Grut.

Ferarum catuli] Navius, Livineius, et Parisienses an. 1643. ediderunt *ferarii catuli.* Quæ lectio prorsus abit a scriptura vulgata, et ab omnibus codicibus Mss. immo et ab ipso usu linguæ Latinæ. Unde, cum Gruterus eam lectionem invenisset in Livineii editione, neque animadvertisset, Livineium ullius mutationis mentionem facere in notis suis; suspicatus est, illud *ferarii* esse operarum peccatum, reponendumque *ferarum.* Sed miror, ne quidem Gruterum, in Francofurtana editione an. 1607. mendum illud emendandum curasse. Quod si vero, fatente Columella, in Præf. lib. I. de Re Rust. etiam 'præda ex militia capta nobis nihil sine sanguine et cladibus alienis affert;' quam flebile, quæso, et quam tyrannicum est beneficium, si liberi civium, sanguine et cædibus, h. e. bonis occisorum aliorum civium, nutriantur! *Schwarz.*

Nemini est ereptum] Cic. Offic. I. 14. ubi agit de beneficentia ac liberalitate, multas, easque præclaras, quæ huc spectant, sententias affert: 'Qui aliis nocent,' inquit, 'ut in alios liberales sint, in eadem sunt injustitia, ut si in suam rem aliena convertant. Sunt autem multi, et quidem cupidi splendoris et gloriæ, qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur. . . . Quare L. Sullæ, et C. Cæsaris, pecuniarum translatio a justis dominis ad alienos non debet liberalis videri: nihil est enim liberale, quod non idem justum. . . . Inest autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi, et auferendi, per injuriam, ut ad largiendum suppetant copiæ.' Hæc loca etiam Berneggerus jam excitavit. Credas, Latin. Pacatum habuisse Plinium in manibus, cum, XXVII. 1. similia scriberet: 'Est improborum principum,' inquit, 'postrema defensio, auferre donandi gratia, et invidiam rapinarum magnitudine munerum deprecari.' *Idem.*

Ereptum] 'Qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt injustitia, ut si in suam rem aliena convertant,' Cic. Off. I. 'Cupidi splendoris et gloriæ eripiunt quod aliis largiantur,' idem ibid. 'Non est magni animi, qui de alieno liberalis est; sed ille, qui, quod alteri donat, sibi detrahit,' Senec. Ben. I. 20. 'Ea liberalitate utamur, quæ prosit amicis, noceat nemini,' Cic. Off. I. Sed Trajanus a pecuniis alienis et injustis cædibus abstinuit. Dio. *Bern.*

Nec hunc quidem] Codex Vaticanus 3461. pro voce *hunc*, habet *hoc*; ut pronomen quasi referatur ad integram sententiam. Sed præfero lectionem reliquorum librorum omnium. Cur autem princeps, locupletatis civibus, non pauperior reddatur, indicat idem Lat. Pacatus: 'Imperatori . .

non tam id suum videri debet quod abstulit, quam quod dedit. Nam, cum intra ipsum volvantur omnia,... quicquid in cives manat a principe, redundat in principem; et rei, et famæ, bene consulit munificus imperator. Lucratur enim gloriam, cum dat pecuniam reversuram.' *Schwarz.*

Cujus est] Sen. Ben. VII. 4. 'Ad reges potestas omnium pertinet; ad singulos proprietas.' Cap. 5. 'Sub optimo rege, omnia rex imperio possidet, singuli dominio.' *Bern.*

Tantum ipse] Constantius amicis increpantibus, quod fiscum indiligentius curaret, respondit, 'Bonus princeps, qui magis a suis diligitur quam timetur, habet quidquid cives possident.' *Idem.*

Quantum omnes, habet] Idem in mente habuit Lat. Pacat. l. c. 'Quam affert caussam concupiscendi, qui, quantum ubique est, habet?' *Schwarz.*

CAP. XXVIII. *Alio me vocat*] Attendant rhetores elegantem transeundi formulam; quamquam singulari arte hic utatur orator. Dum enim laudi liberalitatis Trajani, congiariis alimentisque dandis partæ, nimis diu inhærere videri poterat; nunc, non vera quidem, sed simulata transitione ad argumentum novum, usus, excitat quasi auditores et lectores, ne longiore unius virtutis laudatione forte languescant: nihilo minus tamen, idonea usus excusatione, prosequitur idem argumentum, liberalitatemque Trajani adhuc potissimum a fine honestissimo commendat. Ceterum, 'numerosa gloria' Plinio dicitur ampla, multiplex, et copiosa gloria; sicut eidem, Epist. III. 9. 'numerosissima caussa' dicitur, quæ multa capita habet, et latissime patet. Sic et auctor carminis ad Pison. vs. 66. ait, 'Te numerosa laude senatus excipit:' et vs. 125. 'Virtus numerosa juvat.' *Idem.*

Pecuniam profudisti] Plinius verbum 'profundere' hic in laude ponit; cum alibi prodigorum esse dicatur 'profundere' aut 'effundere pecuniam.' Cic. Off. II. 15. 'Multi,' inquit, 'patrimonia effuderunt inconsulte largiendo.' Et c. 16. 'Prodigi, qui epulis, et viscerationibus, et gladiatoriis muneribus, ludorum venationumque apparatu, pecunias profundunt,' &c. Sed utitur Plinius nihilo minus hoc verbo ad magnitudinem liberalitatis Trajani exprimendam; haud secus, ac Cic. Philipp. III. 2. verbo 'effundere' usus est ad exaggerandam C. Oct. Cæsaris magnificentiam. Vide infra Obs. nostram ad cap. XXXV. 5. *Idem.*

Averteres famam] Notat hic Plinius solenne artificium malorum principum, qui, variorum scelerum criminumque sibi conscii, ad leniendam populi indignationem, aut ad comprimendam sinistram famam, identidem largitionibus usi sunt. Cujusmodi exempla jam alii attulere. Nos autem observamus varias loquendi formulas, quas Plinius ad hanc rem exprimendam adhibet. Primum dicit, 'pecunia profusa famam avertere ab insectatione flagitii;' mox, 'tristes hominum sermones lætiore materia detinere;' deinde, 'congiariis redimere culpam et crudelitatem;' tum, 'benefacere, ut, quæ male feceras, impune fecisses;' præterea, 'impendio veniam quærere,' aut 'exorare;' adhæc, 'congiarium, sive donum, ad odium sui leniendum, tumentibus plebis animis objectare.' Quæ omnes formulæ fere idem significant: unde in ipsa brevitate Pliniana copiam dicendi agnoscas. Cic. Verr. v. 16. ait, 'Non ullis recte factis, non denique aliquo mediocri bono, tot tantaque ejus vitia sublevata esse, existimabuntur.' Idem Verr. x. 9. 'Hæc vero (tam acerba mala,) quæ vel vita redimi recte possunt, æstimare pecunia non queo.' Idem Verr. VII. 78. 'Avaritiæne crimina frugalitatis laudibus deprecetur?' Quo verbo, 'de-

precari,' in simili re usus est Latin. Pacat. XXVII. 1. 'Est,' inquit, 'improborum principum postrema defensio, . . . invidiam rapinarum magnitudine munerum deprecari.' Spartianus in Hadr. c. 7. 'Hadrianus, ad comprimendam de se infamiam, congiarium duplex præsens populo dedit.' Et quis omnes variationes enumeret? *Idem.*

Averteres famam] Ut Nero, qui, sublato Britannico, 'potissimos amicorum largitione auxit,' ait Tacit. Ann. XIII. 18. et 'post cædem matris, donativa, congiaria, ludos dedit, frigerando rumori.' *Lips.*

Culpam] Ut Nero, qui, post Britannici cædem, largitione potissimos amicorum auxit, &c. Necessitatem adhibitam credebant a principe, sceleris sibi conscio, et veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. Tacitus Annal. XIII. 18. *Patarol.*

Alimentis crudelitatem] Solenne id principibus, 'sepelire infamiam suam pulvere aureo.' Sic 'Nero sceleris sibi conscius, et veniam sperans largitionibus validissimum quemque obstrinxit,' Tacit. Ann. XIII. 18. 'Hadrianus ad comprimendam de se infamiam congiarium duplex præsens populo dedit,' Spartian. Hadrian. c. 7. *Bern.*

Crudelitatem redemisti] H. e. nullam culpam, nullum factum crudele, congiario, aliisque muneribus, pensare, et velut expiare, necesse habuisti. 'Redimere' dicimur aliquid, non solum si simpliciter rem emimus, aut rem, quæ antea fuit nostra, denuo ab alio emimus; sed etiam, si quid, interveniente pecunia, aut aliis rebus, compensamus, ita quidem, ut si res ingrata fuerit, ea emendetur, purgetur, expietur, avertatur, aboleatur, atque obliteretur; sin grata, ut liberetur, recuperetur, ac servetur. Prioris generis exemplum h. l. suggerit Plinius. Sed et alii optimæ Latinitatis auctores ita loquuntur; v. g. Cic. Famil. II. 16. 'Nulla est acerbitas, . . . quam quidem ego a republica meis privatis et domesticis incommodis non lubentissime redemissem.' Plancus ap. Cic. Famil. x. 8. 'Non enim præteritam culpam videri volo redemisse.' Vell. II. 87. 'Antonius se ipse non segniter interemit, adeo, ut multa desidiæ crimina morte redimeret.' Tacit. Agric. cap. 6. 'Quamquam proconsul . . . quantalibet facilitate redemturus esset mutuam dissimulationem mali.' Seneca Nat. Quæst. I. 17. 'Inventa sunt specula, ut homo ipse se nosceret. . . . Formosus, ut vitaret infamiam; deformis, ut sciret, redimendum esse virtutibus, quicquid corpori deesset.' Seneca Rhetor. Præf. IV. Epit. Controvers. 'Redimebat tamen vitia virtutibus,' i. e. pensabat aut expiabat. Sic plane loquitur idem Seneca Suasor. VI. 'Si quis tamen virtutibus vitia pensarit, Cicero vir magnus, acer, memorabilis fuit.' Addo adhuc Justin. VI. 1. 'Indignum, bella non perfici, sed redimi; hostem pretio, non armis, submoveri.' Alterius generis exemplum cape e Cic. pro Sulla, c. 11. 'Ego vitam omnium civium, statum orbis terræ, urbem hanc denique, . . . quinque hominum amentium ac perditorum pœna redemi,' i. e. liberavi, et servavi: item e Virgil. Æn. VI. 121. 'Si fratrem Pollux alterna morte redemit.' Mitto multo plura exempla: ex his tamen omnibus facile patet fons metaphoræ, nempe ut ubique, velut interventu pretii, aut compensationis alicujus, res ingratæ et malæ tollantur; at res gratæ recuperentur, et serventur. *Schwarz.*

Obligatus] I. e. devinctus gratuito impendio Trajani; non exoratus, aut quasi mercede conductus, ut tibi veniam alicujus culpæ, tanquam beneficium quoddam, daret. *Idem.*

A tribunali tuo] Tribunal erat suggestus altus, et amplus, isque e tabu-

lis, sæpius quadrata, aliquando hemicycli forma, erectus, et in summo planus, ut in eo non solum sella curulis imperatoris, aut magistratuum; sed et alii, maxime qui a ministerio erant, stare possent. Hujusmodi tribunalis usus non solum fuit in foro, et in basilica Julia, ubi agebantur judicia; sed etiam in castris, si quando imperator, aut jus dicebat, aut alloquebatur milites; quin et in aliis solennitatibus. Plinius hoc loco, ubi agit de Trajani congiariis et alimentis, significanter meminit 'tribunalis:' quia imperator, promissurus et assignaturus ejusmodi extraordinarias liberalitates, sedebat super sella curuli in istiusmodi suggestu posita. Hoc erat tribunal, quod repræsentant vetusta numismata, in memoriam congiariorum et alimentorum cusa. Unde satis constat, annonam et alimenta non de plano in foro, neque in gradibus amphitheatri, divisa et distributa esse populo. Salmasius in notis ad Vopiscum in Aureliano, c. 35. tradidit, omnes illas argenti et tesserarum frumentariarum largitiones, ac deinde, secutis temporibus, panum divisiones, in amphitheatri, vel theatri, gradibus esse factas. A qua sententia discesserunt Lipsius, Gothofredus, et cumprimis Spanhemius; qui postremus demonstrat, in nummis veteribus, ob solennitatem ejusmodi largitionum percussis, conspici erectum tribunal, seu suggestum, cum gradibus, quibus ad illud adscendebatur; item sedentem in curuli imperatorem; præterea stantes prope in eodem suggesto unam, vel plures, cum congio, aut tessera, figuras; quæ frumentarias nempe, aut nummarias tesseras distribuerent, singulis per eosdem gradus illas recipientibus. Cave vero, putes, semper, ordinariis etiam liberalitatibus, et frumenti alimentorumque divisionibus, imperatores præsedisse in tribunali: id fiebat tantum in extraordinariis istis solennitatibus, et cumprimis, ubi primum civibus promittebantur et assignabantur ejus generis munera et beneficia. Foro autem Romano, inter alia, vicinum fuisse ejusmodi suggestum, ostendit Spanhemius ex loco Flav. Josephi, ubi dicitur ὑψηλόν τε ἐστὶ τὸ στέγος εἰς τὴν ἀγορὰν φέρον, *Sublimis vero est ille suggestus, ducens in forum.* Facile tamen credo, deinde plures per urbis regiones extitisse ejusmodi suggestus, seu tabulata publica, in quibus steterunt illi, qui annonam et alimenta distribuerent singulis e populo, quibus ejusmodi beneficium assignatum erat, viritim et palam per gradus adscendentibus, atque in summo gradu annonam accipientibus. Ad ejusmodi suggestum, et modum dispensandi congiaria et alimenta, respexit Prudent. adv. Symmach. I. 589. 'Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.' Quo etiam pertinent locutiones illæ, in inscriptionibus antiquis, in codice Theodosiano, et alibi, obviæ, PER GRADVS DIVISA, IN GRADIBVS, aut PANES GRADILES, qui demum ab Aureliani temporibus distribui cœperunt. Hæ autem loquendi formulæ respiciunt illos ipsos gradus, ante sublimem suggestum erectos, e quibus tesseræ frumentariæ, aut nummariæ, ac deinde 'panes gradiles,' dividebantur. Plura de hoc argumento suggerunt, quanquam non eadem sententia, Turneb. Advers. XXVI. 34. Lips. Elector. I. 8. et de Magnitud. Rom. II. 10. Cujac. Obs. XXVI. 17. Jacob. Gothofred. ad Cod. Theodos. de annonis civicis, et pane gradili; inprimis autem Spanhem. de Præst. et Usu Numism. tom. II. p. 531. seqq. *Idem.*

Gaudentibus gaudens] Hæc addidit Plinius, ut ostenderet, congiarium Trajani omnino habuisse vim et naturam veri beneficii: utpote qui id non aut superbe injecerit populo, aut iratus impegerit, aut difficulter, et

item et de pœnis cælibatus, paullo plura tradunt jureconsulti ad legem Papiam; et, præ ceteris, in compendio, celeberrimus Heineccius Antiquit. Juris, I. 25. 3. seqq. Cf. Lips. Excursu ad Taciti Annal. III. p. 59. 60. seqq. et Bernegger. ad Sueton. Cæs. XX. 5. *Idem.*

Ad tollendos] Panegyristes in Maximin. et Constantin. Leges hæ (Julia, Papia, de quibus vide Paul. v. 71. de hered. instit. et 48. de ritu nupt. et omnino Lips. in Excursu ad Tacit. c.) 'quæ mulcta cælibes notarunt, parentes præmiis honorarunt, vere dicuntur esse fundamenta reipubl. quia seminarium juventutis, et quasi fontem humani corporis semper Romanis exercitibus ministrarunt.' Romanis ergo cum primis curæ erant conjugia: Ciceronis lex, 'Cælibes esse prohibento;' nec solum ignominiæ cælibatus, sed pœnæ erat. Val. Max. II. 9. 1. Inde 'æs uxorium' apud Festum, quod populo pendebat ἄγαμος. Contra præmia πολυπαιδείας posita ex Dione 43. Suetonio Aug. 34. Horatio in Carm. Sæcul. rursus Dion. lib. LIV. discimus, ut tanto alacrius jactura juvenum repararetur, quæ bellis civilibus contigerat. 'In multitudine populi dignitas regis, et in paucitate plebis detrimentum principis.' Proverb. XXIV. 28. *Bern.*

Ingentia præmia] Ex lege Julia et Papia, de quibus affatim Taciti Annal. III. *Lips.*

Ingentia præmia, et pares pœnæ] Præmia erant, inter cetera, jus trium vel quatuor liberorum. Nimirum, qui in urbe tres liberos habuisset, in Italia quatuor, in provinciis quinque, immunis erat a cura, tutela, ceterisque omnibus personalibus muneribus. Secundo, honestior locus in theatro, ac præcedentia in magistratu. Tertio, honorum ac magistratuum petitio ante annos præstitutos. Pœnæ quoque plures: Primo, cælibes legata non capiebant, nisi legi ipsi intra centum dies paruissent. Secundo, ære etiam mulctabantur, dicebanturque 'uxorium' pendere, ut legitur apud Festum. Nec Romanis tantum, verum et Græcis, pari solicitudine liberis prospectum, cælibesque puniti. Quare Plato de Leg. lib. VI. ait, irrogatam fuisse pœnam illi, qui sine connubio quinque ac triginta egerit annos; ut, si de maximo censu esset, drachmas centum mulctaretur; si de secundo, septuaginta; si de tertio, sexaginta; si de quarto, triginta, &c. *Patarol.*

Pauperibus educandi] *Pauperibus educandis* edit. Rhenan. *Educandi*, quod paullo post dicit 'magnum quiddam est educandi incitamentum, tollere liberos.' Sic in margine H. Steph. *Faber.*

Pauperibus educandi] *Pauperibus educandis*, Grut. Videtur aptius, quod restat in Viennensi editione, *educandi*, quamvis tamen et alteri suus sensus. *Grut.*

Pauperibus educandi una ratio est] Codex Vaticanus 1475. et Salisburgensis, item Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Aldus, Lipsius, aliique produnt *pauperibus educandis.* Sed ceteri codices Mss. nec pauci libri impressi habent *pauperibus educandi.* Quæ posterior lectio utique alteri est præferenda; quod jam vidit Gruterus. Structura grammatica horum verborum est: 'Princeps bonus est una ratio pauperibus parentibus educandi liberos.' Sic Plinius etiam, c. XXVII. 1. absolute loquitur, 'Magnum quidem est educandi incitamentum,' &c. *Schwarz.*

Fiducia sui] Id est, liberalitatis, quæ ab se expectetur. Supra cum dicit, 'ingentia præmia, et pares pœnæ,' legem Papiam Poppæam intelligo. De quà adi Sueton. Aug. cap. 38. *Livin.*

Frustraque proceres] *Frustra princeps* Livin. sed *frustraque proceres* V. C. optime. *Rittersh.*

Frustraque proceres, plebe] Beroaldus, Gryphius, Sichardus, Livineius habent *frustraque princeps, plebe*. Puteolanus, Catanæus, Manutius, Junta, Philomusus, Rhenanus, R. et H. Stephani, Navius, Elzevir, Boxhornius, et Cellarius, omissa simul copula *que*, referunt *frustra princeps, plebe*. Verum hic est inconcinnus, et quodammodo hiulcus sermo. Cur enim Plinius, sine emphasi et figura, bis repeteret idem vocabulum *princeps*, quod proxime, ante hæc verba, jam posuerat, et cui in priore loco signantius addiderat *ἐπίθετον, bonus princeps?* Adhæc, sic deficit quædam vox. Quis est enim ille, quem princeps, *tanquam defectum corpore caput, tuetur?* An tuetur 'se et imperium suum?' Quod durioris ἐλλείψεως complementum suggerit Catanæus. At planiorem et concinniorem hunc locum, prout eum in contextu exprimendum curavimus, referunt codices Vaticani, Salisburgensis, Guelpherbytanus, meus, liber Vossianus, et codex vetus Livineii; qui omnes, pro vocabulo *princeps*, reponunt *proceres*. Eodem modo integrum hunc locum jam ediderat Cuspinianus. Codex Parisiensis eandem vocem *proceres* exhibet, sola copula *que* prætermissa. Quanquam vero etiam Lipsius, Gruterus, Parisienses, Berneggerus, Hackius, Patarol, Ceva, vocem hanc *proceres* jam prodiderint, hi tamen omnes ei otiose simul addiderunt nomen *princeps*; quod hoc loco fortasse ex nomine *proceres*, compendiose scripto ortum, modo solum, modo deinde cum vero nomine *proceres* conjunctum, libros quosdam inutiliter occupavit. Liber prior Gudii, loco vocabuli *proceres*, prodit *priores*; sed, nisi in hoc forte lateat nomen *primores*, præstat retinere *proceres*. *Proceres* vero, secundum Isidor. Origin. IX. 4. 'sunt principes civium vel civitatis; quasi procedes, quod ante omnes honore præcedant. Unde et capita trabium, quæ eminent extra parietes, proces (proceres) dicuntur, eo, quod primo procedant. Hinc autem ad primores facta translatio; quod e cetera multitudine emineant.' Dubito, an firmum sit, quod Isidorus de voce *proces, procedes*, habet. Alii alia ἔτυμα proponunt; e quibus mihi potissimum placet Græca origo, a *προέχειν, prominere;* hinc *προεχὴς*, et Æolice *προεχὴρ, eminens, prominens*. Arntzenius ex Aur. Victore Cæs. c. 1. et 26. ostendit, senatores potissimum *proceres* dictos esse. Poterant tamen hoc nomine etiam conspectiores ordinis equestris et plebeii homines, et generatim quivis primarii cives, et optimates, comprehendi. Livio II. 20. equitum Romanorum primores etiam dicuntur 'proceres juventutis.' Gaudebam, mihi primum ex indicio codicis mei et editionis Cuspiniani, (cetera enim subsidia deinceps demum nactus sum) contigisse, ut hunc locum, hucusque vulgo depravatum, pristinæ integritati restituere possem, unde vera Plinii sententia facile eluceat. Atque hanc emendationem etiam Gesnerus et Arntzenius amplecti nihil dubitarunt. At vide, quid huic reposuerit Heumannus! 'Ergo,' inquit, 'veram scripturam sic restituo: *Occasum reipublicæ accelerat, plebe neglecta, ut defectum corpore caput, nutaturumque instabili pondere ruituræ.*' Mihi tantum animi non est, ut veram scripturam, et emendationem moderatæ criticæ congruentem, existimarem, ostentaremque, si ex brevi sententia veteris scriptoris, contra auctoritatem omnium omnino librorum, tres voces, 'frustraque, proceres, tuetur,' rejicerem, et aliam, cujus nullum prorsus vestigium apparet, aliunde adscitam, intruderem; maxime, si multo lenior, et ex antiquis libris luculentior, proferatur emendatio. *Schwarz.*

Defectum corpore caput] I. e. Caput corpore destitutum, sive truncatum.

Sic loquitur Phædr. v. 7. 'Accessit alter, æque defectus pilis.' Ovid. Met. v. 106. 'Sanguine defectos cecidit collapsus in artus.' Val. Flac. VII. 116. 'Solo mæret defecta cubili.' Seneca Hippol. vs. 375. 'Vadit incerto pede Phædra, jam viribus defecta.' Ne vero putes solos poëtas ita loqui, audi et Val. Max. VII. 6. 2. 'Casilinates alimentorum facultate defecti.' Idem III. 2. ext. 'Vir amplissimus atque prudentissimus suo consilio defectus, puerili usus est.' Bene autem sapienterque docet Plinius, illum principem facile exitium et occasum imperii acceleraturum esse, qui solos primores, et nobiles, ditesque tueri velit; contra autem inferiores, et plebem pauperem negligat, neque ejus rationem curamque habeat. Quam parum enim homo vivere, recteque valere, et firmis pedibus stare potest, cujus caput solum superest, sine trunco et inferiore corpore; tam parum etiam stare et florere potest res publica, ubi solus princeps, et cum ipso proceres, tanquam capita, bene se habeant; plebs vero, et pauperes, in dies deficiant, aut intereant, et velut a superioribus partibus reipublicæ prorsus separentur. Pertinet huc eximia sententia Cic. e Platone repetita, Offic. I. 25. 'Omnino, qui reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant: unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut, quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum: alterum, ut totum corpus reipublicæ curent; ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. . . . Qui autem parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam; ex quo evenit, ut alii populares, alii studiosi optimi cujusque, videantur, pauci universorum.' *Idem.*

Defectum corpore] Martial. XIII. 77. 'Dulcia defecta modulatur carmina lingua Cantator cygnus funeris ipse sui.' *Bern.*

Facile est conjectare] Codex Guelpherbytanus et uterque liber Gudianus, pro *conjectare* habent *cogitare.* Sed salva debet esse vulgata lectio. Verbum id est Plinianum: Epist. III. 9. 26. 'Conjectabis,' inquit, 'ex hoc.' Epist. VII. 27. 14. 'Ex quo conjectari potest.' Supra, Paneg. XX. et Epist. III. 27. 6. dicit 'conjecturam facere.' Sic et Quinctilianus, Plinii præceptor, Instit. Orat. VII. 3. 'Utrum sit in re, conjectat.' Quin et ante hos Terent. Eun. III. 4. 5. 'Neque scio, quid dicam, aut quid conjectem.' *Schwarz.*

Aures tuas imbuit] Codex Vaticanus 3461. pro *imbuit* ostendit *incubuit.* Quæ varietas inanem quidem, qualemcumque tamen, præ se fert speciem. At nullo modo exputare possum, quomodo librarii inertes, in codicibus Vaticanis 1475. et 1476. item in Parisiensi, Veneto, et meo, in communem inciderint errorem, ut pro *imbuit* pinxerint *imbutus;* quæ vox etiam conspicitur in libro Vossiano. *Idem.*

Daturus alimenta] Atqui de congiario dixit tantum, quod sane diversum ab istis: et infra XXVII. 1. bis terque disjungit: 'In spem congiariorum, in spem alimentorum.' Iterum, 'Congiarium das de tuo, alimenta de tuo.' Diversa hæc igitur: sed opinari licet, quod qui ad congiaria admissi, iidem ad frumenta. Nam sic *alimenta* interpretari Capitolinus videtur in Antonino: 'Pueros et puellas novorum hominum frumentariæ perceptioni adscripsit:' ut puto, exemplo isto Trajani, sed et Hadriani, de quo Spartianus, 'Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit.' Etsi haud negem, potuisse et in pecuniæ modo hæc alimenta finiri. Sed hæc nunc a Trajano Romæ: postea per Italiam hanc libera-

litatem sparsit. Quæ in eo tam benigna, (verba Dionis) ὡς καὶ ταῖς πόλεσι ταῖς ἐν Ἰταλίᾳ πρὸς τὴν παίδων τροφὴν πολλὰ χαρίσασθαι. *Ut etiam oppidis Italiæ multa, ad puerorum alimenta, contulerit.* Hoc numi ita edunt, IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. Parte versa, ALIM. ITAL. cum figura viri alimenta in pueros distribuentis. Mansit institutum; 'et cura alimentorum in Italia,' inter honestissima munera fuit, atque adeo post regimen provinciarum suscepta. Vide in Vita Pertinacis et Juliani. *Lips.*

CAP. XXVII. *Libeat, expediat*] Hoc ἀσύνθετον exhibent omnes codices scripti, plurimique libri impressi. In his vero duntaxat Gryphius, Sichardus, H. Stephanus, Elzevir, Boxhornius, Hearne, Cellarius, et nunc Gesnerus, copula *et* inserta, legunt *libeat et expediat*. Atque fateor, hoc loco mihi magis placere copulam, quam ἀσύνθετον. Facillime autem fieri potuit, ut copula ista *et*, propter primam syllabam sequentis verbi *expediat*, a dictante quasi fuerit absorpta. Ceterum, hæc prima verba, 'Super omnia,' &c. usque ad 'expediat,' hucusque quidem in vulgatis editionibus, quæ recentioribus temporibus divisionem hujus Panegyrici in capita adsciverunt, superiori capiti XXVI. adhæserunt; verum, cum suavem et elegantem contineant transitum, ac sequentia cum superioribus apte connectant; cumque intempestivam eorum divulsionem etiam agnoverit Gesnerus; ea ipsa jam ad caput XXVII. retuli. *Schwarz.*

Fragilitatis humanæ vices] Hæ vices sunt casus humani, maxime morbi, et mors; quos et Cicero dicebat se timere Cæsari, Orat. pro M. Marcello, c. 7. 'Equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, et incertos eventus valetudinis, et naturæ communis fragilitatem, extimesco.' Ita et Plin. Epist. III. 17. timet pro capite amicissimo, 'quicquid accidere homini potest.' Notabunt vero juniores loquendi formulam, 'parens filio metuit,' sive, quod metu vehementius est, 'horret vices fragilitatis humanæ,' h. e. parens magno cum metu solicitus est de filio, propter istas vices. *Idem.*

Principis ira] 'Ira procul absit,' inquit Cic. Offic. I. 38. 'cum qua nihil recte fieri, nihil considerate, potest.' Gravis hic morbus in quovis hominum genere; in imperantibus, si insanabilis est, pestis est. 'Iracundiæ vitium,' inquit idem Cic. ad Q. Fr. I. 1. 13. 'cum in hac privata quotidianaque vita, levis esse animi atque infirmi videtur; tum vero nihil est tam deforme, quam ad summum imperium etiam acerbitatem naturæ adjungere.' Fuere quidem multi principes ad iracundiam propensi; sed ad eam sanandam identidem admisere remedia. At, judice Themistio, Orat. XVII. p. 448. ne Getarum quidem invasio tantum nocuit imperio Romano, quantum Neronis iracundia, vel Domitiani furor: quorum exempla haud dubie respicit Plinius. *Idem.*

In spem alimentorum] Codex Vaticanus 3461. item et Guelphicus prætermiserunt hæc tria verba; prætermiserat et Salisburgensis; ubi vero ea in margine restituit antiqua manus. Occasio negligentiæ librariorum facile patet; nempe repetitio earundem vocum, *in spem.* Ceterum hic bene notandum est, 'alimenta,' quorum meminit Plinius cap. XXVI. XXVII. XXVIII. a 'congiariis' fuisse distincta, licet eadem sæpe conjungat idem Plinius; propterea, quod utrumque genus beneficii ex liberalitate principis, eodem fine, fluxit, et aliquando ex parte ad eosdem homines redundavit. 'Congiarium,' de quo alibi dixi, et majoribus natu, et pueris, commune esse poterat: 'ali-

menta' autem pueris puellisque ingenuis Trajanus, et alii deinde imperatores, de suo, aut e publico, dedere. Atque ii, qui percepere, inde appellati sunt 'pueri puellæque alimentarii;' item Trajani tempore, a gentili hujus imperatoris nomine, 'pueri puellæque Ulpiani.' Servant hujus rei memoriam non solum scriptores historiæ Augustæ; sed et nummi, et inscriptiones veteres. Ex Grutero nunc duas afferre libet: alteram Trajano, alteram Antonino Pio dicatam.

Ex pag. MLXXXIV. 7.
IMP. NERVAE. TRAIAN. AVG.
GERM. P. MAX. TRIB.
POTEST. COS. III. P. P.
NOMINE. PVERORVM
PVELLARVMQVE
VLPIANORVM
EX. S. C. P.

Ex pag. MXXII. 6.
T. AEL. HADRIANI
ANTONINI. AVG.
PII. PONT. MAX.
TRIB. POT. XIII.
IMP. II. COS. IIII. PP.
FILIO
PVERI. ET. PVELLAE
ALIMENTARI.

Neque vero Trajanus hanc liberalitatem solis præstitit parvulis civibus urbanis; sed etiam in Italicorum oppidorum pueros puellasque diffudit, et certos 'procuratores alimentorum,' aut 'curatores pecuniæ reipublicæ alimentariæ,' instituit; id quod jam Lipsius, in Comment. ad superius caput XXVI. ex Dione Cassio, et antiquis nummis ostendit. Et Trajanus quidem, quod Plinius, in sequenti capite XXVIII. 4. tradit, circiter quinque millia hujusmodi puerorum puellarumque ingenuorum, atque, ut opinor, maxime urbanorum, sic aluit, et, quantum quidem ex Capitolino in Pertinace, cap. 9. intelligimus, usque in annum nonum ætatis. 'Alimentaria,' inquit, 'compendia,' sive impendia, 'quæ novem annorum ex instituto Trajani debebantur, obdurata verecundia sustulit Pertinax.' Scilicet ista liberalitas alendorum certorum puerorum, puellarumque, ad exemplum Trajani, etiam ab aliis quibusdam imperatoribus continuata est, v. g. ab Antonino Pio, qui etiam, in honorem Faustinæ uxoris, instituit puellas Faustinianas; item a M. Aur. Antonino, ab Antonino Vero, aliis. Sic, teste Lampridio, c. LVII. Alexander Severus etiam in honorem matris, 'puellas et pueros Mammæanas et Mammæanos' instituit. Paullo plura hanc in rem suggerit Spanhemius de Præst. et Usu Numism. T. II. pag. 543. seqq. *Idem.*

Filios concupiscant] Plin. Epist. X. 2. 'Eoque magis liberos concupisco, quos habere etiam illo tristissimo sæculo volui; sicut potes duobus matrimoniis meis credere.' *Idem.*

Nihil largiatur princeps, dum nihil auferat] 'Munificentia ergo non est summa virtutum in principe,' Cic. Off. II. 15. Sueton. de Tit. cap. 7. 'Nulli civium quidquam ademit; abstinuit alieno, ut si quis unquam, ac ne concessas quidem, ac solitas collationes recepit. Et tamen nemine ante se munificentia minor.' *Bern.*

Nihil largiatur] Sic Domitianus, qui initio liberalitatis experimenta dedit, 'omnes circa se largissime prosecutus; sed conversus ad rapinas, nihil pensi habuit, quin prædaretur omni modo bona vivorum et mortuorum,' Suet. Domit. c. 9. *Idem.*

Largiatur, et auferat; alat, et occidat] Boxhorniana et Cellarianæ editiones, utroque loco, pro *et* habent *ut.* Sed præstat vulgata lectio; quam et omnes codices scripti confirmant. Equidem Heumannus tuendam putavit, quam ego dudum rejeci scripturam; sed nullam, quam recte desideravit Aratzenius, sententiæ suæ exposuit caussam. *Schwarz.*

In tam brevi] Livin. pro *in tam* le-

git *in quam*. Fortasse verior nostra conjectura, *in brevi tempore*. Rittersh.

In tam brevi tempore] Hanc lectionem invenimus in codicibus Vaticanis, Parisiensi, Salisburgensi, Guelphico, et nostro. Venetus quidem paullo aliam exhibet scripturam: *ne,* (*næ,*) *ille vitam brevi tempore;* sed quis non videt, in voce *vitam* etiam latere particulas *in tam?* Has particulas præterea exprimunt Puteolanus, Cuspinianus, et ceteri fere omnes, si a paucis discesseris. Quibusdam enim non satis se probavit præpositio *in;* cujusmodi exemplum etiam supra, ad pag. 464. habuimus. Hinc Ascensius, Henr. et Paul. Stephani, ac Boxhornius, hac præpositione *in* prætermissa, edidere *næ ille tam brevi tempore*. Aliis majori offendiculo est particula *quam;* cum ea ordinarie relationem quandam inferat, hancque vel tacitam, vel expressam; nulla autem hic appareat relatio ad certum tempus, ut intelligas, *quam brevi* alius aliquis idem effecerit. Exempla illa, quibus solet probari particulam *tam* aliquando etiam absolute poni, nihilominus per relationem interpretari possumus; v. g. quando mox dicit Plinius, 'locupletatis tam multis,' intelligas scilicet, quam multos revera locupletavit Trajanus, de quo in præsenti loquitur orator. Quodsi vero audiamus Scioppium, possent hæc verba etiam sine relatione ita explicari: 'intra valde breve tempus.' Lib. II. enim Suspect. Lection. Epist. 4. pag. 96. *Tanto*, inquit, pro *magno* dicitur; sicut *tam* pro *valde;* ut me docuerunt duo Galliæ lumina, Barn. Brissonius et Petr. Faber.' Posse tamen particulam *tam* ab hoc loco abesse, facile putes; cum ejus jactura non solum nullum damnum afferat sententiæ Plinii; sed eam magis explanet, et quasi fluidiorem efficiat. Inde illam rejiciendam dudum censuere Livineius et Rittershusius noster. Livineius in contextu quidem integram servavit vulgatam lectionem; sed in margine, pro *in tam*, reponendum censuit *inquam*. Rittershusius aliquantum aptius, *næ ille in brevi tempore*. Buchnerus in Lexico, (quod Cellarius animadvertit,) existimavit legendum, *næ ille quam brevi tempore*. Jo. Fred. Gronovius in emendationibus suis Mss. ad Plinii Paneg. annotavit, forte legendum *næ ille tum in brevi*. Behrius maluit legere *næ ille ita brevi tempore*. Mihi antehac in mentem venit *næ ille etiam brevi tempore*. Gesnerus, in recentiore editione, exhibuit *næ ille jam brevi tempore*. In notis profitetur, se dedisse lectionem Gruteri; verum Gruterus, in editione Francofurtana an. 1607. prodidit lectionem vulgatam; neque in notis suis aliquid de hoc loco monuit. Ego vero in libro priore Gudii annotatum deprehendi, pro *in tam*, leg. *tamen*, vel *jam;* sed nescio utrum hæc varietas ex conjectura Gudii, an ex fonte alicujus antiqui codicis, dimanaverit. Fateor, me in his fere dubium hærere: interim mihi persuasum habeo, neminem sententiæ Plinianæ vim illaturum esse, sive prorsus abjiciat istas particulas *in tam;* sive in earum locum surroget, vel *tum in*, vel *quam*, vel *jam*, vel *ita*, vel *etiam*. Quodsi autem nos ii esse nolumus, ut ea, quæ nobis placent, statim intrudamus veterum libris, credamusque, ea ipsa, quæ nobis nunc meliora et planiora videntur, etiam antiquis auctoribus, cum scriberent, pariter in mentem calamumque venisse; aut necessario talia etiam visa esse, qualia nunc nobis: cur, quæso, continuo rejiciamus lectionem, tot auctoritatibus jam munitam? Et quamquam eam nec mordicus defendere velimus; tamen nec sine probabili antiquitatis indicio emendationem adhuc incertam, etsi nobis planior videatur, recipere audemus. *Schwarz.*

Sui parentumque pœniteat] Scilicet potuit cives sub tyranno viventes pœnitere posterorum suorum, quos magnis quidem curis laboribusque educaverint; nunc vero viderent, rapacitati, et crudelitati, libidinique tyranni, expositos; inprimis, si parentes ipsi suppliciis filiorum interesse cogerentur: quod factum est Caligulæ temporibus, teste Sueton. Calig. cap. 27. Pœnitere eos potuit 'sui;' quod se servarint tam duris periculosisque temporibus, ut servirent voluntati tyranni, nec suæ virtutis aliud præmium, quam cruciatum, exitium, et mortem, a tyranno expectarent. Pœnitere denique eosdem etiam potuit 'parentum;' quod ab his nati essent, a quibus, per sævitiam principis, vel occisis, vel exspoliatis, non satis educari, nec aliquam hereditatem capere, potuerint. *Idem.*

Ut ferarum catuli] *Ut ferarii catuli* Grut. Ita quidem editio, quam procuravit nobis optimus Livineius; sed, cum abeat verbo uno a scriptura vulgata, neque ullius mutationis mentionem faciat in notis suis, suspicari cogor, illud *ferarii* esse operarum peccatum, reponendumque *ferarum.* Grut.

Ferarum catuli] Navius, Livineius, et Parisienses an. 1643. ediderunt *ferarii catuli.* Quæ lectio prorsus abit a scriptura vulgata, et ab omnibus codicibus Mss. immo et ab ipso usu linguæ Latinæ. Unde, cum Gruterus eam lectionem invenisset in Livineii editione, neque animadvertisset, Livineium ullius mutationis mentionem facere in notis suis; suspicatus est, illud *ferarii* esse operarum peccatum, reponendumque *ferarum.* Sed miror, ne quidem Gruterum, in Francofurtana editione an. 1607. mendum illud emendandum curasse. Quod si vero, fatente Columella, in Præf. lib. I. de Re Rust. etiam 'præda ex militia capta nobis nihil sine sanguine et cladibus alienis affert;' quam flebile, quæso, et quam tyrannicum est beneficium, si liberi civium, sanguine et cædibus, h. e. bonis occisorum aliorum civium, nutriantur! *Schwarz.*

Nemini est ereptum] Cic. Offic. I. 14. ubi agit de beneficentia ac liberalitate, multas, easque præclaras, quæ huc spectant, sententias affert: 'Qui aliis nocent,' inquit, 'ut in alios liberales sint, in eadem sunt injustitia, ut si in suam rem aliena convertant. Sunt autem multi, et quidem cupidi splendoris et gloriæ, qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur. . . . Quare L. Sullæ, et C. Cæsaris, pecuniarum translatio a justis dominis ad alienos non debet liberalis videri: nihil est enim liberale, quod non idem justum. . . . Inest autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi, et auferendi, per injuriam, ut ad largiendum suppetant copiæ.' Hæc loca etiam Berneggerus jam excitavit. Credas, Latin. Pacatum habuisse Plinium in manibus, cum, XXVII. 1. similia scriberet: 'Est improborum principum,' inquit, 'postrema defensio, auferre donandi gratia, et invidiam rapinarum magnitudine munerum deprecari.' *Idem.*

Ereptum] 'Qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt injustitia, ut si in suam rem aliena convertant,' Cic. Off. I. 'Cupidi splendoris et gloriæ eripiunt quod aliis largiantur,' idem ibid. 'Non est magni animi, qui de alieno liberalis est; sed ille, qui, quod alteri donat, sibi detrahit,' Senec. Ben. I. 20. 'Ea liberalitate utamur, quæ prosit amicis, noceat nemini,' Cic. Off. I. Sed Trajanus a pecuniis alienis et injustis cædibus abstinuit. Dio. *Bern.*

Nec hunc quidem] Codex Vaticanus 3461. pro voce *hunc*, habet *hoc*; ut pronomen quasi referatur ad integram sententiam. Sed præfero lectionem reliquorum librorum omnium. Cur autem princeps, locupletatis civibus, non pauperior reddatur, indicat idem Lat. Pacatus: 'Imperatori...

non tam id suum videri debet quod abstulit, quam quod dedit. Nam, cum intra ipsum volvantur omnia,... quicquid in cives manat a principe, redundat in principem; et rei, et famæ, bene consulit munificus imperator. Lucratur enim gloriam, cum dat pecuniam reversuram.' *Schwarz.*

Cujus est] Sen. Ben. VII. 4. 'Ad reges potestas omnium pertinet; ad singulos proprietas.' Cap. 5. 'Sub optimo rege, omnia rex imperio possidet, singuli dominio.' *Bern.*

Tantum ipse] Constantius amicis increpantibus, quod fiscum indiligentius curaret, respondit, 'Bonus princeps, qui magis a suis diligitur quam timetur, habet quidquid cives possident.' *Idem.*

Quantum omnes, habet] Idem in mente habuit Lat. Pacat. l. c. 'Quam affert caussam concupiscendi, qui, quantum ubique est, habet?' *Schwarz.*

CAP. XXVIII. *Alio me vocat*] Attendant rhetores elegantem transeundi formulam; quamquam singulari arte hic utatur orator. Dum enim laudi liberalitatis Trajani, congiariis alimentisque dandis partæ, nimis diu inhærere videri poterat; nunc, non vera quidem, sed simulata transitione ad argumentum novum, usus, excitat quasi auditores et lectores, ne longiore unius virtutis laudatione forte languescant: nihilo minus tamen, idonea usus excusatione, prosequitur idem argumentum, liberalitatemque Trajani adhuc potissimum a fine honestissimo commendat. Ceterum, 'numerosa gloria' Plinio dicitur ampla, multiplex, et copiosa gloria; sicut eidem, Epist. III. 9. 'numerosissima caussa' dicitur, quæ multa capita habet, et latissime patet. Sic et auctor carminis ad Pison. vs. 66. ait, 'Te numerosa laude senatus excipit:' et vs. 125. 'Virtus numerosa juvat.' *Idem.*

Pecuniam profudisti] Plinius verbum 'profundere' hic in laude ponit; cum alibi prodigorum esse dicatur 'profundere' aut 'effundere pecuniam.' Cic. Off. II. 15. 'Multi,' inquit, 'patrimonia effuderunt inconsulte largiendo.' Et c. 16. 'Prodigi, qui epulis, et viscerationibus, et gladiatoriis muneribus, ludorum venationumque apparatu, pecunias profundunt,' &c. Sed utitur Plinius nihilo minus hoc verbo ad magnitudinem liberalitatis Trajani exprimendam; haud secus, ac Cic. Philipp. III. 2. verbo 'effundere' usus est ad exaggerandam C. Oct. Cæsaris magnificentiam. Vide infra Obs. nostram ad cap. XXXV. 5. *Idem.*

Averteres famam] Notat hic Plinius solenne artificium malorum principum, qui, variorum scelerum criminumque sibi conscii, ad leniendam populi indignationem, aut ad comprimendam sinistram famam, identidem largitionibus usi sunt. Cujusmodi exempla jam alii attulere. Nos autem observamus varias loquendi formulas, quas Plinius ad hanc rem exprimendam adhibet. Primum dicit, 'pecunia profusa famam avertere ab insectatione flagitii;' mox, 'tristes hominum sermones lætiore materia detinere;' deinde, 'congiariis redimere culpam et crudelitatem;' tum, 'benefacere, ut, quæ male feceras, impune fecisses;' præterea, 'impendio veniam quærere,' aut 'exorare;' adhæc, 'congiarium, sive donum, ad odium sui leniendum, tumentibus plebis animis objectare.' Quæ omnes formulæ fere idem significant: unde in ipsa brevitate Pliniana copiam dicendi agnoscas. Cic. Verr. V. 16. ait, 'Non ullis recte factis, non denique aliquo mediocri bono, tot tantaque ejus vitia sublevata esse, existimabuntur.' Idem Verr. X. 9. 'Hæc vero (tam acerba mala,) quæ vel vita redimi recte possunt, æstimare pecunia non queo.' Idem Verr. VII. 78. 'Avaritiæne crimina frugalitatis laudibus deprecetur?' Quo verbo, 'de-

precari,' in simili re usus est Latin. Pacat. XXVII. 1. 'Est,' inquit, 'improborum principum postrema defensio, . . . invidiam rapinarum magnitudine munerum deprecari.' Spartianus in Hadr. c. 7. 'Hadrianus, ad comprimendam de se infamiam, congiarium duplex præsens populo dedit.' Et quis omnes variationes enumeret? *Idem.*

Averteres famam] Ut Nero, qui, sublato Britannico, 'potissimos amicorum largitione auxit,' ait Tacit. Ann. XIII. 18. et 'post cædem matris, donativa, congiaria, ludos dedit, frigerando rumori.' *Lips.*

Culpam] Ut Nero, qui, post Britannici cædem, largitione potissimos amicorum auxit, &c. Necessitatem adhibitam credebant a principe, sceleris sibi conscio, et veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. Tacitus Annal. XIII. 18. *Patarol.*

Alimentis crudelitatem] Solenne id principibus, 'sepelire infamiam suam pulvere aureo.' Sic 'Nero sceleris sibi conscius, et veniam sperans largitionibus validissimum quemque obstrinxit,' Tacit. Ann. XIII. 18. 'Hadrianus ad comprimendam de se infamiam congiarium duplex præsens populo dedit,' Spartian. Hadrian. c. 7. *Bern.*

Crudelitatem redemisti] H. e. nullam culpam, nullum factum crudele, congiario, aliisque muneribus, pensare, et velut expiare, necesse habuisti. 'Redimere' dicimur aliquid, non solum si simpliciter rem emimus, aut rem, quæ antea fuit nostra, denuo ab alio emimus; sed etiam, si quid, interveniente pecunia, aut aliis rebus, compensamus, ita quidem, ut si res ingrata fuerit, ea emendetur, purgetur, expietur, avertatur, aboleatur, atque obliteretur; sin grata, ut liberetur, recuperetur, ac servetur. Prioris generis exemplum h. l. suggerit Plinius. Sed et alii optimæ Latinitatis auctores ita loquuntur; v. g. Cic. Famil. II. 16. 'Nulla est acerbitas, . . . quam quidem ego a republica meis privatis et domesticis incommodis non lubentissime redemissem.' Plancus ap. Cic. Famil. x. 8. 'Non enim præteritam culpam videri volo redemisse.' Vell. II. 87. 'Antonius se ipse non segniter interemit, adeo, ut multa desidiæ crimina morte redimeret.' Tacit. Agric. cap. 6. 'Quamquam proconsul . . . quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali.' Seneca Nat. Quæst. I. 17. 'Inventa sunt specula, ut homo ipse se nosceret. . . . Formosus, ut vitaret infamiam; deformis, ut sciret, redimendum esse virtutibus, quicquid corpori deesset.' Seneca Rhetor. Præf. IV. Epit. Controvers. 'Redimebat tamen vitia virtutibus,' i. e. pensabat aut expiabat. Sic plane loquitur idem Seneca Suasor. VI. 'Si quis tamen virtutibus vitia pensarit, Cicero vir magnus, acer, memorabilis fuit.' Addo adhuc Justin. VI. 1. 'Indignum, bella non perfici, sed redimi; hostem pretio, non armis, submoveri.' Alterius generis exemplum cape e Cic. pro Sulla, c. 11. 'Ego vitam omnium civium, statum orbis terræ, urbem hanc denique, . . . quinque hominum amentium ac perditorum pœna redemi,' i. e. liberavi, et servavi: item e Virgil. Æn. VI. 121. 'Si fratrem Pollux alterna morte redemit.' Mitto multo plura exempla: ex his tamen omnibus facile patet fons metaphoræ, nempe ut ubique, velut interventu pretii, aut compensationis alicujus, res ingratæ et malæ tollantur; at res gratæ recuperentur, et serventur. *Schwarz.*

Obligatus] I. e. devinctus gratuito impendio Trajani; non exoratus, aut quasi mercede conductus, ut tibi veniam alicujus culpæ, tanquam beneficium quoddam, daret. *Idem.*

A tribunali tuo] Tribunal erat suggestus altus, et amplus, isque e tabu-

lis, sæpius quadrata, aliquando hemicycli forma, erectus, et in summo planus, ut in eo non solum sella curulis imperatoris, aut magistratuum; sed et alii, maxime qui a ministerio erant, stare possent. Hujusmodi tribunalis usus non solum fuit in foro, et in basilica Julia, ubi agebantur judicia; sed etiam in castris, si quando imperator, aut jus dicebat, aut alloquebatur milites; quin et in aliis solennitatibus. Plinius hoc loco, ubi agit de Trajani congiariis et alimentis, significanter meminit 'tribunalis:' quia imperator, promissurus et assignaturus ejusmodi extraordinarias liberalitates, sedebat super sella curuli in istiusmodi suggestu posita. Hoc erat tribunal, quod repræsentant vetusta numismata, in memoriam congiariorum et alimentorum cusa. Unde satis constat, annonam et alimenta non de plano in foro, neque in gradibus amphitheatri, divisa et distributa esse populo. Salmasius in notis ad Vopiscum in Aureliano, c. 35. tradidit, omnes illas argenti et tesserarum frumentariarum largitiones, ac deinde, secutis temporibus, panum divisiones, in amphitheatri, vel theatri, gradibus esse factas. A qua sententia discesserunt Lipsius, Gothofredus, et cumprimis Spanhemius; qui postremus demonstrat, in nummis veteribus, ob solennitatem ejusmodi largitionum percussis, conspici erectum tribunal, seu suggestum, cum gradibus, quibus ad illud adscendebatur; item sedentem in curuli imperatorem; præterea stantes prope in eodem suggesto unam, vel plures, cum congio, aut tessera, figuras; quæ frumentarias nempe, aut nummarias tesseras distribuerent, singulis per eosdem gradus illas recipientibus. Cave vero, putes, semper, ordinariis etiam liberalitatibus, et frumenti alimentorumque divisionibus, imperatores præsedisse in tribunali: id fiebat tantum in extraordinariis istis solennitatibus, et cumprimis, ubi primum civibus promittebantur et assignabantur ejus generis munera et beneficia. Foro autem Romano, inter alia, vicinum fuisse ejusmodi suggestum, ostendit Spanhemius ex loco Flav. Josephi, ubi dicitur ὑψηλόν τε ἐστὶ τὸ στέγος εἰς τὴν ἀγορὰν φέρον, *Sublimis vero est ille suggestus, ducens in forum.* Facile tamen credo, deinde plures per urbis regiones extitisse ejusmodi suggestus, seu tabulata publica, in quibus steterunt illi, qui annonam et alimenta distribuerent singulis e populo, quibus ejusmodi beneficium assignatum erat, viritim et palam per gradus adscendentibus, atque in summo gradu annonam accipientibus. Ad ejusmodi suggestum, et modum dispensandi congiaria et alimenta, respexit Prudent. adv. Symmach. I. 589. 'Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.' Quo etiam pertinent locutiones illæ, in inscriptionibus antiquis, in codice Theodosiano, et alibi, obviæ, PER GRADVS DIVISA, IN GRADIBVS, aut PANES GRADILES, qui demum ab Aureliani temporibus distribui cœperunt. Hæ autem loquendi formulæ respiciunt illos ipsos gradus, ante sublimem suggestum erectos, e quibus tesseræ frumentariæ, aut nummariæ, ac deinde 'panes gradiles,' dividebantur. Plura de hoc argumento suggerunt, quanquam non eadem sententia, Turneb. Advers. XXVI. 34. Lips. Elector. I. 8. et de Magnitud. Rom. II. 10. Cujac. Obs. XXVI. 17. Jacob. Gothofred. ad Cod. Theodos. de annonia civicis, et pane gradili; inprimis autem Spanhem. de Præst. et Usu Numism. tom. II. p. 531. seqq. *Idem.*

Gaudentibus gaudens] Hæc addidit Plinius, ut ostenderet, congiarium Trajani omnino habuisse vim et naturam veri beneficii: utpote qui id non aut superbe injecerit populo, aut iratus impegerit, aut difficulter, et

quasi fatigatus, ut molestia careret, dederit; sed volens volentibus, et hilaris hilaribus. 'Non est enim beneficium, nisi, quod a bona voluntate proficiscitur, et grate accipitur,' ait Seneca de Benef. VI. 9. atque idem I. 6. 'Quid est ergo,' inquit, 'beneficium? Benevola actio, tribuens gaudium, capiensque [gaudium] tribuendo, in id quod facit prona, et sponte sua parata.' *Idem.*

Tumentibus] 'Tumere' eleganti metaphora hic dicuntur animi, qui erupturi videntur; sicuti 'Galliæ tumere' dicuntur apud Tacit. Hist. II. 32. *Bern.*

Tumentibus plebis animis] In codice Salisburgensi primum fuerat scriptum *timentibus;* sed ipse librarius, ut corrigeret hoc mendum, jam sua manu rescripsit *tumentibus.* Plinius infra, LXXX. 3. dicit, 'tumentes populos, non imperio magis, quam ratione, compescere.' Notavit jam Lipsius, 'tumere' eleganti metaphora hic dici animos iratos, qui erupturi videantur; erupturi quippe in vindictam, in conjurationes et insidias, quæ tantum animis conceptæ adhuc latebant, atque in tumultus; ut Virgil. Georg. I. 465. canit, 'Ille etiam cæcos instare tumultus Sæpe monet, fraudemque, et operta tumescere bella.' Ita et Ovidio Heroid. Epist. VII. 141. dicuntur 'bella tumere.' Item et Ciceroni ad Attic. XIV. 4. 'negotia tumere' dicuntur, quæ scilicet ita agitantur, ut in malum aliquod erumpant. Videtur autem translatio ducta esse aut a bestiis ita intumescentibus, aut a feminis gravidis, et proxime parturientibus; ut Ovid. Heroid. Epist. XI. 37. ait, 'Jamque tumescebant vitiati pondera ventris.' Immo μεταληπτικῶς etiam traduci potest a nubibus tumidis, quæ grandines, imbres, tonitrua, et quasvis graves tempestates, mox erupturas minitantur. Cujusmodi ἀλληγορίαν persequitur Petron. cap. 123. 'Nubes exonerabantur, nec rupto turbine venti Deerant, ac tumidum confracta grandine cœlum, Ipsæ jam nubes ruptæ super arma cadebant,' &c. Hoc autem loco μεταφορὰν malim arcessere a canibus, aliisque bestiis, ira tumidis, propter sequens verbum, 'objectabant;' quæ locutio sine dubio petita est a Cerbero, aut quovis cane irato, et morsus minitante, cui offa, aut alius cibus 'objicitur,' ne latret, aut aliquem lædat. Sic Virgil. Æn. VI. 417. seqq. canit, 'Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci Personat. . . . Cui vates . . . Melle soporatam et medicatis frugibus offam Objicit.' Etiam Phædrus I. 23. 'Nocturnus quum fur,' inquit, 'panem misisset cani, objecto, tentans, an cibo posset capi.' Haud secus Livius IV. 15. 'Cibo objiciendo, Sp. Mælius ratus, victorem finitimorum omnium populum in servitutem perlici posse;' quia nimirum Sp. Mælius, dives frumentarius, speraverat bilibris farris libertatem se civium suorum emisse, adeoque eos pacasse, aut compescuisse, ne ipsius conatibus quasi oblatrarent atque resisterent. *Schwarz.*

Tu tam innocens] Ut occasiones erratorum librariorum, et hodie typographorum, eo magis observentur, obiter notandum duxi, pro *tu tam,* in editione Puteolani, qua ego utor, *tutam,* et in Beroaldi *tuam* perperam esse excusum. Sed et codex Vaticanus 3461. item et Guelpherbytanus pro *tam innocens* exhibent *jam innocentius.* Unde aliqua quidem, sed non satis commoda, et quæ cum ceteris Plinii verbis cohæreat, erui possit sententia. Plinius non dixerat, Trajanum lætiorem lætis et securiorem securis; sed *gaudentem* æque *gaudentibus,* et *securum securis,* beneficium dedisse: igitur neque nunc commode dicere potuit, Trajanum innocentiorem tribuisse congiarium, quam id acceperit populus. Si princeps in hac re dicatur fuisse innocentior quam

populus, populus non prorsus a suspicione violatæ innocentiæ absolvitur. Miror ergo, cur Arntzenius, cum istam variam lectionem in Excerptis Guelphicis invenisset, hæc scripserit: 'Videtur magis esse ex genio Plinii, et ad normam Panegyricorum, quæ scriptura exstat in Guelph. *Id tu jam innocentius populo.* Vel scribi possit, *etiam innocentius.*' Bene tamen egit vir doctissimus, quod, reliquis libris nihil variantibus, nondum et hic aliquid mutaverit. Ceterum, innocentia, quam laudat Plinius in principe et populo, alias late patet, et fere adæquat 'integritatem;' certe cum ea sæpe conjungitur; uti Ciceroni Philipp. III. 10. dicitur 'summa integritate et innocentia vir.' Præcipue pro 'abstinentia,' aut ea virtute accipitur, quæ non malis artibus trahit rapitque aliena. Talem innocentiam, a Vitellio in provincia præstitam esse, ait Sueton. c. 5. Sigillatim vero 'innocentes' dicuntur, qui donis, aliisque malis artibus, nec corrumpunt alios, nec se corrumpi patiuntur. Hoc sensu Ciceroni Verr. v. 4. judices et prætores dicuntur 'innocentes;' et de Orat. I. 46. laudatur 'innocentia judiciorum,' quorum nempe religio non pecuniis aliisque corruptelis perfracta est. Sic et Cic. ad Famil. XIII. 64. Silium proprætorem rogat, 'ne relinquat hominem innocentem ad alicujus sui dissimilis quæstum.' Ita Dillius Vocula apud Tacit. Hist. IV. 58. cum videret, centurionum militumque animos emi, in oratione Deos precatus est, ut 'militibus Romanis darent innocentiam.' Atque adeo Plinius etiam dixit, Trajanum 'innocentem' dedisse congiarium populo; cum hic amorem isto impendio, non veniam crudelitatis, quæsierit. Dixit, et populum 'innocentem' accepisse istud congiarium; quia nempe id non minis, non tumultu, non fraude, non adulatione, elicuerat, aut extorserat. *Idem.*

Quam populus accepit] Nam ut Claudianus cecinit, 'Non tibi venales captant æraria plausus Corruptura fidem; meritis offertur inemptus, Pura mente, favor.' At in noxa populus videtur, cum noxioso, lucelli caussa, blanditur et favet. *Lips.*

Paullo minus .. quinque millia] Post 'plus,' 'amplius,' 'minus,' particulam 'quam,' quæ sequi debebat, sæpius omitti, uti et hoc loco; res vulgatior est, quam quæ pluribus exemplis comprobari debeat. Interim vide Tursellinum de Partic. c. 21. et 95. et Sanct. in Minerv. IV. 7. ubi sigillatim agit de particula 'quam.' Lipsio numerus quinque millium, pro opibus Romanis haud satis grandis visus est; sed fortasse hi soli urbani, ac quidem ingenui fuere, præter quos et Italici erant, qui alimenta caperent. *Schwarz.*

Quinque millia ingenuorum] Numerus haud grandis, pro opibus Romanis, aut copia alia frumentantium; sed notandum, quod *ingenuorum* dicit. Non passim conquisivit liberos, aut libertos; sed ingenuos dumtaxat, et sanguinis purioris: ex quibus miles, et alibi utiles cives, legerentur. *Lips.*

Ingenuorum] Ingenuus est, qui nascitur liber. Liber autem dicitur, qui, sive ex duobus ingenuis matrimonio editus est; sive ex libertinis duobus; sive ex altero libertino, et altero ingenuo, natus. Instit. lib. I. tit. 4. de Ingen. *Patarol.*

Aluntur] Testes hujus Trajani liberalitis Dio, et nummi, in ipsius memoriam cusi. *Idem.*

Ex his tribus] Hæc verba ex negligentia prætermisit librarius in codice Guelphico. De 'tribubus Romanis,' quæ adhuc fuere temporibus Trajani, jam supra egimus, XXV. 2. *Schwarz.*

Et quanto] Particula *et*, quæ primo intuitu videtur redundare, hoc loco partim habet vim consecutivam, et pro 'tum' ponitur; dum ostenditur, quid consecuturum sit, si Dii Trajano

dent vitam longiorem: partim auget dictionem admirantis; dum Plinius, quasi mirabundus, indicat futuram ingentem multitudinem infantium, quos Trajanus, si longiore frueretur vita, jussurus esset referri in numerum alimentariorum. Ergo sententiam Plinii hunc in modum explicare velim: Si, quod optamus, *dent tibi, Cæsar, ætatem Dii, quam mereris, serventque animum, quem dederunt: et quanto,* [i. e. hei, quanto tum,] *majorem infantium turbam,* quam quidem hoc tempore, *iterum atque iterum,* in singulos annos nonos, *jubebis incidi!* Simili fere ratione loquitur Florus. Hic enim, postquam IV. 2. 89. varios Jul. Cæsaris triumphos enumerasset, tandem quasi admirabundus, 'Et quanto majora erant,' inquit, 'de quibus non triumphavit!' Boxhornius, Cellarius, et qui hunc sunt secuti, pro *et quanto,* edidere *et, quando.* Sed hæc mutatio ne unius quidem codicis indicio adjuvatur. De hoc autem loco, ac de notione atque usu particulæ *et,* copiosius ago in Excurs. XXXII. *Idem.*

Jubebis incidi] Cuspinianus auget has voces, adscito alio verbo, *videbis, jubebis incidi.* Quia vero verbum *videbis* jam in pluribus antiquis, cum scriptis, tum excusis libris invenitur, vix dubium est, quin Cuspinianus in quodam vetere, sed jam ex hac parte corrupto codice, ista duo verba simul juncta repererit. Est mihi autem verisimillimum, hoc verbum *videbis* jam olim a sciolo quodam librario aut correctore contextui orationis intrusum fuisse, qui, cum neque vim particulæ *et,* neque verum usum vocis *quanto,* satis intellexerit; hunc locum ita emendandum, ac partim quasi animo supplendum putavit, *Et, quanto majorem infantium turbam iterum iterumque videbis;* tanto majorem turbam *jubebis incidi.* Cum deinde alii animadverterent, utrumque istud verbum vix commode una locum habere posse, alterutrum exturbandum censuerunt. Exturbarunt autem plurimi verbum *jubebis,* retento altero *videbis.* Verum, mihi persuasum habeo, potiore jure vindicandum esse verbum *jubebis:* primum quidem, quoniam id auctoritati Trajani, cujus auspiciis ista alimenta distribuebantur, convenientius est: poterant enim multi alii videre, nomina alimentariorum infantium tabulis frumentariis incidi; sed solius imperatoris erat jubere ea incidi. Deinde, quia Plinius hoc verbo etiam alibi in eadem materia usus est. Capite enim XXVI. 3. 'Omnes tamen,' inquit, 'antequam te viderent, adirentve, recipi, incidi, jussisti.' Et LI. 5. 'Auxeras numerum ejus congiarii facilitate, majoremque in posterum suscipi, liberalitatis tuæ fide jussisti.' Præterea, neque verbum *jubebis* hunc in locum reponendum, prorsus suffragio antiquitatis destituitur. Id enim codex Venetus, et liber prior Gudii, exhibent, atque Scaliger et J. F. Gronovius probarunt; idemque jam in excusis libris edidere, Lipsius, Parisienses, Bernegger, Patarol. Non vero, nisi e librarii audacis mutatione est, quod legimus in codice Guelphico, *videbis in dies.* Ceterum, verbum *incidi* Plinius denuo adhibet, quod jam supra posuerat, XXVI. 3. 'incidi jussisti.' Quo verbo Plinius respexit antiquum morem incidendi nomina alimentariorum in titulis, sive tabulis frumentariis, iisque sine dubio æneis. Id enim adhuc suo tempore usitatum indicat Valentinianus Senior imperator, in constitutione Codicis Theodos. de Annonis Civicis, lege 5. 'Quibus (gradibus),' inquit, 'titulus figendus est æneus, in quem, et panis modus, et percipientis nomen, debebit incidi.' Ille 'titulus æneus,' ut Gothofredus bene commentatur, tom. V. p. 243. erat tabula ænea; ubi, præter Plinii loca, etiam affert locum ex Seneca de Benef. cap. 28. 'Frumentum publicum tam fur, quam perjurus, et

adulter, accipiunt, et sine dilectu morum, quisquis incisus est.' Inde et ostendit Spanhem. de Præst. et Usu Numism. tom. II. p. 520. in nummis antiquis, quibus illæ Cæsarum liberalitates et congiaria designantur, passim quadratas tabellas, incisis notis, vel punctis, conspicuas, animadverti. *Idem.*

Jubebis incidi] *Videbis incidi;* sed, *jubebis incidi* C. *Livin.*

Augetur enim] In multis editionibus, v. g. Catanæi, Aldi, Juntæ, Rob. Stephani, Sichardi, Boxhornii, Pataroli, et Arntzenii, hæc verba, usque ad sequentia, 'principi cives,' signis παρενθέσεως includuntur; quæ signa vero recentiora nullus codex Ms. agnoscit; cum ab iis duntaxat, qui existimarunt, antecedentia, verba 'Et quanto majorem infantium turbam iterum iterumque jubebis incidi, tanquam πρότασιν suspendi, usque dum cum sequentibus verbis, 'Dabis congiaria, si voles, &c.' tanquam cum ἀποδόσει, con jungantur. Sed falsa est ista opinio, et frustra adjecta sunt signa παρενθέσεως. Illa enim antecedentia verba non cum sequentibus, sed cum proxime præcedentibus verbis sunt conjungenda, ut cum his conjuncta constituant integram sententiam; quemadmodum in Excurs. XXXII. jam pluribus explicavi. Nunc autem hujus sententiæ affertur ratio; quæ haud secus, ac postrema hujus capitis verba, itidem per se suas absolvit περιόδους, neque his quicquam interjectum est. *Schwarz.*

Dabis congiaria, si voles] *Præstabis alimenta, si voles.* Inserunt C. G. recte. *Rittersh.*

Præstabis alimenta, si voles] Hæc verba a Livineio sunt omissa, sed in C. G. adjecta. *Livin.*

Præstabis alimenta, si voles] Hæc verba omissa sunt a Puteolano, Beroaldo, Catanæo, Aldo, Junta, Philomuso, Rhenano, Ascensio, Rob. Stephano, Ceva, Patarolo; sed in aliis libris impressis, et omnibus scriptis, omnino extant; nisi quod in codice Parisiensi, item in Gruteriana editione, inverso ordine exhibeantur, *Præstabis alimenta, si voles; dabis congiaria, si voles.* Et digna sunt utraque κόμματα, quæ retineantur; cum Plinius hucusque etiam aliis in locis conjunxerit 'congiaria' et 'alimenta,' Quomodo autem hæc nihilominus distincta fuerint, jam supra ad XXVII. 1. ostendi. *Schwarz.*

Si voles] In libro Vossiano annotatum est, *si nolles*, quæ varietas negligenti librario accepta est referenda. Sed nec nobis placet, quod, in proximis verbis, has duas voces *illi tamen* librarius omisit in codice Guelpherbytano. Sensus horum verborum est: Sive tu dederis præstiterisque, nihilo minus tamen illi liberi *propter te* nascuntur, h. e. propterea, quod tu tam justus et benignus princeps es, quo imperante, male possit esse nemini. *Idem.*

Propter te nascuntur] Invitante fecunditatem virtute et liberalitate tua. Sic supra, 'Fiducia tui procreatos;' itemque, 'fiducia boni status.' *Lips.*

CAP. XXIX. *Instar ego*] Suspicor de hiatu aliquo, nec satis hærent, etsi fateor tamen apposite congiariis annonam subtexi, ut quæ pariter liberalitatem tangit; sed verba aliqua absunt, quibus decore eo transierit. *Id.*

Instar ego] Gryphius, Sichardus, et H. Stephanus, in margine editionum suarum, annotarunt *Instat ergo;* ubi *Instat* manifestum est mendum; sicut et paullo post, *reos* pro *reor;* sed de particula *ergo* adhuc est disquirendum; utpote quæ etiam in codicibus Vaticanis, Veneto, et Salisburgensi extat; cum in ceteris codicibus Mss. et omnibus aliis vulgatis legatur *ego:* quæ vero duæ voces quam facile, et quam sæpe, in antiquis codicibus, inter se commutentur, non est operæ

pretium exemplis comprobare. Lipsius suspicatus hic est de hiatu aliquo: et, licet fassus sit, apposite congiariis annonam subtexi, tamen opinatus est, abesse aliqua, quibus decore eo transierit Plinius. Ego nihil prorsus deesse puto; attamen, pro voce *ego*, vel *ergo*, mirum in modum velim substituere *vero*, utpote quæ particula ad enumerationem variarum partium, et ad transitionem, est peraccommodata. Scilicet Plinius, laudaturus insignem Trajani liberalitatem, hucusque commemoravit, quemadmodum hic imperator jam populo dederit congiarium, et militibus donativum; item et prospexerit infantibus de alimentis. Istæ quidem liberalitates, quamvis magnæ, quamvis populo gratissimæ, tantummodo tamen erant extraordinariæ et temporariæ, atque ad partem duntaxat populi pertinebant. Nunc vero Plinius ad aliud genus liberalitatis progreditur, nempe ad curam annonæ, quæ eo valebat, ut copia frumenti nunquam deesset populo, neque ejus pretium nimis ingravesceret; item, ut egenti plebi statis temporibus annona, vel leviore pretio, vel prorsus gratis, divideretur. Apte igitur appositeque a laude congiarii, donativi, et alimentorum, Plinius sic transit ad laudem curæ annonæ, *Instar* vero *perpetui congiarii reor affluentiam annonæ*. Ita vero ego credo, saltem nihil jure requiri posse, quod præterea pertineat ad transitionem. Nihilominus tamen nondum opus esse video, ut vocem aliquam aliunde arcessam, cujus vestigium nullus prorsus liber adhuc ostendit. Satis est, jam aliquot codicum indiciis reperiri particulam *ergo*; hæc certe non semper est caussalis; sed etiam aliquando saltem completiva, eademque inservit transitioni; immo et vicem conjunctionis *vero* interdum reddit. Priscian. lib. XVIII. pag. 1170. '*Nam*, *enim*, *ergo*,' inquit, 'non solum caussales, vel rationales, sed etiam completivæ, et confirmativæ inveniuntur.' Ita, ad modum transitionis, usus est hac particula Cicero; v. g. Off. II. 3. 'Quæ ergo ad vitam hominum tuendam pertinent, partim sunt inanima,' &c. Eandem particulam *ergo* non raro inservire transitioni, jam quoque Barthius et Burmannus annotarunt ad Gratii Cyneg. vs. 105. et 337. Inde illa etiam pro 'deinde' ponitur a Virg. Æn. VI. 384. 'Ergo iter inceptum peragunt.' Ad quem locum Cerda hæc commentatur: 'Placet explicatio Canteri, Nov. Lect. IV. 26. ut hic *ergo* sit *deinde*.' Sicut in Propert. III. 2. et quia similis vox, 'igitur,' sæpe in Plauto ponitur pro 'inde,' 'deinde,' 'postea.' Demum, quia Græcum εἶτα sæpe Cicero vertit 'ergo.' Atque adeo, 'ergo' etiam pro 'vero,' sive 'autem' poni, Passeratius multis exemplis comprobat, in Prælect. ad Tibull. IV. 161. p. 121. et ad Propert. III. 3. p. 418. Adsciscant igitur particulam *ergo*, qui volent; mihi nondum necessarium visum est rejicere pronomen *ego*. Schwarz.

Affluentiam annonæ] Annonæ comparandæ, et e frumentariis provinciis in urbem convehendæ, jam in republica libera diligens habebatur ratio, ita quidem, ut non solum universo populo copia frumenti ad victum necessarii non facile deesset; sed etiam ut egenti plebi, statis temporibus, leviore pretio, aut, in annonæ difficultate, aliquando prorsus gratis, distribueretur. Huc comprimis pertinent leges illæ annonariæ, sive frumentariæ, quales fuerunt Sempronia, A. U. C. 630. Appuleia, a. 653. Livia, a. 662. Terentia, a. 680. Clodia, a. 695. latæ. Clodiæ legis annonariæ meminit Asconius ad Cic. in Pison. c. 4. 'P. Clodii, tribuni plebis, lex annonaria, fuit summe popularis, ut frumentum populo, quod antea semisse et trientibus, (h. e. dex-

tante, sive denis e duodecim assis partibus,) in singulos modios dabatur, gratis daretur.' Imperatores rerum potiti, cum animadverterent, quantum esset momentum in hac largitione, ad plebis animos sibi conciliandos, non potuerunt non eam sibi curæ habere. Hinc, præter generalem procurationem annonæ, quam commiserunt ædilibus, vel extra ordinem certis præfectis annonæ; item et præter extraordinaria illa congiaria, occasione certarum festivitatum distributa; etiam instituerunt, ut plebi tenuiori, statis temporibus, ac plerumque singulis mensibus, annona levissimo, aliquando nullo pretio, divideretur. Numerus accipientium, pro conditione temporum, fuit varius. Cum tempore Julii Cæsaris essent viginti trecentaque millia accipientium frumentum e publico, is, A. U. C. 707. numerum ad centum quinquaginta millia retraxit, narrante Sueton. Cæs. c. 41. Augustus etiam Octavianus, ut militem donis, sic populum annona pellexit. Hic præter festiva congiaria, dedit publicam, eamque statam annonam ex ærario publico; dedit identidem privato sumtu coëmtam; dedit nec raro extra ordinem, annona ingravescente, frumentum. Testatur id ipse in fragmentis Breviarii rerum a se gestarum, quæ ex marmoribus Ancyranis supersunt. De publica annona ait, CONSVL. TERTIVM DECIMVM. SEXAGENOS. DENARIOS PLEBI. QVAE. TVM. FRVMENTVM PVBLICVM. ACCEPIT. DEDI. EA MILLIA. HOMINVM. PAVLLO. PLVRA. QVAM DVCENTA. FVERVNT. De privata liberalitate annonæ ait, ITERVM. AERE MEO. VIRITIM. CONSVL. VNDECIMVM DVODECIM. FRVMENTATIONES. FRVMENTO. PRIVATIM. COEMPTO. EMENSVS. SVM. &c. De extraordinaria ejus largitione frumentaria, in annonæ caritate, testatur Sueton. Aug. c. 41. 'In annonæ difficultatibus sæpe levissimo, interdum nullo pretio, frumentum viritim admensus est.' Cf. Dio Cass. lib. LV. p. 566. Multa in hanc rem exempla ex historia ceterorum quoque imperatorum, si opus esset, afferre possem. Præcipue vero hunc faciunt tot Cæsarum nummi, in memoriam hujusmodi largitionis annonariæ inscripti: ANNONA. AVGVST. item, ANNONA. AETERNA. Sigillatim vero commemorabilis est quidam Trajani nummus, quem commemorat Spanhem. de Præst. et Usu Numism. tom. II. p. 535. in cujus nummi parte aversa cernitur congius cum spicis et papavere, et cum hac epigraphe: ABVNDANTIA. PERPETVA P. P. S. C. Qui nummus sine dubio etiam ad indicandam stabilem annonæ sub Trajano ubertatem percussus est, ita, ut Plinius, cum diceret, 'instar perpetui congiarii esse affluentiam annonæ,' hujusmodi nummum quasi ante oculos habuisse videatur. Sic etiam Aurel. Victor. in Cæs. c. 13. inter acta Trajani refert, 'Et annonæ perpetuæ mire consultum, reperto, firmatoque, pistorum collegio.' Plura de hoc argumento suppeditat Vincentius Contarenus in libro de Frumentaria Romanorum Largitione, ubi Lipsii Admiranda, ex hac parte, non raro, vel in dubium vocat, vel corrigit, vel magis illustrat. *Idem.*

Hujus aliquando cura Pompeio] Cn. Pompeius, anno urbis 696. præfecturam annonæ in quinquennium accepit, cum 15. legatis attributis, et imperio in maria, portus, insulas, ut bello piratico habuerat. Id senatus consulto factum in sententiam Ciceronis, recenter ab exsilio reducti, cum plebem timerent, annonæ prætextu, motus turbasque daturam. *Lips.*

Pompeio] Cum Roma fame laboraret, anno U. C. 696. quo Cicero ab exsilio revocatus fuit, senatus consultum in ejus sententiam factum

est, 'ut Cn. Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariæ toto orbe terrarum daretur.' Cic. ad Attic. IV. 1. Hic ergo, extra ordinem præfectus annonæ factus, urbem frumento, ceterisque ad victum necessariis, replevit; ideo ad gloriam amplissimam pervenit. Auctor Cic. ad Attic. XV. 9. Appian. de Bello Civ. lib. II. *Patarol.*

Pulsus ambitus campo] Martio nempe campo, in quo comitia habebantur. Legem tulit enim Pompeius consul contra illos, qui, in petendis honoribus, populi suffragiis, aut donis, aut aliis corruptelæ generibus, vim attulissent. Plutarchus in Pompeio, p. 645. Bene autem notat Bandius, vocem *ambitus* notione non differre ab 'ambitione;' sed usu loquentium, cum ad leges respectus est, et ad judicia, nomen hoc retineri. *Idem.*

Pulsus ambitus] In tertio ejus consulatu, cum legem de ambitu pertulit, et judicia ea severiter exercuit. Plutarch. in Pomp. *Lips.*

Exactus hostis] Piratæ Cilices, qui, 'rupto fœdere generis humani, sic maria bello, quasi tempestate præcluserant,' inquit Florus III. 6. Hos Pompeius feliciter vicit, pene incruenta victoria, intra quadraginta dies. Plut. in Pompeio, et Dio Cass. lib. XXXVI. *Patarol.*

Oriens triumphis] In Oriente vicit Mithridatem regem Ponti, Tigranem Armeniæ, Ocodem, seu Olthacem, ut est apud Appian. de bello Mithridatico, Colchorum; Arthocem Iberiæ, Aristobulum Judæorum, pariter reges, aliasque gentes. Nam, exceptis Parthis et Indis, omnis Asia inter Rubrum mare, et Caspium, et Oceanum, Pompeianis domita, vel oppressa, signis tenebatur. Auctor Florus est, III. 5. idem III. 22. *Idem.*

Occidensque lustratus] i. e. obitus et peragratus est. Videtur fere Plinius illud, quod Cic. pro M. Marcello, cap. 2. de Jul. Cæsare dixit, in mente habuisse: 'Nec vero disjunctissimæ terræ citius cujusquam passibus potuissent peragrari, quam tuis, non dicam, cursibus, sed victoriis, lustratæ sunt.' Ubi non nulli, sed non satis bene, ediderunt, *illustratæ sunt.* Neque enim Cæsar eas terras proprie illustraverat, quas superaverat; sed lustravit potius, et vidit; ut id verbum referatur ad conficiendi celeritatem, et conferatur cum verbo *peragrare.* Ergo jam Petrus Victorius, Paul. Manutius, Lambinus, Cl. Minos, Grævius, et alii, verbum *lustratæ sunt*, recte vindicarunt Ciceroni. Manutius quidem: 'Lustrare,' inquit, 'interdum est circuire; ut de Nat. Deor. lib. I. 'Mercurii stella, anno fere vertente, signiferum lustrat orbem.'' Ibid. lib. II. 'Totam licet animis, tanquam oculis, lustrare terram.' 'Lustrare' autem plus est, quam peragrare; nam, qui peragrat, pertransit; qui 'lustrat,' ambit, circumspicit; ad quod plus temporis requiritur. Sic vero Plinius noster, etiam in hoc Paneg. XV. 1. dicit 'disjunctissimas terras lustrare;' LXXXI. 1. 'lustrare saltus;' LXXXII. 5. 'flumina lustrare navigiis.' Sicut autem Cic. magis proprie dixit 'victoriis lustrare terras;' ita Plinius μετωνυμικῶς dicit 'triumphis lustrare terras.' Sic et Flor. IV. 2. 8. triumphos pro victoriis ponit. Extra Romam enim nusquam triumphabant; sed in peregrinis provinciis victorias, triumphis dignas, obtinebant. Interim tamen ipse Cic. pro Balbo, cap. 4. ait, 'Cujus plerique æquales minus sæpe castra viderunt, quam hic triumphavit; qui tot habet triumphos, quot oræ sunt, partesque terrarum; tot victorias bellicas, quot sunt in rerum natura genera bellorum.' *Schwarz.*

Ille civilius] Mire laudat Plinius utrumque, Pompeium et Trajanum, ac similia facta iis tribuit, ita tamen,

ut aliquantum plus tribuat Trajano. 'Civiliter' non hic simpliciter notat clementer, benigne, humaniter; sed ponitur pro studio demerendæ plebis, consilioque captandi favoris populi. Ad cujusmodi civilitatem se dimisit Cn. Pompeius, princeps alioquin optimatum; cum non solum, ad conciliandum populum Romanum, 'supplicem se exhibuit populo Romano,' ut Cicero in patriam restitueretur, quod ipse Cic. pro Sext. c. 50. testatur; sed etiam, cum ad placandam plebem, præfecturam annonæ in se susciperet. Hoc adeo sensu, homines 'civiles,' et 'populares' opponuntur iis, qui pro auctoritate agunt, et student optimatum partibus. Atque ita dixit Cic. pro Sext. cap. 49. 'popularem cupiditatem a consilio principum dissidere.' Porro ibi ait, 'Temporibus Gracchorum et Saturnini, qui populares erant, offendebant illi quidem apud graves et honestos homines; sed populi judiciis, atque omni significatione, florebant. . . Qui autem adversabantur ei generi, graves et magni homines habebantur; sed valebant in senatu multum, apud bonos viros plurimum; multitudini non jucundi erant. . . . Attamen, si qua res erat major, idem ille populus horum auctoritate maxime commovebatur.' Itaque Plinius his verbis innuere voluit, Pompeium non majore civilitate, et conciliandæ demerendæque plebis studio, res suas peragere potuisse; quam auctoritate, consilio, et fide, similes res Trajanus, tanquam princeps, peregerit. Quas vero virtutes in principe laudat Plinius, easdem etiam in consule reipublicæ liberæ requirebat Cicero. Etenim, in Pison. c. 10. 'animo,' inquit, 'consulem esse oportet, consilio, fide, gravitate, vigilantia, cura; toto denique munere consulatus omni officio, maxime reipublicæ consulendo.' *Idem.*

Ille civilius] Diligentia enim et auctoritate, non armis, copia annonæ parta. Factum ejus, quod laudem plausumque meruit, scriptores ita narrant: Missis legatorum aliis alio, ipse in Siciliam, Sardiniam, Africam ivit, ac magna jam vi frumenti, naves conscendit, solvique jussit. Timentibus et cunctantibus gubernatoribus ob vim venti, turbido ita atque infesto mari, ipse primus oram solvit, et animose exclamavit, 'Navigare necesse est; vivere necesse non est.' Navigavit, appulit, horrea frumento, omnes gaudio, implevit. *Lips.*

Litoribus mare] Quia terræ videbantur sine mari jam esse, cujus usum fructumque non habebant. Nihil enim inferebatur. *Idem.*

Litora mari reddidit] H. e. usum litorum restituit mari, sive hominibus in mari navigantibus, qui antehac non tuti securique naves possent appellere ad alia litora a piratis prædonibusque occupata. Ita et mare litoribus restitutum est; cum nonnulli quidem populi in litoribus portubusque suis haberent naves, sed eas solvere, ac mari a piratis infesto committere, non auderent; unde omnes commeatus commerciorumque rationes turbabantur. Pertinent huc, quæ de piratico bello, præter Plutarchum, Dionem, et Val. Maximum, narrat Flor. III. 6. 'Pompeius dispersam,' inquit, 'toti mari pestem, semel et in perpetuum volens extinguere, divino quodam apparatu aggressus est. . . . Eodem tempore et usum maris navibus recuperavit, et terræ homines suos reddidit.' *Schwarzius.*

Annus] Hoc est, quidquid annonæ per annum fertur. *Patarol.*

Annus exuberet] Fere poëtica hæc est loquendi ratio. Virgil. Georg. II. 516. 'Nec requies, quin aut pomis exuberet annus, Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi; Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.' In Veneto, meoque

codice, scriptum est *amnis exuberet.* Atque ita etiam loquitur Virgil. Æn. VII. 465. 'Alte spumis exuberat amnis.' Sed hic de nullo amne adhuc est sermo; et mendi occasio facile patet; unde etiam illud *annis,* item *annuis,* quod in nonnullis legitur, vitiose natum est. *Annus* et hoc loco apud Plinium, et apud Virgil. l. c. est annuus frugum proventus, seu ipsa annona, quæ 'vincit horrea,' h. e. largior est, quam possit horreis capi; aut, uti idem poëta, Georg. I. 49. canit, 'Illius immensæ ruperunt horrea messes.' *Schwarz.*

Ex hostico] Codex Salisburgensis habet *ex hostibus;* sed nihil est innovandum contra consensum reliquorum librorum omnium. 'Hosticum' est solum hostile, terra hostium; vox Livio identidem usitata; v. g. XVIII. 24. 'Milites in hostico laxius rapto sueti vivere.' Et Plinius Major, LXV. 4. 'Hostus Hostilius, quem Romulus frondea donavit, quod Fidenas primus irrupisset, dictus, quod in hostico natus esset.' Mox, in libro Gud. 2. extat *pariturœque in horreis messes;* putes, Plinium ironice, aut argute, dixisse, messes, sive fruges, in horreis a malis principibus fuisse reconditas, quasi *pariturus,* h. e. tanquam coacervatæ possent parere novas, aut certe servari ad majorem quæstum inde temporibus carioris annonæ faciendum. Sed præstat vulgata, et ab omnibus ceteris libris confirmata, lectio, qua notatur avaritia et sinisteritas quorundam principum, qui maluerint congestas fruges in horreis perire, quam eas non eripere sociis. *Idem.*

Perituræ] Quæ in usum hominum non promantur. *Patarol.*

In horreis] Quæ Romani in provinciis passim habebant, ubi frumenta conderent, et militares annonas. Sed et Romæ horrea, per omnes regiones urbis sparsa, ut in Victore videas, ad publicum hoc frumentum. *Lips.*

In horreis] De 'horreis,' sive receptaculis frumentariis, jam non nihil ad h. l. annotavit Lipsius; qui, Elect. I. 8. memorat, uti in provinciis, ita et in singulis urbis Romæ regionibus, fuisse multa publica, et cognominibus certis, ut Aniceti, Vargunteii, Augusti, Domitiani, &c. distincta horrea; quorum, ex P. Victore, numerum ad trecenta novem iniit. De quibus Bulenger de Vectigal. P. R. c. 8. Pancirolus Var. Lect. I. 51. et jureconsulti passim non nulla annotarunt ad titulum utriusque codicis, 'De conditis in publicis horreis.' *Schwarz.*

Nequidquam quiritantibus] H. e. frustra lamentantibus, vehementerque conquerentibus sociis. Plurimi codices scripti excusique habent *queritantibus.* Solus codex Salisburgensis, et, in impressis, Livineius, Lipsius, Gruterus, Puteanus, Bernegger, Hackius, Cellarius, Ceva, ac recenter Gesnerus et Artnzenius, exhibent *quiritantibus.* Secundum priorem scripturam, verbum esset frequentativum 'queritor,' i. e. crebro, vel frequenter, queror, media syllaba brevi, a 'queror.' Secundum posteriorem scripturam, verbum esset 'quirito,' a Quiritibus. Jam vero, exponente Varrone de Ling. Lat. lib. IV. pag. 41. "'Quiritare' dicitur is, qui, contra vim, Quiritium fidem clamans implorat.' In hoc autem verbo media syllaba producitur, secundum analogiam, et Lucilii, vetusti poëtæ, versum, quem citat Nonius Marcell. pag. 494. 'Hic inquam rudet e rostris, atque ejulitabit, Concursans velut ancarius, clareque quiritans.' Ubi affert etiam ex Nigidio, 'Clamat quiritatum.' Hac propria notione verbi usus esse videtur Quinctil. Instit. Orat. III. 8. 'Cur initio furioso sit exclamandum, non intelligo: cum, proposita consultatione, rogatus sententiam, si modo est sanus, non quiritet; sed, quam maxime potest, civili et humano ingressu mereri assen-

sum deliberantis velit.' Dubium ergo est, utrum *queritantibus*, an *quiritantibus*, hoc loco sit recipiendum. Si significationem spectem, sique de usu verbi 'queritor' satis certus essem, velim *queritantibus;* neque requirerem verbum 'quiritare,' cum hoc ex propria notione significaret 'fidem Quiritium clamando implorare;' quod fiebat, cum inclamarent, 'Porro Quirites!' ut docet Turnebus, Advers. XIII. 22. Jam autem consuetudo fidei Quiritium sic implorandæ sub imperatoribus desierat. Adeoque propria notio verbi 'quiritare' magis ad reipublicæ liberæ quam imperatorum tempora pertinuit. Quod vero ad verbum 'queritor' attinet; id quidem non adversetur analogiæ linguæ Latinæ. Uti enim a 'minor,' 'minitor,' a 'polliceor,' 'pollicitor,' a 'medeor,' 'medicor;' ita etiam a 'queror,' 'queritor,' derivari potuisset. Verum, in his non analogia sola, sed maxime usus spectandus est. At unde hunc probabimus? cum nullum exemplum ex probato quodam scriptore proferri possit, quod extra omnem dubitationem controversiamque sit positum. Ac, si usitatum fuisset Romanis verbum 'queritor,' mirum profecto esset, cur id, quantum mihi quidem constat, in nullo poëta melioris Latinitatis reperiatur; cum tamen, et sæpe materia, et metrum carminis, illud facile admisissent. Producuntur quidem exempla, in quibus evidenter non notio implorationis fidei Quiritium, sed simpliciter gravis querelæ, et lamentationis, locum habet; nihilominus tamen orthographiæ ratio in iis est dubia; cum alii scripti excusique libri id verbum in prima syllaba per *i*, alii per *e* exhibeant. Huc pertinent loca ex Tacito Annal. XVI. 34. 'Flentes, quiritantesque, qui aderant;' item ex Livio XXXIX. 8. ex Val. Max. VI. 2. 8. et IX. 2. 1. atque ex ipso Plinio nostro, Epist. VI. 20. 'Audires ululatus feminarum, infantium quiritatus, clamores virorum.' Quid ergo decernendum? Ego, quoad certiora edoctus fuero, ita sentio, usum verbi 'queritor,' et nominis 'queritatus,' in ista varietate veteris scripturæ adhuc esse valde dubium; quoad e poëta antiquo certius quantitatis syllabarum indicium afferatur: interim verbum 'quiritare,' et inde ductas voces, 'quiritatio,' et 'quiritatus,' rectius tutiusque retineri posse, ita tamen, ut sæpissime, et maxime ubi de rebus post rem publicam liberam gestis agatur, eandem notionem, quam verbum 'queritor,' habiturum fuisset, habeant, nec nisi de crebra et vehemente querela ac lamentatione dicantur. Talis enim notio jam tum verbo huic simul adhæsit, cum vel maxime de clamosa imploratione fidei Quiritium usurparetur. *Idem.*

Devehunt ipsi] I. e. ipsi provinciales et socii ultro ex horreis suis frumentum vehunt in horrea publica, aut ad mare, unde devehatur Romam; ne opus sit, ut exactores id extorqueant. In Vossiano libro annotatum est *bene habent*, seu *venæ habent*, i. e. 'venui,' ut est apud Apuleium. Sed hæc lectio digna quidem foret aspera Afri, non autem eleganti Plinii, dictione. Verbum 'devehere' in hac materia sæpe occurrit. Eo ipse Plinius de rebus tam in aquis, quam terra, devehendis, utitur; v. g. Epist. V. 6. de Tiberi: 'Omnes fruges devehit in urbem.' Epist. X. 50. 'Per hunc lacum, marmora, fructus, ligna, materiæ, et sumtu modico, et labore, usque ad viam, navibus; inde magno labore, majore impendio, vehiculis ad mare devehuntur.' *Idem.*

Terra genuit] Vide, quam selecta verba conquisiverit Plinius, et cuique rei, ad fruges producendas concurrenti, idoneum verbum assignaret! Terram dicit gignere fruges; quia Tellus, tanquam uxor Cœli, et

mater communis omnium rerum, primum semina recipit, fovetque, et tandem parit fruges. Hinc Virgil. Georg. II. 324. 'Vere tument terræ, et genitalia semina poscunt.' Et quoties alibi terra dicitur 'gignere' et 'parere' fruges, 'sidus' dicit 'alere,' quia sidera credebantur plurimum conferre ad alendas fruges; unde observandum docuit Virgil. Georg. I. 1. 'Quo sidere terram Vertere conveniat.' Maxime vero indicat Plinius solem, quem infra LXXX. 4. 'sidus velocissimum' appellat. Ita auctor Hymni in Adonim, qui Orpheo adscribitur, solem ita rebus omnibus præbere 'nutrimentum,' eumque ideo vocat τροφὴν πάντων ἀρίδηλον. Alii hoc alimentum tribuunt ætheri, seu generatim influxui cœlesti; ut Virgil. Georg. II. 325. 'Tum pater omnipotens, fecundis imbribus Æther, Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes Magnus alit magno commixtus corpore, fœtus.' Tandem ait, 'annum tulisse' fruges, quia quæque anni pars fructus suos profert, et præcipue auctumnus fruges maturas; unde et auctumnus per excellentiam a poëtis dicitur 'frugifer.' Hinc et fingebant peculiarem Deam, *Feroniam*, quæ fructus ferret, et ad maturitatem perduceret; de qua adire licet commentatores ad Virgil. Æn. VII. 800. *Idem.*

Nec novis] Vectigalium novitate nemo fere sævius Caligula subditos pressit. De ipso Sueton. c. 4. 'Nullo rerum, aut hominum, genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret.' *Patarol.*

Novis indictionibus] Tria omnino genera pensitationum: 'Canon,' certum et ordinarium tributum; 'oblatio,' quod sponte præstetur; 'indictio,' quod de novo imponatur. Meminit Ascon. in Cic. Verr. IV. *Livin.*

Novis indictionibus] Proprie. Asconius, 'Omne genus pensitationum in hoc capite positum est, canonis, oblationis, indictionis.' Et 'canon,' est ordinarium tributum; 'oblatio' voluntarium; 'indictio' novum et superadditum. *Lips.*

Novis indictionibus] Erant tributa singulis tribubus lustris indicta patrimoniis; primo lustro auri tributa, argenti secundo, æris tertio. Vide Codic. de Ann. et Tribut. et Indict. lib. X. Ab indictionibus quoque, spacio nempe 15. annorum, ratio et consuetudo annorum numerandorum cœpit Constantino imperante. Vide Hotom. et Budæum in annot. ad Pandect. *Bern.*

Novis indictionibus] Alii jam ex Asconio, ad Cic. Verr. II. 2. notarunt, 'omne genus pensitationis in hoc capite positum esse, canonis, oblationis, indictionis.' E quibus generibus 'canon' fuit ordinarium tributum, 'oblatio' voluntarium, et 'indictio' novum ac superadditum. Uno nomine generatim 'tributum' dicebatur, quidquid ex privato in publicum contribuebatur, sive ordinarium esset, sive extraordinarium. Ad ordinaria tributa pertinebat 'canon frumentarius,' secundum quem, definita quantitas frumenti a provincialibus sociisque quotannis erat præbenda. Et in republica quidem libera, ex singulis jugeris, quæ arabantur, pars decima erat tribuenda. Et hæ dicebantur 'decumæ.' Mutata vero forma reipublicæ, demum ex certo 'canone frumentario,' et præscripta lege, aliter definiebatur, quid quæque provincia, pro modo et ubertate agrorum, præstare deberet. Hunc vero 'canonem frumentarium' primum ab Augusto esse compositum, existimat celeberr. Burmannus de Vectigalibus P. R. cap. 3. sed usus tamen hujus nominis in re frumentaria vix ad ea tempora pertingit. Postea vero de hoc 'canone,' utrique codici titulus ab imperatoribus est insertus. Quod ad 'oblationem' attinet; ad hanc referebantur ea, quæ provinciales sponte,

et gratulandi animo, imperatoribus offerebant; ut erant strenæ, stipes, quas ex voto pro salute Augusti, mittebant in lacum Curtium; aurum coronarium, frumentum honorarium, et similia. 'Indictiones' vero, quarum Plinius meminit, erant extraordinariæ pensitationes, et collationes, quæ sæpe ex improviso imperabantur, et indicebantur. Indicebantur vero plerumque lustro quoque, aurum, argentum, ferrum, &c. Conferatur et Bulengerus de Vectigalibus Populi Romani. *Schwarz.*

Emit fiscus] I. e. revera et præsenti pecunia emit fiscus, nec rapit, aut vi fraudeve aufert, provincialibus, quidquid profitetur se emere velle. Verbum 'videtur' hoc loco non aliquid incertum aut imaginarium indicat, sed idem notat, quod quis dixerit: Emit fiscus quidquid conspicitur sive cernitur emere, aut, quidquid vident homines eum emere. Ut Ovid. Trist. II. 528. de Venere: 'Et modo maternis tecta videtur aquis.' Sic et ipse Plinius noster c. XXXIII. 1. loquitur: 'Visum est spectaculum;' i. e. vidimus spectaculum. Sed verbo hoc sæpe etiam Cicero et veteres Jurisconsulti, de rebus etiam certis compertisque, uti consueverunt. Removet potius hinc, et negat Plinius, omnem imaginariam emtionem. Non ergo opus est, ut pro *videtur* assumamus verbum *jubetur;* quod Livineius e conjectura in ora editionis suæ posuerat: quamquam alioquin hoc verbum a sententia Plinii non alienum foret, si ita interpreteris: Fiscus, sive procuratores, revera emunt quidquid jubentur emere. Scilicet in angustiis temporum, annonæque difficultate, a bonis imperatoribus curatores fisci jubebantur, ultra portionem frumenti quotannis debitam, et a provincialibus exigi solitam, aliam præterea portionem frumenti imperare, ita tamen, ut hoc casu, pro extraordinaria portione, provincialibus ex fisco solveretur pecunia. Quod 'frumentum' vocabatur 'emtum.' Jam autem avari principes promittebant quidem identidem, sed non solvebant, pecuniam; aut præfecti etiam aliquando tam malis utebantur artibus, ut aut plane nullam, aut perexiguam, solverent pecuniam. Quibus artibus, pro sua providentia, obviam ivit Trajanus. Codex Vaticanus 3461. habet *Sinit fiscus, quicquid videtur, emere.* Codex Guelphicus, et alter liber Gudii, *Sinit fisçus, quicquid videre emere.* Unde jam antehac existimavi legi posse *Sinit fiscus, quidquid videtur e re, emere.* Quæ lectio ad eandem fere sententiam recidit; nisi quod aliud genus fraudis notetur, quo usi sunt mali principes, aut eorum administri, ad pecuniam a provincialibus qualicunque honesto emtionis venditionis titulo extorquendam. Scilicet illi mali, ad locupletandum fiscum, aut privatum commodum, aliquando ex horreis publicis frumentum superfluum obtrudebant provincialibus invitis, definito, eoque magno, pretio, emendum: cujusmodi fraude tempora Trajani non erant commaculata, cum tunc fiscus sineret libere, et ex libera conventione, emere quidquid, et quantum provincialibus e re videbatur emere. Utramque hanc lectionem, et utriusque explicationem, jamdudum in Excurs. XXXIII. proposui, et optionem aliorum judicio reliqui; ipse enim nullam necessitatem video vulgatæ lectionis mutandæ. Sed posteriorem lectionem, quod mirum est, capere non potuit Arntzenius. Ait enim, 'minus apte' dici *Sinit fiscus, quidquid videtur e re, emere.* 'Non enim,' inquit, 'sub bonis principibus extorsiones erant illæ, sed veræ emtiones.' Quis, quæso, usquam dixit, sub Trajano, aliisque bonis principibus, permissas fuisse extorsiones? aut quomodo illud sequitur e lectione codicis Guelpherbytani? Interim in omnibus paginis

Plinius laudat Trajanum, quod non ea vitia et crimina ad suum admiserit sæculum, quæ insolentiorum principum temporibus viguerant. Melius, et mentem meam, et lectionem Gudianam, percepit Gesnerus, qui 'sententiam' hanc 'et ipsam bonam' vocat. *Idem.*

Quidquid videtur emere] Vera et non imaginaria emtio est fisci. Quomodo imaginaria? Apronius ille Tullianus docuerit, frumentaria in Verrem. Cogebant socios alteras decumas addere, sed emendas ex senatus consulto. Ipsis pecunia cedebat, sociis ludibrium, et titulo emendi rapiebant. Vide, sodes, oratorem dictum. Nihil hic tale, ait noster: fides ubique et veritas. Aberrant mente, Plinii dico, qui *jubetur* hic emendant. *Lips.*

Quidquid videtur emere] Vid. Tacit. Agric. 19. et ad eum Lipsii not. 34. item Virdung. Cujac. Obs. XXVII. 9. *Bern.*

Cap. XXX. *Ægyptus alendis*] Peropportuna hæc est παρέκβασις a cura annonæ publicæ ad Ægyptum; utpote quæ, cum alias inter frumentarias Romanorum provincias emineret, tunc extraordinaria sterilitate pressa non minus ex providentia et liberalitate Trajani sustentabatur, quam Romæ cives inopes. Atque adeo in hac liberalitate Trajani exaggeranda mirifice exultat oratio Plinii. Erant vero provinciæ frumentariæ, Sicilia, Africa, Sardinia, Hispania, Bœotia, Macedonia, Chersonesus, Asia, et Syria; e quibus omnibus, non minus jam mutata, quam adhuc libera republica, frumentum Romam advectum est. Vide Vincent. Contarenum de Frumentar. Romanorum Largitione cap. 10. His demum A. U. C. 724. Augusti temporibus, accessit Ægyptus. Quod narrat Aur. Victor in Epit. c. 1. 'Regionem Ægypti, inundatione Nili accessu difficilem, inviamque paludibus, in provinciæ formam redegit Augustus. Quam ut annonæ urbis copiosam efficeret, fossas incuria vetustatis limo clausas labore militum patefecit. Hujus tempore ex Ægypto urbi annua ducenties centena millia (modiorum) frumenti inferebantur.' Ubi Anna Daceria annotavit, modium paullo plus minusve Romanis pependisse 25. libras. Hujus terræ fertilitas jam celebratur in divinioribus literis, Genes. XLI. 29. ubi, secundum LXX. interpretes, dicitur, Εὐθηνία πολλὴ ἐν πάσῃ γῇ Αἰγύπτου, *fertilitas magna in universa terra Ægypti.* Tanta fertilitas adscribebatur Nilo; de quo Plinius Major v. 9. 'Certis diebus auctu magno per totam spatiatus Ægyptum, fecundus innatat terræ. . . . Auctus per puteos mensuræ notis deprehenduntur. Justum incrementum est cubitorum 16. Minores aquæ non omnia rigant; ampliores detinent, tardius recedendo. Hæ (ampliores aquæ) serendi tempora absumunt, solo madente; illæ non dant, sitiente. Utrumque reputat provincia: in duodecim cubitis famem sentit; in tredecim etiamnum esurit; quatuordecim cubita hilaritatem afferunt; quindecim securitatem; sedecim delicias. . . . Cum stetere aquæ, apertis molibus admittuntur; ut quæque liberata est terra, seritur.' Referente Harduino ad Plin. XXXVI. 7. servatur Hadriani Augusti nummus, in Gaza Parmensi, in quo Nilus decumbens pingitur, cum arundine et cornu copiæ; infra hippopotamus, in imo L. ΤΡΙCΚΑΙΔ. anno XIII. Hadriani: supra 16. i. e. 'sedecim cubiti,' ad quos eo anno Nilus excreverat. De hoc adhuc pauca e Seneca Nat. Quæst. IV. 2. ad hunc locum illustrandum repetemus: 'At Nilus,' inquit, 'ante exortum caniculæ urgetur mediis æstibus, ultra æquinoctium. Hunc nobilissimum amnem natura extulit ante humani generis oculos, et ita disposuit, ut eo tempore inundaret Ægyptum, quo maxime usta fervori-

bus terra undam altius traheret, tantum haustura, quantum siccitati annuæ sufficere possit ... Unam, ut scis, Ægyptus in hoc spem suam habet. Proinde aut sterilis annus, aut fertilis est, prout ille magnus influxit, aut parcior. Nemo aratorum aspicit cœlum,' &c. Ceterum, mendum est in codice Salisburgensi, ubi, pro *augendis seminibus*, scriptum est *agendis;* neque enim est, quod putes, sic semina dici 'agi,' vel 'agitari' a Nilo, quasi fermentari, ut fecundentur. Nec est, quod optes cum Behrio, pro *augendis* reponere *fecundandis*. 'Augeri semina' etiam dixit Cic. Nat. Deor. II. 52. *Schwarz.*

Ægyptus] Historiam de Nili excrescentia, unde provinciæ fertilitas, vide fuse apud Strab. lib. XVII. sub initium. *Patarol.*

Alendis augendisque] Duo in Ægypto laudat, quod bene alat et producat semina; alterum, quod augeat, et cum 'centesimo' sæpe (ita alter Plinius) fructu reddat. *Lips.*

Nihil imbribus cœloque deberet] Tibullus de Nilo, 'Te propter nullos tellus tua postulat imbres, Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.' *Διόπερ αὐτὸν ὁ Βυζάντιος ποιητὴς Παρμενίων ἐπικαλούμενος, Αἰγύπτιε Ζεῦ, φησὶ, Νεῖλε*, Athenæus Dipnosoph. lib. v. Lucanus de Ægypto, lib. VIII. 'Terra suis contenta bonis, non indiga mercis, Aut Jovis.' *Livin.*

Nihil imbribus cœloque deberet] Notum, hodieque certum, in ea regione non pluere, stillare interdum roris instar, cetera fluvio irriganti deberi. Claudianus in Epigrammatis: 'Ægyptus sine nube ferax, imbresque serenos Sola tenet. Secura poli, non indiga venti, Gaudet aquis, quas ipsa vehit, Niloque redundat.' Ubi 'imbres serenos' dicit ipsam irrigationem fluvialem, quæ sereno, et in æstate. *Lips.*

Cœloque] Neque enim hic, ut ille canit, 'pluvio supplicat herba Jovi;' et ut alter, 'Terra suis contenta bonis, nihil indiga mercis Aut Jovis; in solo tanta est fiducia Nilo.' *Lips.*

Proprio semper amne] Edit. Rhenan. *proprio semper omne;* sed *proprio semper amne* H. Stephan. Sic meus C. *Faber.*

Nihil imbribus] Alludit et Claudian. in Eidyl. IV. 'Felix, qui Pharias proscindit vomere terras: Nubila non sperat tenebris condentia cœlum, Nec graviter flantes pluviali frigore Coros Invocat, aut arcum variata luce rubentem. Ægyptus sine nube ferax, imbresque serenos Sola tenet, secura poli, non indiga venti. Gaudet aquis, quas ipsa vehit, Niloque redundat, ... Nec circumfuso scopulis exuberat imbre. Nam, cum tristis hiems alias produxerit undas, Tunc Nilum retinent ripæ; cum languida cessant Flumina, tunc Nilus mutato jure tumescit.' *Patarol.*

Ipse devexerat] Lipsius, Bernegger, Ceva, legunt *ipsa;* et, meo quidem judicio, satis bene, ut referatur ad Ægyptum. Atque ita diserte loquitur Claudianus in versibus modo citatis, 'Gaudet aquis, quas ipsa vehit.' Non autem terra et provincia solum, sed et ipse fluvius dici potest 'vehere aquas;' ut Tibull. I. 4. 6. canit: 'Dum vehit amnis aquas.' Etiam ipse Plin. Epist. VIII. 17. 'Tiberis, .. quæ solet flumina accipere, et permista devehere, velut obvius retro cogit.' Cujusmodi exempla jam etiam annotavit Arntzenius. *Schwarz.*

Segetibus induebatur] Aliquid *ποιητικώτερον* hic agnoscunt commentatores; neque id insolens foret in panegyrico. Non tamen soli poëtæ ita loquuntur. Uti Petron. cap. 127. dixit 'terram vario gramine indutam;' ita Cic. Nat. Deor. II. 53. dixit 'montes vestitos et silvestres;' et ibid. cap. 64. 'Cernes vestitus densissimos montium.' Sic et Liv. III. 33. 'Appius novum sibi ingenium induerat.' Et supervacuum foret vel ex solo Tacito

hujus generis formulas sigillatim colligere: 'hostiles spiritus induere,' 'affectum induere,' 'pavores falsos induere,' 'animum bonis artibus induere,' &c. *Idem.*

Induebatur] Audacter satis et poëtice; terra segetibus tegi, et quasi vestiri videtur. *Lips.*

Usque ad injuriam] In variis codicibus scriptis, excusisque libris, proditur *usque in injuriam.* Haud improbo hanc dicendi rationem, quam aliorum etiam auctorum exempla tuentur. Sic loquitur Seneca de Benef. IV. 5. 'Neque enim necessitatibus tantummodo nostris provisum est; usque in delicias amamur.' Colum. Præf. lib. XII. de Re Rust. 'Usque in patrum nostrorum memoriam.' Boëtius de Consol. Philos. l. I. prosa 1. 'Sed abite potius, Sirenes, usque in delicium dulces!' Haud pauciores tamen libri habent *usque ad injuriam.* Ita scilicet hæc verba referunt Mss. Vaticani, Salisburgensis, et Guelphicus; atque in impressis libris, Beroaldus, Catanæus, Aldus, Junta, Gryphius, Ascensius, Sichardus, Navius, Livineius, H. Stephanus, Cellarius, Hearne, et nunc Gesnerus. Nec raro alibi etiam promiscue scriptum reperitur *usque in,* et *usque ad.* Hanc tamen posteriorem lectionem priori jam præferendam opinor; primo, quia in compositione verborum, *usque ad injuriam,* non tam ingratus auribusque molestus sonus, quam in verbis, *usque in injuriam,* propter concursum ejusdem syllabæ *in,* occurrit. Deinde, quia et hæc ipsa lectio auctoritate veterum librorum munitur. Denique, quia plura omnino exempla observantur, ubi particula *usque* cum præpositione *ad,* quam cum *in,* conjungitur. Ex multis pauca annotare libet. Sic Terent. Andr. I. 2. 28. 'Verberibus cæsum te in pistrinum, Dave, dedam, usque ad necem.' Petron. cap. 11. 'Fruor votis usque ad invidiam felicibus.' Tacitus, Annal. XIV. 15. 'Non nobilitas cuiquam, non ætas, aut acti honores, impedimento, quo minus Græci Latinique histriones artem exercerent, usque ad gestus modosque haud viriles.' Cf. idem XIV. 26. Ipse Plinius noster Epist. III. 7. 'Erat φιλόκαλος usque ad emacitatis reprehensionem.' Idem Epist. X. 4. 'Gravissima valetudine, usque ad periculum vitæ, vexatus.' Sic hoc loco, *usque ad injuriam sterilitatis.* 'Injuria' alias dicitur, quidquid non jure fit, sive re, sive verbis. Unde magister Herennianus l. IV. c. 25. 'Injuriæ sunt,' inquit, 'quæ aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut aliqua turpitudine vitam cujuspiam violant.' Sed et generatim quævis læsio et calamitas, aut quodvis incommodum et damnum, ubi nec proprie jus locum habet, aliquando appellatur 'injuria.' Ita Plinius Major, XX. 14. 'injuriam frigorum, æstusque;' XVII. 24. 'injuriam pruinarum;' XVIII. 28. tempestates vocat 'injurias cœlestes,' et cap. 29. 'injuriam cœlestem sterilitatis.' Utque jam taceam exempla aliorum auctorum, sic alibi ipse quoque Plinius noster loquitur, lib. XXXVII. c. 1. 'Vectigalia instituuntur pro utilitate communi, singulorum injuriis.' XXXVIII. 5. 'Minuere orbitatis injurias.' *Schwarz.*

Usque ad injuriam] *In injuriam* V. C. G. *Livin.*

Ad injuriam sterilitatis] Plinio justum incrementum est cubitorum decem et sex: minores vero aquas non rigare omnia, ampliores detineri ac tardius recedere; hæ tempora serendi absumunt solo madente, illæ non dant, sitiente. Hinc in 12. cubitis famem sentit; in 13. etiam esurit; at 14. cubita hilaritatem afferunt, 15. securitatem, 16. delicias. Claudio principe maximum incrementum fuit cubitorum 17. Pharsalico bello minimum. *Bern.*

Piger Nilus] Non assurgens et exspatians, ut solet, cujus 'justum in-

crementum' Plinius esse scribit, 'cubitorum 16. Minores aquas, non omnia rigare; ampliores, detineri tardius recedendo.' Diodorus atque alii videndi. *Lips.*

Quidem tunc quoque] *Quoque tunc quidem* Livin. sed *quidem tunc quoque* V. G. *Livin.*

Ille fluminibus, fluminibus tamen, conferendus] *Ille fluminibus, conferendus* Livin. sed *ille fluminibus, fluminibus tamen, conferendus* V. C. *Idem.*

Ille fluminibus, fluminibus tamen, confer.] Necessarium prorsus additamentum, quod de duorum optimorum codicum fide adjectum. Nam excludi vult inundationis beneficium, quod alias peculiare et proprium Nili. Infra, 'Posthæc (si volet) Nilus amet alveum suum, et fluminis modum servet.' Mox pro eo quod legitur, *mergi palanti amne,* quomodo est in C. G. R. in V. reperio *mergere parique amne,* impedita et difficili scriptura. Sed compendia secutus literarum, et quæ coaluerant divulsis, eruebam *mergi repararique;* aperta sententia, in antiquis enim libris *parique* valet *pararique.* Idem.

Fluminibus tamen] Triplex potissimum varietas in scriptura hujus loci occurrit: sileo nunc aperta quædam menda; v. g. ubi pro *ille,* ponitur *Nile;*, pro *tunc, tu ne.* Prima est, dum in codice Salisburgensi, item a Puteolano, Beroaldo, Catanæo, Aldo, Junta, Philomuso, Rhenano, R. et H. Stephanis, Gryphio, Ascensio, Sichardo, Navio, Boxhornio, et Cellario, hæc verba simpliciter exhibentur, *ingentibus quoque tunc quidem ille fluminibus conferendus.* Altera varietas, ubi præterea particula *tamen,* sed ea sola, assumitur, occurrit in codice meo, in Pataroli, et nunc quoque Gesneri editione, *ingentibus quidem tunc quoque ille, fluminibus tamen conferendus.* Quo facit et Guelpherbytanus codex, *ingentibus quoque tu ne* (*tunc*) *quidem, Nile,* (*ille,*) *fluminibus tamen, conferendus.* Tertia varietas, quæ extat in codice Veneto, et quam in contextum recepimus, duas adsciscit voces, *fluminibus tamen.* Consentit et codex Parisiensis, vocibus duntaxat quibusdam ita transpositis, *Ingentibus quidem ille fluminibus quoque tunc, fluminibus tamen, conferendus.* Idem supplementum exhibent codices Vaticani, licet vocibus duabus anterioribus corrupte scriptis: *Ingentibus quoque tu ne* (*tunc*) *quidem Nile* (*ille*) *fluminibus, fluminibus tamen, conferendus.* Atque ita supplementum illud duarum vocum, *fluminibus tamen,* quod et Livineius in duobus optimis codicibus deprehenderat, jam in excusis libris evulgaverunt Cuspinianus, Lipsius, Gruterus, Puteanus, Bernegger, Hackius, De la Baune, Ceva, et nunc Arntzenius. Primam lectionem facile dimittimus, cum ei non solum obstet auctoritas tot librorum, indicium idonei alicujus supplementi facientium; sed cum simplex quoque ista sententia fere frigeat, neque satis excludat beneficium inundationis Nili, quod tunc excludendum significare voluit Plinius. Altera, et tertia lectio est luculentior, ac neutra stilo Pliniano adversatur, adeo, ut mihi difficilis videatur alterutrius electio. Sententia Plinii utrobique est eadem. Id enim significare voluit, Nilum in ista inopina siccitate cunctanter se alveo extulisse, neque ordinarie inundasse campos Ægypti; nihilo minus tamen adhuc ingentibus fluminibus æquiparari potuisse; licet modum fluminum, quæ alveis suis continentur, nec nisi parum exundant, servaverit; neque, uti alio tempore, mari, aut ingenti exundantique stagno, fuerit similis. Alias enim 'Nilus, ubi crescit, initio diducitur, deinde continuatis aquis in faciem lati ac turbidi maris stagnat,' uti loquitur Seneca Quæst. Natur. IV. 2. Hanc ipsam sententiam jam exprimit altera lectio, *ingentibus quidem tunc quoque ille, flu-*

minibus tamen, conferendus. Illud enim vocabulum *fluminibus* animo quasi dividitur, et primum refertur ad vocem *ingentibus;* deinde ad ordinariam refertur formam fluminum, quæ nondum mari, aut ingenti stagno, conferri possunt. Atque hunc in modum, tamque concise, Plinius etiam alibi loquitur; v. g. Epist. IX. 25. 'Nunc me rerum actus modice, sed tamen, distringit.' Epist. IV. 12. 'Parva, sed tamen quæstio.' Epist. III. 4. 'Compulit me ad hoc consilium non solum consensus senatus; verum etiam alii quidam minores, sed tamen numeri.' Et Paneg. XXXI. 2. 'Superbiebat ventosa et insolens natio, quod victorem quidem populum pasceret tamen.' Licet vero antehac propensior fuerim ad hanc ipsam alteram lectionem amplectendam; nunc tamen tertiam potius recipiendam existimavi: primum quidem, quia hæc fere majore consensu librorum nititur; deinde, quia plus, quam altera, ad perspicuitatem confert; tum, quoniam idem Plinius etiam alibi, in hac verborum structura, simili repetitione utitur; v. g. Epist. VII. 30. 'Quibus ex caussis precario studeo; studeo tamen.' Epist. I. 5. 'Mane videas Plinium domi; sed plane mane.' Epist. VIII. 16. 'Solatia duo, nequaquam paria tanto dolori; solatia tamen.' Epist. IX. 30. 'Quæ cuncta si facit iste, usquequaque laudandus est; si unum aliquod, minus quidem, laudandus tamen.' Exempla, quæ Arntzenius ad hunc locum attulit, multo minus huc quadrant, quam quæ ego antehac annotaram: talia enim debent esse, ut unum vocabulum quasi duplices vices sustineat, et salva maneat sententia, sive id bis diserte exprimatur, sive semel tantum: quamquam, modo illa expressa repetitio, modo repetitionis expressæ omissio, elegantior videatur. Neque enim, quod vir doctus tamen affirmat, fere perpetuus usus Plinii requirere videtur, ut in hujusmodi formulis vocabulum bis diserte repetatur. *Schwarz.*

Repararique palanti amne] Hic quoque locus varie scriptus editusque deprehenditur. Alii, nempe Puteolanus, Catanæus, Aldus, Junta, Philomusus, Rhenanus, Stephani, Gryphius, Ascensius, Sichardus, Navius, Lipsius, Gruterus, Bernegger, Cellarius, Patarol, Ceva, omisso verbo, copulaque, *repararique*, evulgarunt *mergi palanti amne consueta.* Atque ita quoque scriptum legimus in codice Salisburgensi; quamvis in margine, pro participio *palanti*, annotatum sit *parique;* in quo indicia verbi *repararique* apparent. Alii, nimirum codices Vaticani et Guelphicus, ac liber Vossianus, et nunc Aratzenius, omisso participio *palanti*, habent *mergi, repararique amne consueta.* Huc quoque tendunt codices Parisiensis, Venetus, et meus, in quibus depravate scriptum est *mergere pararique amne consueta;* quæ lectio etiam in ora non nullarum editionum est annotata. Hinc vero facile colligitur, syllabam *re*, a verbo *parari* divulsam, coaluisse cum antecedente verbo *mergi*, ex quo deinceps librarii inepti efformarunt *mergere.* Sic etiam Livineius in vetusto codice reperit *mergere parique*, impedita quidem et difficili scriptura; sed compendia secutus literarum, et, quæ coaluerant, divulsis, jam eruit *mergi repararique.* Dubius sum, utram adoptem lectionem. Verbum *reparari*, quod ad rem ipsam congruenter quadrat, ægre dimitto: significat enim hoc loco, 'refici,' 'fecundari,' 'pinguescere;' prout ipse Plinius infra, LXXVII. 5. hæc conjungit, 'ut labore refici ac reparari videretur.' Jam autem, sicuti terra Ægypti 'mergi;' ita et 'reparari amne,' sive fecundari, pinguedinemque recipere, consuevit. Hinc vero Nilus mox a Plinio nostro vocatur 'fecunditatis parens.' Et Plinius Major,

v. 9. 'Nilus,' inquit, 'certis diebus auctu magno, per totam spatiatus Ægyptum, fecundus innatat terræ.' Ac Seneca Nat. Quæst. IV. 2. 'Nilus arenoso et sitienti solo et aquam inducit, et terram. Nam, cum turbulentus fluat, omnem in siccis atque hiantibus locis fæcem relinquit; et, quicquid pingue secum tulit, arentibus locis allinit: juvatque agros duabus ex caussis, et quod inundat, et quod oblimat. Ita, quicquid non adiit, sterile ac squalidum jacet... Illato limo, arenas saturat, ac jungit; debetque illi Ægyptus non tantum fertilitatem terrarum, sed ipsas,' &c. Sed neque lubenter rejicio participium *palanti*, quod naturam Nili exundantis, et, ut Plinius XVIII. 18. loquitur, 'evagantis,' signanter exprimit, ac tot librorum suffragiis munitur; immo elegantius est, quam quod a librariis intrusum videatur. *Palanti*, inquit Catanæus, i. e. effuso et vago: in quam significationem Livium usurpasse invenies, cujus Secundus studiosus extitit. Nam 'palare,' secundum Festum, significat 'errare.' Probo ergo, sequorque consilium eruditissimi Gesneri, qui, retenta et feliciter conciliata utraque scriptura, edendum censuit *mergi repararique palanti amne consueta*. Certe, et probabilis, et Pliniano stilo minime indigna est hæc conciliatio. Solus Beroaldus evulgavit *mergi spargenti amne consueta*. Quam vocem *spargenti* is aut ex compendiosa scriptura *parique* effinxit, aut forte mutuatus est a Plinio Majore, qui v. 9. ait, 'Nilus insulas innumeras spargit.' *Idem.*

Pulvere incanduit] Constat, verbum 'incandescere' sæpe valere idem, quod vehementer incalescere, exardescere, inflammari. Sic eo usus est Virgil. Georg. III. 479. 'Coorta est Tempestas, totoque auctumni incanduit æstu.' Ubi Servius ait, 'Exarsit prima auctumni parte, quæ semper gravem efficit pestilentiam.' Item Ovid. Met. XII. 12. 'Ut vetus accensis incanduit ignibus ara.' Cf. idem, Met. II. 729. Etiam Symmach. Epist. I. 90. 'Studii mei ardor incanduit.' Verum, cum terra non tam alto pulvere, quam nimio solis æstu, exardescat, prout canit Ovid. Met. I. 435. 'Tellus solibus æthereis, altoque recanduit æstu;' credo, verbum 'excandescere' hoc loco potius notare, nitide albescere, aut albore nitescere, quia, uti bene ait Arntzenius, terra, si nimio solis ardore torreatur, canum fere colorem refert; cum alias pluviis, et fluminis exundatione, magis appareat atra. Nec tamen ideo necesse est, ut cum viro docto de adsciscendo verbo *incanuit* cogitemus. Ipsum enim verbum *excanduit*, quod in omnibus libris legitur, (si codicem Vaticanum 3461. et Guelphicum, excipias, qui perperam habent *induit*,) pro re nata, non solum exardescendi, sed aliquando etiam candido colore nitendi, notionem habet. Quæ duplex notio jam subjicitur verbo simplici 'candesco,' et primitivo 'candeo.' Ut enim nunc de solo colore candido dicam, ecquis nescit, ab optimis auctoribus dici, ebur, marmor, vaccas, lanas, vestes, lilia, et alia generis ejusdem, 'candere' vel 'candescere,' i. e. candida esse? Quidni igitur et compositum verbum 'incandescere,' et 'excandescere,' eandem notionem simul retineat? Sic vero Solinus ait Polyhist. cap. 16. Creta insula 'albet jugis montium, Dyctinnæi et Cadischi, qui ita excandescunt, ut eminus navigantes magis putent nubila.' Et cap. 42. 'Cum ortus solis incanduerit,' &c. Ortus vero solis magis lucem candidam, quam mox calorem ardescentem affert. Sic enim Virgil. Æn. IV. 586. 'Ut primum albescere lumen Vidit.' Et Hirtius de B. Af. cap. 11. 'Cæsar, jam cœlo albente, quum proficisci conaretur,' &c. Unde

et Salmasius ad Solini locum, pro verbo 'incanduerit,' ex codice quodam Ms. produxit 'inclaruit;' quod vero posterius verbum e glossa natum arbitror. Eo facilius autem credo, Plinium per verbum 'incandescere' respexisse ad colorem candidum siccæ et tenuissimæ arenæ Ægypti, quia suspicor, maxime ob hunc ipsum candidissimum colorem, identidem pulverem ex Ægypto, ad gymnasii usum, navibus Romam advectum esse. Quod tradit Sueton. Ner. cap. 45. 'Forte accidit, ut in publica fame Alexandrina navis nuntiaretur pulverem luctatoribus aulicis advexisse.' Cf. Plin. xxxv. 13. *Idem.*

Cœlumque respexit] 'In Ægypto' (ait Seneca) 'nemo aratorum aspicit cœlum.' *Lips.*

Ubertatem ejus anni angustiis] Verba hæc perquam mendosa referunt quidam libri scripti et excusi, dum modo nomen *anni* omittunt; modo præterea, pro casu quarto, *ubertatem*, ponunt casum secundum, hunc in modum, *iisdem ubertatis ejus angustiis.* Sigillatim codex Guelpherbytanus habet *iisdem ubertatis auspiciis ejus, quibus, &c.* Plurimi tamen veram, et jam vulgatam, confirmant lectionem. *Schwarz.*

Quibus abundantiam suam] Justam ad 16. cubitos esse, infra supraque famem præsagire, Plinius refert xviii. 18. Iterum xxxvi. 7. 'Nunquam hic (loquitur de basalte lapide) major repertus est, quam in templo Pacis ab imperatore Vespasiano Augusto dicatus argumento Nili, 16. liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti summi incrementi augentis se amnis ejus intelliguntur.' *Livin.*

Cum expanditur] *Expanditor amnis* Livin. Insolens et suspectum mihi quidem vocabulum, atque eo magis, quod in V. liquido est *expandatur.* Reponebam timide e vestigiis veteris scripturæ *et palator;* nam verisimile est in libro principe fuisse *et pālator*, supra picta, quæ vocalem longam indicaret, nota, sed ab imperito librario sic accepta, ut si *n* valeret. Quod ipsum in 'totiens,' 'quotiens,' 'vicensimus,' et similibus evenisse, docti observarunt. *Idem.*

Cum expanditur] Vim verbi capio, ipsum vix admitto. Novum durumque est: et an non magis *exspatiator?* aut si quis Vulcanus magis affabre aliquid effingit. *Lips.*

Cum expanditur, amnis] Edit. Rhenan. *expanditur annis*, sed *expanditur amnis* meus C. *Faber.*

Cum expanditur] *Expanditor amnis* Livin. *et palator amnis* probabiliter; nam paulo ante præcessit, 'mergi palanti amne consueta.' Michaël Virdungus tamen pro *expanditor* legendum divinabat *expatiator*. Ego mallem *vagus ille et spatiator amnis.* Sic autem Nilum vocat, quia cum extra alveum suum exundat et agros irrigat, veluti spatiari videtur. *Ritters.*

Expanditor amnis] Conantur lectionem mutare critici leguntque, Livineius *et palator*, Lipsius *expatiator*, Rittershusius *et spatiator;* sed meo judicio nihil immutandum. *Patarol.*

Cum expanditur] Antehac omnes hujus Panegyrici editiones contaminaverat grave mendum, cum locus hic ubique sic expressus legeretur, *Neque enim solum vagus ille expanditor amnis intra usurpata semper collium substiterat, &c.* Novum durumque nomen *expanditor* critici facile agnoverunt, et medelam huic loco adferre tentarunt; sed tentarunt. Mihi, quod præfiscini dixerim, primo contigit, veriorem lectionem ex vestigiis quorundam codicum in lucem producere, quam viri docti, Gesnerus et Arntzenius, pronissimi sunt amplexi; et quam posthæc etiam auctoritate codicum Vaticanorum confirmatam deprehendi, ubi diserte scriptum est, *Neque enim solum vagus ille, cum ex-*

panditur, amnis, &c. Cum expanditur, i. e. quando exspatiatur effusior, et latissime se expandit. Quanquam mihi nec displiceat modus conjunctivus *cum expandatur;* qui modus in codice Parisiensi indicatur, atque in libro Vossiano, una cum particula *cum,* exprimitur. Sic feliciter exturbavi vocem barbaram e diuturna possessione, quam in omnibus exemplaribus impressis hujus Panegyrici, et inde in omnibus Lexicis, hucusque tenuerat. De qua emendatione paullo plura exposui in Excurs. XXXIV. *Schwarz.*

Intra usurpata semper collium] Pro *intra,* liber Vossianus habet *inter,* ut et codex Salisburgensis; quamquam in hoc jam antiqua manus superscripsit, legendum esse *intra.* Sic et Plinius Major v. 9. ait, 'Nilus in totum revocatur intra ripas, in Libra.' Et Solinus cap. 43. 'Flumen Nigri . . intra ripas tunc quoque redit, cum contentus est alveo suo Nilus.' Poëta vero Lucanus utitur hic præpositione 'inter,' x. 327. 'Hinc montes natura magis circumdedit undis, Et Libyæ te, Nile, negant, quos inter in alta It convalle tacens jam motibus unda quietis.' Mavult tamen Arntzenius præpositionem *intra,* hic pro *infra* exponere, ut Nilus ne quidem ad consuetam altitudinem collium sive riparum adscendisse dicatur. Sed ad rem ipsam parum interest, sive intra, sive infra ripas consuetas sese tunc tenuerit Nilus, dummodo ne exundare dicatur, quia Nilus etiam inferior suis ripis nihilo minus 'intra ripas subsistere atque hærere,' recte dicitur. Ceterum, codex Guelphicus in his verbis omisit adverbium *semper,* cui tamen nolim litem intendere. *Usurpata semper collium,* Græcorum, nec Romanis insolenti, more, dixit Plinius, pro 'colles semper usurpatos.' Similiter Seneca loquitur Nat. Quæst. IV. 2. 'Per quos canales angusta rupium effugiunt.' Solinus 32. 'per opaca collium;' et cap. 45. 'Nilus tantis agminibus attollitur inter objecta rupium, (i. e. objectas rupes,) ut ruere potius, quam manare, credatur.' Non adeo necesse est, ut cum Behrio putes rescribendum esse *infra usurpata supercilia collium.* Idem.

Supino etiam ac detinenti solo] 'Supinus' proprie dicitur, qui dorso incumbit, ut faciem ventremque habeat sursum spectantem ad cœlum; ut Martinius explicat. Deinde, præter metaphoricam significationem, pro otioso et ignavo, ad varias etiam res alias accommodatur, ita ut et 'colles supini,' et 'valles supinæ,' appellentur. Sic Virgil. Georg. II. 276. dixit, 'acclive solum, collesque supinos.' Livius autem IV. 46. 'Repentino impetu Æquorum per supinam vallem fusi sunt Romani.' Et VI. 24. 'Versus itaque in victorem terror, et novo hoste, et supina valle, Romanam inclinavit aciem.' Cur tam 'colles,' quam 'valles,' hoc ἐπίθετον admittant, ejus rei idoneam rationem reddit Gesnerus, ad h. l. Potest ergo 'supinum solum' hoc loco satis apte explicari per 'humile' et 'planum;' prout apud Apul. Flor. pag. 348. 'Quæ Deum potestas in terris . . alibi montium vertices arduos extulit; alibi camporum supinam planiciem coæquavit.' Quod si vero concedam Arntzenio, commentanti, hoc etiam loco 'supinum solum' esse, quod molliter descendat, qualem plerumque formam exhibeant radices montium et collium, antequam omnino in plana demittantur; tunc multo magis necessarium esse judico, ut retineamus alterum ἐπίθετον, *detinenti solo,* quo luculentius designentur etiam valles et loca plana; adeoque Plinius, quasi gradatim progressus, significet, in illa inopina siccitate, aquas Nili non solum inter consuetas ripas substitisse; sed e supinis etiam et declivibus locis se recepisse in alveum; immo et ex planis humilibusque campis sese abstulisse. 'Deti-

nens solum' est utique solum humile, et quasi convexum, quod diutius detinet moraturque aquas acceptas. Equidem aquæ ipsæ dicuntur aliquando 'detinere terram;' quando terram humilem velut occupant, et, dum difficulter inde recedunt, remorantur, ne suo tempore arari et satione impleri possit, prout Plin. v. 9. ubi de Nilo narrat, ait, 'Minores aquæ non omnia rigant; ampliores detinent, tardius recedendo. Hæ serendi tempora absumunt, solo madente.' Verum, non minus ipsa quoque terra recte dici potest 'detinere,' uti alias res, ita aquas; quas aut planitie sua, aut quadam convexitate, contineat ac remoretur. Sic terra dicitur 'detinere sepultum' hominem, Catull. LXVIII. 100. Tellus Tuscula dicitur 'detinere monimenta viæ,' Tibull. I. 8. 56. Equidem Lipsio, pro *detinenti*, in mentem venit *detumenti*; mox tamen agnovit, sufficere vocabulum *detinenti*, quod capere liceat pro 'solo jacente,' aut 'plano, quod solet aquas diutius tenere.' Nihilo minus Arntzenius, rejecto hoc vocabulo, adscivit aliud, *clementi*; et 'clemens solum' interpretatus est, quod sensim ac tarde se supra planiciem extollit. De qua notione hujus vocabuli nemo facile dubitabit; cum et ipse Arntzenius, et ante eum alii, exempla hujusmodi jam larga manu nobis sint admensi. Verumtamen a me impetrare non possum, ut vocabulum *clementi*, speciosa conjectura, vel errore, ex mendo *dementi*, pro *detinenti*, oscitanter scripto, procusum, hoc loco recipiam. Etenim *detinenti* in omnibus omnino codicibus Mss. præter Guelphicum, scriptum extat, et, ante Arntzenii editionem, etiam in omnibus libris excusis editum est. Provocat quidem vir doctus ad Isaaci Vossii excerpta, et ad codicem Guelpherbytanum; sed ex eo libro Vossiano, qui est in bibliotheca Lugdunensi Batavorum, et cujus excerpta fideliter mecum sunt communicata, vox hæc ita depicta est, ut æque *dementi*, ac *clementi*, legere possim. Quod ad codicem Guelpherbytanum attinet, intelligo ibi scriptum esse *clementi*; facile tamen patet, librarium dormitasse, dum ista scriberet; cum in iis verbis aliam etiam mendi minus speciosi maculam adsperserit Plinio, *sed sumpto* (pro *supino*) *etiam, ac clementi, solo, &c.* Præterea vero nullam prorsus necessitatem video, cur expellam vocem *detinenti*, non solum tot auctoritatibus confirmatam, sed etiam commodissima interpretatione explicandam. E contrario vero vox *clementi* nulla certa auctoritate locum hunc sibi vindicare potest; adhæc nihil aliud dicit, quam quod jam in ἐπιθέτῳ *supino* dictum est; quodque maximum est, vix aliquod indicium relinquit, ubi, dimisso participio *detinenti*, Plinius alibi diceret, in ista Ægypti siccitate, omnem Nili aquam etiam ex planis humilibusque campis recessisse. Quod si vero cum Arntzenio per 'arentes terras' demum intelligas 'mediam planiciem' tum contra naturam statues, prius illam 'mediam planiciem,' quæ tamen aquas diutius, quam solum supinum et clemens, detinere potuisset, citius exaruisse, quam illud ipsum solum clemens, et molliter altum. Plinius enim diserte dicit, Nilum, ubi ex isto supino et detinenti loco sese abstulerit, hoc ipsum solum, nec dum satis quidem humectatum, addidisse terris jam arentibus, et sine dubio altioribus, ad quas tunc aqua exundantis Nili vel plane non potuerit pertingere, vel omnium primo se inde receperit. Atque adeo 'arentes terræ' nullo modo hic designare possunt mediam planiciem. *Idem.*

Detinenti] Interpetatur Castaneus, 'siccum, non satis irriguum;' Lipsius melius, 'jacens,' aut 'planum, quod solet aquas diutius tenere.' *Pintarel.*

Supino etiam ac detinenti] Supinum

solum dicit, molliter altum pendulumque, et fortasse aptius cum ea voce *detumenti* hic jungas. Etsi *detinenti* capere licet, solum jacens aut planum, quod solet aquas diutius tenere. *Lips.*

Solo, non placido] *Solo placido* Livin. sed *Solo non placido* V. R. C. *Livin.*

Solo, non placido] Vitio exciderat negatio, quæ abesse non potest. Patet de iis quæ sequuntur, 'necdumque satis humentes,' &c. 'Detinens' quoque 'solum' jacentes campos et acclives, minusque ad amnis defluxum obsequentes ceperim. Doctissimo quidem Lipsio nostro *detumens* placebat. Mox *se refugum abstulerat ποιητικώτερον* dictum, quæ constans et perpetua quædam hujus operis dictio est. Lucanus lib. I. 'cum funditur ingens Oceanus, vel cum refugis se fluctibus aufert.' Idem de hoc judicium, *addiderat arentibus.* Poëta quispiam de siticulosa regione: 'Ipsa parens rerum quondam infelicibus arvis Addidit, et multa sterilem damnavit arena.' Male ergo, qui *addiderat* hic legebat. *Idem.*

Non placido] Aldus, Junta, Philomusus, R. et H. Stephani, Ascensius, Boxhornius, Patarol, particulam negandi *non* prorsus omiserunt, quam vero agnoscunt omnes codices Mss. et ceteræ editiones. Eandem particulam requirit quoque sententia Plinii, qui utique dicere voluit, Nilum tunc non leni et lento, sed subito et quasi rapido lapsu, sese ex planis etiam terris abstulisse: quia inde mox Nilum vocat 'refugum,' atque sequentibus verbis innuit, Nili aquas eo tempore ne quidem tam diu a supinis planisque terris detentas fuisse, ut eas, quantum satis fuisset, madefecerit. *Schwarz.*

Refugum abstulerat] Unicus codex meus, pro voce *refugum*, habet *refusum*. Dixeram, amnem magis proprie *refusum*, aut *refluum*; at *ποιητικώτερον refugum* dici; quamvis nec ejus generis dictio a Plinii Panegyrico sit aliena. Atque adeo hæc magis explicandi caussa scripseram, quam ut unici codicis scripturam, præter necessitatem, præferrem omnium reliquorum librorum suffragiis. Sed Arntzenius monuit, se non videre, quomodo loci sensus illud *refusum* possit ferre. Docebo paucis, quomodo id sensus ferre queat. Primum, si *amnem refusum* ex vulgari et obvio usu interpreteris amnem alvei sui limites excedentem, et exundantem, ac super campos effusum; non video, quid incommodi subsit, si dixeris, Nilum etiam aliquantisper effusum, et exundantem, subito lapsu se ex campis planis abstulisse. Sed, si etiam primam et propriam notionem verbi 'refundi' spectes, dum notat, retro fundi, ut eo redeat unde meaverat, congruentem habebis sententiam. Tunc enim Nilus dicetur 'refusus,' si redit in alveum suum, unde effusus erat. Hanc propriam notionem animadvertimus potissimum in vocibus, 'refluere,' 'refluus,' 'refluxus.' Sic Virgil. Æn. IX. 31. canit, 'Pingui flumine Nilus Cum refluit campis, et jam se condidit alveo.' Ubi bene docet Taubmannus 'refluere campis' non esse, fluere per campos, sed relabi e campis in alveos. Idem jam ipse tradiderat Servius, 'Refluit campis,' id est, a campis rediit. Ad hanc propriam notionem etiam in verbo 'refundere,' respexit ipse Plinius, dum sequenti capite, XXXI. 3. ait, 'Refudimus (i. e. remisimus, et reddidimus,) Nilo suas copias; recepit frumenta quæ miserat, deportatasque messes revexit.' Utcumque vero est, vulgatam lectionem haudquaquam mutandam censeo. *Idem.*

Et necdum] Arntzenius scribit, se obsecutum fidei optimorum codicum retinuisse *et necdum*, quod sensui convenientius viderit Livineius, cum

necdumque emendarit. Sed nescio quibus optimis codicibus usus sit vir doctus, præter Is. Vossii et codicis Guelpherbytani Excerpta. At in codice Guelpherbytano, particula copulativa *et* non conspicitur. Neque eam in Vossii Excerptis quibus ego utor, neque in codicibus Mss. quos consulere mihi hucusque contigit, invenio. Livineius etiam *necdumne*, ex sola conjectura, notarat in ora editionis suæ. Atque ita plerumque hæsito, si quidam critici generatim provocant ad fidem codicum Mss. neque ullos nominatim designant. Id autem animadverto, in plurimis libris scriptis vocem *nec dum* divisim scriptam esse, ut forte indicaretur, in particula *nec* jam latere copulam *et*. Sic etiam Plinius absque hac copula locutus est LXIV. 2. 'Stupeo, P. C. nec dum satis, aut oculis meis, aut auribus, credo.' Ad quem locum vide, si lubet, observationem meam. Nihilo minus admitto expressam copulam *et*, quia tantum abest, ut ex ejus adjectione damnum quoddam inferatur orationi Plinii, ut ea inde nostris auribus potius accidat fluidior. Inprimis autem me movet ad copulam hanc recipiendam, quod Plinius eandem alibi quoque cum particula *necdum* conjunxit. Quæ exempla optimo consilio jam annotavit Arntzenius. Nimirum XIV. 1. 'Et necdum imperator, nec dum Dei filius eras.' Et LVI. 2. 'Et necdum de biennio loquor.' Perperam denique codex Guelphicus in proximis verbis habet *abdiderat* pro *addiderat*. Idem.

Amnem suum] Sic Nilus sæpius, non solum a nostro Plinio, sed etiam ab ejus avunculo, aliisque bonis scriptoribus, κατ' ἐξοχὴν 'amnis' et 'fluvius' vocatur. Sicuti vero et alii populi, veræ religionis expertes, fluminibus suis, propter insignem utilitatem, affinxere divinitatem, divinosque tribuere honores; ita cumprimis Ægyptus hunc amnem suum, Nilum, tanquam Deum colere et invocare, solita est. Id tradit Plut. de Iside et Osiride: *Οὐδὲν οὕτω τιμὴ Αἰγυπτίοις, ὡς ὁ Νεῖλος*. *Nihil in majore est Ægyptiis honore, quam Nilus.* Et e patribus Athanasius, qui Ægyptius ipse fuit, in Orat. contra Gentes, pag. 20. testatur, etiam alios flumina et fontes, omnium autem maxime Ægyptios, aquam præcipue venerari, Deosque appellare. Ita et Jul. Firmicus de Error. Prof. Relig. Ægyptii: 'Incolæ,' inquit, 'aquarum beneficia percipientes, aquam colunt, aquis supplicant, aquas superstitiosa continuatione venerantur.' Vide Voss. de Idololatria, II. 74. qui et cap. 75. hæc addit, 'Nilus Ægyptiis est pro Jove pluvio;' unde, non Ovidius quidem, quod L. Seneca Nat. Quæst. IV. 2. memoria lapsus, refert, sed æqualis ejus, Tibullus, I. 7. cecinit, 'Te propter, nullos tellus tua postulat imbres; Arida nec Pluvio supplicat herba Jovi.' Parmenonis etiam Byzantii est apud Athen. Αἰγύπτιε Ζεῦ, Νεῖλε. Heliodorus, Æthiop. l. IX. p. 423. refert, Niloa maximum esse apud Ægyptios festum, quod quidem circa solstitium æstivum celebrari solitum, quando initium crescendi ceperit fluvius. Ægyptios enim, ait, Nilum fingere Deum, et ex numinibus maximum, æmulum quidem cœli, quod absque nubibus et pluviis aëreis arva irriget. Harduinus ad Plinium Majorem XVIII. 18. meminit ænei alicujus nummi, qui in thesauro regio asservatur, sic quidem incriptus, DEO. SANCTO. NILO. ubi conspicitur Fluvii decumbentis effigies, quæ urnæ innititur, arundinem dextra tenet; sinistra cornu copiæ, infra ALE. Quam quidem inscriptionem, et ipsum quoque nomen, NILO, Harduinus suo, h. e. miro et contorto more, interpretatur, ita ut ex singulis literis integra verba eliciat, atque hic ex nomine NILO procudat, 'Ne-

gotiatoribus Iulianum Liberatorem Obtulit.' Quæ autem insolens, et Harduino propria, interpretandi ratio dudum ab eruditis est improbata. *Idem.*

Potentia tua] Quidam codices Mss. invertunt has voces, *tua potentia.* Solus Catanæus, pro *potentia,* exhibet *potestas.* Beroaldus, pro *tamque,* quod proxime sequitur, habet *tanquam.* Sed in his omnibus nihil est innovandum. Librarius codicis Salisburgensis, pro *accincta,* scripserat *aucta;* sed in margine reposuit *accincta.* De vocabulo 'accinctus,' jam supra, p. 516. non nihil annotavi. *Idem.*

Potentia tua] *Potestas tua* C. *Livin.*

Accincta] Gabini togæ in humerum rejectæ lacinia se cingebant, ut essent expediti ad munia. Quo vestimenti genere veteres Latini, cum necdum arma haberent, togis præcinctis militabant. Unde 'milites in procinctu esse' dicuntur, et 'accincti,' quivis industrii, parati, et expediti. Hinc 'accincta bonitas,' expedita et ad juvandum celer, supra xx. 3. et Luc. xii. 36. *ὀσφύες περιεζωσμέναι, lumbi parati* ad occurrendum Christo, et Christus *περιζώσεται, promtus* ad excipiendum; et milites Christiani *περιζωσάμενοι, industrii* ad pugnandum, Eph. vi. 14. et angeli *περιεζωσμένοι, expediti* ad effundendum divinæ phialas iræ, Apocal. xv. 6. *Bern.*

Accincta] I. e. prompta, expedita. Vocabulum sumtum a militibus, qui se ad iter et prælium 'accingere' dicebantur. *Patarol.*

Tristius aliquid] *Tristius aliquod;* sed *tristius aliquid* V. *Livin.* Recte. *Rittersh.*

Ut scias] Non absimilia Apul. Met. vii. 'Tantum potest nutus etiam magni principis.' Ammian. in Julian. lib. xv. 'Communiumque ærumnarum remedium in ejus locabat adventu, salutarem quendam genium adfulsisse conclamans, ne secius arbitrata.' Adeo acquiescit principi suo vulgus, ut, eo præsente, vel sciente, nihil fere sibi uspiam metuat mali, ne in summa 'quidem calamitate.' Adde Sueton. Tib. c. 40. Tacit. Ann. xv. 36. et omnino Gruter. Discurs. c. xxi. *Bern.*

Cap. xxxi. *Fertiles annos*] In codice Salisburgensi, pro voce *annos,* scriptum est *amnes;* quamquam jam ab antiquo correctore in margine codicis repositum sit *annos.* Tam facile vero istæ voces a librariis sunt permutatæ! Ita in meo quoque codice, quod fere præteriissem, in antecedentibus verbis, pro *gentibus,* scriptum est *egentibus.* Schwarz.

Tuamque vigilantiam exspectare] Non male illi, qui repositum eunt *spectare;* sed tamen toties in membranaceis codicibus reperi *exspectare,* pro suo simplici, ut ei controversiam status haud temere movere ausim. *Grut.*

Vigilantiam exspectare] 'Vigilantia' est cura et providentia, partim ut negotia nostra promti expediamus; partim, ut adversariis, adversisque casibus, tempestive occurramus, ne nos, nostrique, ab iis opprimamur. Nam, quod Attius, vetus poëta, ap. Cic. pro Planc. c. 24. ait, 'Vigilandum est semper; multæ insidiæ sunt bonis.' Præcipua hæc virtus eorum est, qui reipublicæ præsunt. Unde ipse Cic. pro Sext. c. 47. 'In republica fluctus excitantur, ut vigilandum sit iis, qui sibi gubernacula patriæ depoposcerunt.' Idem Famil. vii. 30. quamquam per jocum, cum physicam, tum moralem notionem, in hoc verbo conjunxit, cum de consule, primo consulatus die mortuo, diceret, 'Caninius mirifica fuit vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit.' Metaphora potissimum ducta est a vigiliis militaribus. Hinc idem Philipp. xii. 18. 'In urbe maneo, si licebit. Hæc mea sedes est; hæc custodia; hoc præsidium stativum... Qui multorum custodem

se profitetur, eum sapientes sui primum capitis aiunt custodem esse oportere.' Ejusmodi igitur vigilantiam, in magna annonæ difficultate, qua tunc laborabat Ægyptus, alias fertilissima, etiam Fortuna, ut ait Plinius, a Trajano imperatore expectavit, cum ei occasionem hujus virtutis exercendæ præberet. Equidem verbo *exspectare* possessionem hujus loci in controversiam vocant viri eruditi. Pro eo, Cuspinianus edidit *ostentare*. Lipsius, animo quasi suspenso, scripsit: Vide, an *spectari?* Hoc tamen recepit Baunius; recepit nunc etiam Gesnerus. In Gudii libro priore annotatæ sunt duæ varietates, *ostentare*, et *spectare*. Prior sine dubio ex Cuspiniano depromta est; unde vero altera sit, mihi haud liquet. Non quidem Ascensius, quod ex errore scripseram; sed, ut bene monet Arntzenius, Paulus Stephanus, in editione Catanæi, an. 1600. et Chovetius, an. 1625. atque an. 1643. evulgarunt *spectare*. Quæ lectio quin ex ingenio correctoris dimanarit, vix dubito. In prioribus enim Catanæi editionibus, quæ vivo auctore prodierant, expressum est verbum *exspectare*. Adoptavit istud verbum Arntzenius; et idem mihi ipsi antehac mire arridebat; quod intelligere licet ex Excurs. xxxv. Concedo etiam, *spectare* et *exspectare* in codicibus Mss. perquam frequenter confundi. Quapropter, si vel in uno codice antiquo reperissem, volens lubensque id amplexurus fuissem. Verum, cum omnes, quos consului, codices Mss. omnesque libri impressi, præter paucos, quos modo indicavi, eosque certa auctoritate destitutos, mira constantia referant verbum *exspectare*, idque congruentem interpretationem haud ægre admittat; hoc ipsum verbum nunc tuendum suscepi. Quis usus sit nominis 'exspectationis,' et quæ ab aliis 'exspectari' dicantur, aliunde satis constat. Cic. de Offic. III. 2. 'Sustines,' inquit, 'non parvam exspectationem imitandæ industriæ nostræ.' Idem Famil. II. 1. 'Tanta est exspectatio vel animi, vel ingenii tui, ut te obsecrare obtestarique non dubitem,' &c. Idem Famil. II. 3. 'Summa scito te in exspectatione esse, eaque a te exspectari, quæ a summa virtute, summoque ingenio, exspectanda sunt.' Epist. III. 12. 'Dixi statim Servilio, ut omnia a me majora exspectaret.' Epist. VI. 4. 'De aliis autem non arbitror te exspectare quid sentiam.' Luculentissimum exemplum suggerit Aur. Victor, Epitom. cap. 13. 'Cum duo sint, quæ ab egregiis principibus exspectentur, sanctitas domi, in armis fortitudo, utrobique prudentia,' &c. Quæ cum ita sint, non video, cur non similiter Plinius dicere potuerit, Fortunam, quæ per istum Ægypti statum virtutibus Trajani exercendis materiem præbuerat, voluisse sigillatim *exspectare ejus vigilantiam;* sive *exspectare*, quam vigilanter prospiceret, consuleretque, necessitatibus provinciarum. *Schwarz.*

Omnia ubique secunda] Has voces in codicibus Vaticanis, Salisburgensi, et Guelphico, sic transpositas legimus, *cum omnia secunda ubique merearis.* In Parisiensi, *cum omnia ubique merearis secunda.* Idem.

Si quid adversi cadat] Beroaldus et Catanæus edidere *Si quod a. c.* Verbum *cadat* ponitur pro accidat, et tam de secundis quam adversis dicitur. Cic. pro Quint. cap. 16. 'Faciunt, .. ut nihil ipsis jure incommodi cadere possit.' Idem ad Q. Fr. I. 3. 'A te mihi omnia semper honesta et jucunda ceciderunt: a me tibi luctus meæ calamitatis, metus tuæ, desiderium, mæror, solitudo.' Sallust. Catil. c. 20. 'Nequidquam opportuna res cecidisset.' Nepos Milt. c. 2. 'Etsi præter opinionem res ceciderat.' *Idem.*

Materiem campumque prosterni] Co-

dices Vaticani, Parisiensis, Venetus, Salisburgensis, Guelphicus, et meus, exhibent *materiam;* ceteri omnes libri *materiem.* Salmasius ad Solin. p. 463. tradit *materiem, τὸ ξύλον,* dici potius, quam *materiam,* quum de ligno usurpetur; vitio librariorum pro *materies,* multis locis legi *materia;* recentiores Latinitatis auctores hoc discrimen neglexisse. At Guil. Goesius in Rei Agrar. scriptores antiquos, asseverat, veteres promiscue, et eodem sensu, dixisse *materiam* et *materiem;* uti dicantur 'effigia' et 'effigies;' 'congeria' et 'congeries;' 'notitia' et notities;' 'pigritia' et 'pigrities;' 'planitia' et 'planities;' 'seria' et 'series;' 'segnitia' et 'segnities;' 'duritia' et 'durities,' &c. Pro *prosterni,* Lipsius edidit *præsterni;* et ex hoc Berneggerus, Hackius, et Ceva, hodieque Arntzenius. Non damno hanc varietatem; miror tamen, cur Lipsius non indicaverit, unde hauserit hoc verbum; quamquam is etiam in aliis, vel nusquam, vel rarissime, testes excitet codices Mss. Ut tamen aliis constet, quibus præsidiis instructus Arntzenius Plinio verbum hoc vindicaverit, integram ejus notam his adjiciam. 'Omnes,' inquit, 'fere editiones, et ipse adeo Gesnerus, *prosterni;* [sed et Gesnerus postliminio, in epistola de sua Plinii editione, testatus est, se minus damnare *præsterni;*] pro quo melius longe Lipsius, Grævius, [forte in Hackiana editione,] et, ut videtur, Vossius, *præsterni;* sicque in margine emendabat Nic. Heinsius, simulque alio loco, Epist. v. 8. 'Illud, peto, præsternas,' ex Mediceo et Aldo confirmabat. Adde eundem ad Ovid. Amor. III. 13. 24. et Marckland. ad Stat. Silv. v. 1. 257. 'Animæ præsternere flores.'' Verum, in his omnibus locis nullam certam indubiamque sedem habet verbum 'præsternere.' Apud Plin. enim, Epist. v. 8. plurimi evulgarunt 'Illud, peto, præstruas.' Apud Ovid. Amor. III. 13. 24. alii habent 'præverrunt;' alii, 'straverunt;' alii, 'prævertunt;' alii, 'præbuerant:' solus Heinsius e conjectura monet, forte legendum 'præsternunt.' Sic et in Statii loco non nulli legunt 'prosternere,' alii 'præspargere.' Afferam tamen elegantem observationem eruditissimi Drackenborgii, qui ad Sil. XVII. 56. docet, 'pro,' et 'præ,' et 'per,' in compositis non raro commutari: 'Sæpissime,' inquit, 'ita peccarunt librarii. ... Cum enim voculæ, 'per,' 'præ,' et 'pro,' ut plurimum in Mstis unica litera *p* notari solerent, addito quidem signo quodam, quo distingui possent, imperiti librarii eas præpositiones sæpissime commutarunt,' &c. Nihil tamen nominatim ibi tradit de verbo 'præsternere.' Utcunque est; uti aliis libens relinquo optionem, ita ipse tamen nondum audeo rejicere vulgatam lectionem, quam omnes omnino codices confirmant, in quibus verbum *prosterni,* non per compendium, sed singulis literis expressis scriptum extat. Consentiunt præterea omnes editiones, præter paucas, quas supra commemoravi. Verbum 'sternere,' et 'prosternere,' non semper de violenta quadam, sed etiam voluntaria dejectione aut projectione, usurpatur. Inde dicunt scriptores, 'flores, ramos, vestes, sternere humi,' 'sternere humum floribus,' &c. 'sternere lectos,' 'sternere viam,' 'strata viarum,' 'lecti mollia strata,' et similia. Dicuntur et sponte 'sterni,' sive 'se sternere,' qui se ad jacendum collocant, et procumbunt. Virgil. Æn. III. 509. 'Sternimur optatæ gremio telluris.' Et Georg. IV. 432. 'Sternunt se somno diverso in littore phocæ.' Quoniam vero sternendo res extenduntur et complanantur; hinc 'sterni' etiam pro complanari, æquari, et jacere, dicitur. Virgil. Æn. v. 763. 'Placidi straverunt æquora venti.' Et

Lucr. vi. 1263. dixit 'aquarum strata.' Plinius Major iv. 15. 'Insulæ sternuntur inter Heliam ac Flevum.' Hinc, quod ad verbum compositum 'prosternere' attinet, præpositio *pro* sæpe non mutat simplicis significationem, nisi quod, tradente Prisciano, l. xiv. p. 996. 'pro' tunc connotat 'ante,' in longum; ut 'proclivis,' 'procumbens,' 'prostratus,' pro 'subigens.' In qua ultima Prisciani voce 'subigens' hæret mendum; scribi enim debuit *subjectus*. Nam 'prosternere' est, facere, ut quis, vel quid, ante alios jaceat, aut eis subjiciatur. Hinc et qui dicuntur 'prosternere se, et supplicare iis,' (ut Cic. dixit pro Planc. cap. 20.) ii projicere se ad pedes, ac supplices aliis ad pedes jacere, et eorum voluntati se subjicere, intelligunutur. Idem Cic. pro Ligar. cap. 5. 'Petimus precibus et lacrimis prostrati ad pedes:... tu nos jacentes ad pedes supplicum voce prohibebis?'. Sueton. Jul. cap. 2. 'Non sine rumore prostratæ regi pudicitiæ;' ubi, pudicitiam regi 'prosternere,' est, substernere et subjicere pudicitiam libidini regis. Sic enim idem loquitur, Aug. cap. 68. 'Pudicitiam Aulo etiam Hirtio substravit.' Sic Plinius, ubi dixit, 'virtutibus Trajani materiem prosterni;' id alii dixissent, 'materiem subjici, aut præberi.' Sic Cic. de Finib. cap. 18. 'Est illa subjecta quasi materia sapientiæ.' Idem de Orat. i. 46. 'Hæc, tanquam aliqua materies, oratoribus subjecta esse debent.' Seneca autem de Provid. cap. 4. 'Magnus es vir; sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis? ... Ipsis Deus consulit, quos esse quam honestissimos cupit, quoties illis materiem præbet aliquid animose fortiterque faciendi; ad quam rem opus est aliqua rerum difficultate.' Et alibi, 'Felicia omnia et obsequentia non præbent materiem exercendæ fortitudinis.' Ubi Plinius noster præterea ait, 'campum virtutibus Trajani prosterni;' significare voluit, parari campum planissimum, in quo excurrere virtutes ejus cognoscique possint: sicut Plinius Major, iii. 5. simplici verbo usus, proprie dixit, 'Hinc felix illa Campania est.... Ibi Laborini campi sternuntur.' Verbo enim hoc maxime planiciem camporum respexit. *Idem.*

Adversa magnos] Seneca de Providentia: 'Magnus es vir; sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis?' et toto eo libello (certe aureo) argumentum hoc pertractat. *Lips.*

Percrebuerat antiquitus] Et sane bene antiquitus opem illinc a Romanis reperio petitam. In Polybianis fragmentis: *Οἱ 'Ρωμαῖοι πρεσβευτὰς ἐξαπέστειλαν πρὸς Πτολεμαῖον, βουλόμενοι σίτῳ χορηγηθῆναι, διὰ τὸ μεγάλην εἶναι παρ' αὐτοῖς σπάνιν. Romani legatos ad Ptolemæum miserunt, petentes frumenti sibi copiam fieri, cujus inopia premebantur.* Hoc factum bello Punico secundo, cum Italia tota vasta ab Hannibale fuit. Factum et alias; sed Plinii tamen hic dictio spectat Augusti tempora maxime, et deinceps, cum publica instituta frumentatio fundum et fundamentum haberet in Africa et Ægypto. *Idem.*

Percrebuerat] Discimus e Polybio in Fragm. et Liv. in bello Punico secundo, Romanos misisse legatos ad Ptolemæum, petentes, ut sibi frumenti copiam faceret; cujus inopia tunc Romani premebantur. Et Sueton. Aug. cap. 18. 'Ut Ægyptum,' inquit, 'feraciorem, habilioremque annonæ urbicæ redderet, fossas omnes, in quas Nilus exæstuat, oblimatas longa vetustate, militari ope detersit.' De eadem provincia Hegesippus, ii. 9. 'Cujus naturalis fecunditas Romanis militat, ut quatuor mensibus dominos alat.' *Patarol.*

Ventosa et insolens natio] Flav. Vopiscus in Saturn. 7. 'Sunt Ægyptii,

ut satis nosti, viri ventosi, furibundi, jactantes, injuriosi, atque adeo vani, liberi, novarum rerum usque ad cantilenas publicas cupientes,' &c. Sic Cic. Famil. IX. 9. dixit, 'hominem ventosissimum.' *Idem.*

Ventosa et insolens natio] Flav. Vopiscus Saturnino: 'Sunt enim Ægyptii (ut satis nosti) viri ventosi, furibundi, jactantes,' &c. Lege locum, et inibi epistolam quandam Hadriani imperatoris e Phlegontis liberti libris. *Livin.*

Ventosa et insolens natio] Ipso illo verbo Vopiscus in Saturnino: 'Ægyptii, viri ventosi, furibundi, jactantes, injuriosi, vani.' Atque alii passim haud splendide super ipsa gente loquuntur, etsi de terra. *Lips.*

Pasceret tamen] Unus codex Vaticanus, numpe num. 3461. et præterea cod. Guelphicus, omiserunt particulam *tamen;* eademque punctis notata fuit in libro Vossiano, quasi defuerit alicui codici Ms. Sed hæc in hujusmodi verborum structura multo est elegantissima; de cujus usu jam supra, ad XXX. 2. non nihil dixi. Aliud exemplum nunc addo e Liv. II. 24. ubi de plebe novarum rerum cupida scriberet: 'Deliberationi de maxima quidem illa, sed tamen parte civitatis, metus pro universa republica intervenerit.' Deme his verbis particulas, *quidem, sed tamen;* agnosces quantam vim et elegantiam demseris orationi. *Schwarz.*

In suis navibus] Antehac, in omnibus omnino libris impressis editum fuit *in suis manibus.* Sed dudum conjecerat Livineius, fortasse legendum esse *in suis navibus;* et Franciscus Juretus eandem probarat lectionem, quam ergo vindicavi Plinio, in Excurs. XXXVI. quia in altero libro Gudii, et in excerptis libri Voss. hanc scripturam repereram. Cui emendationi nunc etiam Gesnerus et Arntzenius, in suis editionibus, locum dederunt. Jam præterea animadverti, non solum a codice Guelpherbytano, cum quo conveniunt lectiones variantes libri Gud. 2. sed etiam a duobus codicibus Vaticanis, nempe num. 3461. et 1775. hanc ipsam lectionem, *in suis navibus*, confirmari. Equidem Christophoro Behrio non satis placuit illud Jureti, *in suis navibus;* quia Romani frumentum ex Ægypto Romanis quoque navibus petierint. Sed credo, naves suas habuisse et Romanos, quibus aliunde petierint frumenta; et Ægyptios, quibus devexerint. Ipse Plin. supra, XXIX. 4. 'Devehunt ipsi,' inquit, 'quod terra genuit, quod sidus aluit, quod annus tulit.' Et hoc loco idem dicit, 'Inde,' id est, ex Ægypto, in ista sterilitate, 'navigia inania et vacua; hinc,' i. e. ex Italia, 'plena et onusta, et qualia solent venire, mittuntur.' Et Prudent. cont. Symmach. II. 936. seqq. 'Respice, num Libyci desistat ruris arator Frumentis onerare rates, et ad ostia Tibris Mittere triticeos, in pastum plebis, acervos?' Nonne 'naves Ægyptiæ,' 'naves Alexandrinæ,' sæpe commemorantur ab auctoribus, quorum testimonia in Excurs. XXXVI. attuli? Et nonne etiam quæcunque naves, si felicia onera Ægyptiæ frugis invexerint, potuissent μετωνυμικῶς appellari 'naves Ægyptiæ?' *Idem.*

In suis navibus] *In suis manibus.* Sic quidem passim legitur in editionibus quas vidi. Sed aut me fallit conjectura, aut hic potius emendandum est *in suis navibus.* Et id maxime confirmatur verbis ejusdem Plinii, quæ mox sequuntur: 'Nihil hoc ad urbem, ac ne ad Ægyptum quidem, nisi ut inde navigia inania et vacua, et similia redeuntibus, hinc plena et onusta, et qualia solent venire, mittantur.' Sed et Tacit. Annal. XII. 'At Hercule olim ex Italiæ regionibus longinquas in provincias commeatus portabant: nunc infœcunditate laboratur: sed Africam potius et Ægyptum exercemus; navibusque

et casibus vita populi Romani permissa est.' Symmach. x. 22. quos alii auctores vocant naves, appellat puppes: 'Mittetis etiam regiam classem, quæ annonariis copiis augeat devotæ plebis alimoniam. Hanc ergo in Tyberinis ostiis mixtus populo senatus excipiet. Venerabuntur tanquam sacras puppes, quæ felicia onera Ægyptiæ frugis invexerint.' Simili exemplo dixit Mamertinus in Panegyrico Juliano imp. dicto, pag. 184. 'cum Romani pop. victus et exercitus commeatus esset in navibus,' &c. *Juret.*

In suis navibus] *In suis manibus.* Sed forte *in suis navibus.* Livin. Recte. *Rittersh.*

In suis navibus] *In suis manibus.* Ingeniose Livineius *in suis navibus.* Haud tamen id necessario adstruendum auctori: nam *in manibus esse* dici, de eo, quod est in potestate nostra, notissimum est. *Grut.*

Refudimus Nilo] Beroaldus edidit *Refundimus;* atque sic etiam scriptum est in Salisburgensi, et meo codice. Sed rectius est *Refudimus;* quia sequitur verbum perfecti temporis *recepit. Refudimus* hoc loco est, reddidimus, compensavimus; quod monui supra, ad xxx. 4. *Schwarz.*

Et tamen serviat] Livineius et Lipsius maluerunt pro *tamen* legere *tantum.* Codices Vaticani, et alii quidam, expressis singulis literis, habent *tamen.* Venetus codex, per compendium, superposita lineola, *tm̄.* Salisburgensis et meus, *tn̄.* Mirum ergo non est, istas particulas, *tamen* et *tantum,* facile commutari. Ego probo omnino *tamen,* ac 'nihilo minus' hic interpretor. *Idem.*

Et tamen serviat] Languet, meo animo, sententia. Quam erigam ego et acuam levi mutatione, *et tantum serviat;* excludit enim subvectionem frugum, ut minime necessariam. *Livin.*

Et tamen serviat] Ingeniose Livineius, *tantum serviat.* Lips.

Nilus amet alveum] I. e. Nilus unice adhæreat alveo suo, et in eo subsistat, nulla aquarum parte exundante, et campos Ægypti fecundante. Si quis alius auctor, certe Plinius Senior, hoc verbum 'amare,' item 'gaudere,' sæpe tribuit rebus inanimatis; v. g. xvi. 16. 'Buxus amat frigida, aprica.' Cap. 18. 'Montes amant, cedrus, larix, tæda, et ceteræ, e quibus resina gignitur . . . Gaudet frigidis sorbus, et magis etiam betulla.' xviii. 14. 'Lupinum coeli utique non vult: tellurem adeo amat, ut . . . ad terram tamen radice perveniat.' Et c. 15. 'Vicia siccitatem ex omnibus, quæ seruntur, maxime amat; non adspernatur etiam umbrosa,' &c. Nec minus e contrario dicit, res inanimatas 'aversari,' 'aspernari,' 'odisse,' et similia. Quamquam hoc loco Nilus, tanquam Deus, a Plinio respici potuit. *Schwarz.*

Modum servet] H. e. magnitudinem, et spatium solitum, ac limites quasi definitos, servet, ne extra ripas, ad fecundandam Ægyptum, exundet, ut mari similis videatur. Sic Plinio nostro, Epist. I. 24. dicitur 'modus ruris, qui avocet magis, quam distringat.' Horatio Sat. II. 6. 1. dicitur 'modus agri non ita magnus.' Siculus Flaccus de Agrorum Conditione, p. 2. ait, 'Gracchus legem tulit, ne quis in Italia amplius quam ducenta jugera possideret. Intelligebat enim, contra jus esse, majorem modum possidere, quam qui ab ipso possidente coli possit.' Et pag. 17. 'Pluribus personis non æqualiter assignatus est modus agrorum,' &c. Pag. 19. 'In quibusdam regionibus fluminum modus assignationi cessit.' Aggenus de Limit. Agrorum, p. 57. 'Modus flumini adscriptus est.' *Idem.*

Nihil hoc ad urbem] Ἐλλειπτικὴ et trita loquendi ratio, quæ suppletur per 'est,' vel 'attinet.' Terent. Phorm. v. 6. 21. 'Nihil ad hanc rem

est.' Andr. I. 2. 16. 'Nihil ad me attinet.' At, omisso verbo, Cic. de Orat. II. 32. 'Sed hoc nihil ad me.' Idem de Legib. I. 2. 'Nihil ad Cælium; sed potius ad antiquorum languorem, atque inscitiam.' *Idem.*

Conversoque munere] Quia mare jam non adfert plenas illinc naves, sed nos illuc mittimus. *Lips.*

Venti ferentes] Virgil. Æn. IV. 'Expectet facilemque fugam, ventosque ferentes.' Seneca de Vita Beata, c. 22. 'Sic illum afficiunt divitiæ, et exhilarant, ut navigantem secundus et ferens ventus.' Statius Theb. II. 'quantumque ferentem Fortunam virtute domas.' *Livin.*

Venti ferentes] A puppe, et qui impellunt provehuntque. Seneca de Vita Beata cap. 22. nota 165. 'Sic illum afficiunt divitiæ, ut navigantem secundus ac ferens ventus.' Virgilius; 'Expectet facilemque fugam, ventosque ferentes.' *Lips.*

Venti ferentes] Homer. φέρων ἄνεμος· item ἀκραής. Eurip. πνοὴ πόμπιμος, ναυσὶ πόμπος αὔρα. Seneca de B. Vit. c. 21. 'Navigantem secundus et ferens ventus exhilarat.' Virgil. Culic. vs. 339. 'Comes huic erat aura secunda Perplacidum cursu pelagus.' Stat. Theb. II. 'Quantumque ferentem Fortunam virtute domas,' h. e. modum faventi et efferenti fortunæ ponis. *Bern.*

Venti ferentes] H. e. venti secundi, qui a puppi implent vela. Sic Seneca de Benef. IV. 25. 'Vide, quam opportunis, et in omnes oras ferentibus, ventis Dii maria promoveant!' Idem de Vita Beata c. 22. 'Sic sapientem afficiunt divitiæ et exhilarant, ut navigantem secundus et ferens ventus, ut dies bonus.' *Schwarz.*

Non sensisset urbis annona] Plinius, contra indolem suam, aliquantum obscurius hic loqui videtur. Quomodo enim mirum videretur, si Romani non sensissent siccitatem sterilitatemque Ægypti, cum Roma tunc ex providentia et cura Trajani tanta copia annonæ in publicis horreis reconditæ abundasse dicatur, ut non solum frumento ex Ægypto subvehendo carere, sed et ipsorum Ægyptiorum necessitati succurrere, potuerit? Potius mirum fuisset, si in ista rei frumentariæ abundantia Romani nihilo minus tunc sensissent defectum, Ægyptique sterilitatem. Quapropter aliquando suspicatus sum, an non in istis verbis, pro *non*, scribi debuisset *tunc;* utpote quas particulas etiam in aliis veterum locis commutatas esse, jam observarit Scioppius. Nihil tamen adhuc innovare audeo, interim opinatus, Plinium in hanc sententiam scribere voluisse: Satis *mirum, Cæsar, videretur, si desidem,* ac nihil frumenti submittentem, *Ægyptum, cessantemque Nilum, non sensisset,* neque ingravescere cœpisset, *urbis* Romæ *annona: quæ* vero, quod magis mirum est, *tuis opibus, tuaque cura, usque illuc,* in Ægyptum, *redundavit, &c.* Bene huc refert fere similem loquendi formulam Gesnerus, ex Paneg. IX. 4. Hunc locum etiam subobscurum vocat Herm. Rayanus; at nescio, quomodo hunc ejus sensum planum putet: 'Mirum esset, Ægyptum indigere Romanis, si Ægyptus sterilis et frugibus exuta non recepisset a Romanis annonam.' *Idem.*

Non sensisset urbis annona] Quia, ut Josephus Excidii lib. II. notat, 'Ægyptus quatuor mensium annonam urbi suppeditabat, Africa autem octo.' *Lips.*

Actum erat] Locutio comicis frequens, in desperatione rerum poni solita; et orta a judiciis, ubi, si reus sententia pronuntiata esset damnatus, 'Actum est,' dicebant, 'ilicet!' Donatus ad Terent. Andr. III. 1. 7. et Brissonius de Formulis. *Schwarz.*

Fecundissima gente] Menda librariorum sunt, quod in codice Veneto pro *fecundissima*, scriptum est *facundissima;* et in libro Vossiano, pro

gente, parte. Dicitur autem gens Ægyptiorum *fecundissima*, non tam propter consuetam fecunditatem agrorum, quam propter hominum fecunditatem. Colum. III. 8. 'Quibusdam gentibus,' inquit, 'natura numerosam progenerandi sobolem dedit, ut Ægyptiis et Afris, quibus gemini partus familiares, ac pæne solennes sunt.' Plinius Major, VII. 2. 'Tergeminos nasci, inter ostenta ducitur; præterquam in Ægypto, ubi fetifer potu Nilus amnis ... Et in Ægypto septenos uno utero simul gigni, auctor est Trogus.' Unde et Solinus c. 3. 'Cum fetifero potu Nilus non tantum terrarum, sed etiam hominum, materna fecundat arva.' Et Seneca Natur. Quæst. III. 25. 'Quorundam caussa non potest reddi, quare aqua Nilotica fecundiores feminas faciat, adeo, ut quarundam viscera longa sterilitate præclusa ad conceptum relaxaverit.' Nihil adeo opus fuit, ut Behrius, pro *fecundissima gente*, mallet legere *frugum proventu beatissima gente.* Plinius vero, mirum in modum exaggeraturus laudem liberalitatis Trajani, dicit, istam, quantumvis fecundissimam, Ægyptiorum gentem ex annonæ inopia interituram fuisse, si ea fuisset libera, hoc est, si non subjecta fuisset imperio Romano, sique caruisset providentia atque cura imperatoris benignissimi. *Idem.*

Quam torquebatur] Labecula huic loco adspersa fuit. Etenim non paucæ editiones, nec minus quidam codices scripti, habent *qua torquebatur.* At codex Parisiensis, Venetus, et meus, rectius ac signantius *quam torquebatur.* Scilicet, quantum Ægyptus tunc torquebatur fame, tantum erubescebat; utrisque malis pariter occurrit Trajanus. Hanc posteriorem lectionem jam antehac prodidere Beroaldus, Catanæus, Aldus, Navius, Lipsius, Gruterus, Parisienses, Bernegger, Patarol, Ceva. *Idem.*

Quibusque de campis] Particulam ἐγκλιτικὴν *que* admisi, quia eam Cuspinianus, Lipsius, Gruterus, Parisienses, Ceva, et recentissimi editores admisere. E ceteris libris excusis scriptisque eadem exulat. Pro verbo antecedente *refersissent,* Ceva exhibet *replevissent*, quod vero ex glossemate dimanasse videtur. *Idem.*

Quibusque de campis] *Quibus de campis; sed, quibusque de campis* C. *Livin.*

Alius amnis] *Alius annus* V. C. *Livin.*

Alius amnis] Nilus, fecunditatis auctor. Sed verior lectio *annus:* alius alibi proventus, et messis. *Lips.*

Alius amnis] Verum est, *al. annus.* Claudian. de B. G. 'Memphis si forte negasset, Pensabam Pharium Gætulis messibus annum.' Stat. Sylv. III. Metii Celeris Propemptico: 'Trans æquora terris Prima Dicarchæis Pharium gravis intulit annum.' *Livin.*

Amnis] Sane melior lectio, quam ea, *annus.* Facit enim stupentes agricolas ad insolitam messem, et requirentes, ecquis alius amnis, scil. præter Nilum, illam dederit. Quippe agricolæ Ægyptii putant, fecunditatem amnibus tantum deberi, nescii, quod etiam pluviis. Hæc Berneggerus ad marginem sui Plinii adnotarat. *Frischm.*

Alius amnis] Nempe, qui æque, ac Nilus, fecundasset Ægyptum, ut horrea frugibus impleri potuerint. Omnem enim annonæ copiam a solo Nilo suo alias expectabant Ægyptii. Unde supra, XXX. 4. dixit Plinius, 'Ægyptus sic opem Cæsaris invocavit, ut solet amnem suum.' Ergo, quod jam Berneggerus, Baudius, et Gesnerus probarunt, vocabulum *amnis* bene recteque hic locum habere potest; ut mirer, cur Lipsius præoptarit *annus;* quod nomen nunc quoque recepit Arntzenius. Equidem jam ante id ediderunt Puteolanus, Cuspinianus, Philomusus, et Gruterus; idemque scriptum est in codice Veneto, et meo, ut et in

libro Vossiano; verum ceteri omnes habent *amnis*, a quibus haud recedendum censeo. *Schwarz.*

Nec maligna tellus] i. e. Ita tuo beneficio nec terra Ægyptiorum, in ipsa sterilitate sua, visa est sterilis; dum scilicet tu eorum horrea, frugibus ex Italia subvectis, tunc implevisti. Sic vero verbum 'videtur,' 'visum est,' non raro per ἔλλειψιν omitti observavit Cortius ad Sallust. Catil. IV. 2. et Jug. LXXXI. 1. 'Malignus' est infecundus et sterilis, ut apud Virgil. Georg. II. 179. 'Difficiles primum terræ, collesque maligni.' Cujus contrarium est 'benignus,' i. e. fecundus, et fertilis. Plinius Major, XVIII. 1. 'Fruges, et flores, quæque alia, præter arbores, aut frutices, benigna tellure proveniunt.' Quia Arntzenius animadverterat, in codice Guelpherbytano, et in excerptis Vossianis, scriptum esse *Nec benigna tellus*, adscivit ille hanc lectionem. At, quamquam eandem etiam referat codex Vaticanus 3461. item et Salisburgensis, (cui vero jam vetusta manus adscripsit, legendum esse *nec maligna tellus*,) non tamen, nisi ex glossemate, istam varietatem ortam, in quosdam codices dimanasse, adeoque haud recedendum esse puto a vulgata lectione, quæ et a ceteris codicibus Mss. omnibusque aliis editionibus confirmatur, et luculentissimam affert sententiam. *Idem.*

Nec maligna tellus] Tu fecisti videri terram fertilem, et Nilum evagantem; nam habuerunt, quæ illa, et ille, dare solent; sed beneficio tuo. *Lips.*

Et obsequens Nilus] Obsequens et obsequiosum, generatim dicitur, quidquid naturæ alicujus rei, et voluntati, atque voto et usui nostro, sese facile accommodat. Seneca Natur. Quæst. VI. 32. 'Cibus parum obsequens stomacho.' Colum. III. 5. 'Curæ mortalium obsequentissima est Italia, quæ pæne totius orbis fruges, adhibito studio colonorum, ferre didicerit.' Seneca in Præf. Natur. Quæst. lib. I. 'Materia inobsequens arti.' Alias hoc elogium, in antiquis lapidibus et nummis, maxime tribuitur Fortunæ; v. g. ap. Grut. p. LXXV. 6. FORTVNAE. OBSEQVENTI. ORDO COMENS. VOTO. PRO. SALVTE. SVSCEPTO. Et num. 8. FORTVNAE. OBSEQVENTI. SACRVM. FLAVIA. MODESTINA. PERP. EIVS. ANTISTES. &c. Sed et generatim de Diis dixit Plinius Major, XXX. 2. 'Sunt quædam Magis perfugia, veluti lentiginem habentibus non obsequi numina, aut cerni.' Hoc loco Nilus dicitur *obsequens*, i. e. benignus, et favens voto. Quæ verba, tanquam 'propositio complexa,' uti loquuntur logici, explicari debent: *et Nilus*, quatenus et quando *obsequens fuit, Ægypto quidem sæpe fluxit largior, &c.* Schwarz.

Gloriæ nostræ] Trajanus sane hoc in sua posuit, et nummos cudit, qui exstant: IMP. CAES. NERVA. TRAIANVS. AVG. parte in altera, S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. NILVS. Picta effigies Nili recubantis, cum crocodilo suo et hippopotamo. *Lips.*

Largior fluxit] Cuspinianus, pro *fluxit*, habet *fluit*. Codex Parisiensis *defluxit;* neutrum commodum est. Quod si pro *fluxit*, vel *fluit*, reponas *fuit*, id quidem facilius, et ad tellurem, et ad Nilum, simul referri queat; sed, quantum mihi videtur, quodammodo languente sententia. Malim ergo, vel ante vocabulum *Ægypto*, pronomen relativum *qui*, præmissa quidem interpunctione τοῦ κώλου, vel post particulam *quidem*, pronomen demonstrativum *hic* ponere: *Ita, beneficio tuo, nec maligna tellus, et*, in ipsis angustiis suis, *obsequens Nilus: qui Ægypto quidem sæpe, sed, &c.* Sic enim verbum *fluxit* aptius ad solum Nilum referretur. Verum, cum nusquam vestigia hujusmodi pronominis animadvertam; nisi quis suspicetur, propter primam syllabam subsequentis particulæ *quidem* pronomen *qui*

forte excidisse: nec dum aliquid mutare audeo, totamque hanc sententiam sic ordinandam atque explicandam existimo: *Ita, beneficio tuo, nec maligna tellus visa est; et obsequens Nilus* [i. e. Nilus, cum obsequens fuit,] *Ægypto quidem sæpe fluxit largior,* eamque fecundavit; *sed,* ex eodem beneficio tuo, *gloriæ nostræ nunquam largior* benigniorque *fluxit;* dum nempe occasionem materiamque præbuit gloriæ imperii Romani amplificandæ, ita, ut vere gloriari possimus, nos aluisse Ægyptum, unde alias annonam petere solebamus. Gesnerus, in altera editione, *obsequentem Nilum* in tantum interpretatur obsequentem, ut allatum classe frumentum adverso amne ad interiora Ægypti perferatur; deinde, post vocabulum *Nilus,* perfectam posuit interpunctionem; propter quam vero interpunctionem ultima hujus capitis verba nimis abrupte fluere videntur. Quæ Arntzenii sit emendatio atque explicatio hujus loci, ipsius verbis exponam: 'Cum locum ipsum,' inquit, 'penitus considerem, videtur rescribendum cum illis codicibus, *nec benigna tellus,* ut sensus sit: Quamvis nec benigna fuerit terra, nec obsequens Nilus; tamen nunquam gloriosior nobis fluxit, et hoc quidem beneficio factum tuo. Acuta sententia, et vere Pliniana, quasi regio sterilitate, et Nilus inobedientia sua, populi Romani gloriam auxissent; cum ita Cæsari oblata esset facultas declarandi, quanta et quam ut velox ejus esset potentia. Nam re vera obsequens dici non potuit Nilus, cum solus Trajanus copiis suis Ægypti angustias sublevasset. Dubiam reddidit sententiam quod non cogitarent, in *et,* ἀπὸ κοινοῦ repetendam esse negationem, pro nec benigna tellus, nec obsequens Nilus.' Affert deinde varia exempla, quibus probet, particulas copulandi, 'et,' 'ac,' 'atque,' sæpe non simpliciter esse interpretandas, sed, sensu pendente, cum præcedente particula negandi, 'non,' conjungendas. Verum, sententia quidem hæc vere est Pliniana: at eadem, nisi vehementer fallor, aliquantum liquidior fluit ex vulgata lectione, et nostra interpretatione. Lectio illa, *nec benigna,* pro *nec maligna;* item et interpretatio copulæ *et* pro 'neque,' nescio quid obscuritatis huic loco inferre videntur: quamvis haudquaquam negem, aliquando sensum illum negandi suspensum recte locum habere posse. Adhæc, si vel maxime assumas ista verba, *Quamvis nec benigna fuerit tellus;* manca tamen erit hæc propositio, cum non habeat, ad quam ἀπόδοσιν referatur; neque enim commode potest trahi ad illa, *largior fluxit,* quæ potius ad Nilum pertinent. Denique, sic vir doctus plane prætermittit intermedia verba, *Ægypto quidem sæpe;* neque ostendit, quo ea sint referenda. Vix enim ista cohærent, *nec obsequens Nilus Ægypto quidem sæpe fluxit, &c.* Schwarz.

CAP. XXXII. *Quam nunc*] In codice Vaticano 3461. item in Parisiensi et Guelpherbytano, pro *Quam,* vitiose scriptum est *Quoniam.* Quod vitium ex compendio scripturæ *Q̄m* ortum puto. *Idem.*

In fidem nostram ditionemque] Ita populi victi dicebantur se tradere et permittere in fidem, h. e. in tutelam et societatem victoris. Sallust. Jug. cap. 62. 'Jugurtham sine ulla pactione sese regnumque suum in imperatoris Rom. fidem tradere.' Sed etiam dicebantur, 'recipi in fidem.' Cic. Off. I. 11. 'Ut ii, qui civitates, aut nationes, devictas bello, in fidem recepissent, earum patroni essent, more majorum.' Durius erat 'venire in ditionem alicujus,' i. e. potestati et imperio ejus subjici. Pompon. de Orig. Juris, II. 32. 'Totidem prætores, quot provinciæ in ditionem venerant, creati sunt.' Ditio vero,

et potestas, et imperium, in hoc argumento idem significant, adeoque nec raro conjunguntur. Qui fidei tantum populi Romani se commiserant, quamvis inæquali fœdere juncti, imperium majestatemque populi Romani comiter conservare necesse haberent; non tamen omnem amittebant libertatem, et meliore utebantur conditione, benigniusque habebantur, quam in ditionem, formulamque provinciæ, redacti; quæ vera servitutis nota erat. Discrimen istud quodammodo indicat Val. Max. VI. 5. exemplo Faliscorum: 'Falisci,' inquit, 'beneficio magis, quam armis, victi, portas Romanis aperuerunt. . . . . . . Adversus quam civitatem sævire cupiens populus Romanus, postquam a Papirio doctus est, Faliscos non potestati, sed fidei, se Romanorum commisisse, omnem iram placida mente deposuit.' Interim, 'fides' et 'ditio,' sive 'potestas,' aut 'imperium,' non raro conjunguntur. Cæsar B. Gall. II. 3. 'Remi se suaque omnia in fidem atque potestatem populi Rom. permittere.' Idem B. G. II. 13. 'Bellovaci manus ad Cæsarem tendere, et voce significare cœperunt, sese in ejus fidem ac potestatem venire.' Idem B. G. I. 31. 'Neque se recusaturos, quo minus sub illorum ditione atque imperio essent.' Cic. pro Font. c. 1. 'Civitates, quæ sub populi Romani imperium ditionemque ceciderunt.' Aliunde autem jam constat, eos *βαρβαρίζειν*, qui vocabulum 'ditionis' pro regione, aut parte terrarum, ponunt. *Idem.*

Qui terrarum] In multis editis libris hæc verba aliter locata et interpuncta leguntur, *postquam contigit princeps terrarum, qui fecunditatem, &c.* Cellarius duntaxat signum incisi sic transponendum existimavit, . . . *Princeps, terrarum qui fecunditatem, &c.* Sed jam Cuspinianus, Gryphius, et Baunius, istas duas voces ita, uti edidimus, translocarunt. Quæ translocatio omnium codicum Mss. auctoritate confirmatur, et a Gesnero etiam atque Arntzenio recepta est. *Idem.*

Princeps, qui terrarum] *Princeps terrarum qui; sed Princeps, qui terrarum* C. G. *Livin.*

Qui diremtam] Cod. Vaticanus 3461. Parisiensis, Venetus, et meus, habent *qui direptam.* Occasionem huic mendo dedit omissio scripturæ compendiosæ, *direptam*, i. e. *diremptam.* Schwarz.

Mari gentem] i. e. Ægyptios toto pæne mari mediterraneo ab Italia sejunctos. *Patarol.*

Populi plebisque Romanæ] De discrimine horum nominum non nihil exposui ad XXV. 5. *Schwarz.*

Et cœlo] Cod. Guelph. pro *et* habet *e.* Vide vero, eo usque progredi orationem Plinii, ut Trajanum etiam comparet cum cœlo, atque eum huic præferat. Quanquam vero postea ad modestiam redire videatur, ubi terræ fluminisque genios precatur; mox tamen illis fallacem unius anni fidem quasi exprobrat, postulatque, ut eam omnibus postea sæculis excusent. *Idem.*

Terras uberet] Verbum 'ubero' fere insolens est, quamvis compositum 'exubero' frequentius occurrat. Cum in antiquis editionibus Symmachi Epist. I. 37. sive secundum recentiores, 43. legeretur 'Hunc,' Julianum, 'tibi in manum, vel magis in animum, libens trado. Nam mihi summa curatio est, ut amicitia tua boni inuberent;' Sciopp. Verisimil. II. 5. ad istum locum hæc commentatur: 'Corrige, volente Ms. *Ut amicitiam tuam boni uberent.* 'Uberare' ergo pro, augere, uberem et auctiorem reddere, posuit: quod tamen nusquam legi, nisi apud Pallad. de Re Rust. XI. 8. 3. 'Hoc velut coitu steriles arbores uberantur.'' Ego vero malim tueri pristinam Symmachi lectionem. Sed cum Piccar-

tus noster, Periculorum c. 15. p. 89. ejusdem loci Symmachi meminisset, hæc addit: 'Labitur Scioppius, cum ait, a nullo usurpatum verbum, 'uberare,' nisi a Palladio, eo significatu. Nam idem Symmachus ita alibi quoque loquitur, Epist. III. 1. 'Nam jejunas aures meas, et præclari eloquii tui satis superque sitientes, affatus largior debuit uberare.' Etiam Plinius, in Panegyr. XXXII. 2.' His adhuc unum locum addo ex Pallad. tit. III. 17. 4. 'Surculi autem, qui inserendi sunt, sint novelli, fertiles, ... gemmis pluribus uberati.' Sed verbum neutrius generis, 'exuberare,' i. e. uberem esse, et abundare, apud Virgilium, Tacitum, utrumque Plinium, aliosque auctores, non raro occurrit; eodemque genere, et eadem notione, etiam simplex verbum 'uberare' sæpius a Columella positum invenies. Pro hoc igitur verbo 'uberare,' quatenus agendi vim habet, Cicero dixit, 'fecunditatem terris dare;' Plinius Senior, 'uberes facere,' et 'fecundare.' At Eumenius Grat. Act. IX. 6. adhibet in eadem notione verbum 'ubertare.' Sic enim non solum in codice meo, sed et in omnibus, quos vidi, impressis libris, legi: 'Nam, sicut agros diuturno ardore sitientes expetitus votis imber ubertat; ita lacrymæ tuæ pectora nostra gaudiis irrigabant.' Est mihi in manibus Glossarium Gerhardi de Schueren, cancellarii quondam Cliviensis, Coloniæ an. 1477. impressum, in quo verbum 'ubertare' redditur, 'fecundare, *vruchtbar maken*.' Taceo Huguytionis, Papiæ, et Mammotrecti glossaria. Th. Reinesius Epist. LIII. ad Daumium, ad quendam locum Drepanii Flori, poëtæ Christiani, illustrandum, docet, 'uberitare,' et 'ubertare,' esse frequentativum τοῦ 'uberare,' ac notare 'cumulare,' 'multiplicare.' Et sane, hoc ipsum verbum 'ubertet,' pro 'uberet,' etiam Gudius ad hunc locum Panegyrici Pliniani, de quo agimus, non solum in margine libri, in quo ceteras hujus Panegyrici variantes, et plerumque cum codice Guelpherbytano convenientes, recensuit lectiones; sed et sigillatim in prima pagina ligaturæ hujus exemplaris, annotavit, docuitque, se id in vetere codice reperisse. Huc jam accedit suffragium trium codicum Mss. Bibliothecæ Vaticanæ, nempe num. 1775. 1776. et 3461. in quibus singulis diserte scriptum est *ubertet*. Solus codex Vatic. 1475. habet *uberet;* quod vero et ceteri codices ostentant. Equidem, neque 'uberare,' cum significatione verbi agentis, neque 'ubertare,' hucusque in scriptoribus ævi Pliniani reperire licuit; attamen non omnia verba rara sunt statim rejicienda. Et forte 'uberare,' tanquam verbum agens, in plures scriptorum locos, pro 'ubertare,' irrepsit. 'Ubertare' certe panegyrico dicendi generi aptius videtur. Admisi igitur hoc, quamquam, quod fateor, non sine omni hæsitatione. Sed idem jam quoque ex nostro indicio admisit Gesnerus. *Idem.*

Mala sterilitatis] Hæc sunt, inopia, caritas annonæ, fames, et alia incommoda; sicut e contrario 'bona fecunditatis' sunt copia, et vilitas annonæ, et αὐτάρκεια. *Idem.*

Mala sterilitatis] Sic de Tiber. Tacit. Annal. IV. 6. 'Plebs acri annona fatigabatur, sed nulla in eo ex principe culpa; quin infecunditati terrarum, aut asperis maris obviam iit, quantum impendio diligentiaque poterat.' *Bern.*

Æternis commeatibus] An *alternis?* etiam; et deinde *seruntur* malim. *Lips.*

Æternis commeatibus] Lipsius pro *æternis* maluit *alternis.* Quæ mutatio etiam placuit Gesnero. Et putes, hanc vocem *alternis* congruere cum sequentibus verbis, *omnes gentes invicem capiant.* Adhæc, alibi etiam

istas voces sæpe confundi, Drackenborgius ad Sil. xv. 229. observavit. At enimvero, in omnibus tamen scriptis impressisque hujus Panegyrici exemplaribus, mira constantia legimus *æternis*, idque rectissime. Hæc enim tunc publica videtur loquendi formula fuisse; de qua jam supra, ad xxix. 1. non nihil dixi. Inde enim in nummis dicebatur, ANNONA AETERNA, ABVNDANTIA PERPETVA, ANNONA PERPETVA. Et sic etiam alibi, quod continuum, et uberrimum est, nec facile cessat, dicitur æternum, sempiternum, perpetuum. Apud Plaut. Most. I. 3. 67. 'Erit victus tibi sempiternus.' Item, Captiv. IV. 1. 13. 'Spero, me ob hunc nuntium æternum adepturum cibum.' Ad quem locum hæc commentatus est Boxhornius: 'Æterna dicuntur, aut quæ revera talia, ut Dii, aut quæ voto talia facimus, ut principes, aut quæ effertissima, uberrima, ac prope inexhausta sunt, ut cibus, hoc loco.' Et bene huc facit locus Rutilii I. 145. ab Arntzenio annotatus: 'Æternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet.' Sic hoc loco etiam 'commeatus æterni' dicuntur. Ubi 'commeatus' generatim est annona, et copia cibariorum, ad alimoniam reipublicæ, aut exercitus, aut etiam privatorum hominum, pertinentium, quæ vel pedestri itinere, vel navibus, ultro citroque commeant; ut Hegio Plautinus loquitur, Capt. I. 2. 82. 'Meus scruposam victus commeat viam.' Sic Hirtius de B. Alex. c. 35. 'Cappadocia, his jugis subjecta, magnam commeatus copiam erat subministratura.' Neque vero solum frumentum notat; sed et quodcunque ad victum et commoditatem vitæ facit. Unde Cæsar B. Civ. III. 50. 'Cæsaris exercitus optima valetudine, summaque aquæ copia, utebatur; tum commeatus omni genere, præter frumentum, abundabat.' Et Justin. XXIV. 7. 'Ubi primum vino, ceterisque commeatibus, referta rura invenit.' Sed 'commeatus' etiam dicebantur naves plures, sive classes, quæ commerciorum caussa ultro citroque commeabant, et cum homines, tum frumentum, aliasque res et merces vehebant. Ita Cæsar B. G. v. 23. 'Exercitum reducit ad mare; naves invenit refectas. . . duobus commeatibus exercitum reportare constituit.' Ita celebris erat 'commeatus Alexandrinus,' sive classis Alexandrina. Navigabant enim ex florentissimo emporio, Alexandria Ægyptiorum, in Italiam, ingenti numero, qua mercibus, qua annona, onustæ naves. Sueton. Ner. cap. 20. 'Alexandrini, qui de novo commeatu Neapolim confluxerant.' Casaubonus ad Sueton. Aug. cap. 98. docet, hujusmodi commeatum Græce dictum fuisse πορευτικὸν στόλον, item κατάπλουν. *Schwarz.*

Orientem occidentemque connectit] Supra, 'Disjunctissimas terras munificentiæ ingenio velut admovere, immensaque spatia liberalitate contrahere.' Rursum, 'Rhenumque et Euphratem admirationis tuæ societate conjungeres.' Et ab eadem mente iterum, 'Cum Danubius ripas gelu jungit.' Achilles ap. Stat. Achill. lib. II. 'Nunc docet ingenti saltu me jungere fossas.' Sil. Ital. lib. xv. 'demersaque in undam Junxerunt cumulo crescente cadavera ripas.' Pacatus in Theodos. 'amnem nando conjungeret.' Lucan. lib. VI. 'Tot potuere manus adjungere Seston Abydo.' Mox, *qua ubique feruntur, quæque expetuntur*, probaverim legi; atque ita est et in G. R. non *ferunt et expetunt*, quod V. C. repræsentant. Neque dubium est, quin illo singulorum priva et indigena bona, hoc importata, et quibus singuli careant, designentur. Quamquam (ut hoc iterum inculcem) ποιητικώτερον dictum *feruntur*, pro 'gignuntur,' aut 'habentur.' Vidi etiam, qui præ-

ferrent *seruntur*, parum circumspecte; non enim, quæ propria singulorum, cultura tantum ac satu, sed ultro quoque et sponte nascuntur. *Livin.*

Quæ ubique feruntur, quæque expetuntur] Hanc lectionem primus evulgavit Catanæus; quam deinceps plurimi editores retinuerunt. Ante Catanæum, Puteolanus et Beroaldus omisere adverbium *ubique*, et sequentia verba male ordinata sic prodidere, *ut, quæ feruntur, quæque expetuntur, omnes gentes et discant, invicem capiant.* At omnes omnino, quos consului, codices Mss. præter adverbium *ubique*, similiter omissum, exhibent verba agentia, *ut, quæ ferunt, quæque expetunt.* Ac, quamvis plurimi præterea pro *omnes* habeant *opes*, et posteriora quoque verba itidem perperam transponant, melioris tamen lectionis agnoscendæ vestigia nihilo minus commonstrant. Sic etiam in libro Vossiano, ex codice Elsb. hæc lectio annotata est, quæ quidem nec ipsa mendis caret, *ut, quæ ferunt, quæque expetunt, opes gentes discant invicem capiant.* Cujusmodi lectionem etiam Gryphius, Stephanus, et Livineius in margine editionum suarum notarunt. Adhæc Livineius quoque testatur, vetustum codicem, quo usus est, haud secus ac Cuspiniani editionem, repræsentare *ferunt* et *expetunt.* Nemo non intelligit, non *opes*, sed *omnes*, scribi debere; nisi forte in antecedentibus reponas *ut, quas ferunt, quasque expetunt, opes.* Sed et id liquet, postremorum verborum ordinem perturbatum facile posse in integrum restitui. Continere ergo me vix potui, quin, tam pertinacem codicum Mss. consensum secutus, reposuerim hanc lectionem, *ut, quæ ferunt, quæque expetunt, omnes gentes, invicem capiant, et discant, quanto, &c.* Sic verbum agens *ferunt* retineret propriam notionem, quæ nempe gentes ex suis terris ferunt, portantque, in exteras regiones; uti Plinius Major, xxxv. 12. dixit, 'Hæc per maria terrasque ultro citroque portantur,' i. e. feruntur. Quamquam forte etiam gignendi notio hic locum habere possit; cum apud Plinium Majorem, xxxvii. 8. hæc legamus: 'Viret et sæpe translucet iaspis.... Plurimæ ferunt eam gentes; smaragdo similem Indi; Cypros duram, glaucoque pingui; Persæ æri similem; cærulea circa Thermodontem amnem; in Phrygia purpurea,' &c. Cetera per se plana et perspicua sunt. Quantumcunque vero pronissimus fuerim ad hanc lectionem recipiendam, nec dum tamen deserere volo vulgatam, cui æque satis commoda constat sententia. In hac vero, propter adverbium *ubique*, verbum *feruntur* explicari debet per 'nascuntur,' sive 'producuntur.' Quæ significatio verbi 'ferre' est notissima. Sic enim ait Plinius Major, v. 2. 'Ipsa provincia Tingitania fert elephantos.' Et vi. 29. 'Insula ibi Cytis, topazium ferens et ipsa.' Et fortasse Plinius illud Virgil. Ecl. iv. 39. in animo habere potuit: 'Nec nautica pinus Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.' Equidem non est de nihilo, quod observavit Arntzenius, insolentius esse, ita hoc verbum passivo sensu adhiberi, seque non meminisse, id alibi legere. Sane enim, nec ego memini; nec dum, quamvis haud ignaviter inquisiverim, in hujusmodi incidi exempla, nisi unum illud Virgilii Georg. ii. 178. 'Quæ fit rebus natura ferendis:' manifesta tamen simul apparet ἀναλογία. Quamobrem nec pro verbo *feruntur* amplecti velim *seruntur*, quamvis hoc placuerit Lipsio, et ex hujus conjectura id jam in contextum orationis admiserint Boxhornius, Hearne, et Cellarius. Denique 'expeti' dicuntur, quæ vehementer desiderantur, ideoque sæpe etiam peregre petuntur; ut Horat. Epist. i. 11. 29. ait, 'Navibus atque Quadrigis petimus bene vivere. Quod pe-

tis, hic est.' Plinius Major, IX. 5. 'Cucumis mira voluptate Tiberio principi expetitus.' Idem, XXXIII. 7. 'Et hodie minium expeti constat Æthiopum populis.' *Schwarz.*

Omnes gentes invicem] *Omnes gentes et invicem* C. *Livin.*

Libertate discordi servientibus] Pugna in verbis videtur. Si enim *in libertate*, quomodo 'serviunt?' Sed nempe vel sic regimen aliquod et imperium paucorum, vel plurium: et semper subjectio ac patientia. Libertas duntaxat respectu magis arctæ servitutis dicitur. Non tamen displicuit aliquando *sævientibus* legi: quod fere assiduum in libertate, ut pars partem premat, et pellant inter se, aut sæviant. *Lips.*

Libertate discordi servientibus] H. e. viventibus, aut potius servientibus, in republica aristocratica, et democratica, aut ab imperio Romano libera, quæ speciem quidem habet libertatis, sed admodum discordis, atque dissidentis. Sic 'libertas' simpliciter de republica libera dicitur etiam a Tacito Hist. III. 72. 'Sed gloria operis (Capitolii,) libertati servata: pulsis Regibus, Horatius Pulvillus, consul, dedicavit.' Sic Romani libertatem dicebant, et rempublicam suam vocabant liberam, cum, a Regibus libera, regeretur a consulibus, senatu, et tribunis plebis; etsi cum eo statu revera non parum servitutis inquietæ esset conjunctum. Ubi enim regimen, ibi ex altera parte subjectio et patientia. Maxime vero populi, qui nondum Romano imperio erant subjecti, se jactabant liberos; etsi alioquin aspera vitæ conditione uterentur. Sic Plinius Major, cum descripsisset Chaucorum provinciam, vitamque duram, XVI. 1. 'Et hæ gentes,' inquit, 'si vincantur hodie a populo Romano, servire se dicunt. Ita est profecto: multis fortuna parcit in pœnam.' Itaque Plinius noster docet, in istis dissidiis perpetuis populorum, qui sibi videantur liberi, multo deteriorem esse servitutem, quam sub imperatoribus, aut imperio Romano. Huc adeo pertinet sententia illa Homeri Iliad. B. 204. Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω, Εἷς βασιλεύς. Gesnerus ingeniose, nec nisi unico apice immutato, in altera editione excudi jussit *libertati discordi servientibus.* Sed ne ista quidem levi mutatione opus esse videtur. 'Libertate discordi,' dicitur, 'libera,' sed 'discordi republica,' scilicet existente; uti Cic. Famil. XV. 6. dicit, 'Utinam te videam, republica meliore, quam timeo.' Verbum 'servire' ponitur absolute, pro in servitute esse. Sic sæpe loquitur Plinius Major; v. g. IX. 54. 'Nondum Britannica serviebant litora.' XII. 25. 'Servit nunc Judæa, et tributa pendit cum sua gente.' Tacit. Annal. XIV. 35. 'Viverent viri, et servirent.' Etiam Plinius noster, Epist. III. 14. 'Qui servisse patrem suum parum meminisset.' Epist. VIII. 24. 'Ne inter servientes, quam liberos, humanior fuisse videaris.' *Schwarz.*

Quippe discretis] Cum Plinius significare voluerit, multo feliciores evasisse provincias, gentesque exteras, quæ fidei et potestati imperatoris Romani fuerint subjectæ, quam quæ suo jure et discordi libertate uterentur: nunc eam sententiam e loco effectorum probat. 'Discretis,' inquit, 'bonis omnium, sua cujusque ad singulos mala pertinent,' i. e. si bona et jura omnium populorum et provinciarum, in ista discordi libertate, quasi discreta et separata sunt, ita, ut quævis gens suo utatur jure, nec omnes uni imperio sint subjectæ; tunc suæ cujusque populi calamitates publicæ, ut sterilitas terræ, ut annonæ caritas, ut pestilentia, et hostilis invasio, singulos populos civesque affligunt; propterea quod neminem alium vel imperantem, vel populum habent, a quo auxilium præsidiumque expectent.

'Sociatis autem atque permixtis bonis,' i. e. si uni capiti imperantique subjecti, communibus utantur juribus, communique et sociato fruantur præsidio, tunc singulorum mala, (uti Ægypti sterilitas,) cum imperantis providentia, ac mutua ope, subleventur, vel leviora redduntur, vel nemo prorsus habet, cur queratur; nec minus, in ista consociatione et permixtione bonorum, omnia bona cum omnibus facile communicantur. Populos sub imperium Romanum redactos multo tranquilliores feliciores que vivere, quam cum adhuc essent liberi a potestate Romanorum, exemplo Galliarum docet Cerealis apud Tacit. Annal. IV. 73. 'Terram vestram,' inquit, 'ceterorumque Gallorum, ingressi sunt duces imperatoresque Romani, nulla cupidine, sed majoribus vestris invocantibus, quos discordiæ usque ad exitium fatigabant.... Regna bellaque per Gallias semper fuere, donec in nostrum jus concederetis. Nos, quamquam toties lacessiti, jure victoriæ id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur.... Cetera in communi sita sunt; nihil separatum, clausumque.' *Idem.*

Quippe discretis] Simile fere acumen in verbis Cerealis apud Tacit. Hist. IV. 74. 'Et laudatorum principum usus ex æquo, quamvis procul agentibus, sævi proximis ingruunt.' *Grut.*

Mala ad neminem] Intellige, neminem alium: manent apud eum, quem primo premunt et tangunt. Totius periodi acumen hoc est: in magno et communi imperio, bona fiunt communia, et quidquid usquam est, ubique est, translatione et commercio; non ita in malis, quæ manent apud possessorem. *Lips.*

Ad neminem] Simpliciter ad *neminem:* scilicet, quia universitas damnum in se recipit; nec singulis nocetur, sed universitati, uti Berneg. ad marginem Plinii sui notavit. *Frischm.*

Permixtis] Codex Parisiensis, Aldus, Junta, Gryphius, habent *permistis*, quod perinde est. Hoc duntaxat propter eos observandum duxi, quibus persuasum est *permistus* nunquam in codicibus legi. Interim scripturam, 'mixtus,' 'permixtus,' utique cum Schurzfleischio præfero illi alteri, propterea, quod ubique etiam 'mixtura' et 'mixtio,' non 'mistura,' aut 'mistio,' scribi solet. *Schwarz.*

Omnia bona] Boxhornius, Hearne, et Gesnerus, edidere *omnium bona;* quam varietatem etiam Henr. Stephanus, Gryphius, Sichardus, et Livineius in marginem editionum suarum retulere; probavit vero et Rittershusius; nec mihi displiceret, ob harmoniam antecedentium verborum, *bonis omnium.* Sed, codicibus Mss. sibi constantibus, nihil muto. *Idem.*

Ad omnes omnia bona] Fortasse, *ad omnes omnium bona.* Livin. Recte. *Rittersh.*

Terris divinitas] A qua opinione Terra mater, sive Ops, et Rhea, inter Deas; sed et singulas regiones, ut Galliam, Ægyptum, Italiam, pingebant habebantque Deas. *Lips.*

Divinitas quædam] Antiquitas 'omnibus rebus numen quoddam inesse' putabat, inquit Rayanus. A qua opinione, Terra mater, sive Ops, sive Rhea, inter Deas, &c. *Patarol.*

Amnibus] Ascensius, Ceva, et in margine H. Stephanus, pro *amnibus*, mendose posuerunt *omnibus;* et codex Guelpherb. *amnis.* Schwarz.

Genius] Fluminibus, fontibus, aliisque similibus, Deos quosdam minoris notæ assignabant ethnici, quos 'genios' vocabant; unde sacri fontes dicti, sacra flumina, sacra nemora, et alia id genus. *Patarol.*

Amnibus Genius] Item opinio prisca, fluvios et fontes minores Deos, id est, Genios, censentium. *Lips.*

Molli gremio] Cum Plinius, et solum, sive terram, et flumen Ægypti, precatus sit, dubites, quomodo flu-

men dici possit, 'molli gremio recondere semina.' Sed Plinius, et terram, et flumen, precatus quidem est; at ut utrumque elementum, et quodvis quidem pro natura sua, conferret vim suam ad fecunditatem Ægypti producendam. Terra utique, sed ea molliter limo fluminis fecundata, gremio semina recondit; utrumque vero eadem multiplicat. *Schwarz.*

Multiplicata restituat] Duo codices Vaticani et Guelpherbytanus habent *multiplicataque restituat;* non male, ut opinor. *Idem.*

Non quidem] Pro *quidem*, vulgo editum est *equidem;* sed codices Vaticani, Venetus, Salisburgensis, Guelphicus, et meus, item et liber Vossianus, exhibent *quidem.* De qua particula Servius ad Virgil. Æn. I. 576. '*Equidem*,' inquit, 'in Virgilio,' 'ego quidem ubique significat; sed in aliis et pro 'quidem' tantum ponitur.' Librarius codicis Guelpherbytani neglexit vocabulum *fœnus*, quod tamen ad sententiam complendam est necessarium. Tibull. II. 7. 3. 'Semina, quæ magno fœnore reddat ager.' *Idem.*

Putet tamen] Puteolanus et Beroaldus ediderunt *putent;* ut quasi ad utrumque, flumen et terram, referatur. Verum, jam præcessit verbum singularis numeri, *restituat;* et sequitur *excuset.* Quod verbum *excuset*, simul ostendit, pro *putet*, nec *putes*, quod H. Stephanus habet in margine, nec *putat*, quod Boxhornius, Bernegger, et Hackius, prodidere, sese bene habere. *Idem.*

Fallacemque unius anni fidem] Aldus, Philomusus, Cratander, Gryphius, habent *fallacem, quæ unius anni, fidem.* Sed magis placet particula ἐγκλιτικὴ *que.* Idem.

Excuset] I. e. Culpam fallacis fidei a se removeat, et in futurum perpetua fide ac benignitate emendet. Stat. Theb. VI. 44. 'Lacrymis, (tanquam præcursoriis signis pœnitentiæ,) excusant crimen obortis.' *Idem.*

CAP. XXXIII. *Satisfactum*] Jam ad novam partem laudis transit Plinius; nempe a curatis necessitatibus commodisque civium Romanorum, et Ægyptiorum, tanquam sociorum, progreditur ad jucunda spectacula, quæ Trajanus præbuerat populo Romano. Ita nempe plerique imperatores consueverant facere, quibus non solum salus, sed et amor populi Rom. curæ erat. Idem adhuc suo ævo præstitere Theodosius et Arcadius imperatores, ad quos Symmachus Epist. X. 26. hæc scribit: 'Præcipua quidem beneficia numinis vestri populus Romanus expectat, DD. Imperatores. Sed ea quasi debita repetit, quæ æternitas vestra sponte promisit..... Orat igitur clementiam vestram, ut post illa subsidia, quæ victui nostro largitas vestra præstitit, etiam curules ac scenicas voluptates circo et Pompeianæ caveæ suggeratis. His enim gaudet urbana lætitia, cujus desiderium pollicitatione movistis.' Nexum argumentorum, quo usus est Plinius, bene observavit Baudius: 'Ordinem,' inquit, 'temporum, argumentique similitudinem, secutus, recte subjicit munera gladiatoria largitionibus frumentariis. Hæ ventrem pascebant; illa oculos. Dabant ea principes crebra occasione, in auspicio regni, in dedicatione publicorum operum, in profectione ad bellum, in victoria, et triumpho,' &c. *Schwarzius.*

Visum est spectaculum] Gladiatorum, quod (ut et venatus) imp. profecturi ad bellum dabant; quia vel apud veteres hæc devotio contra hostes facta, ut civium sanguine litato, specie pugnarum se Nemesis, h. e. vis quædam fortunæ, satiaret; vel, quod verisimilius, quia ituri ad bellum Romani debebant pugnas videre, et vulnera et ferrum, et nudas inter se cohortes, ne dimicantes in

bello armatos hostes timerent, aut vulnera, aut ferrum. Erat ergo 'gladiatorium spectaculum quædam quasi disciplina contra dolorem et mortem, atque ad vulnera, mortisque contemtum homines accendebat.' Cic. Tuscul. lib. II. *Bern.*

Spectaculum] Gladiatorum scilicet; quod Trajanus summa magnificentia edidit, teste Xiphilino, pag. 245. *Paterol.*

Non enerve] I. e. quod non molle et sine viribus, sed durum et asperum est; uti Quinctil. Instit. Orat. VIII. 4. dixit: 'Si sit necesse, duram potius atque asperam compositionem malim esse, quam effeminatam et enervem.' Sic auctor Dialogi de Oratoribus, cap. 18. ait, Ciceronem a Calvo quidem male audivisse; tanquam 'solutum et enervem;' a Bruto autem, tanquam 'fractum et elumbem.' Cicero non usus est voce 'enervis,' sed 'enervatus;' uti Tuscul. II. 6. vocat 'enervatam muliebremque sententiam.' Et cap. 10. ait, 'Ad vitam umbratilem et delicatam cum accesserunt etiam poëtæ, nervos omnis virtutis elidunt.' At 'fluxum spectaculum' dicitur Plinio, quod vanum est, et tanquam aqua mox præterit; uti Sallustio Catil. I. 4. divitiarum et formæ gloria dicitur 'fluxa atque fragilis.' *Schwarz.*

Nec quod] In quibusdam codicibus Vaticanis, item in Guelpherbytano, deest copula *nec*. Deest eadem particula etiam in codice Parisiensi, sed ita, ut vox *enerve* sic repetatur, *enerve, quod animos*. Quæ varietas etiam annotata est in libro Vossiano; quasi sic per sequentia verba, *quod animos virorum molliret et frangeret*, explicetur *enerve*. Quod facile concesserim, si priore loco omittatur *enerve*, atque, ἐπιθέτοις istis transpositis, rescribatur, *non fluxum, nec enerve, quod animos virorum molliret et frangeret*. Sed haud necesse est, ut aliquid mutemus. *Idem.*

Ad pulchra vulnera] Commissiones intelligit gladiatorum, quibus Trajanus plurimum delectatus. Xiphilinus. *Lirin.*

Ad pulchra vulnera] Gladiatores intelligit, 'quibus delectatum Trajanum fuisse,' Dio scribit. Hic autem color, quo tuebantur gladiatores, quasi ea spectatio ad militiam ac robur faceret, et vulnera assidue visa ac mortes, contemtum inducerent utriusque. Cicero ita dixit, 'fortissimam hanc esse contra dolorem et mortem disciplinam.' *Lips.*

Contemtumque mortis] Hoc colore et Cic. Tuscul. lib. II. gladiatores tuetur. Sed sanior mihi Lactant. Divin. Instit. VI. 20. et Prudentii versus: 'Num quid vesani sibi vult ars impia ludi? Quid mortes juvenum? quid sanguine pasta voluptas?' Idem Cyprian. in Epist. ad Donat. lib. II. 'Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet.' *Bern.*

Contemtumque mortis accenderet] Livius XLI. 20. ubi res Antiochi Epiphanis narrat, 'Gladiatorium,' inquit, 'munus Romanæ consuetudinis primo, majore cum terrore hominum, insuetorum ad tale spectaculum, quam voluptate, dedit; deinde, sæpius dando, et modo vulneribus tenus, modo sine missione etiam, et familiare oculis gratumque id spectaculum fecit, et armorum studium plerisque accendit.' Quidquid crudelitatis et sævitiei in ludis gladiatoriis occurrit, id fortitudinis accendendæ nomine excusarunt veteres. Non possum, quin huc afferam locum Cic. Tusc. II. 16. quamquam jam ab aliis annotatum: 'Crudele,' inquit, 'gladiatorum spectaculum, et inhumanum, non nullis videri solet; et haud scio, an ita sit, ut nunc fit. Cum vero sontes ferro depugnabant, auribus fortasse multa, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem, et mortem, disciplina.' Chris-

tiani tamen istiusmodi spectacula non immerito aversabantur. Vide Clerici Art. Crit. P. II. s. 1. cap. 6. 5. seqq. Quin et ipse Seneca Epist. VII. queritur de his spectaculis: 'Nihil,' inquit, 'est tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt. Quid me existimas dicere? Avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior; immo vero crudelior et inhumanior, quia inter homines fui. . . . . Nunc, omissis nugis, mera homicidia sunt. . . . Mane leonibus et ursis homines; meridie, spectatoribus suis objiciuntur. Interfectores inter se jubentur objici, et victorem in aliam detinent cædem: exitus pugnantium mors est; ferro et igne res geritur.' Cf. Plin. Epist. IX. 6. *Schwarz.*

Servorum etiam noxiorumque] Duo enim genera hominum ad hos ludos, servi aut noxii. Illi, vel bello capti, vel pretio a lanistis emti: isti, qui ob facinus aut scelus damnati in hos ludos. Ego fusius de utrisque, Saturn. II. 3. *Lips.*

Servorum etiam noxiorumque] Mirum est, nisi respexit ad mentem Hannibalis, de qua prolixe Liv. XXI. 42. 43. qui consulatur. *Grut.*

Servorum etiam noxiorumque] Duo genera hominum ad hos ludos, servi, aut noxii. Illi, vel bello capti, vel pretio a lanistis emti; isti, qui ob facinus, aut scelus, damnati in hos ludos. Postea non homines solum infimæ conditionis et fortunæ, sed etiam nobiles se ad hujusmodi ludos offerebant. Vid. Lips. Saturn. II. 3. *Patarol.*

Amor laudis] 'Gladiatores quas plagas perferunt? quam sæpe apparet, nihil eos malle, quam vel domino satisfacere, vel populo? quis mediocris gladiator ingemuit? quis vultum mutavit? quis non modo non stetit, verum etiam decubuit turpiter? quis cum decubuisset, ferrum recipere jussus, collum contraxit? tantum exercitatio, meditatio, consuetudo valet,' Cic. Tuscul. lib. II. *Bern.*

In edendo liberalitatem] Referene ad copiam et numerum largiter præbitum? an ad missilia et dona interjecta? Utrumque potest. Trajanus quidem ita largus in istis, ut aliquando 'ad decem millia (Dionis assertio est) gladiatorum dederit, in unis ludis:' etsi hoc post victorias de barbaris partas, et ex iis plerosque fuisse opinamur. De missilibus autem, nimis etiam res nota; quæ in cuneos spectatorum spargebant, ingenti pecuniarum jactura. *Lips.*

In edendo] Scilicet 'spectaculo gladiatorum.' Sic Plinius etiam, Epist. VI. 34. scribit: 'Illud quoque egregium, quod tam facilis, tam liberalis, in edendo fuisti.' Ita nempe ii, qui populo dabant ejus generis spectacula, dicebantur 'dare,' aut 'edere gladiatores;' item 'edere munus,' aut 'spectaculum gladiatorium.' Sueton. Vesp. cap. 7. 'Dedit et navale prælium in veteri naumachia; itidem et gladiatores.' Tacit. Annal. I. 76. 'Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris ac suo nomine obtulerat, Drusus præsedit.' Annal. XV. 34. 'Ubi gladiatorium munus a Vatinio celebre edebatur.' Annal. XIII. 31. 'Spectaculum gladiatorum, aut ferarum, aut quod aliud ludicrum, ederet,' &c. Ut vero agnoscas mendum ex literis male coalescentibus ortum, notes, in codice Veneto, pro *in edendo*, scriptum esse *medendo*. In proximis verbis antecedentibus etiam typographus mendum admisit, in editione Arntzeniana dum pro *cerneretur* excudit *cernetur*. Schwarz.

Liberalitatem, quam justitiam] Illam, tum in multitudine gladiatorum exhibenda, tum jaciendis in populum missilibus; hanc, ex æquo singulos respiciendo, et leges arenæ servando; nec ulli plus favendo, quam alteri. *Patarol.*

Justitiam] Ut leges arenæ servaret; itemque præmia promissa fideliter præstaret; sed nec in hos aut illos (ita subdit) affectum inclinaret. *Lipsius.*

Omni affectione] Vide: rarum est, ubi certamen et commissio, ut editor, aut spectator, non det se in partes. Hæc est inclinatio humani ingenii, pugnare, aut pugnantibus favere. Itaque non dicam vulgus, sed principes ipsi huic aut illi generi (puta Threcibus, aut Myrmillonibus) favebant, et vincere illos jure vel injuria volebant: atque fraude adeo, vel imperio, rem eo trahebant. Sueton. Tit. c. 8. ostendit, et c. 10. Domit. ut dicam. *Idem.*

Omni affectione] Alias erat 'cuneati læta theatri Seditio.' Auson. At de Trajano Martial. Spectac. xx. 1. 'Cum peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum, Promisit pariter Cæsar utraque manu. Non potuit melius litem finire jocosam. O dulce invicti principis ingenium!' *Bern.*

Aut intactus, aut major] *Intactus* dicitur purus, integer, ac ne quidem tentatus occupatusque adhuc a certo aliquo vitio, aut affectione. Sic Plin. Epist. v. 8. 'intacta et nova tempora' vocat, quorum fata et res gestas nemo adhuc describere tentavit. viii. 24. 'intactum honorem' dixit, quem Jun. Avitus, modo designatus ædilis, ne quidem adhuc tentarat administrare. Sic a poëtis passim laudantur 'virgines intactæ,' i. e. integræ. De milite, qui salvus illæsusque ex prælio abierat, Sallust. Jug. c. 67. ait, 'Unus ex omnibus profugit intactus.' Et Tacito Hist. ii. 78. dicitur, 'intactus superstitione.' At, 'majorem omni affectione' vocari puto, qui lacessiri quidem ab affectibus potuisse videtur, sed iis est superior, easque vincit et opprimit. Nam, ut Seneca ait, Epist. 6. 'Dolores, molestias, injurias, virtus magnitudine sua elidit, atque opprimit.' Epist. 66. 'Jubes me vivere capite demisso? ... Major sum, et ad majora genitus.' Et, de Provid. c. 2. 'Est enim vir sapiens omnibus externis potentior. Nec hoc dico, non sentit ille; sed vincit, et alioquin quietus placidusque contra incurrentia attollitur.' *Schwarz.*

Quod postulabatur] Mos populo fuit, hæc vel illa gladiatorum paria, ut committerentur, aut, ut illi dimitterentur, hic jugularetur, postulare. Testis est Martialis Spectac. xx. 1. ubi poëta intelligit duas factiones amphitheatrales; quarum altera Myrinum, altera Triumphum, gladiatores eximios, postularat. Sueton. Domit. c. 4. 'Præterea quæstoriis muneribus, quæ olim omissa revocaverat, ita semper interfuit, ut populo potestatem faceret bina paria e suo ludo postulandi, quæ novissima aulico apparatu induceret.' Cf. et Senec. Epist. vii. apud quem legimus; 'paria gladiatorum postulatitia.' *Patarol.*

Quod postulabatur] Liberalitas laudata est, et justitia; addit comitatem. Quidquid turba petebat, fiebat, et eorum voluntati sese aptabat. Volebant hos et illos notos, vel aulicos, gladiatores? veniebant. Illos dimitti, hunc jugulari? impetrabant. Adi me, de Postulaticiis Gladiatoribus, ii. 16. et de Populi Petitionibus, c. 22. *Lips.*

Admonuit] Præstitit hoc et Titus, de quo Sueton. c. 8. 'Populum inprimis universum tanta per omnes occasiones comitate tractavit, ut, proposito gladiatorio munere, non ad suum, sed ad spectantium arbitrium, editurum se professus sit. Et plane ita fecit. Nam neque negavit quidquam petentibus; et ut quæ vellent peterent, ultro adhortatus est.' *Patarol.*

Ac sic quoque plura] Codices Vaticani habent *At sic plura quoque.* Et mox, pro voce *spectantium*, codex Guelpherbytanus exhibet *speculan-*

tium. Schwarz.

Libera] Quæ non item sub malis imperatoribus, Caligula, Vitellio, Domitiano. De Domitiano Sueton. c. 10. 'Patrem familias, quod Thracem mirmilloni parem, munerario [i. e. Domitiano munus gladiatorium edenti,] imparem, dixerat; detractum e spectaculis in arenam, canibus objecit, cum hoc titulo: Impie locutus parmularius.' *Patarol.*

Spectantium studia] Quæ metu, clamore, sponsione, indicabant. Vide me Satur. II. 24. *Lips.*

Spectantium studia] 'Olim ex spectaculis materia criminis ac periculi quærebatur.' Senec. Clem. I. 26. Sueton. Cal. cap. 30. Domit. cap. 10. *Bern.*

Nemini impietas] Quod sub Caio et Domitiano factum ibidem notavi. Quare autem 'impietas?' quia contra studium principis favebant: atque ita læsa majestas, quod 'impietatem' appellant (et Græci passim ἀσέβειαν) quia publicus ille parens violatus; vel quia et divinitas, quam sibi duo jam dicti vindicabant. *Lips.*

Impietas] Si quis odisset gladiatorem, cui favebat imperator, impius dicebatur; quasi peccaret in Deum, cum se pro Diis coli belluæ illæ juberent. Deinde ἀσέβεια, et *impietas*, sigillatim de crimine majestatis dici consueverunt. *Patarol.*

Odisset gladiatorem] Tale genus, principi carum. *Lips.*

Spectaculum factus] Genus hoc sævitiæ a Caio exhibitum et Domitiano. De illo Sueton. c. 27. 'Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla, aut ad viarum munitiones, aut ad bestias, condemnavit, aut bestiarum more quadrupedes cavea coërcuit, aut medios serra dissecuit. Nec omnes gravibus ex caussis; verum male de munere suo opinatos,' &c. Cf. Dio Cass. lib. LIX. pag. 647. et Zonaras Ann. II. pag. 178. Aliud ejus generis exemplum ibi refert Sueton. cap. 35. 'Erat Esius Proculus patre primipilari, ob egregiam corporis amplitudinem et speciem Colosseros dictus. Hunc e spectaculis detractum, repente, et in arenam deductum, Thraci, et mox hoplomacho, comparavit, bisque victorem constringi sine mora jussit, et pannis obsitum vicatim circumduci, ac mulieribus ostendi, deinde jugulari.' De Domitiano paullo ante dictum est. Etiam Seneca, de suis temporibus, de Clement. I. 26. 'Non spectacula secura ineunt, ex quibus materia criminis et periculi quæritur.' *Patarol.*

Nemo e spectatore spectaculum factus] Vulgata lectio est, *Nemo spectator spectaculum factus.* Equidem non simpliciter hanc damno; ei tamen aliam in vestigiis tot codicum conspicuam præfero cum Livineio. A vulgata enim omnes, quibus usus sum, codices Mss. recedunt. Tres Vaticani, Parisiensis, Venetus, Salisburgensis, et meus, habent *Nemo expectator expectaculum.* In Vaticano 3461. et Guelpherbytano, scriptum est *Nemo, et spectator, et spectaculum, factus.* Latet in hac depravata scriptura lectio verior, *Nemo e spectatore spectaculum factus.* Occasionem corruptelæ facile dare potuerunt literæ male cohærentes, nec satis distincte scriptæ; v. g. *espectatorespectaculum.* Qui quasi continuo nexu scribendi modus potissimum observatur in charactere Gothico-Italico, prout a Mabillonio appellatur. Haud secus librarius codicis Parisiensis, XLII. 3. ex eadem caussa inquinate scripsit, *omnes delator edomestico liberati sumus,* cum scribere debuisset, *omnes delatore domestico liberati sumus.* Sic et Scioppius de Arte Crit. pag. 83. ostendit, sæpissime ultimam vocis præcedentis literam sequenti in codicibus adhæsisse. In hujusmodi scripturam cum forte inciderit rudis librarius Panegyrici Pliniani, legisse

videtur, *espectator espectaculum;* cum, si recte separasset singulas voces, planissima extitisset sententia. Cum vero verbum frequentius obvium, *expecto*, in animo habuerit, opinatus forte est, hinc melius rescribendum *expectator*, et mox, propter alliterationem, *expectaculum*. Alius librarius, qui non tam obesis naribus uti sibi visus est, animadvertit quidem, utrumque vocabulum, *expectator*, et *expectaculum*, nullius usus esse: ex utroque vocabulo rejecit primam syllabam *ex;* unde vulgaris orta esse videtur lectio, *nemo spectator spectaculum factus.* Alius vero librarius, cum illud *e*, vel *ex*, non plane frustra ambabus vocibus præpositum opinaretur, hinc effinxit, *nemo et spectator et spectaculum factus est.* Quæ tamen posterior lectio magis arrisit Arntzenio. Hanc enim non e conjectura, sed ex ipsis codicibus quibusdam Mss. dimanare, ait. Sed, quis nobis id præstabit, non etiam librarios quosdam, in isto codicum dissensu, e conjectura quandam correctionem jam intulisse quibusdam codicibus Mss.? Urget porro vir doctus, quod e vocibus, *expectator expectaculum*, majore facilitate confici possit, *et spectator, et spectaculum*, quam *e spectatore spectaculum.* Verum, nescio, annon sit facilior atque levior emendatio, si vel præpositionem *ex*, pro lubitu integram, vel, dimissa litera *x*, retineamus *e*, quam si præterea assumamus literam *t*, ut fiat *et*. Adhæc non video, quomodo satis apte dicatur, neminem esse et spectatorem et spectaculum factum. Qui enim ultro venerant ad spectandum, eo ipso jam erant spectatores; nec demum e crudelitate principis, spectatores; sed e spectatoribus spectaculum, facti sunt. Denique hæc ipsa nostra lectio, quæ jam dudum etiam suboluit Livineio, et nunc recepta est a Gesnero, prorsus sequitur loquendi formulas, non solum Plinio, sed aliis etiam bonis auctoribus familiares. Sic enim ipse Plin. Epist. IV. 11. 'Quos tibi Fortuna ludos facis? Facis enim ex professoribus senatores; ex senatoribus professores.' Et mox in eadem epistola: 'Ex advocato nuntius factus sum.' Non ait, 'Advocatus factus sum nuntius;' neque, 'et advocatus, et nuntius, factus sum.' Sic et Terent. loquitur Andr. I. 1. 10. 'Feci, e servo ut esses libertus.' Cic. Philipp. III. 9. 'Ex aratore orator factus.' Juvenal. Sat. VII. 'Si fortuna volet, fies de consule rhetor.' Seneca de Ira I. 2. 'Populus, vultu, gestu, ardore, de spectatore in adversarium vertitur:' ubi etiam dicere potuisset: *Populus spectator in adversarium vertitur.* Hæ sunt rationes, quibus propositam lectionem tuendam putavi; quamquam ceteroquin per me cuique suo frui licet ingenio. Quod ad rem ipsam attinet, laudat Plinius Trajanum, quod hic in edendis spectaculis, non minus justitiam, quam liberalitatem, exhibuerit; quodque spectatores spectaculis tunc secure interesse potuerint, neque e spectatoribus ipsi facti fuerint spectaculum: uti quidem non paucis acciderat, superioribus Caligulæ et Domitiani temporibus; cujusmodi exempla quædam e Suetonio jam alii annotarunt. *Schwarz.*

Nemo, e spectatore spectaculum] *Nemo spectator spectaculum factus.* Equidem non hoc damnem, non; attamen, quod de vestigiis exsculpsi lectionis, quæ in V. *Nemo expectator expectaculum*, præferam *Nemo e spectatore spectaculum factus.* Livin.

Spectaculum factus] Qui spectabat, spectandus datus, et in arenam productus. Id quoque duo dicti: ego, loco dicto. *Lips.*

Spectaculum factus] Sic Caligula Proculum, patre primipilari, et egregia corporis amplitudine e spectaculis detractum, in arenam deductum, Thraci, ac mox oplomacho, compara-

tum, bisque victorem, constringi sine mora jussit, et pannis obsitum vicatim circumduci, mulieribus ostendi, deinde jugulari. Idem invitatos ad pontis Puteolani dedicationes repente omnes præcipitavit; quosdam gubernacula apprehendentes contis remisque detrusit in mare. Sic Domitianus patremfamilias, quod Thracem mirmilloni parem, munerario imparem, dixerat, detractum e spectaculo in arenam canibus objecit, cum hoc titulo: 'Impie locutus parmularius,' Suet. c. 10. *Bern.*

Miseras voluptates] Etsi Plinius supra eo nomine laudavit spectaculum gladiatorium, quod fecerit ad fortitudinem accendendam; nunc tamen ipse innuit, non paucos id voluptatis quoque caussa frequentasse, delectatosque esse sanguine et cæde gladiatorum. Sed, Epist. IX. 6. testatur, se istiusmodi spectaculis ne levissime quidem teneri; et aliquam capere voluptatem, quod ista voluptate non caperetur. Nunc eas miseras vocat voluptates, propter graves pœnas, quæ aliquando accerserent spectatoribus. *Schwarz.*

Unco et ignibus] 'Uncus' erat baculus oblongus, habens in extremitate ferramentum incurvum ac retortum. Ei locus erat in gravi genere supplicii. Unde Ovid. in Ibin, vs. 165. 'Carnificisque manu, populo plaudente, traheris; Infixusque tuis ossibus uncus erit.' Et Sueton. Tib. 61. 'Nemo punitorum non et in Gemonias abjectus, uncoque tractus.' Sed et cadavera vulneratorum cæsorumque gladiatorum unco impacto trahebantur in spoliarium. Adhæc et ignibus locus erat in istis spectaculis; dum aut tardiores facibus ardentibus et ferro candente adigebantur ad certandum; aut cæsi igne explorabantur, an forte adhuc viverent; aut noxii tunica molesta, i. e. veste e charta facta et pice illita, induti, atque ad stipitem affixi, ardebant. Quæ pleniore manu exponit Lipsius. Ac Seneca Epist. 7. generatim docet, in ejusmodi spectaculis 'rem ferro et igne geri' consuevisse. Idem igitur aliquando etiam accidisse spectatoribus, ait Plinius, ut e spectaculis in arenam detracti miseram spectandi voluptatem pari modo expiarint. *Id.*

Unco et ignibus] Nam occisi aut læsi graviter gladiatores, unco impacto in spoliarium trahebantur. In acclamationibus senatoriis, post Commodi mortem, Lamprid. in Vita Commodi, cap. 18. 'Gladiatoris cadaver unco trahatur. Gladiatoris cadaver in spoliario ponatur:' ubi vulgus et pueri illudebant. De 'ignibus' autem ita habuit: Adhibebant eos, vel in principio pugnæ, cum timidius in ferrum irent, et a tergo flagellis, aut facibus, exstimulabant; vel in fine, cum mortui jam, aut jacentes in mortuum, ignibus et ferro explorabantur. Simulabant enim quidam mortem, ut sic efferrentur, et subducerentur morti. Tertullianus, 'Risimus inter meridianorum crudelitates, Mercurium mortuos cauterio examinantem.' Quod scilicet aptatum ad poëticam etiam fabulam fuit. Subit et de 'ignibus' posse accipi, ut ipsi ad stipitem affixi arserint in arena: quod item scimus factum. *Lips.*

Unco et ignibus] Non tantum gladiatores, sed et reliqui damnati ignibus per obscœna immissis in arenam tracti, quod novum quæstionis genus invenit Domitianus. Sueton. antea in carcere necati uncis quibusdam magnis trahi soliti a carnifice in forum, deinde in fluvium. Dio. Sic Christiani, inde 'sarmenticii' et 'semissii' dicti, quia ad stipitem dimidii assis revincti, sarmentorum ambitu exurebantur. Tertull. Adde Vulcat. Gallican. Lamprid. Senec. de Ira c. 3. Juven. Sat. I. *Bern.*

Demens ille] Domitianus. De majestatis autem crimine diximus ad c. XI. *Patarol.*

In arena] Nihil certius est hac lectione; sed vide tamen, quantum librarii, si unum excipias Salisburgensem, hallucinati sint in exprimenda voce *arena*, sive, prout olim etiam scribebatur, *harena*. Codices tres Vaticani, Venetus, et Guelpherbytanus, habent, *in hac re;* Vaticanus 1475. *in hare;* codex meus *in hara;* codex Parisiensis, *in hare cogitabat;* liber Vossianus itidem, *in hare cogitabat;* e cod. Elsb. et aliis, *hac re.* Pro quibus annotatum est *œre* et *area.* Sunt meræ chimæræ. Sed idem liber Vossianus etiam refert alia duo menda librariorum, in antecedentibus verbis, *secutus fervor,* pro *securus favor.* Et *hirco,* pro *unco.*

Crimina majestatis in arena colligebat] Suetonium lege Domit. cap. 10. *Livin.*

Suum numen violari] *Suum numen violare,* vulgo; at *suum numen violari* H. Steph. *Faber.*

Idem, quod Deos] Palam de Domitiano, qui Deus censeri et audire voluit. *Lips.*

Cum se idem, quod Deos] In codicibus Vaticanis, Veneto, Salisburgensi, Guelpherbytano, meo, et libro Vossiano, copula *que* particulæ *cum* subjungitur, *Cumque.* Quæ varietas, nescio, an prorsus sit vana? Particula enim 'cum, pro quoniam' posita, si referatur ad verbum *putabat,* alias magis verbum conjunctivi modi, quam indicativi, desiderat. Igitur videtur, ad aliud verbum referri debere, quod vel prætermissum est culpa librariorum, vel per ἔλλειψιν animo intelligi supplerique potest. Atque adeo satis apte cohærere oratio mihi videretur, si ultima hujus capitis sententia ita concinnaretur: *ac se despici et contemni, nisi etiam gladiatores ejus veneraremur; sibi male dici, in illis suam divinitatem, suum numen, violari, interpretabatur; cumque se idem* putaret, *quod Deos, idem gladiatores, quod se, putabat.* Sic per copulam *que* conjunguntur ista verba, *interpretabatur, ... putabat.* Igitur verbum *putaret,* quod cum particula caussali *cum* cohæreat, vel restituendum, vel per ἔλλειψιν saltem supplendum est. Cujusmodi ἐλλείψεις non adeo alienæ sunt a stilo Pliniano; v. g. XXXV. 2. 'Cumque insulas omnes, quas modo senatorum [compleverat,] jam delatorum turba compleret,' &c. LXII. 3. 'Oderat, quos nos amaremus; sed et nos (oderamus,) quos ille.' Epist. IV. 13. 'Utque nunc liberi vestri aliena in loca, (confluunt,) ita mox alieni in hunc locum confluant.' Brevius autem lectionem vulgatam adjuvare possemus, si pró *cum* reponamus *dum.* Quia vero vulgatam hujus loci scripturam tam multi viri eruditi sine offensa legerunt, et ego eam impune nunc dimittam. *Schwarz.*

CAP. XXXIV. *Pro illo .. execrabili*] Plinius non spectaculum gladiatorum, quod ediderat Trajanus, vocat *execrabile;* quamquam nec ipse istiusmodi ludis valde delectatus fuisse videatur; quod facile colligimus ex Epist. IX. 6. verum, Domitiani cumprimis sævitiem execratur, qui crimina majestatis etiam in arena collegerat, et e spectatoribus innocentibus fecerat spectaculum, ut hi miseram spectandi voluptatem unco et ignibus expiarent. Ceterum, sic orator apte callideque a laude spectaculi gladiatorii, cui non nimis immoratus est, nunc transit ad spectaculum pœnæ delatorum; e quo gloria justitiæ et liberalitatis Trajani splendidior, quam e spectaculo gladiatorio, elucescebat. *Idem.*

Vidimus delatorum] 'Sub prioribus omnis domus delatorum interpretationibus subvertebatur. Multorumque excisi status et terror omnibus intendebatur.' Tacit. Annal. III. 28. *Bern.*

Delatorum] Delatores, genus hominum iis ipsis, quibus prodesse videntur, exosum, sæpe in urbem introducti, sæpe repulsi ac puniti; et varie quidem a Tito Vespasiano, ut

est apud Sueton. c. 8. Et inter initia imperii etiam severe a Domitiano repressi. Teste enim eodem Sueton. c. 9. 'fiscales calumnias magna calumniantium pœna repressit; ferebaturque vox ejus, princeps, qui delatores non castigat, irritat.' Et Martialis ad eundem Cæsarem, Spectac. IV. 1. 'Turba gravis paci, placidæque inimica quieti, Quæ semper miseras sollicitabat opes: Traducta est titulis, nec cepit arena nocentes; Et delator habet, quod dabat, exilium. Exulat Ausonia profugus delator ab urbe: Impensis vitam principis annumeres.' *Patarol.*

Delatorum agmen inductum] Singularis hic animadvertitur varietas, quæ nos non parum dubios reddit, utram adoptemus. Alii enim, et sigillatim codices Vaticani, Venetus, Guelpherbytanus, et meus; item, in excusis libris, Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Aldus, Junta, Philomusus, Rhenanus, Stephani, Gryphius, Ascensius, Cratander, Sichardus, Livineius, Boxhornius, Cellarius, habent *delatorum judicium, quasi, &c.* A qua lectione retinenda antehac non fui alienior; cui recentius etiam locum dedit Gesnerus. Etsi enim facile concedo, delatores etiam Trajani jussu, spectaculi causa, in amphitheatrum deductos fuisse; utpote quod ipse Plinius mox indicat, cum dicit, contigisse Romanis civibus, desuper, i. e. ex gradibus amphitheatri, intueri delatorum supina ora, cum supra sanguinem noxiorum ad graviores pœnas sint ducti; nihilo minus tamen videtur ad majorem laudem justitiæ Trajani pertinere, si delatorum judicium pœnam eorundem antegressum esse dicatur. Neque vero statuendum est, tunc novum judicium, ratione formæ et ordinis, introductum fuisse a Trajano; quod objicit Arntzenius: sed ordinarium fuit judicium, novum tamen ratione personarum; cum antea tantum abfuerit, ut, sub malis principibus, delatores adducti sint in judicium, pœnamque metuerint, ut potius expectarint præmia delationis. Sicuti enim nemo facile negabit, grassatores et latrones, quibus hoc loco adjunguntur delatores, prius in publico et ordinario stetisse judicio, quam ad pœnam suscipiendam per amphitheatrum fuerint traducti; ita verisimillimum est, idem etiam de delatoribus esse factum, ita, ut non fuerint prius, in solenni spectaculo gladiatorum, majoris ignominiæ caussa per amphitheatrum traducti, quam in ordinario eoque publico judicio, et in foro, quod antea insederant, fuissent judicati, legitimeque condemnati. Atque adeo nihil, ut opinor, absurdi ex hac lectione manaret. Attamen et altera lectio non minus se commendat. Nimirum, Cuspinianus, Lipsius, Gruterus, Bernegger, Puteanus, Hackius, Baunius, Ceva, Patarol, et nunc Arntzenius, (quamvis in his vix tres quatuorve usi sint præsidio codicum Mss.) prodidere *delatorum agmen inductum.* Nec quidquam in hac lectione obscurum, aut Plinio indignum, occurrit. Vox enim *agmen* multitudinem delatorum, qui tunc invaluerant, indicat; et participium *inductum* recte et frequenter refertur ad spectacula. Utra autem lectio ab ipso Plinio fluxerit, difficile est judicatu. Igitur aut vocabulum *judicium*, aut *inductum*, videtur isti varietati occasionem dedisse. Nescias enim, an ex voce male picta, *iudicium*, ortum sit *inductum*; an contra. Item dubites, an nomen *agmen* ab ipso Plinio venerit, an ex felici correctione sit adscitum: adhæc, an idem ex oscitantia antiqui librarii in quibusdam codicibus omissum; an, tanquam superfluum, (propter participium *inductum* in *iudicium* mutatum,) consulto sit rejectum. Mihi interim verisimilius videtur, ex negligentia librarii antiqui, nomen *agmen* fuisse in quibusdam codicibus prætermissum; cui rei in-

dicio est, quod in codice Parisiensi et Salisburgensi adhuc scriptum legitur, *Vidimus delatorum inductum, quasi, &c.* quamquam in Salisburgensi ab antiqua manu superscriptum sit, 'l. *iudicium.*' Ita et codex Guelpherbytanus in contextu orationis quidem habet *iudicium;* at in margine ab eadem manu annotatum est *inductum.* In libro Vossiano legitur *delatorum iudicium;* at ex codice Elsb. adscriptum est *Vidimus delatorum inductum, quasi.* Hæc ratio me induxit ad recipiendam lectionem, *Vidimus delatorum agmen inductum.* Aliis alia ratio videri potest validior. Delatores autem erant occulti accusatores, assidui principibus quibusdam, qui modo crimina majestatis, modo alia quævis deferebant, et aliquando fingebant, dummodo inde locupletaretur fiscus, aut cupiditas et avaritia principis exsatiaretur. Ut specimen malitiæ delatorum agnoscas, ea duntaxat afferam, quæ Seneca de Benef. III. 26. refert: 'Sub Tiberio Cæsare,' inquit, 'fuit accusandi frequens et pene publica rabies, quæ omni civili bello gravius togatam civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas jocantium. Nihil erat tutum: omnis sæviendi placebat occasio,' &c. *Schwarz.*

Agmen inductum] In amphitheatrum et per arenam mediam traductum: exemplo Titi, de quo Sueton. cap. 8. *Lips.*

Quasi grassatorum] Festus ait, 'Grassari antiqui ponebant pro adulari;' (quia, ut Vossius in Etymologico tradit, adulatores per plateas otiosi grassentur, alienum sectantes cibum.) 'Grassari autem et dicuntur latrones, vias obsidentes. Gradi siquidem ambulare est; unde tractum grassari, videlicet ab impetu gradiendi.' Casaubonus ad Sueton. Aug. cap. 32. notat, 'grassari proprie esse sine ferro aggredi, prædæ plerumque, aut etiam lasciviæ, sive petulantiæ caussa.' At hoc certum est, 'grassatores' etiam dictos esse, qui ferro cincti incessere, cum milites non essent; cum Suetonius, loco modo excitato, scripserit, 'Pleraque pessimi exempli correxit Augustus. . . . Nam et grassatorum plurimi palam se ferebant, succincti ferro, quasi tuendi sui caussa.' Contra 'latrones' sunt, qui arma re ipsa ferunt ad lædendos alios, atque viatores ex insidiis aggrediuntur, eosque spoliant. Quod si tamen et grassatores armis uterentur ad territandos violandosque alios, sive ex libidine et petulantia id facerent, sive propter præmia et prædam; ii latronibus proximi habebantur, ideoque latronibus sicariisque sæpe a scriptoribus adjunguntur. Callistratus ד. de Pœnis, leg. XXVIII. § 10. 'Grassatores,' inquit, 'qui prædæ caussa id faciunt, proximi latronibus habentur; et, si cum ferro aggredi et spoliare instituerunt, capite puniuntur: utique, si sæpius atque in itineribus hoc admiserunt: ceteri in metallum dantur, vel in insulas relegantur.' *Schwarz.*

Non iter] Proba hæc lectio; cum codices Mss. et vetustæ quæque editiones, immo adhuc Elzevir et Boxhornius, habeant *noviter.* Nihil frequentius accidit antiquis codicibus, quam ut literæ *u* et *n* a librariis confunderentur. Petrus Faber Sanorianus ad hunc locum notat, se hanc lectionem restituisse in Semestrium lib. II. pag. 266. quod dein Lipsius, aut alius quispiam, ut suum notarit. Sed hæc suspicio fefellit Fabrum, cum diu ante ipsum hanc lectionem evulgarit Cuspinianus, quam inde in margine notavit Livineius, et in contextum recepit Lipsius; cui postea et Gruterus et Berneggerus, et Parisienses, et Cellarius, et Patarol, recentissimique editores, locum recte dederunt. *Id.*

Non iter] *Noviter;* sed *non iter* C. *Livin.* Optime C. *Rittersh.*

Non iter] *Noviter* edit. Rhenan.

Non iter. Ita restitui in semest. libris, quod dein Lipsius, aut alius quispiam, ut suum notavit. *Faber.*

Sed templum] Quod illud ? curiam ? an ærarium ? De isto magis placeat, quod in æde Saturni, et circa pecuniam, grandis vel præcipua materia calumniarum. *Lips.*

Sed templum] Ambigit Lipsius, utrum curiam, an ærarium, designet Plinius. De ærario magis placebat, quod in æde Saturni, et circa pecuniam, grandis, vel præcipua, materia calumniarum: Sed magis puto intelligi curiam, quæ et ipsa templum dicebatur, docente Gellio ex Varrone, Noct. Attic. XIV. 7. Et Cic. pro Mil. c. 33. 'curiam' vocat 'templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium.' Et vix aliis, quam senatorii ordinis spectatæque dignitatis hominibus, graviores erant delatores. Unde Plin. Epist. VIII. 14. de istiusmodi malis temporibus locutus, 'curiam' vocavit 'trepidam et elinguem, cum dicere quod velles periculosum, quod nolles miserum esset.' Immo, præter curiam et forum, ii etiam alia loca insederant, tanquam hostes in insidiis. Juvenal. Sat. IV. 46. seqq. notat et 'litora:' 'Quis enim proponere talem (rariorem piscem) Aut emere auderet; cum plena et litora multo Delatore forent. ... Quidquid conspicuum pulchrumque est æquore toto, Res fisci est, ubicunque natat.' *Schwarz.*

Testamenta secura] Th. Hearne monet, alios legere *testimonia.* Arntzenius ait, se sane nusquam hanc varietatem invenisse. Invenitur autem omnino in editione Elzeviriana 1640. Sed melior est lectio vulgata, cum qua convenit inferior locus Plinii XLIII. 1. 'In eodem genere ponendum est, quod testamenta nostra secura sunt.' Vix enim aliæ delatorum calumniæ erant frequentiores, quam de criminibus majestatis, et testamentis. Testatur id Sueton. Domit. c. 12. 'Nihil pensi habuit, quin prædaretur omni modo. Bona vivorum ac mortuorum, quolibet et accusatore et crimine, corripiebantur. Satis erat objici qualecunque factum, dictumque, adversus majestatem principis. Confiscabantur alienissimæ hereditates, vel existente uno, qui diceret, audisse se ex defuncto, cum viveret, heredem sibi Cæsarem esse.' *Idem.*

Nulla jam testamenta] Dixine de pecuniis? en exempla! Delationes aut calumniæ circa testamenta primum: et audi Sueton. in Domit. 'Confiscabantur,' &c. *Lips.*

Nullus status certus] Cuspinianus, Lipsius, et Ceva, item et liber prior Gudii, pro *nullus*, habent *nullius.* Quæ lectio mihi non displicet, quidquid contra moveat Arntzenius. Annon enim et Cicero ista variat, pro Marc. c. 2. ? 'Nullius tantum est flumen ingenii; nulla dicendi, aut scribendi, tanta vis, tanta copia.' Ipse quisque status, ratione formæ, salvus manebat in republica; sed, ratione personarum, quorundam tantum civium status, antea, sub malis principibus, a delatoribus in dubium vocabatur, aut negabatur. Dicitur vero *status* speciatim personarum conditio, secundum quam, alii ingenui sunt, alii libertini, alii servi. Hinc erant 'liberalia judicia,' ad quæ pertinebant caussæ status, quibus quis peteretur ex libertate in servitutem, vel ex ingenuitate in libertinitatem. Quin et omnes liberi 'statum mutare' dicebantur, qui vel civitatem, vel libertatem, vel jus familiæ, amiserant. Quia vero status mutatus etiam mutabat hereditatem; inde delatores, et sua, et fisci, commoda quæsituri, non raro captabant calumniandi occasionem. Quid? quod et defunctis aliquando controversiam status iidem movebant. Quare Titus Vespasianus, referente Sueton. c. 8. 'vetuit quæri de cujusquam defunctorum statu ultra certos

annos.' Qua de re plura tradunt Jureconsulti ad Pandectas, tit. 'de statu hominum;' item, 'Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur.' Præterea vero nomen *status* etiam aliquantum generalius qualemcunque fortunæ et dignitatis locum et conditionem notat. Unde Tacit. Annal. III. 28. 'Multorum,' inquit, 'excisi status, et terror omnibus intentabatur.' Quæ generalis notio etiam bene locum habere potest in Plinio. *Schwarz.*

Non orbitas, non liberi, proderant] Equidem, jam ex lege Papia Poppæa, et cælibatus, et orbitas, erant damnosa. Cælibes enim nihil ex testamento, parentes orbi inter se decimam tantum, non solidum, capiebant, et quæ alia eorum erant incommoda. At enimvero nihilo minus ad utrosque, per 'accidens,' haud exigua identidem redundarunt commoda, non solum a privatis captatoribus et heredipetis, sed aliquando etiam ab ipsis principibus; utpote qui, hereditatum aut legatorum consequendorum caussa, hujusmodi orbos, eosque divites, variis artibus et beneficiis, demereri, atque sibi obligare, studebant. Unde, teste Plinio Majore, Præf. l. XIV. 'orbitas aliquando cœpit in auctoritate summa, et captatio in quæstu fertilissimo, esse.' Et Seneca Consol. ad Marc. cap. 19. 'In civitate nostra,' inquit, 'plus gratiæ orbitas confert, quam eripit. Adeoque senectutem solitudo, quæ solet destruere, ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum simulent, et liberos ejurent, et orbitatem manu faciant.' Cujusmodi corruptos mores etiam notat Petron. c. 116. Quæ præmia alioquin parentibus plurimorum liberorum proposita fuerint, copiosius exposuit celeberrimus Heinec. in Commentat. ad L. Jul. et Papiam Poppæam. Jam vero Plinius indicat, ante Trajani tempora eousque rem processisse, ut nec orbitas, nec liberi, cuiquam amplius profuerint; cum nempe quidam avari principes haud beneficiis, aliisque præstigiis, captarint orbos, eosque divites; sed, ne diutius eorum mortem, supremamque voluntatem, exspectare necesse haberent, immissis delatoribus, 'bona vivorum ac mortuorum, usquequaque, quolibet et accusatore, et crimine, corripuerint, atque alienissimas etiam hereditates confiscarint;' adhæc, 'multi etiam cum liberis et uxoribus suis accusati sint, atque damnati.' Quod Sueton. Tib. c. 61. et Domit. c. 9. refert. *Id.*

Non liberi] Ex legibus Papiis, orbitas damnosa: at liberi prodesse debebant, præsertim terni. Omnia autem nunc sub unam, quod dicitur, Myconum; et crimen, ubi opes. *Lips.*

Hoc malum] 'Delatores, quos, qui non castigat, irritat.' Domitiani, sed simulata vox. Tacit. in Tib. Sueton. Dom. cap. 9. Delatores genus hominum publico exitio repertum, et quidem nunquam satis correctum, per præmia eliciebantur. *Bern.*

Principum avaritia] Codices Vaticani, Parisiensis, Venetus, Guelpherbytanus, meus, et liber Vossianus, habent *partim avaritia.* Quæ lectio Arntzenio non displicet. At ego vix dubito, quin ista particula *partim* ex compendio scripturæ *p̄rm* orta sit; nec ea mihi placet, sive exponatur pro 'ex parte,' sive 'magnam partem,' sive in nomen 'partium' convertatur. Ex eodem fonte fluxit etiam scriptura *partum*, quæ in codice Salisburgensi conspicitur. Multo minus admitto *adduxisti*, quod pro sequenti verbo, *advertisti*, in libro Vossiano notatur. *Schwarz.*

Ante castris] Disciplina correcta. *Lips.*

Ante castris] Sedando prætorianorum tumultum, qui sub Nerva extiterat; de quo supra, cap. 6. seqq. *Patarol.*

Provida severitate] Librarius codi-

cis mei, pro *severitate*, scripsit *securitate*; non satis provide. *Schwarz.*

Eversa legibus] Everti legibus poterat res publica, si ejusmodi leges captiosæ et intricatæ promulgarentur, quæ non essent, nisi materia et occasio infinitarum calumniarum, pessimarumque interpretationum; quales tum præ ceteris fuere leges majestatis, et lex Papia Poppæa. *Id.*

Eversa legibus] Tacitus, de Papia hac ipsa, semper calumniarum segete, Annal. III. 25. 'Omnes domus delatorum interpretationibus subvertebantur; utque ante hac flagitiis, ita tunc legibus, laborabatur.' *Lips.*

Eversa legibus] Institutorum ac legum severitate. Nam delatores quidem recto consilio inducti ad cohibendos pravos homines timore delationis; sed in pessimum genus evaserant, dum calumnias gignerent, bonisque innoxiorum insidiarentur. *Patarol.*

Robora virorum] Gladiatorum nempe. *Idem.*

Robora virorum] I. e. robustos ingentesque viros; quales inter gladiatores potissimum e captivis Germanis et Dacis producebantur. Mendum est in editione Puteolani et Beroaldi, ubi legimus *robore virorum.* Schwarz.

Immanitatem ferarum] In edendis spectaculis, de quibus Dio, 'Spectacula edidit dierum CXXIII. in quibus interdum cæsæ sunt feræ mansuetæque mille; interdum ad decem millia,' &c. *Patarol.*

Ferarum] Venationes, quas ipsas ita largiter præbuit, ut aliquando (in Dione) 'mille feræ cæsæ, interdum ad decem millia fuerint.' Ego, cum talia ista, et sæpius sub uno principe, assidue sub variis lego; admiratione cunctor, et hæreo, unde hæc copia ferarum parari potuerit; nec videtur una aut triplex Africa, cum Asia et Europa, suffecisse. *Lips.*

Nunc mansuetudinem] Nam et ea spectaculo, atque assuefaciebant feras, præter ingenium, vel parcere paratæ prædæ, vel jugum ferre, se talia, quæ per naturam vetabantur. Ita in Martiale pluscula epigrammata de leone in arena, qui lepusculos ferebat, non dicam prætercurrentes, sed insultantes, sed in apertum os, ut in caveam, se condentes. Sic et uno epigrammate feras aliquot domitas, ac vere subjuges, comprehendit, lib. I. 'Picto quod juga delicata collo Pardus sustinet, improbæque tigres Indulgent patientiam flagello:' et adjungit cervos, leones, apros, bisontes: quid nisi, ut ipse dicit, 'spectacula Deorum?' Ac plura ejusmodi novitia assidue in arenam producta. *Idem.*

Mansuetudinem incognitam] Feras mansuetudinem edoctas, ad spectacula productas, novimus ex loco citato Dionis; ex Martialis quoque loco non uno; v. g. Spectac. epigr. 17. Ep. I. 7. 15. 23. 49. 105. &c. Mansuetudinem vero *incognitam* vocat inusitatam et inauditam, cujus exempla non antea vidimus aut cognovimus. *Patarol.*

Secretas illas .. opes] Per has significantur pretiosa palatii supellectilia et ornamenta. Bene Cellarius: 'Opes,' inquit, 'quas avari principes, tanquam secretas, in palatio suo occluserant, Trajanus in theatro ostendit, vulgavitque, et in templa, ut publicos thesauros, intulit. Lipsio monitore, Martialis XII. 15. conferendus est, quo hæc illustrantur.' *Schwarz.*

Communes opes] Opes Palatinas, quas theatris vulgavit, et templis dedicavit Trajanus. Idem Martial. l. XII. 'Quidquid Parrhasia nitebat aula, Donatum est oculis, Deisque nostris. Miratur Scythicas virentis auri Flammas Jupiter, et stupet superbas Regis delicias, gravesque luxus. Omnes cum Jove nunc sumus beati: At

nuper, pudet ac piget fateri, Omnes cum Jove pauperes eramus.' Est ipsum hoc, quod tangit Plinius. Sed primo scilicet in ludis hæc ostensa, tum denique consecrata. *Lips.*

Desuper intueri] E spectaculorum gradibus, cum ii per arenam ducerentur. *Idem.*

Desuper] Ex edito theatri loco, in quo ad spectacula assidebamus. *Patarol.*

Supina ora] Scilicet, ut ab omnibus videri possent, et agnosci. *Retortas cervices*, per vim nempe in altum erectas, cum illas ipsi præ pudore demitterent. Cf. Sueton. Vitell. c. 17. et Tacit. Hist. III. 85. *Patarol.*

Supina ora] Ut conspici ab omnibus, et agnosci possent. Sic milites 'Vitellium erigere os, et præbere contumeliis coëgerunt,' ut breviter Tacitus Hist. III. 85. 7. in Vitell. c. 17. ut Suetonius quasi interpretans, 'reducto coma capite, ceu noxii solent, atque etiam mento mucrone gladii subrecto, ut visendam præberet faciem.' Nam in ignominia et supplicio, natura os oculosque submittimus: erigebant igitur, 'reducto coma capite' (ut Suetonius), id est, capillo manu arrepto, et retrorsum cum capite tracto. *Lips.*

Et fruebamur] Nota est loquendi formula, 'frui alicujus pœna et supplicio,' i. e. gaudere, delectari, et inde voluptatem capere; quod Nepos Eum. cap. 11. plenius dixit; 'qui propter odium fructum oculis ex ejus casu capere vellent.' Equidem inhumani et sævi animi est, 'sanguine et pœna damnatorum oculos pascere,' ut Tacit. Ann. XXXIV. 2. loquitur: hominibus tamen læsis, qui expertes sunt Christianæ religionis, nihil dulcius est ultione, nihil jucundius quam vindicari. Hoc loco verbum 'frui' simpliciter, et sine addito nomine, eadem tamen, de qua dixi, notione, ponitur; haud secus, ac apud Terent. simpliciter ponitur, Heaut. II. 3. 104. 'CLI. Quid ago nunc? CL. Tune? quod bonum est. CLI. Syre, dic modo verum. SY. Age modo hodie; sero nequicquam voles. CL. Datur; fruare, dum licet.' Quem Terentii locum, alioqui subobscurum, partim ex vetusta editione Romana, partim e conjectura, ὡς ἐν παρόδῳ, emendavi. Sigillatim et incongruens interpunctio, et superflua particula *ac*, verba Syri loquentis inquinarant, quæ sic vulgo leguntur: *Age modo: hodie sero ac nequicquam voles.* Schwarz.

Fruebamur] Scilicet eorum suppliciis. Juno apud Senec. Herc. Fur. 'superat et crescit malis, Iraquè nostra fruitur.' Juv. Sat. I. 'Exul ab octava Marius bibit, et fruitur Dis Iratis.' *Livin.*

Piaculares] Victimæ sic dicuntur, quæ ob culpam, et ad piandum purgandumque dantur. Noster Epist. III. 9. 'Ne potentissimi, vilissimo quoque quasi piaculari dato, elaberentur.' Plautus in Epidic. 'Men' piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam?' Victimæ igitur tales aliena mala excipiebant, et in pœnam succedebant. Ita isti, ad expianda scelera præterita, et detergendam solicitudinem omnium, in mare mittebantur. *Lips.*

Piaculares . . . . . victimæ] Codex Venetus et Guelphicus produnt *peculiares*. Eandem vocem posuerat etiam librarius codicis Salisburgensis, qui vero mox recte rescripsit in margine, 'l. *piaculares*.' Liber Vossianus habet *piacula*, quod non admittit sequens nomen, *victimæ;* alioquin ipse Plinius, cap. LXXXII. ait, 'non secus, ac piaculum aliquod, trahebatur.' Erant vero *piaculares victimæ*, quæ excipiebant aliena mala, et, ad placandos Deos, in pœnam succedebant. Unde servus Plautinus, in Epid. I. 2. 26. 'Men' piaculum,' inquit, 'oportet fieri, ob stultitiam tuam, ut meum tergum stultitiæ tuæ subdas succidaneum?' Aliquando tantum

per hostias animalium scelera expiare, et mala publica avertere, conabantur; cujusmodi piacularia sacrificia commemorat Liv. I. 26. Sic enim ex *κακοζηλίᾳ* putantur imitari voluisse ea, quæ de ‘hircis expiatoriis’ Deus præceperat populo Israëlitico, Levit. XVI. Sed et victimæ piaculares, *καθάρματα*, si pro tota republica offerrentur, erant homines. Unde Servius ad Æn. III. 57. ‘Massilienses,’ inquit, ‘cum peste laborarent, unus se ex pauperibus offerebat alendum anno integro publicis et purioribus cibis; postea verbenis vestibusque sacris ornatus circumducebatur per urbem, cum execrationibus, ut in eum inciderent mala civitatis, et sic projiciebatur.’ Cf. Liv. VIII. 9. X. 18. et XXVIII. 2. Nimirum, miseri isti pagani forte inaudierant, ad averruncandam irati numinis iram, idoneum aliquod sacrificium requiri, quod nocentium hominum loco offerretur. Sed ab unico et sanctissimo Servatoris nostri sacrificio prolapsi sunt ad illa sacrificia expiatoria, aut potius scelerata et crudelissima homicidia. *Schwarz.*

Noxiorum] In spectaculis occisorum, qui, ut supra dictum, vel servi erant, vel noxii et damnati. Collige ex hoc loco, delatores sub finem spectaculorum, antequam populus discederet, traductos per arenam, supino ore, retortaque cervice; inde ad navigia raptos. *Patarol.*

Noxiorum] Super cadavera aut vestigia gladiatorum. *Lips.*

Sanguinem noxiorum] Catanæus in notis ad h. l. scripsit, ‘aut lege *innoxiorum*.’ Hanc varietatem etiam in margine editionum suarum annotarunt Philomusus, H. Stephanus, et Rivinus. Nec incommoda mihi visa est ista lectio; propterea, quod magis ad expiationem cædis innoxiorum, et ad justitiam vindictæ demonstrandam, facere videatur, si flagitiosi delatores, et auctores tot malorum, supra sanguinem et vestigia innoxiorum, tanquam piaculares victimæ, ad pœnas graviores ducti esse dicantur. Nihil tamen adhuc innovo, omnibus codicibus Mss. vulgatæ lectioni suffragantibus. Ac, licet alias omnino etiam innoxii in arena amphitheatri sanguinem profuderint, cum sciamus, etiam Christianos gravissimis suppliciis in arena fuisse afflictos; tunc tamen, tanquam noxii, et una cum vere noxiis, sunt occisi. ‘Noxii’ adeo dicebantur ex judicis sententia capitis damnati. Spartian. in Adrian. c. 17. ‘Trecentos noxios cum auratis chlamydibus in arenam misit.’ *Schwarz.*

Gravioresque pœnas] Nam gladiatores brevi morte defuncti; ipsi intabescere pœnis suis destinati. *Lips.*

Congesti sunt in navigia] Fuit hoc apud veteres inter supplicii genus. Sic Sueton. Cæs. c. 66. ‘Vetustissima nave impositos, quocunque vento in quascunque terras jubebo avehi.’ Ita puniti et a Tito, Sueton. cap. 8. et hic a Trajano. Item olim a tyrannis, Christiani nominis osoribus, viri sancti. Victor de Geiserico, Vandalo, Ariano: ‘Maximam turbam clericorum navibus fractis impositam, nudos atque exspoliatos expelli præcipit.’ *Bern.*

Congesti sunt] Verbum ‘congerere’ frequenter quidem de rebus, quæ acervatim conferuntur et colliguntur, raro autem de personis usurpatur. Unde hariolari cœperam, an forte reponendum *conjecti in navigia;* quia homines sæpius dicuntur etiam conjecti in vincula, in carcerem, in latumias, &c. Attamen huic hariolationi neque alicujus codicis manuscripti neque libri excusi auctoritas succurrit. Adhæc, nihilo minus etiam homines interdum dicuntur ‘congeri.’ Sic Cic. Brut. cap. 86. ‘Illud minus curo,’ inquit, ‘quod congessisti operarios.’ *Schwarz.*

In navigia] Observo, fuisse hoc

apud veteres inter supplicii genera. Ita puniti a Tito primum, inde a Trajano, delatores. Ita sævitum olim a tyrannis, Christiani nominis osoribus, in viros sanctos. Vid. Casaub. ad Sueton. Cæs. cap. 66. *Patarol.*

Conquisita, ut tempestatibus dediti] *Conquisita, ac tempestatibus dediti.* Livin.

Raptim conquisita] Ergo parva aut prava. *Lips.*

Ut tempestatibus] Mihi in mentem venit, annon in vulgata lectione particula *ac* irrepserit pro caussali *ut.* Constat enim, a librariis non raro confusas fuisse particulas, *ac, at,* item *ut, et,* aliasque. Scioppio teste in Arte Crit. pag. 42. ægre in multis veteribus libris *a* ab *u* queas internoscere. Et, eodem notante, pag. 44. sæpissime *c* pro *t* ponitur, ita ut internoscere has literas nequeas scriptura Longobardica; ut et Scaliger in Catullum testatur. Nescio præterea, quid ingrati auribus afferre videatur particula *ac*, ter in proximis verbis posita. Adhæc, si primo loco particula *ut* recipiatur, et leniore interpunctione sententia adjuvetur, utique ea hinc evadit planior, ita ut omnia sequentia verba ab ista particula *ut* dependeant. Vulgo sic legebatur, *Congesti sunt in navigia raptim conquisita, ac tempestatibus dediti. Abirent, fugerentque vastatas delationibus terras, ac, si quem fluctus ac procellæ, &c.* Quia vero in nulla adhuc varietatis alicujus vestigia incidi, rem ad aliorum defero judicium. Si quis retineat vulgatam lectionem, ea plenius est interpungenda, ubi quidem verba, *abirent, fugerentque,* per modum imprecationis sunt pronuntianda et explicanda, et ubi nec facile desideres copulam *que* verbo *fugerent* subjunctam, sicut hæc etiam in codicibus Vaticanis, Parisiensi, Veneto, Guelpherbytano, et meo, est omissa. Ita, in simili imprecatione, Tacit. Annal. II. 17. copulam *que* omisit: 'Exclamat, Irent, sequerentur Romanas aves, propria legionum numina!' *Schwarz.*

Abirent, fugerentque] *Abirent, fugerent.* V. *Livin.*

Securitate] Quæ sub bonis principibus; et ideo nummi plures inscripti, SECVRITAS PVBLICA. Abeant igitur, et ceteri securis, quos inquietabant, soli mœreant. *Lips.*

Securitate] Codex Venetus habet *societate*, quod nomen mihi in hoc loco minus probatur. 'Securitas' est vacuitas solicitudinis anxiarumque curarum. In antiquis nummis sæpe occurrunt inscriptiones: SECVRITAS PERPETVA, SECVRITAS PVBLICA, SECVRITAS IMPERII et AVGVSTI, SECVRITAS ORBIS, SECVRITAS TEMPORVM. Vide Anton. Augustini Dialog. II. Antiquit. pag. 20. ubi plerumque generatim indicatur 'felicitas temporum,' et status reipublicæ a metu hostium externorum et intestinorum, itemque a periculo calamitatum publicarum, noxiarumque delationum, vacuus. Cujusmodi securitatem sæpius de temporibus Trajani prædicat Plinius in Paneg. et Epist. x. 60. ad Trajanum scribit, 'Precati Deos, ut te generi humano, cujus tutela et securitas saluti tuæ innisa est, incolumem florentemque præstarent.' *Schwarz.*

CAP. XXXV. *Memoranda facies*] I. e. spectaculum memoratu dignum! *Facies* enim, explicante Gellio Noct. Attic. XIII. 29. non solum in hominum corporibus, sed etiam rerum cujusquemodi aliarum, sic dicitur; nam et montis, et cœli, et maris facies, si tempestive dicatur, probe dicitur. 'Facies est forma omnis, et modus, et factura quædam corporis totius, a faciendo dicta.' Immo, ita et de aliis rebus dicitur *facies*, quarum conditio et species spectanda oculis occurrit. Sic Cic. pro Flac. c. 22. 'Fateantur, in Mæandrii persona esse expressam faciem civitatis.' Sallust. Cat. c. 31.

'Immutata urbis facies.' Idem Jug. cap. 79. 'Ita facies locorum cum ventis mutatur.' Virgil. Æn. vi. 103. 'Non ulla laborum, O Virgo, nova mi facies inopinaque surgit.' Ibid. vs. 560. 'Quæ scelerum facies?' In hoc ipso Panegyrico vocabulum *facies* eadem notione adhuc quater occurrit: LI. 5. LVI. 5. LXXI. 3. LXXXII. 3. *Schwarz.*

Delatorum] Delatores erant accusatores, et proprie calumniatores, qui demum sub imperatoribus cœperunt appellari 'delatores,' quoniam, aucupandæ gratiæ, aut præmii captandi causa, reorum nomina ad principes et judices deferebant. Horum varia genera recenset H. Brencmannus in erudito libro de Lege Remmia, cap. 4. et adjecta dissertatione, de Fatis Calumniatorum sub Imperatoribus; quæ inserta sunt tom. III. Thesauri Ottoniani Juris Romani. Sigillatim autem 'delatores' erant aulici accusatores. 'Indices' audiebant, ab indicando, qui, secundum Asconium Pedianum, in Divinat. in Verr. cap. 2. facinoris, cujus ipsi erant conscii, latebras indicabant, impunitate proposita. Sueton. Ner. c. 30. 'Quosdam per indicem delatos ad senatum, affici graviore pœna prohibuit.' Appellati etiam sunt a 'nuntiando,' i. e. deferendo, 'nuntiatores.' Lib. IV. Cod. de Delat. 'Execrabiles nuntiatores sunt, qui fisco deferunt.' 'Mandatores' erant, qui mandabant alicui, et instruebant eum ad accusationem, dando probationes, allegando accusationes. Sueton. Tit. c. 8. 'Inter adversa temporum et delatores mandatoresque erant, ex licentia veteri.' Adhæc nuncupabantur 'quadruplatores,' cum republica libera, tum principibus, definiente Asconio, ad Cic. Verr. II. 7. 'accusatores, sive delatores criminum publicorum, sub pœna quadrupli; sive, quod ipsi ex bonis damnatorum, quos accusaverant, quartam partem consequebantur.' *Idem.*

Iratosque fluctus] Fere poëtica hæc loquendi ratio est. Horat. Epod. II. 6. 'Neque horret iratum mare.' Silio Ital. IV. 301. dicuntur 'æquora irata;' et Ovidio Met. XI. 729. 'æquoris iræ.' Sed et Petronius, qui et ipse aliquando prope abest a poëtica dictione, cap. 8. 'Ergo me,' inquit, 'iratum etiam innocentibus mare non potuit haurire?' Et cap. 114. 'Iratis fluctibus imprudens nos arena componet.' Adeo *fluctus irati* μεταφορικῶς dicuntur tumidi et turbulenti fluctus, qui irascentium hominum instar sæviunt, et obvia quæque sternunt. *Idem.*

A portu] Edit. Rhen. *a partu: a portu* H. Steph. Sic meus C. *Faber.*

Apud illud ipsum mare] *Apud illum mare* Livin. sed *apud illum ipsum mare* V. C. G. R. *Livin.*

Apud illud ipsum mare] Edit. Rhen. *Apud illum ipsum mare. Mare* hoc superesse arbitror, et ex glossa vocabuli *ipsum* in contextum irrepsisse, aut ex proximi vocabuli similitudine perperam repetitum, ut sit delendum, censeo, et *ipsum* de 'portu' scilicet interpretor. *Faber.*

Apud illud ipsum mare] Variant in his verbis exprimendis libri manu typisque exscripti. Navius et Livineius, omisso pronomine *ipsum*, habent *apud illum, mare agere, &c.* In codicibus Mss. Parisiensi et Veneto, et in libro Vossiano, item in Puteolani, Catanæi, Aldi, Juntæ, Cuspiniani, Rhenani, Stephanorum, Ascensii, et Sichardi, libris excusis, legimus *apud illum ipsum mare agere.* Utrobique pronomen *illum* ad præcedens vocabulum *portum* est referendum. At codices Vaticani, Guelpherbytanus, et meus, item et uterque liber Gudianus, atque in impressis, Beroaldus, Puteanus, Cellarius, Patarol, Ceva, et alii, produnt *apud illud ipsum mare.* Cui lectioni quam recentissime etiam amplexi sunt viri

doctissimi, Gesnerus et Arntzenius, nos quoque locum dedimus, ita quidem, ut utramque pronomen, *illud ipsum* referamus ad *mare*, cum ἐμφατικῶς significet, statim, ubi delatores isti navigiis impositi, et navigia mox tempestate et iratis fluctibus dispersa fuerint, divinam in istos ultionem exeri cœpisse, ita ut prospectantes jam apud illud ipsum mare, antequam inde recesserint, eo nomine gratias egerint principi. Nimis vero argutum foret, ita interpretari velle Plinium, ac si dixerit, apud portum mare ipsum gratias egisse principi. *Schwarz.*

Clementia sua salva] Scilicet Trajanus in puniendis delatoribus nihilo minus cum justitia conjunxit clementiam, dum eos non impune quidem dimisit, nec tamen mox occidit, sed navigiis impositos quasi arbitrio Deorum maris permisit. Grave mendum admisit librarius in codice Veneto, dum pro *clementia* posuit *elementa*. Ceterum Dii maris habiti fuere Neptunus, Nereus, Amphitrite, Thetis, Palæmon, Salacia, Tritones, Nereides, Naïades, et alii, quos mythologi recensent. *Idem.*

Clementia sua salva] Infra, 'salva ipsorum pietate.' Rursum, 'salva diligentiæ tua ratione.' Epist. x. 40. 'Salva magnitudine tua, domine, descendas oportet ad meas nugas.' Junius Gallio apud Senecam patrem, Controv. VII. 7. 'Fuit adolescens optimus, verecundissimus, qui patri suo cessisset, si salva pietate potuisset.' *Livin.*

Cautibus] Scopulis, sive insulis saxosis, ut Gyarus, Seriphus, similes, quibus exules solebant includi. *Lipsius.*

Nunc nocentissimus] Particula *nunc* extat in codicibus Vaticanis, Veneto, Guelpherbytano, et Vossii libro. In ceteris omnibus, quos consului, ejus loco proditur particula *tunc*. Et quamvis Arntzenius profiteatur, se ex Vossio, et Guelph. codice, etiam recepisse *nunc*, in ipso tamen panegyrico *tunc* relictum legimus. Ut autem particulæ *nunc*, locum daremus, nos non permovit tantum auctoritas codicum commemoratorum, sed et nexus verborum, et sequens hujus periodi membrum, ubi Plinius itidem particulas *modo*, i. e. aliquantum ante, ac *jam*, i. e. nunc, sive hoc tempore, inter se componit, quando ait, Quas insulas modo senatorum turba compleverat, jam delatorum turba compleret. Adhæc et alii auctores melioris Latinitatis recte componunt particulas *ante* et *nunc*. Cic. ad Fam. VII. 11. 'Nisi ante Roma profectus esses, nunc eam certe relinqueres.' Idem XIII. 2. 'Quamquam non est dubium, quin, cum antea nostra caussa, nunc jam etiam, tuæ constantiæ gratia, mansurus sis in eadem ista liberalitate.' Nihil autem facilius fieri potuit quam ut particulæ *tunc* et *nunc* inter se permutarentur. Certe jam Sciopp. de Art. Crit. testatur, non raro in antiquis codicibus istas particulas permixtas reperiri. *Schwarz.*

Affigeretur] Verbum hoc in codicibus Mss. Parisiensi, Veneto, et meo, et in omnibus, quæ vidi, impressis exemplaribus exprimitur: in Vaticanis vero, et in Guelpherbytano codd. Mss. pro eo legitur *affligeretur*. Sic vero videndum censuit Rittershusius, rectiusne sit, et a Plinio scriptum *affligeretur*. Atque idem etiam Grutero aliquando in mentem venerat; qui tamen mox ipse agnovit, verbum ubique jam receptum, *affigeretur*, non loco esse movendum. Id quod etiam recte tuetur Jo. Frid. Gronov. Nov. Obss. p. 111. ubi docet, tria hæc verba, 'adfligi,' 'adfigi,' 'adfici,' confusa in veteribus libris ambiguas non nunquam reddere lectiones: cum primum 'terræ illidi,' alterum 'cohærere arcteque conjungi,' tertium 'commoveri,' 'turbari,'

πάσχειν, significet. Itaque in hoc Plinii loco *affigeretur* retinendum demonstrat, quod naufragio ejectæ in litus ratis (hi autem scopuli insulæ, in quibus claudebantur relegati,) pars adhærescere soleat litori. Sic loqui ait poëtam veterem apud Cic. in Pis. 'Ut tu naufragio expulsus, saxis uspiam fixus asperis, evisceratus latere penderes.' Item Liv. lib. XXII. 'Naves omnes, quæ non perfregerant proras litori illisas, aut carinas fixerant vadis.' Et Virg. Æn. I. 'scopuloque infixit acuto.' Atque eo verius hoc in Plinio videri censet, quoniam idem verbum de relegatis dicitur, ut conveniat et illis, *quibus antea innocentissimus quisque affigeretur:* cum et Seneca de exsilio suo dicat, 'Ille tuus quondam magnus, tua gloria, civis Infigar scopulo; Corduba, solve comas.' *Idem.*

Affigeretur] Videamus, ne rectius sit, et ex Plinio scriptum, *affligeretur.* Confer Tacitum lib. I. *Rittersh.*

Affigeretur] Dubites, annon hoc loco potius faceret *adfligeretur;* ut velit, quod Florus IV. 12. 'Mulieres, deficientibus telis, infantes ipsos adflictos humo, in ora militum adversa miserunt.' Et tamen cum legamus Liv. VIII. 7. 'Cuspide parmaque innixum attollentem se a gravi casu, Manlius ab jugulo, ita ut per costas ferrum emineret, terræ affixit.' Sicque in Plauti Persa, 'defigam in terram colaphis,' non videtur sollicitanda scriptura vulgata. *Grut.*

Delatorum turba] Martial. 'Turba gravis paci, placidæque inimica quieti, Quæ semper miseras sollicitabat opes: Tradita Getulis, nec cepit arena nocentes, Et delator habet, quod dabat, exilium.' *Bern.*

Turba compleret] Vide, quantum delectetur Plinius usu ἐλλείψεως. Secundum structuram grammaticam ista verba ita forent explenda: *cum iisdem cautibus, quibus antea innocentissimus quisque* affigebatur, *nunc affigeretur nocentissimus* quisque; *cumque insulas omnes, quas modo senatorum* turba compleverat, *jam compleret turba delatorum.* Ceterum observavi, in codice Vat. 3461. et in Guelpherbytano, pronomen *quibus* in his verbis desiderari: *cum iisdem* [quibus] *antea cautibus innocentissimus quisque, nunc nocentissimus, affigeretur.* Schwarz.

In illa pœnarum indagine] Vulgata lectio est, *mille pœnarum indagine inclusos.* Pro *mille*, in codice Vatic. 3451. item et Guelpherbytano, aperte legimus *in illa.* Fateor, mihi videri, illam vulgatam lectionem posse tolerari; quia facit ad exaggerandam pœnarum multitudinem, quæ delatoribus tunc in mari, et in asperrimis insulis, subeundæ erant: quoniam vero video, mutationem istam, *in illa*, qua quasi certa quædam ejus generis insula determinetur, calculum virorum eruditorum, Gesneri et Arntzenii, promeruisse, eam ipsam quoque admittere ausus sum. Plura vero, quæ ad hunc locum illustrandum pertinent, vide in Excurs. XXXVII. *Idem.*

Indagine inclusos] Variarum legum laqueis retibusque cinctos, ut feras, ne possint perrumpere. *Lips.*

Perdant, quas habent] Per modum imprecationis hæc efferenda sunt. Quamobrem minus nobis placet hæc lectio, *perdent*, quam contra auctoritatem codicum Mss. aliarumque editionum, prodiderunt Catanæus, Aldus, Rob. Stephanus, Cratander, Sichardus. Respicit vero Plinius his verbis pœnam talionis a Trajano adversus delatores generatim introductam, ut injusti delatores, qui accusationem non probarent, eandem subirent pœnam, quam] accusatus, si fuisset convictus, debuisset subire. *Schwarz.*

Exturbentur] In exsilium pellantur. Martialis, 'Et delator habet, quod dabat, exsilium.' Apparet ex istis, parem pœnam delatoribus posi-

tam, quam ibant irrogatum. Quod Theodosius et Honorius statuerunt, vel restituerunt, lege lata, 'Quisquis crimen intendit, non impunitam fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.' Origo autem ab Augusto videtur, qui 'diuturnorum reorum nomina abolevit, conditione proposita, ut, si quis quem repetere vellet, par periculum pœnæ subiret.' Sueton. c. 31. *Lips.*

Neque, ut antea] Mendose pro his, in Vaticano cod. 3461. et 1775. item in Guelpherbytano et libro Vossiano scriptum est *neque utantur eis*, quasi hæc referenda sint ad vocem præcedentem, *penates*. Ergo lex Remmia, quæ inustionem stigmatis malis delatoribus sanciverat, *antea* quidem, sed sine definitione temporis, viguit; at ævo Trajani non fuit in usu; incertum fere, quo tempore desita: quod laudatus Brencmannus copiosius demonstravit. *Schwarz.*

Exsanguem illam et ferream frontem] Id est, inverecundam et sine rubore, qui a sanguine caussam et originem capit. *Livin.*

Exsanguem illam et ferream frontem] Sine rubore, cujus caussa sanguis. *Lips.*

Exsanguem] Bene interpretatur Rayanus, *nunquam erubescentem*, quod et aliis post ipsum probatum video. *Patarol.*

Punctis] Literis stigmate inustis. Nam vetus pœna calumniatorum a lege Rhemmia fuit, frontem inuri K. litera, quæ 'Kalumniam' (ita olim scribebant) notat. Cicero pro Rosc. Amer. aperte: et Papiniano, 'homo integræ frontis' opponitur 'calumniæ damnato.' Delatorum nota D. Turneb. VIII. 22. *Lips.*

Et notas suas rideant] 'Puncta' et 'notæ' sunt stigmata. Quod si hæc vulgata lectio, quæ in omnibus codicibus scriptis, librisque excusis, invenitur, est retinenda, tunc copula *et* cum superiore particula *neque* foret conjungenda, ut inde hæc sententia existat: Neque notas suas rideant; de cujusmodi interpretatione suspensæ negationis non nihil ad XXXVI. I. annotabo. Sed vide quam lectionem nobis suggerat liber Isaaci Vossii. Hic in quodam codice Ms. repererat scriptum *et notas, quas rideant;* hinc ex ingenio, ut opinor, levi mutatione, pro casu quarto *notas*, reponendum annotavit casum tertium *notis;* ex qua emendatione hæc exsurgit sententia: Neque, ut antea, exsanguem illam et ferream frontem nequidquam [i. e. frustra, et irrito eventu,] convulnerandam præbeant punctis et notis, quas rideant. Nihil tamen novandum suaserim. Ceterum non est mirum, cur homines, qui omnem frontem posuerant, stigmata sua risisse dicantur; cum nihil pensi haberent qualemcunque ignominiam, dum modo uberem delationis quæstum facerent; ac cum inprimis nonnulli artem delendorum stigmatum calluisse dicantur. Quo respicit Martial. VI. 64. 'Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte.' Et X. 57. 'Tristia servorum stigmata delet Eros.' Quam artem etiam tradidit Diosc. I. 116. et IV. 76. *Schwarz.*

Sed exspectent] Pro *exspectent*, deprehendi *spectent* in exemplaribus Panegyrici Pliniani, quæ evolvi. Retinet eandem Arntzenius, et exponit, Non videant delatores, sibi, ut antea, præmia adsignari, sed damna inferri et pœnas. Etiam Gesnerus censet, eam sic explicari posse: Sed considerent ante factum: nihilo minus hic, dato nostræ conjecturæ loco, pro verbo simplici *spectent*, recepit compositum *exspectent*. Dudum enim mihi persuasum habui, verbum 'exspectare' majorem vim huic loco conciliare. Dicimur enim 'exspectare,' cum ea, quæ speramus; tum, quæ metuimus futura. Ex posteriore notione, quæ huc pertinet, verbum

'exspectare' notat, cum formidine opperiri; prout Antipho Terent. Phorm. I. 4. 16. ait, 'Nescio, quod magnum hoc nuntio exspecto malum.' Et Tacit. Agr. c. 29. 'Britanni ultionem, aut servitutem, exspectantes.' Item Virg. VI. 14. 'Inclusi pœnam exspectant.' Ergo et Plinius dicere voluit, Delatores nunc cum metu operiantur tantas delationis suæ pœnas, quanta antehac ejus præmia sperare potuerunt. Equidem mirus, uti dixi, omnium exemplarium est consensus in exhibendo verbo simplici *spectent*. Verum, nec insolens est, corruptelam aliquam, quæ jam olim in libros irrepsit, longe lateque propagari; nec de nihilo est, quod dudum observavit Muncker. ad Hygin. Astron. I. 6. nempe verba hæc, 'spectare' et 'exspectare' alias etiam in locis quampluribus veterum scriptorum commutari. Etsi igitur ægre procedam ad verba Pliniana mutanda, videbor tamen non sane nihil rationis habuisse, cur, pro *spectent*, rescripserim *exspectent*. Idem.

Paria præmio damna] Proba hæc est lectio, quæ librorum et manu scriptorum, et typis excusorum, testimonio confirmatur. Fere simili modo loquitur Sueton. in Aug. c. 32. 'Diuturnorum reorum .... nomina abolevit, conditione proposita, ut, si quem quis repetere vellet, par periculum pœnæ subiret.' Hinc vero intelligimus, imperante Trajano, delatores oportuisse æque magna damna, gravesque calumniæ pœnas, timere, ac commoda antehac et præmia sperarint, retulerintque. Cujusmodi delationis præmia potissimum sub Nerone viguerant, ita ut populus tunc flagitaverit, 'a delatoribus revocanda præmia, quæcunque cepissent,' memorante Tranquillo cap. 44. Non adeo est, cur amplectamur variam lectionem, quæ occurrit in codicibus Vaticanis et in Guelpherbytano, *paria præmia et damna*. Neque necesse est ut recipiamus libri Vossiani notam, *pro præmio damna*; quamvis utraque hæc varietas non incongruentem constituat sententiam. Multo minus locum damus correctioni et interpretationi, quam tentavit Pighius Annal. Rom. tom. II. p. 486. 'Si conjecturæ,' inquit, 'locus aliquis esse poterit, vulgata lectio mihi sic corrigenda videbitur, *sed spectent paria in prælio damna*; ut prælium translative vocet accusationes illas calumniatorias, quemadmodum Tullius ad Atticum scribens, I. 16. 'acriter et vehementer se præliatum dicit, quamdiu senatus auctoritas defendenda fuit.'' Quem Pighii locum annotavit Arntzenius. *Idem*.

Notas suas] Stigmata, ut dixi. An eadem nota intellecta Capitolino, cum scribit in M. Antonino, 'Calumniis quadruplatorum intercessit, apposita falsis delatoribus nota?' an infamiæ notam magis est accipi? Nam et ea delatores sequebatur, ut Valens ac Valentinianus impp. rescribunt. *Lips.*

Paria præmio damna] Si olim a malis principibus ingentia præmia referebant, nunc e converso ingentia damna expectent. *Patarol.*

Timeantque] Particula ἐγκλιτικὴ *que* omissa est in codice Vaticano 3461. et in Guelpherbytano; quæ vero omissio a negligentia librariorum profecta nimis abruptam reddit sententiam. *Schwarz.*

Divus Titus] Elogium *divi* prætermissum est in Boxhorniana, Cellariana, paucisque aliis editionibus; in ceteris vero libris, et maxime Mss. clare exprimitur. *Idem.*

Titus] Tangit Sueton. in Tito, c. 7. *Lips.*

Quandoque dignior] Particula *quandoque* dicitur pro 'quandocunque' et 'aliquando;' ac futurum aliquod tempus, et veluti quandam conditionem, designat. Plura hujus notionis exempla ex ipso Plinio nostro jam supra

p. 480. annotavimus. Sic etiam loquitur Seneca Epist. 24. 'Stultum, quia quandoque sis futurus miser, esse jam miserum.' Item Tacit. Annal. VI. 20. 'Et tu, Galba, quandoque degustabis imperium.' Non est ergo, nisi mendum a librario profectum, quod in libro Vossiano annotatur, *quantoque*. Nec video, quo modo Heinsius, ad acuendam Pliniii sententiam, conjicere potuerit, rescribendum esse *quanto tu, quantoque dignior cœlo!* Nemo negabit oratores et poëtas cum emphasi aliquando voces repetere; sed, quando eas sic repetunt cum particula copulandi? Exempla, quæ affert Arntzenius, huc non pertinent. Neque enim dicit Terent. in Andr. v. 3. 12. 'Olim istuc, olim*que*,' &c. Nec Virgil. Georg. IV. 358. 'Duc age, duc*que* ad nos.' Et Æn. II. 602. 'Divom inclementia, Divom*que* Has evertit opes.' Sic et cetera ejus generis loca hic frustra cumulantur. *Schwarz.*

Res illis adjecisti, propter quas illum Deum fecimus] Non solum in codicibus Mss. Vaticanis 1775. et 1776. in Parisiensi, Veneto, et meo, sed etiam antehac in omnibus excusis exemplaribus, pro *illis*, exprimitur *illi*. Codex vero Vaticanus 3461. et Guelpherbyt. prorsus vitiose habent *res illo adjecisti*. Sed, si vulgatam hanc lectionem retineamus, *Qui tot res illi adjecisti, propter quas illum* [Titum] *Deum fecimus*, duplex incommodum inde existit. Primum videatur Plinius dicere, Romanos propter eas res illum, Titum, fecisse Deum, quas Trajanus ei adjecerit. Quod absurdum foret. Titus enim Vespasianus non propter Trajani res gestas et instituta, sed propter sua merita, cœlo dicatus, sideribusque illatus est. Deinde nescio, quæ ingrata repetitio pronominis *illi, illum*, in brevi verborum ambitu accidat. Quamobrem mihi in mentem venit, annon posteriora verba, *propter quas illum Deum fecimus*, prorsus sint ejicienda, cum ea superflua esse, et ex glossemate, sive interlineari interpretatione, in contextum orationis irrepsisse videantur; quoniam Plinius jam dixerat, Titum numinibus æquatum esse: ac quoniam adeo, sublata illa otiosa appendicula, non solum omnis ταυτολογία et δυσφωνία evitatur, sed etiam jam satis plena gravisque sententia sibi constat, ita ut nihil facile desideres, si ista verba hunc in modum legas: *Ingenti quidem animo divus Titus securitati nostræ ultionique prospexerat, ideoque numinibus æquatus est; sed, quanto tu quandoque dignior cœlo, qui tot res illi adjecisti!* Tunc certe pronomen *illi*, quod ubique vulgatum est, recte retineretur. Si quis vero sibi quasi religioni ducat, istas quinque voces, tot libris jam proditas, exturbare; quamvis hoc corruptelæ genus per glossas scriptoribus intrusas non paucis aliis codicibus acciderit, quibus nulla certior superest medela, quam ut glossemata intrusa recidantur: alia tamen succurrit, eaque lenior emendandi ratio, ut nempe, quod jam Lipsio venerat in animum, probaruntque Baudius et Hearne, duntaxat numerus singularis pronominis *illi* (quod pronomen Quartius prorsus omisit) mutetur in numerum multitudinis, *illis*. Tunc enim sequens formula, *propter quas illum Deum fecimus*, non refertur ad tot res, quas Trajanus Tito adjecerat, sed conjungitur cum *illis rebus et institutis*, quibus ipse Titus promeruerat cœlum. Verum, nihilo minus relinquitur ingrata repetitio pronominis *illum*, quæ Plinianæ orationis suavitatem minus decere videtur. Equidem, loco hujus pronominis *illum*, codices Mss. Vaticanus 1776. Parisiensis, Venetus, meus, et liber Vossianus, exhibent vocem *alium*. Unde librarii illam quidem molestam pronominis repetitionem vitare voluerunt; sed ipsi sententiæ nullum attulere lumen. Ne-

que enim Plinius hoc loco Trajanum cum alio quovis imperatore, qui numinibus æquatus est, sed nominatim cum Tito Vespasiano, comparare instituerat. Ceterum, subscripsit etiam Gesnerus mutationi pronominis *illi* in *illis;* quoniam credidit, vix quempiam casum tertium singularis numeri, *illi*, hic commode interpretari posse: quod vero nollet factum vir eruditus, Arntzenius; cum hic existimet, in vulgata lectione omnino latere elegantiorem locutionem, quam ut tentari debeat. Cujus rationem ut lector capiat, integram huc transcribere haud pigrabor: 'Idem est,' inquit, 'ac si dixisset, *tot res illius rebus adjecisti*. Loquendi modus, (utor verbis Gronovii, Obs. IV. 8. pag. 121.) ut rem cum re, quæ est in persona, collaturi, ipsam personam, non rem, appellent, et tanquam alterum comparatorum ponant. Justin. II. 13. 10. 'Atheniensium virtus ceteris prælata,' id est, virtuti ceterorum. Ubi Vorstius et ad IV. 3. 2. 'Ausi facinus nulli tyrannorum comparandum.' Victor, Cæs. XI. 7. 'Quæ amorem histrionis viro prætulerat.' Adde Gronovium ad Livium, Epit. XLVII. et Burman. ad Quinctil. XII. 7. Et sic in relato *quas* magis respexit ad sensum, quam ad ipsam vocem.' Hactenus Arntzenius. Utcunque se habet ista interpretatio in excitatis locis; certe in hoc loco Plinii ambiguam et obscuram, ac Plinianæ dictioni minus congruentem reddit sententiam. *Idem.*

Illi adjecisti] Commodius *illis*. Lipsius.

Deum fecimus] Atqui supra, XI. 1. dixit a Domitiano Deum factum, ut ipse 'Dei frater videretur:' hic a senatu. Pro insigni pugna hæc habet vir doctus; quam ego nullam video, aut stili hujus brevi motu componam. Domitianus Deum dici voluit et curavit, sed ob suum finem: senatus censuit, et libens paruit, quia meritus erat, et maxime ob securitatem hanc senatui bonisque partam. *Idem.*

Perquam magna] *Per quem magna*, Livin. in textu; sed in margine *perquam magna* C. R. recte. *Rittersh.*

Perquam magna quædam] Olim, pro *perquam*, vulgo legebatur *per quem*, manifesto errore: mirum tamen est, quo modo mendum hoc non solum codices quosdam Mss. v. g. Vaticanos, Parisiensem, Guelpherbytanum, Vossianum, et meum, sed etiam tot libros typis excusos, Puteolani scilicet, Aldi, Juntæ, R. et H. Stephanorum, Gryphii, Cratandri, Sichardi, Navii, Livineii, Elzeviri, Boxhornii, et Cellarii, inquinarit. Rectius omnino legendum est *perquam;* quam lectionem etiam codex Venetus, et aliquot editiones, confirmant; neque nego, eam particulam, intendendi caussa, sæpius, cum apud alios scriptores, tum apud ipsum Plinium, epithetis addi; nescio tamen, quo modo mihi jam antehac magis placuerit, atque etiamnum placeat, ea lectio, quam Ascensii et Paulli Stephani, ac nunc quoque Gesneri, editiones exhibent, ubi pro *perquam*, vel *per quem*, legitur *postquam*, ac deinceps particula ἐγκλιτικὴ *que*, adjuncta τῷ *nihil*, omittitur. Quoniam vero destitutus fui suffragio omnium codicum Mss. recepi interim *perquam*. Facile autem patet, illam triplicem varietatem ex compendiis scripturæ natam esse. *Schwarz.*

Edicto Titi] Nemo diligentius, quam Brencmannus, in citata erudita dissert. de Lege Remmia, et de Fatis Calumniatorum sub Imperatoribus, excussit, quid sigillatim Titus, Nerva, et Trajanus, de quibus hic loquitur Plinius, in coërcendis et puniendis delatoribus præstiterint. Titus quidem Vespasianus, qui appellabatur amor et delicium generis humani, nunquam dicitur de crimine majestatis, quod alias largissimam delatoribus materiam suggerebat, cognovisse,

nec permisisse aliis, ut cognoscerent, teste Xiphilino: 'Inter adversa tempestatis, delatores mandatoresque erant ex licentia veteri. Hos assidue idem Titus, in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac novissime traductos per amphitheatri arenam, partim hastæ subjici ac vænire imperavit, partim in asperrimas insularum avehi. Utque etiam similia quandoque ausuros perpetuo coërceret, vetuit inter cetera, de eadem re pluribus legibus agi, quærive de cujusdam defunctorum statu ultra certos annos:' quæ repetuntur ex Sueton. Tit. c. 8. Nerva, moderatissimus princeps, eos, qui rei facti erant impietatis, i. e. criminis majestatis, absolvit, exulesque restituit. Servos autem ac libertos, qui insidias dominis patronisque suis fecerant, omnes interfici jussit, cavitque, ne eis liceret crimen ullius facinoris dominis inferre. Adhæc fiscales calumnias et delationes adversus Judæos, et Christianos ex Judæis ortas, repressit. Unde et nummus hujus imperatoris extat, cum hac epigraphe: FISCI IVDAICI CALVMNIA SVBLATA; de quo videre licet Zornium in Historia Fisci Judaici, p. 302. Porro juravit in senatu, nullum e senatoribus suo jussu interfectum iri, idque jusjurandum, facta etiam conjuratione contra se, ratum fecit. Quæ e Dione commemorat Xiphilinus in Nerva. Idem Xiphilinus in Trajano testatur, Trajanum, optimum principem, nullam fidem habuisse calumniatoribus, immo, ne quidem in crimine majestatis permisisse, ut servorum delationes in dominos audirentur. Quod et Plinius innuit c. XLII. qui et c. XXXIV. narrat, sub hoc imperatore contigisse, desuper intueri delatorum supina ora, retortasque cervices; præter eos vero, qui in arena occubuerant, alios ad lenta supplicia, gravioresque pœnas, fuisse reservatos, et in navigia congestos, insulisque asperrimis inclusos. Idem cap. XXXV. indicat, pœnam talionis adversus delatores a Trajano generatim fuisse introductam. Itaque Plinius, oratorum more, exaggerat ea, quæ Trajanus adjecerit pœnis delatorum, jam a Tito et Nerva constitutis. *Idem.*

Edicto] De calumniatoribus. Apud Dionem aliquid in Nerva: 'Servos eum et libertos punisse, qui dominis aut patronis periculum fecissent; neve in posterum liceret: item ne quis impietatis aut ritus Judaici (Christianismi etiam, opinor) accusaretur.' *Lips.*

Adstruxerat] I. e. adjecerat, addiderat. Frequenter hoc verbo usus est Plinius. In hoc Paneg. XXXVIII. 2. 'statim ergo muneri ejus liberalitas tua adstruxit.' XLVI. 8. 'Omnibus, quos bonos facis, hanc adstruis laudem, ne coëgisse videaris.' LXVII. 5. 'Sibi accrescere putat, quod cuique adstruatur.' Conferatur Cortius ad Plin. Epist. III. 2. *Schwarz.*

Nihilque reliquisse, nisi tibi] *Nihilque reliquisse tibi*, Livin. in textu; sed in margine, '*Nihilque reliquisse nisi tibi* V. acute.' Recte. *Rittersh.*

Nisi tibi] Particula *nisi*, quæ vulgo prætermissa est, in codicibus Mss. Vaticanis, Parisiensi, Veneto, Guelpherbytano, nostro, et libro Vossiano, extat, eamque in vetere codice jam invenerat Livineius, ac non solum Gruterus, sed et, in sic dicta editione Puteani, Parisienses, evulgarunt, item et multum probavit Rittershusius noster, nunc et eandem recepit Arntzenius, cui sine hac particula oratio languere videtur, et qui putat, si quid ingeniosum dicere potuerit Plinius, hoc dixisse, neque quidquam sermoni panegyrico esse convenientius. A cujus autem sententia recedit Gesnerus in Epistola de sua Plinii Junioris editione; ubi testatur, se non posse conciliare eam exceptionem, illud *nisi*, cum antecedentibus verbis, *Id hoc magis arduum fuit.* 'Dif-

ficile est,' inquit, 'rebus, quæ ad fastigium jam perductæ videntur, aliquid addere: cessat admiratio, si addat is, cui reservatum consilio est, ut addat.' Sed, pace viri doctissimi, existimarim, nihilo minus hoc opus arduum et admiratione dignum dici posse, si non respectu Trajani, respectu tamen aliorum, qui ei perficiendo fuerint impares. Trajanus jam in eorundem verborum ambitu designatur, tanquam successor, quo dignissimus fuerit Nerva, et a quo adeo jam majora exspectari potuerint. Ac certe, si particula hæc *nisi* hic omittatur, videtur particula *tamen* sequi debuisse, *qui tamen tam multa excogitasti*. Saltem illa ipsa particula *nisi*, quam tot codices scripti, librique impressi servarunt, multo elegantius hunc locum occupat, quam ut a solis librariis intrusa videatur. *Schwarz.*

Ut si] I. e. quasi. Rhenanus habet in margine *ac si;* et sic quoque excusum est in editione Ultrajectina an. 1652. in Salmuriensi, et Gedanensi. Sed nihil est mutandum. Nepos in Dat. cap. 11. 'Atque ibi, ubi telum erat positum, resedit, ut si a lassitudine cuperet acquiescere.' Cic. Tuscul. IV. 23. 'Scipio privatus, ut si consul esset, qui rempublicam salvam esse vellet, se sequi jussit.' Plinius ipse Paneg. XX. 4. 'Ut si vis aliqua . . . incideret.' *Idem.*

Dispensata] I. e. distributa, ac partitim et sensim instituta atque præstita. His mox opponuntur 'profusa:' 'at tu simul omnia profudisti.' Hoc voluit dicere Plinius: Si sensim et sigillatim quædam adjecisses institutis Titi et Nervæ, ad coërcendos puniendosque delatores, quantum gratiæ et auctoritatis jam tum collegisses? Sic idem, Epist. III. 10. loquitur: 'Neque enim affectibus meis uno libello carissimam mihi et sanctissimam memoriam prosequi satis est: cujus famæ latius consuletur, si dispensata et digesta,' h. e. non uno tempore, unaque opera, sed sensim et sæpius exposita et culta fuerit. *Idem.*

At tu] Particulam *at*, prætermissam ab Henr. Stephano, Boxhornio, et Cellario, ex codicibus Mss. et ceteris libris impressis, revocandam duxi. *Idem.*

Omnia profudisti] In codicibus Mss. et plurimis impressis, legitur *perfudisti;* quod verbum non simpliciter adspernandum videtur, quia et alibi de sole usurpatur. Sic enim et ipse Plin. Epist. v. 6. 24. 'Idem cubiculum hieme tepidissimum, quia plurimo sole perfunditur.' Sic hoc loco *At tu simul omnia perfudisti, ut sol et dies, &c.* i. e. At tu simul omnia quasi lumine justitiæ tuæ illustrasti, &c. Extat autem in codice Veneto expressum *profudisti;* quod verbum etiam exhibent, Beroaldus, Catanæus in editionibus primis, item Lipsius in Plantiniana, Gruterus in Francofurtana, Puteanus in Parisiensi, Grævius in Hackiana, Berneggerus, Patarol, Ceva; quod et placuit Livineio in margine, et Rittershusio in notis, nunc etiam Arntzenio, et Gesnero. Quam facile ista duo verba, 'perfundere' et 'profundere,' ex compendiaria scribendi ratione inter se potuerint permutari, facile patet. Quod si nostræ rationes id ferrent, ut, quod magis nobis placeret, in antiquorum scriptis reponeremus pro aliis verbis, hic etiam pro *perfudisti,* aut *profudisti* rescriberemus *effudisti;* quo verbo usus est Cic. Philip. III. 11. ad exaggerandam C. Octavii Cæsaris magnificentiam: 'C. Cæsar,' inquit, 'incredibili ac divina quadam mente atque virtute, . . . firmissimum exercitum ex invicto genere veteranorum militum comparavit, et patrimonium suum effudit: quamquam non sum usus eo verbo, quo debui. Non enim effudit, sed in salute reipublicæ collocavit.' Interim facilius hic fero verbum *profudisti,* cum idem Cic. ad

Att. I. 17. scribat, 'Omnes profudi vires animi atque ingenii mei.' Ceterum, in verbis sequentibus, *ut sol et dies*, unus codex Vaticanus, item Guelpherb. et Vossianus habent *ut sol, ut dies;* quod etiam arrisit Arntzenio. *Idem.*

Omnia profudisti] *Omnia perfudisti*, Livin. in textu; sed in margine, 'forte *omnia profudisti:*' recte. *Rittersh.*

Ut sol] Apta imago, et similis in Symmachi Epist. IX. 1. 'Sicut omnibus in hac vita positis ac locatis communis est cœli spiritus, lux diei; ita clementiam maximi principis sentiant vota et facta cunctorum.' *Lips.*

Ut sol] Assertor orbis Deus de Deo. Matth. v. 45. ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθοὺς, *quod solem suum proferat malis et bonis.* Bern.

CAP. XXXVI. *Ærarium*] Ut Plinius laudem Trajani, e coërcita delatorum malitia partam, amplificet, nunc speciatim de 'ærario' et 'fisco' agit; quia, ut ipse infra, c. 42. ait, antehac delationes e lege Julia et Voconia, aliisque, præcipue vero e majestatis crimine, ærarium et fiscum maximopere locupletarant. Ipse Augustus dicitur Tacito Ann. III. 25. legem Papiam Poppæam augendo ærario sanxisse. Ærarium, quod ab inferendo ære nomen habet, jam a Valerio Poplicola, in republica libera, institutum, receptaculum fuit opum populi Romani, et custodia publicæ pecuniæ, sive e vectigalibus et tributis, sive e bonis damnatorum, sive e præda militari, rediret. Hinc Cic. ad Att. VII. 15. pecuniam, quæ in ærario erat, vocat 'publicam pecuniam.' Servandæ huic pecuniæ destinatum fuit templum Saturni; quia, tradente Plutarcho, obtinuit opinio, regnante Saturno, avaritiam apud homines injustitiamque locum non habuisse, sed fidem et justitiam; aut quia ædes Saturni fuit locus munitus et conspicuus, atque ab insidiis tutus. Manutius, in comment. ad epistolam Cic. modo citatam, in hoc uno templo tria statuit fuisse æraria: et credibile est, unius ærarii varias potuisse esse cellas. Potestas omnis hujus ærarii in repubI. libera fuit penes S. P. Q. R. cura vero penes eos, quibus ea a S. P. Q. R. mandata fuit. Sub imperatoribus quidem discrimen inter 'ærarium' et 'fiscum,' introductum, ut hic ad principem pertineret, illud vero adhuc populi esse videretur: tamen de utroque pro arbitrio disponere potuit imperator, ita, ut Dio Cassius, pag. 506. quamquam agnoscat, ærarium a fisco fuisse distinctum, fateatur tamen, se non videre, quid inter ærarium publicum, et fiscum principis, interfuerit. Ita et nos, quamvis facile credamus, reditus vectigalium et tributorum e provinciis Augusti collectos pervenisse in fiscum; e provinciis vero proconsularibus, illatos esse ærario; nescimus tamen, quod genus, aut quota pars mulctarum, aliorumque redituum, ad alterutrum pervenerit; neque nobis liquet, utrum fiscus etiam in quodam templo, an potius in palatio, locum habuerit. Apud Tacit. Annal. VI. 2. legimus, 'Bona Sejani, ablata ærario, ut in fiscum cogerentur.' Quin, præter fiscum illum, erat etiam privatus fiscus Cæsaris, ad quem proprium ejus patrimonium referebatur. Satis diu mansit sub imperatoribus speciosa quædam differentia inter ærarium, et fiscum, patrimoniumque Cæsaris, usque dum, labente jam sub Byzantinis principibus imperio, et aliquantum quoque ante, omne amplius illud discrimen tolleretur. *Schwarz.*

Silens] Sine litium strepitu; nam antea, cum per calumnias delatorum cives facultatibus suis iniquissime spoliabantur, querelas illi apud præfectos ærarii deferebant, et caussas

excitabant. *Patarol.*

Templum] Pecunia publica asservabatur in templo Saturni; quia ædes illius numinis furtis non erat obnoxia. Vide Plut. Rom. Quæst. c. 42. *Idem.*

Templum] Ergo supra xxxiv. 1. bene interpretatus sum, 'templum insedisse' delatores; nempe hoc ipsum. *Lips.*

Nunc vere Deus] Nam ærarium in æde Saturni. Caussam e Plutarcho obviam petere Rer. Roman. Quæst. c. 42. *Livin.*

Deus] Saturnus, in cujus tutela ærarium. *Lips.*

Vere Deus] Sicut antehac in ærarium bona multorum innocentum, a delatoribus accusatorum, tanquam in spoliarium quoddam, pertrahi consueverant, ita Plinius ait, nunc, imperante Trajano, illud re vera esse sanctum templum, sine strepitu et litibus delatorum, sine injuria bonorum; nunc Saturnum vere esse et agnosci Deum, qui rapinas, opesque injustas, a templo suo prohibeat. Jo. Fridericus Gronovius, vir olim in emendandis illustrandisque antiquis scriptoribus acutissimus, in lib. Nov. Obs. p. 255. putat, in his Plinii verbis, pro *vere Deus*, legi debere *vere ædes*. Sed ipsum audiamus: 'Transeunt,' inquit, 'hoc viri docti, satis habentes, notasse, ærarium fuisse in æde Saturni, et Deum illum Saturnum esse. Ego autem ærarium dici Deum, quia in Divi æde erat, fateor, me ferre non posse. Loco numen esse, locum superos, aut numen, habere, et creditum et traditum veteribus: ipsum locum in terris numen esse, aut Deum, insolens ad aures accidit meas. Sic certe; nam templum Divi ipsius nomine appellari, ut Saturnum, pro æde Saturni, poëtis, non ignoro. Refinge, *nunc templum illum, nunc vere ædes.* Utrumque, quod ex adverso ponitur, (nempe, *spoliarium*, et *receptaculum*,) ut loco, non ut Deo, opponitur.' Hactenus Gronovius; cujus observatio non de nihilo esse videtur. Immo, si verum esset, quod Valla III. 7. tradit, 'ædem,' si pro templo dicatur, semper habere adjectionem, ut, 'in æde Dei;' 'in æde Jovis, Saturni, Minervæ, Honoris, Virtutis,' et ceterorum; item, in numero multitudinis, 'in ædibus sacris,' 'in ædibus Deorum:' tunc in loco Pliniano forte etiam potius scribi debuisset, *nunc vera Dei ædes*, sive ex mente Varronis rectius, *ædis*; aut etiam, *nunc vera Dei sedes.* Verum, vel ex solo Horatio aliquot exemplis probari potest, eam Vallæ observationem non in universum valere. Istam autem Gronovii conjecturam probavit recepitque Gesnerus, tradens *templum* et *ædem* a Plinio jungi; quia *templum* proprie sit illa patens undique columnarum substructio, *ædes* autem cavum illud clausum, quod alias 'cella' vocetur. Quod discrimen, vellem, auctoritate veteris cujusdam scriptoris comprobasset. Certe Virgil. Æn. II. 87. frigide 'ædes' vocasset 'cavas,' si jam simpliciter et proprie hoc nomen cavitatem templi notaret. Nec Servius, ad hunc Virgilii locum, aliam agnoscit notionem *ædis*, quam hanc: 'Ædem,' inquit, 'numero singulari de templo tantum dicimus; plurali, et de domibus, et de templis.' Certe ipse Cic. Philipp. I. 1. his duobus vocabulis, tanquam synonymis, utitur: 'Ex eo die,' inquit, 'quo in ædem Telluris convocati sumus: in quo templo, quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis.' Vides, 'in quo templo' dici pro 'in qua æde Telluris.' Porro tradit vir doctissimus, Plinium nihil aliud ponere voluisse, quam loci nomina. Sed, quidni dicere etiam, et voluerit, et potuerit, *nunc templum illud, nunc vere Deus* templi? Quæ ex adverso ponuntur, *spoliarium*, et *prædarum receptaculum*, non quidem simpliciter Deo, Dei tamen templo opponuntur. Quamvis adeo inge-

niosa sit Gronovii conjectura, nondum tamen a me impetrare potui, ut eam reciperem in contextum orationis: primo quidem, quia vulgatam lectionem omnes scripti impressique libri confirmant, ita ut nullum variantis scripturæ vestigium deprehenderim; deinde, quia nulla necessitas urget, ut a lectione vulgata recedamus, cum et ea commodam admittat interpretationem: scilicet, *nunc verum templum*, in quo innocentes non perniciem, sed salutem inveniant; *nunc vere Deus* templi, qui custodiat justas opes, nec spoliari et opprimi sinat bonos: adhæc, quia non nisi frigida quædam ταυτολογία in repetitis vocibus *templi* et *ædis* occurrit. Dicitur autem *nunc vere Deus*, haud secus, ac 'vere princeps.' Plin. Paneg. LXXX. 3. 'O vere principis, atque etiam consulis.' Ergo vitiose in nostro codice scriptum est *nunc vero Deus*. Schwarz.

Spoliarium] Locus in amphitheatri parte, ubi vestes occisorum et arma deponebantur, atque alia ornamenta. Vide Saturnalia nostra, I. 18. *Lips.*

Spoliarium] Locus, in quo et damnati spoliabantur, qui statim capite pœnas daturi essent. Nostratibus dicitur das Beicht-Häuslein, quia ibi non tantum vestimenta, sed et peccata, deponunt. Sic proscriptionis Sullanæ spoliarium lacus Servilius. Seneca de Provid. III. 12. Cic. pro Rosc. *Bern.*

Prædarum] Quæ civibus occisis partæ. Claudianus similia in Honorii laudibus: 'Nullæ nobilium cædes, non crimina vulgo Texuntur, patria mœstus non truditur exul. Non infelices tabulæ, non hasta refixas Vendit opes, avidusque emtor non voce citatur, Nec tua privatis crescunt æraria damnis.' *Lips.*

Ac toto in orbe] Vexatissimus hic locus est, quamvis ejus lectio in omnibus libris perpetuo sibi constet. Id unum optarem, ut pro *ac*, expresse scriptum esset *nec;* quamquam neque hac quidem levi mutatione opus sit, omniaque verba evulgata retineri possint integra, dum modo particula illa *ac*, propter præcedentem particulam *non*, [non spoliarium civium,] ex pendente sensu simul induat vim negandi, accipiaturque pro *ac non*, sive *neque;* haud secus, ac in proximis verbis, 'cruentarumque prædarum sævum receptaculum,' particula *que*, propter pendentem negationem ex eadem particula *non*, per *neque* debet explicari, ut adeo totus hic locus ita supplendus explicandusque sit: *Nunc templum illud, nunc vere Deus; non spoliarium civium, neque cruentarum prædarum sævum receptaculum, ac* [scilicet *non*] *toto in orbe terrarum adhuc locus unus* [vel *unicus, superest*,] *in quo, optimo principe, boni malis impares essent*, i. e. Sicut ærarium nunc non est spoliarium civium, nec receptaculum cruentarum prædarum; ita nec in toto terrarum orbe adhuc unus superest locus, in quo boni malis impares essent, sive ubi innocentes accusationibus malorum delatorum succumberent: cum alias, etiam sub benignioribus principibus, saltem identidem indulgeretur, ut, ærarii augendi caussa, boni aliquando a malis delatoribus vincerentur. Negare enim, non affirmare voluit Plinius, sub imperatore Trajano superfuisse locum unum, in quo boni malis impares essent. Quæ enim justitia, et quæ laus Trajani fuisset, si, eo sciente et ordinante, boni in bona justaque caussa vinci debuerint a malis accusatoribus? Sufficiebat autem ei ad gloriam, quod sustulisset injustas locupletandi ærarii caussas, antehac solitas. Etsi vero sic coërcerentur improbi delatores, nec liceret, augendi ærarii gratia, leges per calumniam interpretari; manebat tamen verus legum honor, dum pœna maneret, si quis re vera sons deprehensus fuisset. Quem locum copiosius exposui in

Excurs. xxxviii. ubi et plura attuli exempla sententiarum, in quibus particulæ copulativæ, 'et,' 'ac,' 'que,' 'atque,' ex antecedente expressa particula negativa suspensam vim negandi simul adsciscant. Sed et recentiorum interpretationes hujus loci ad eundem Excursum rejeci. *Schwarz.*

Locus unus] Mirifica laudatio et arguta. In toto orbe unum hoc ærarium est, sub bono principe, in quo boni a malis vincuntur. Quid hoc est? istud: qui boni et justi sunt, voluntque patrocinari ærario, impares sunt malis et fraudatoribus, aut etiam triconibus: quia, ut mox addit, 'sæpius vincitur fiscus.' Sane salubris imperii signum, lienem hunc in corpore non crescere. Nisi hæc sententia loci, alius me aliosque doceat. *Lips.*

Addita est] Pœna manet, si quis in leges fiscales peccat; sed additum hoc (ne temere exigatur) ut ulcisci liceat delatores. Quomodo? talione, ut opinor. 'Ereptum meas pecunias eunt? perdent, quas habent,' supra. Itaque ultio addita in calumniantes, pœna tamen manente in sontes. *Id.*

Addita est ultio] I. e. nec pœna cuiquam nocenti et convicto, qui vel defraudat ærarium, vel injuste accusat alios, est remissa: sed addita est ultio, et major pœna, quam antehac, cum defraudantium, si convincantur, tum falso calumniantium; quos posteriores, ei, qui falso est accusatus, licet accusare et ulcisci, cum antea potius præmia referrent. Alias 'pœna' et 'ultio' sunt synonyma; hic per 'pœnam' videtur ordinaria pœna, et per 'ultionem' extraordinaria ac major, significari. Ita supra, xxxv. 4. Plinius dixerat, 'Ingenti quidem animo Titus securitati nostræ ultionique prospexerat;' ubi Brencmannus c. l. non inscite animadvertit, Plinium, per formulam, 'ultioni prospicere,' designare severiorem et extraordinariam pœnam delatorum; et per verba, 'securitati prospicere,' pœnam eorum ordinariam. Sic et Tacit. Annal. xiii. 31. 32. 'Factum senatusconsultum ultioni juxta, et securitati: ut, si quis a suis servis interfectus esset, ii quoque, qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent, inter servos supplicia penderent.' *Schwarz.*

At fortasse] *Ac fortasse* Livin. in textu; sed in margine, *At fortasse* V. C. G. R.

Fiscum] 'Cæsar omnia habet, fiscus ejus privata tantum ac sua.' Fiscum enim principis bona propria dicebant, et ab ærario secernebant. Sen. Ben. vii. 6. *Bern.*

Cohibes] I. e. Si tam severe prohibes, ne ærarium publicum per falsas delationes locupletetur, fortasse id facilius indulges fisco tuo? *Schwarz.*

Actori atque etiam procuratori] De utrisque erudite, et cum cura Lipsius, amicus noster, ad Taciti Annal. ii. et xii. quæ non sublego. Quod addit de tribunali, nescio an ita capiendum, ut si privatum id, et primus Trajanus agitandis fisci principalis caussis instituerit, in quo libertas et principatus æquo jure legibus certarent. *Livin.*

Actori] Actor in familiis, qui res rationesque heri administrat: idem in republica, qui et 'actor publicus' Tacito dicitur Annal. ii. 30. atque ibi explicavi n. 79. 'Actor Cæsaris,' de quo hic, differt ab illo, et in lapidibus etiam nominatur, qui res et patrimonium Cæsaris curat. *Lips.*

Actori] Actor διοικητὴς, πραγματευτὴς dispensator bonæ frugi, atriensis cubicularius, ordinarius servus: majoris aliquanto existimationis, aut potius minori macula et infamia notatus, cui opponitur inscripti vultus servus. Cic. in Paradox. V. Plaut. Ps. ii. 2. Actor rerum, qui in servorum numero, dominicas tractat rationes, sed sub procuratore, cujus

potestas erat latior. Nam bonorum rerumque omnium, præcipue fiscalium, cura ac administratio penes ipsum, et, si latæ erant possessiones, singulæ suos actores habebant, qui omnes 'imperio procuratoris parebant; sin vero nec amplæ, nec late diffusum patrimonium, idem actor ac procurator. Hodie rationales Cæsaris, qui per procurationes administrandis (verba Taciti Annal. XVI. 17.) negotiis incumbunt, atque istiusmodi hic est actor. *Bern.*

Actori] Actores olim, sicuti privatis familiis, ita et Cæsaribus erant, et reipublicæ. 'Actor,' inquit Bandius, 'est servus publicus, seu libertus, qui res rationesque principis administrat; arbitror sine jurisdictione. Minus autem actor late patet, quam procurator.' *Patarol.*

Procuratori] Is erat, qui pecuniam, seu speciales imperatoris reditus colligebat; eratque vel eques, vel libertus, ut colligitur ex Dione, lib. XLIII. Procuratores Cæsarum aliquando etiam jus dicebant in provinciis; judicia tamen eorum rata non erant, et fieri inde poterat ad imperatorem, vel senatum, appellatio. Quare Claudius, teste Sueton. c. 12. 'a senatu, ut rata essent, quæ procuratores sui in judicando statuerant, precario exegit.' *Idem.*

Procuratori] Nondum autem 'advocatus fisci,' quem primus instituit Hadrianus. *Lips.*

Actori, atque etiam procuratori tuo] In republica libera erant quæstores, quibus, præter alia, cura redituum in ærarium publicum colligendorum erat demandata, hinc appellati 'quæstores ærarii.' Varro de L. L. lib. IV. p. 22. In horum ministerio fuere, 'scribæ,' 'præcones,' atque 'viatores.' De his quæstoribus, item et de subsecutis 'præfectis ærarii,' ac 'prætoribus ærarii,' plura exposuerunt Guil. Budæus Annotat. in Pandect. p. 294. Thomas Reinesius Epist 50. ad Rupertum, et ipse Rupertus ad Enchiridion Pomponii JC. I. 8. et 9. atque Erh. Reuschius Prof. quondam Helmstad. in Schediasmate de Populi Romani Quæstoribus, ac potissimum ærariis, eorumque ortu, numero, et muniis. Cum autem fiscus Cæsaris institutus esset, ærario quidem publico relinquebantur quædam vectigalia, mulctæ, et tributa, quæ colligerentur cum a quæstoribus urbanis, tum ab iis, qui cum proconsulibus, aut proprætoribus, proficiscebantur in provincias; at reditus fisci Cæsarei non solum in urbe curabat procurator Cæsaris, sed etiam in ceteras provincias mittebantur procuratores, homines quidem ex equestri ordine, vel ex libertino genere, quorum officium erat, reditus fiscales administrare; et in quorum ministerio erant inprimis actores publici, i. e. servi publici, qui, moderante procuratore, reditus et rationes fisci tractarent, et forte etiam exigerent; haud secus, ac in privatis familiis, procuratori rei rusticæ subesse consueverant villicus et plures actores; quod ex Plin. Ep. III. 19. intelligimus. Præter hos procuratores fisci, habebant imperatores etiam procuratores rei privatæ, sive procuratores patrimonii, qui curabant privatas principis fortunas, quorum mentio potissimum a temporibus Severi imperatoris occurrit. Postremis temporibus, fiscum comes sacrarum largitionum, et patrimonium principis comes rerum privatarum, administrarunt. De istis procuratoribus et actoribus, jam plura exposuerunt Lipsius ad Tacit. Annal. II. 30. et Gutherius de Officiis Domus Augustæ, III. 1. 16. seq. D. D. Gotfrid. Mascou in Dissert. de procuratore Cæsaris, Altorfii an. 1724, edita. Quemadmodum vero hujusmodi procuratorum Cæsaris acta gestaque a malis imperatoribus sic comprobabantur, quasi ab ipso Cæsare acta gestaque essent, narrante Tacito An-

nal. XVI. 17. ita laudatur ex adverso Trajanus, quod, teste Eutropio VIII. 4. 'nihil injustum ad augendum fiscum egerit;' et quod procuratores actoresque suos redegerit in ordinem, eosque certo subjecerit judicio. Ex hujus Trajani instituto etiam Hadrianus, cum, superstite adhuc Trajano, 'legatus prætorius in Pannoniam inferiorem missus esset, procuratores latius evagantes coërcuit,' referente Spartiano in Vita Hadriani c. 3. Mirum ergo est, quod apud Victorem in Epit. c. 42. in vita Constantii legimus: 'Pompeia Plotina, incredibile dictu est, quanto auxerit gloriam Trajani: cujus procuratores cum provincias calumniis agitarent, illa conjugem corripuit, atque increpavit, quod laudis esset incuriosus.' *Schwarz.*

In jus veni] Solennia, quibus juris experiundi gratia ad prætorem evocare olim adversarios solebant, erant hujusmodi: 'in jus eamus,' 'in jus veni,' 'sequere ad tribunal,' 'in jus ambula.' Plaut. Pœnul. v. 4. Seneca in Apocolocynth. Martial. l. II. *Bern.*

Excogitatum principatui est] In textu Livineii, *excogitatum cruciatu est.* Mendosus locus, et plane crucius, ut cum Lucilio dicam. In V. R. clare legitur *cruciatui est*, in C. *cruciatu e.* Reliquæ editiones, quas quidem viderim, cum Veneta nostra consentiunt. Quid agimus, lector? Raianum audimus, (cujus est in hoc opus commentarius a verbis, quam a rebus et doctrina, liberalior) qui, putare, ait, quosdam non male *judicatu* legendum. Equidem non assentior, et altius hic aliquod (meo judicio) vulnus agitur. Quodsi non educo, circumfero tamen scalpellum, et præter propter tento. Transfero, inquam, literas et converto, unam etiam rescribo, ac pro *cruciatu* repono *cur ni autem?* sententia manifesta, ut sit scilicet, *nam tribunal quoque excogitatum (cur ni autem?) par ceteris, &c.* Tu, mi lector, considera apices, et judica. Doctissimo Justo Lipsio placebat *excogit. cura tua est par, &c.* Livin.

Excogitatum] Ab ipso te, novitatem ostendit. *Lips.*

Principatui] *Cruciatu* Lips. Obiter olim dixeram, *cura tua;* sed neque tunc perplacuit, et nunc sperno. In melioribus libris *cruciatui;* puto verum *principatui.* Ita statim, 'Eodem foro utuntur principatus et libertas.' *Idem.*

Excogitatum principatui] Vocabulum *principatui* recepi ex certissima conjectura Lipsii: antehac enim in libris Mss. et excusis modo legimus *cruciatui*, modo *cruciatu*, modo *cruciatum*, sine sensu; quamvis in hoc eruendo mirum in modum se torserint commentatores. Hanc autem veram et genuinam lectionem esse arbitror, ita, ut mirer, ei non dudum locum, postliminii jure, datum esse: cum eam et sententiæ necessitas exigat, et suppeditet nexus verborum. Etenim huic ipsi tribunali mox adscribitur 'magnitudo litigatoris,' i. e. majestas principis ibi litigantis; deinde, 'eodem foro principatus et libertas uti,' h. e. in eodem judicio caussæ principis, et liberi populi, agi dicuntur. De qua emendatione paullo plura disserui in Excurs. XXXIX. Dum autem hoc tribunal, in quo ipse princeps, aut certe ipsius principis procuratores et ministri fiscales, conveniri possent, istis temporibus sit excogitatum ad cohibendas delationes fiscales; persuasum mihi habeo, quasi peculiare judicium fisci, quod tamen ceteroqui par esset aliis judiciis, a Trajano fuisse institutum; referoque adeo huc 'prætorem fisci,' de quo Pomponius, l. II. ff. de origine juris § 32. hæc scribit: 'Divus deinde Augustus sedecim prætores constituit. Post deinde divus Claudius duos prætores adjecit, qui de fideicommisso jus dicerent: ex quibus unum divus Titus detraxit; at adje-

cit divus Nerva, qui inter fiscum [Cæsaris, aut procuratores et ministros fiscales,] et privatos jus diceret.' Nihil dubito, quin hic pro 'Nerva' scribi debuerit 'Nerva Tr.' i. e. 'Nerva Trajanus.' De Cocceio enim Nerva apud nullum alium scriptorem animadvertimus, eum tribunal, vel judicium fiscale excogitasse: id autem Plinius hoc loco ad Nervam Trajanum referre videtur, ad quem etiam jam supra, xxxv. 5. dixerat, 'Qui tam multa excogitasti, ut si ante te nihil esset inventum.' *Schwarzius.*

Par ceteris] In quo eadem omnia aliis] judiciis. Ammianus lib. xxv. Julianum sic laudat, quod sub eo 'æquata fisci jurgia cum privatis.' *Lips.*

Litigatoris] Cæsaris, nam ejus ibi res, sed et nomen, versatur. *Idem.*

Sors et urna] Quod jam olim in omnibus fere judiciis. Itaque nemo subornatus, et fautor Cæsaris. Quid si talis? licet, inquit. *Idem.*

Sors et urna] Ut olim, bonis reipublicæ temporibus. Cic. pro Cluent. c. 84. 'Neminem voluerunt majores nostri, non modo de existimatione cujuspiam, sed ne pecuniaria quidem de re minima esse judicem, nisi qui inter adversarios convenisset.' *Patarol.*

Sors et urna] In judiciis veteris reipublicæ delectus judicum fieri consuevit, per sortitionem, et per editionem. Nimirum eligebantur judices a magistratu, sigillatim a prætoribus in urbe, et a præside in provinciis, qui dijudicandis caussis operam darent. Hinc, qui ex decuriis in album missis lecti erant Romæ, audierunt 'judices selecti.' Ex his rursus idem magistratus, aut præpositus quæstioni, per sortitionem legebat judices ad præsentem caussam dijudicandam. Nempe nomina omnium, qui eo anno inter judices allecti erant, in urnam conjiciebat, ac sorte deinde eum educebat numerum, quem lex præscribebat. Quo facto, deinde litigantibus, h. e. cum accusatori, tum reo, licebat judices quosdam, quamvis sorte datos, rejicere, si quos forte haberent suspectos, aut sibi minus idoneos putarent. Quorum in locum deinde alios subsortiebatur prætor, vel judex quæstionis, quibus ille judicum numerus legitimus compleretur. Quæ, præ ceteris, de sortitione tradit Asconius Pedianus, ad Cic. Verr. I. 6. Sed aliquando lex non sorti, sed accusatoris arbitrio, judicum constitutionem permittebat, et hi tunc dicebantur 'ferre,' et 'edere judices,' ipsique judices hinc appellabantur 'edititii.' Cf. Heineccius in Antiquit. Jur. Rom. ad Institut. l. iv. tit. 18. § 23. In isto autem judicio fiscali, a Trajano excogitato, ad formam veterum judiciorum, etiam sortitio, et rejectio, et subsortitio, locum habuere. Ceterum, codex Ms. Parisiensis, pro *judicem assignat*, habet *vindicem assignat;* Guelpherbytanus *indicem;* sed neuter bene. *Schwarz.*

Rejicere] Nam et id moris prisci, ut sortitione facta, et cum judices jam sedissent, accusator et reus, quisque sibi suspectos, possent rejicere, et jubere surgere. In eorum locum alios subsortiebantur. Lex Pompeia huic rei modum et numerum dedit. *Lips.*

Rejicere] Rejiciendi judicis formula: 'ejero.' Cic. Verr. lib. v. Philip. xii. *Bern.*

Timidus est] Proba lectio, et addicunt, quæ sequuntur, 'fortiter amat, et bona sæculi,' scilicet in quo princeps ex jure et æquo cum civibus agat. Frustra est ergo, qui *tumidus* malebat. *Lirin.*

Bona sæculi] Ætatis nostræ; nec novit, quanta nobis sub Trajano libertas sit, etiam adversus ipsum principem. *Patarol.*

Bona sæculi] Quanta libertas [illegible] sub optimo principe. *Lips.*

Illum volo] In antecedentibus verbis omnes libri scripti et excusi, quos

consuluimus, recte habent *hunc nolo; timidus est*. Solus codex Venetus mendose substituit *hunc volo*. Quis autem eum judicem *velit*, qui est timidus, nec rerum peritus? At in hoc loco magna est varietas. Tres codices Vaticani, et Salisburgensis, item in impressis, Cuspinianus, Sichardus, Livineius, Gryphius, Lipsius, Gruterus, Puteanus, Baunius, Bernegger, Arntzenius, Gesnerus, habent *illum volo;* contra aliqui, *illum nolo*. Hæsitabam primum, utram lectionem admitterem. Non displicebat ab initio hæc, *illum nolo;* cum cogitarem, Plinium loqui de rejectione judicum per sortem quidem datorum, sed minus gratorum. Sed mox ad alteram lectionem, *illum volo*, amplectendam me pertraxit adjecta formula, 'quia Cæsarem fortiter amat.' Talis enim judex, isto ævo Trajani, optimi imperatoris, magis comprobandus, quam rejiciendus erat. Neque enim 'fortiter amare' hic simpliciter notat, valde et vehementer amare; sed, prout recte explicavit Lipsius, non temere, aut timide, ut adulantes, aut timentes, ne offendant, aut ut matres liberis nimis indulgentes, solent; sed cum severitate quadam et libertate amare. Quam notionem hujus formulæ utique cognoscimus ex Seneca de Providentia divina, ubi is c. 2. 'Non vides,' inquit, 'quanto aliter patres, aliter matres, indulgeant? Illi excitari jubent liberos ad studia obeunda mature; feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, et sudorem illis, et interdum lacrimas excutiunt. At matres fovere in sinu, contineri in umbra, volunt; nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare. Patrium habet Deus adversus bonos animum, et illos fortius amat. Operibus, inquit, doloribus, ac damnis, exagitentur, ut verum colligant robur.' Ita idem Seneca Epist. 104. τῷ 'fortius amare' opponit 'amare indulgentius:' 'Quoniam ego,' inquit, 'ab illa [Paulina] non impetro, ut me fortius amet: impetrat illa a me, ut me indulgentius amem.' Hic autem observandum est, judicio caussarum fiscalium, a Nerva Trajano instituto, ordinarie quidem præsedisse prætorem fisci; sed ad caussas dijudicandas omnino plures judices allectos fuisse, haud secus, ac in aliis judiciis, in quibus, tempore reipublicæ liberæ, lex Pompeia judiciaria certum numerum judicum legendorum definierat. Etsi itaque in hoc judicio sors et urna locum haberet, id est, sorte educerentur judices; non tamen semper ii designabantur per sortem, qui litigantibus grati probatique viderentur. Licebat ergo iis quosdam, quos meticulosos aut alias sibi minus commodos, habebant, rejicere, ut alii in eorum locum subsortirentur; licebat iisdem, quosdam admittere et comprobare, qui Cæsarem *fortiter*, i. e. cum quadam animositate et libertate, amabant, neque vereri videbantur, si justitia suaderet, etiam contra Cæsarem, Cæsarisque procuratores, judicium facere. Hinc Plinius ait: *licet rejicere, licet exclamare: Hunc nolo, . . . illum volo, &c.* Prorsus adeo similiter locutus est Plinius Major, in Præf. Hist. Nat. cum ad formulam hujusmodi 'rejectionis judicum' alluderet. 'Præterea,' inquit, 'est quædam publica etiam eruditorum rejectio. Utitur illa et M. Tullius, extra omnem ingenii aleam positus: Hæc doctissimum Persium legere nolo; Lælium Decimum volo.' Illud unum adhuc moneo, in codice Vaticano 3461. et meo, item et in excusis quibusdam libris, pro *quia Cæsarem*, legi *qui Cæsarem*. Schwarz.

Fortiter amat] Non temere, aut timide, ut adulantes, aut metuentes offendere. Seneca de Provid. 'Patrium habet Deus erga bonos viros animum, et illos fortiter amat.' *Lips.*

Fortiter amat] Fortiter amat, qui non indulget, qui severo quodam a-

more amat, ut patres liberos, ut Deus bonos viros. Lips. annot. Senec. Epist. 104. ad verba: 'Quoniam ego ab illa non impetro, ut me fortius amet, impetrat illa a me, ut me diligentius amem.' *Bern.*

Eodem foro] 'At Cæsar Novium quæstorem in carcerem conjecit, quod compellari apud se majorem potestatem passus esset,' Sueton. c. 7. Haud raro tamen, nec id malo more, fieri videas, ut superior inferioris judicium subire teneatur: ut rex Galliæ parlamenti Parisiensis judicio: Electores Saxonici coram curia Electorali Lipsiensi conveniuntur ac jus accipiunt: Archiduces Austriæ coram eo, quem e vasallis suis judicem constituunt. 'Qui autem major vel æqualis se subjicit jurisdictioni alterius, adversus eum jus dici potest.' L. XIV. ff. de Jurisdict. Vide Bodin. de Republ. VII. 6. Schoënborn. Pol. v. 34. et tamen A. Gell. XIII. 14. Sigonium de Judiciis II. 5. p. 454. de Antique Jure Provincial. c. 5. *Idem.*

Quæ præcipua] Malim *quæque præcipua.* Lips.

Sæpius vincitur fiscus] Tenuit hanc civilitatis laudem et M. Antoninus Philosophus, de quo Capitolinus, 'Fisco in caussis compendii nunquam judicans favit.' Principalius Hadrianus, qui advocatum ejus primus instituit. Auctor Spartianus. *Livin.*

Sæpius vincitur fiscus] In codice Vatic. 3461. et meo, pro *sæpius*, scriptum est *sæpe.* Sed parum interest, utrum assumas. Immo, si Priscianum l. III. p. 603. et alios audiamus, aliquando comparativus pro positivo positus, minus eo significat; ut Virgil. Æn. I. 228. 'Tristior, atque oculos lacrimis suffusa nitentes.' 'Tristior' enim hic, ex parte tristis, et minus re vera significat, quam si poëta absolute dixisset, 'tristis erat.' Sic 'pauperior,' dicitur aliquando intra pauperem. Ita et *sæpius* interdum opponitur iis, quæ semel duntaxat iterumque fiunt. Nepos Epam. c. 7. 'Neque vero hoc semel fecit, sed sæpius.' Cic. pro Font. c. 8. 'Semel, atque etiam iterum, ac sæpius, pecuniam dare coacti sunt.' Ergo *sæpius* quidem, quam antea, non tamen semper; nec in speciem duntaxat, sed re vera, imperante Trajano, vincebatur fiscus, caussaque cadebant procuratores, itemque delatores, quoties nempe caussa horum injusta in judicio deprehenderetur. Sic adeo mansit honor legum, neque quidquam ex utilitate publica convulsum est, dum pœna non quidem simpliciter accusatis, sed convictis et sontibus, fuit parata. *Schwarz.*

Mala caussa nunquam] Transscripsit Cassiodorus Epist. I. 22. ad fisci advocatum: 'Tunc fama nostra proficit, quando se commoditas injusta subducit. Qua propter sit interdum caussa mala fisci, ut bonus princeps esse videatur.' *Lips.*

Mala caussa nunquam] Quando ac bonus princeps male in fiscum petita remittit, quæ malus retinebat. Nam eorum duntaxat bona, qui nec heredem, nec patronum habebant superstitem, petebantur in fiscum per procuratores, qui et Romæ et in provinciis bona ejusmodi caduca legerent, tollerentque. Vide Strab. de Ægypto. Sic Tiberius hoc facto laudem captavit, sub quo mala fisci caussa erat: dum 'bona Æmiliæ Musæ, in fiscum petita, remisit Æmilio Lepido, cujus e domo videbatur.' *Bern.*

Eos procuratores habes] Aut ergo falsa sunt, quæ Aur. Victor. in Epitom. cap. 42. in Vita Constantii, de procuratoribus Trajani narrat, de quibus supra ad § 3. diximus; aut tempora sunt distinguenda; aut Plinius hic nimis oratorie exaggeravit laudem istorum procuratorum. Idem tamen Plin. Epist. VI. 31. luculentum affert exemplum Eurythmi, Cæsaris liberti et procuratoris; ex cujus quasi reverentia, cum certi here-

des accusationem institutam omittere vellent, Trajanus cum magna gravitatis humanitatisque laude dixit, 'Nec ille [libertus] Polycletus est, nec ego Nero.' *Schwarz.*

Liberum est autem] His verbis addunt codices Mss. et quidam libri impressi vocabulum *discriminis*, atque e contrario omittunt sequentia duo verba *disceptanti dicere*, hunc in modum, *Liberum est autem discriminis, nolo eum eligere.* Alii, abjecto vocabulo *discriminis*, produnt ista duo vocabula, quibus nec contextus orationis commode carere potest. Disceptanti autem dicere, nobis idem esse videtur, ac, dicere ad disceptantem, sive ad disceptatorem, aut prætorem fisci. Quæ pluribus declarare conati sumus in Excurs. XL. *Idem.*

Liberum est autem] Forte, *Liberum est tamen.* Livin.

Liberum est autem] *Liberum autem est discriminis* edit. Rhenan. sed, *discrimen iis.* Faber.

Volo eum eligere] Pronomen *eum* hic dicitur ἐπιδεικτικῶς, et quasi per demonstrationem: *volo hunc*, vel *illum* eligere, tanquam summum disceptatorem et judicem. Non pauci quidem libri, pro *volo*, habent *nolo;* quidam *noli;* cur vero *volo* præferendum videatur, in eodem Excurs. XL. expositum est. *Schwarz.*

Muneribus] Inter quæ, et boni administri. *Lips.*

Muneribus] Sen. Benef. II. 18. 'Aliquando beneficium est accipiendum et invito.' Quod quidem contra juris regulam: 'Invito beneficium non datur.' Lactantius: 'Non est beneficium, quod ingeritur reluctanti.' Ergo imperium. *Bern.*

Beneficiorum principalium summam] Catanæus evulgavit *summam gratiam;* simul tamen in altera editione commentarii sui annotavit, esse, qui hæc legant sine additione vocabuli *gratiam*, et interpretentur, *summam beneficiorum principalium*, i. e. maximum beneficiorum principis. Idem tamen additamentum Catanæi etiam exhibuere Philomusus, Lipsius, Berneggerus, Hackius, et hodie Gesnerus. Stephanus et Boxhornius hoc duntaxat in margine annotarunt. Vir celeberrimus D. Christophorus Aug. Heumannus rescribendum ingeniose censuit, *ut qui scias, hoc esse beneficiorum principalium summum.* Scilicet is non solum bona sorte datus arbiter, tom. III. lib. III. pulcherrimæ Pœciles suæ, operæ pretium duxit, primum specimen observationum nostrarum ad Panegyricum Plinii in amicam disceptationem vocare; sed etiam breves quasdam et subitas, ut ipse vocat, annotationes, quas allevet margini exemplaris sui, vel ultro nobiscum benevole communicare. Quas, uti optamus ut ipse integras inserat laudatissimæ Pœcilæ; ita nos, quotiescunque feret usus, suo quasque loco bona fide indicaturi sumus. Interim ignoscet nobis vir κριτικώτατος, quod hujus loci emendationem supervacuam, aut certe non necessariam, putemus: cum vulgatæ, et a Cellario recte retentæ, lectioni jam constet sententia, eaque Plinii stilo utique congruat. *Summam* enim *beneficiorum principalium*, æque dixit Plinius, ac Epist. X. 2. dixerat, 'videor summam voti mei consecutus;' vel Epist. VII. 27. 'Hæc summa curarum, summa votorum;' vel in ipso Paneg. LXXIV. 4. 'Pro nobis ipsis quidem hæc fuit summa votorum.' Cf. XLIV. 2. Etsi enim bene recteque dicitur, *hoc summum est beneficiorum principalium*, non tamen necesse est, ut hanc loquendi rationem huic etiam Plinii loco vindicemus. Atque idem etiam de vocabulo addito, *summam gratiam*, statuendum esse censeo. Cellario judice, 'quidam addunt *gratiam*, quod ingratum est, et contra meliores libros. Gesnerus servari cupit id nomen additum, quod abest in quibusdam [immo in pluri-

mis] libris; et abesse potest, ut *summam* fiat substantivum; sed gratiam miram huic loco conciliare judicat.' Tam diversa sunt virorum eruditorum judicia! Ego vero, etsi non dissimulo, assumentum hoc, *summam gratiam*, meis quoque auribus pergratum accidere, nondum tamen ideo ausus sum id recipere. Quod si enim ea omnia, quæ æque bene dici possunt, aut quæ nunc quidem nobis meliora et gratiora videntur, sine sententiæ necessitate, ac sine vetustorum codicum indicio, jam commutare velimus; quid tandem fiet de scriptoribus antiquis? *Schwarz.*

Non uti] Quod haud ita sub tyranno; qui 'munus suum fastidire te (ait Seneca) injuriam judicaturus est.' *Lips.*

Cap. xxxvii. *Onera imperii*] I. e. sumtus publici, qui in milites, classes, annonam, legationes, salaria magistratuum et ministrantium, faciendi erant. Hujusmodi onera vocantur Tacito Annal. lib. i. cap. 11. 'necessitates,' h. e. necessariæ impensæ; et xiii. 50. 'necessitas erogationum.' Eodem enim Tacito auctore, Hist. iv. 74. 'Nec quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis, haberi possunt.' Structura grammatica horum verborum hæc est: Onera imperii coëgerunt, vectigalia pleraque institui, ut pro utilitate communi, ita cum singulorum injuriis. Quemadmodum vero Plinius maxime occupatus est in prædicanda benignitate et liberalitate Trajani, eamque jam supra ex donativo et congiario, proxime vero ex delatoribus abactis, demonstravit; ita nunc eandem comprobandam sumit ex vectigalibus a Trajano temperatis, et sigillatim ex vicesima restricta. Ubique vero id agit orator, ut ostendat, in his omnibus Trajanum non solum superiores imperatores, sed et ipsum Nervam, parentem adoptivum, superasse. *Schwarz.*

Vectigalia institui] *Vectigalia* proprie quidem dicebantur 'portoria,' quæ ex vectura ærario, vel fisco, pendebantur: unde 'vectigal' a 'vehendo' dictum traditur, cum ex fundis fruges in urbem veherentur. Deinde vero generatim omne genus publicorum redituum sic appellatum; quæ nobis Germanis dicuntur, *anlagen*, vel *auflagen*. Cujacius opinatus est, nomen 'vectigalium' tantummodo in quadragesimam, aut centesimam, vel quinquagesimam, convenire; sed Spanhem. de Usu et Præst. Numism. tom. ii. pag. 551. demonstravit, id etiam ad vicesimam pertinere. De vectigalibus autem populi Romani elegantissimam commentationem edidit Burmannus, in cujus morte nuper gravem jacturam fecit res literaria. *Idem.*

Singulorum injuriis] 'Singuli,' id est, privati, qui universæ reipublicæ opponuntur. Gellius x. 20. 'Veteres,' inquit, 'priva dixerunt, quæ nos singula dicimus.' Ac ne privati quidem omnes intelliguntur, sed duntaxat nonnulli. Sic 'singulos' distinguit ipse Plin. Epist. l. ii. c. 5. ab 'omnibus:' 'Nam et in ratione conviviorum, quamvis a plerisque cibis singuli temperemus; totam tamen cœnam laudare omnes solemus.' Cic. Nat. Deor. i. 28. 'Athenis cum essem, e gregibus epheborum vix singuli reperiebantur pulcbri.' Hoc vero loco 'injuriæ' dicuntur incommoda, detrimenta, onera, forte etiam sine respectu ad jus; prout mox, xxxviii. 5. Plinius vocat 'orbitatis injurias.' De qua notione vocis 'injuriæ,' jam supra, ad p. 592. non nihil annotavi. Incommoda autem et onera tributorum eo acerbiora et molestiora sunt, si re ipsa accesserint injuriæ exactorum, aliorumque ministrorum; et eo tolerabiliora, si istæ absint. Hinc Tacitus Agric. cap. 13. 'Ipsi Britanni,' inquit, 'delectum, ac tri-

buta, et injuncta imperii munera, impigre obeunt, si injuriæ absint; has ægre tolerant.' Et Cicero ad Q. Fr. I. 1. 'Illa caussa publicanorum, quantam acerbitatem afferat sociis, intelleximus ex civibus, qui nuper, in portoriis Italiæ tollendis, non tam de portorio, quam de nonnullis injuriis portitorum, querebantur.' Catanæus Plinii verba ita interpretatus est, ut præpositionem *pro*, quasi ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, ex verbis, *pro utilitate communi*, retulerit etiam ad sequens κόμμα, *ita pro singulorum injuriis*. Verum, illa præpositio in hoc altero sententiæ membro locum non habet; quippe ubi potius desiderarem præpositionem *cum*, hunc in modum collocandam: *ita cum singulorum injuriis*, i. e. detrimentis et incommodis. Sic Terent. Andr. I. 1. 104. 'Ad flammam accessit imprudentius, satis cum periculo.' Cic. Verr. III. 24. 'Iter hoc sibi deposcit, ut veniret Lampsacum, cum magna calamitate et prope pernicie civitatis.' Idem Verr. V. 8. 'Tu, injussu populi ac senatus, cum maximo detrimento, atque adeo exitio vectigalium, totam Hieronicam legem sustulisti.' Sicuti vero lubens amplecterer hanc particulam *cum*, si quo in libro vestigia ejus animadvertissem; ita agnosco, eam quidem commodam fore, non tamen esse necessariam, cum nemo nesciat, talia etiam sine præpositione *cum*, dici; v. g. Cic. Philipp. I. 4. 'Brutum vidi, quanto meo dolore, non dico.' Et c. 5. 'Quis unquam tanto damno senatum coëgit?' *Idem.*

Singulorum injuriis] Id est, in commune bonum, sed cum noxa et detrimento privatorum. Aufertur enim iis aliquid et abraditur, quæ injuria aut ejus species, utilitate rependitur. 'Dissolutio enim imperii sequitur (verba Taciti Annal. XIII. 50.) si fructus, quibus respublica sustinetur, diminuantur:' quid si tollantur? *Lips.*

Injuriis] Damnis: vectigalia enim in commune quidem prosunt, privatis autem, a quibus exsolvuntur, incommodo sunt, ac detrimento. *Patarol.*

Coëgerunt] Mirum est, quanta obstinatione rudium librariorum, pro *coëgerunt*, in omnibus, quos inspexi, codicibus Mss. repositum sit *cogeretur*, quasi hic modus subjunctivus penderet a particula *ut*; quæ tamen hoc loco non est caussalis, sed comparativa. Cujus generis vitium ex simili librariorum ignorantia inquinavit etiam c. I. 1. hujus Panegyrici, cum ibi, ex eadem caussa, olim in multis libris legeretur *caperetur*, pro *capere*. Retinuerunt tamen hoc mendum etiam in libris impressis, Puteolanus, Beroaldus, et Cuspinianus. Primus veram lectionem hujus loci publicavit Catanæus an. 1506. in editione Mediolanensi; quem deinceps Aldus, Junta, et ceteri, recte sunt secuti. *Schwarzius.*

His vicesima] His, scilicet oneribus sustinendis, reperta est vicesima hereditatum; de quo genere tributi non nihil exposui in Excurs. XLI. *Idem.*

His vicesima] Augusti inventum. Adi Dionem lib. LV. et proximo. *Livin.*

Vicesima] Vulgo et plene dicta, 'Vigesima hereditatium;' cui Augustus inventor ad ærarium militare. De qua ego in Admirandis nuper, XII. 4. et olim ad Taciti Annal. XV. *Lips.*

Vicesima] Cic. Att. II. 16. Portoriis sublatis vigesima, vectigal supererat domesticum, scil. manumissorum 'vigesima quinta,' si Tacitus Annal. XII. 31. certus, aut si Dio 55. 'quinquagesima mancipiorum venalium, uti aliarum rerum centesima.' Vigesima vero, qua de hic sermo, hereditatum erat, quam peregrini, sed

civitate Romana donati, persolvebant, quando suorum hereditatem adire volebant. Hanc temperavit Nerva, et magis Trajanus, Gratianus in totum sustulit. Adde Ausonium de Gratiano, Capitolinum de Antonino Philosopho, Paull. Sent. lib. IV. tit. 6. l. ult. C. de edicto D. Hadr. toll. Aul. off. Qui colligebant, procuratores, magistri, promagistri dicti. Hæc Lips. Tacit. Annal. XIII. 31. not. 98. Excurs. C. *Bern.*

Vicesima] Vicesimam hereditatum, et legatorum, partem solvere tenebantur, qui vocati erant testamento. Sancivit Augustus, referente Dione lib. LV. atque innuente Sueton. c. 49. coactus hinc indigentia pecuniæ, illinc pressus copia immensa exercituum, qui necessario ad imperii late fusi tutelam alendi erant. Plura tributa, de numero summæ, qua constabant, nominata, olim extitisse, patet ex Historicis. Legimus enim, et quadragesimam, et centesimam, et ducentesimam, et vicesimam quintam, ut apud Tacitum, et vectigal venalium mancipiorum a Nerone remissum, &c. Pari beneficentia quadragesimam olim a Galba remissam, docet nummus, in quo literas R. XL. 'Remissam Quadragesimam' Tristanus reddidit. Clariorem refert Casaubon. ad Sueton. Galb. c. 15. ubi integræ leguntur voces, QVADRAGESIMA REMISSA. *Patarol.*

Tolerabile] Quidni? cum gaudio enim semper fructuque junctum. Et ubi largiter, sæpe inopinato, acquirebas; quid acerbi aliquid detrahi? 'Mihi sæpe mirum hodie, cum tam multa quærantur, odiosa magis, fructuosa minus; hoc tam promtum et obvium usque adhuc neglectum.' *Lips.*

Duntaxat extraneis] 'Extraneus,' secundum Festum, est 'ex alia terra, quasi exterraneus;' at 'extrarius,' qui 'extra focum, sacra, jusque sit.' Quod discrimen si ubique procederet, hoc loco potius *extrariis*, quam *extraneis*, foret legendum. Neque enim hic de *extraneis*, tanquam de exteris et peregrinis, sermo est; utpote qui, uti expertes erant juris connubiorum Romanorum, testamentorum, aliorumque jurium Quiritium; ita nec admittebantur ad hereditatem civis Romani, nec adeo pendendam habebant vicesimam. Hinc Seneca de Benef. IV. 35. ait, 'Promisi tibi filiam in matrimonium; postea peregrinus apparuisti: non est mihi cum extero connubium.' Civis enim Romanus esse debebat, qui admitteretur ad Rom. connubia; qui testaretur; cui hereditas et legatum relinqueretur, &c. Tantum hic sermo est de iis, qui quidem essent cives Romani, sed non domestici, ejusdemque foci et sacrorum participes, hoc est, non heredes sui et necessarii, et proximi consanguinei; sed quibus ex inopinato saltem, et ex sola voluntate testatoris, hereditas, aut legata, obvenirent. Hi, uti dixi, ex mente Festi, proprie 'extrarii' forent appellandi. Sed eadem notio etiam tribuitur nomini 'extraneorum,' apud auctores juris, aliosque; aut certe et alibi hæc vocabula creberrime inter se permiscentur. Ita Sueton. Claud. c. 4. 'extraneos' refert ad remotiores heredes, et legatarios, dum narrat, Claudium ab Augusto 'ne heredem quidem, nisi inter tertios, ac pæne extraneos, e parte sexta nuncupatum esse.' Etiam Quinctil. Instit. Orat. VII. 4. 'extraneos' et 'domesticos' sibi invicem opponit: 'Quod sub extraneo accusatore et legibus agente prodesse nunquam potest, in domesticis disceptationibus potest. Nam et filiis pater, . . . et maritus uxori, . . . et patri filius, . . . non inverecunde dicet,' &c. quamquam et in hoc loco non nulli libri habeant 'extrario.' In omnibus adeo exemplaribus hujus Panegyrici constanter etiam legitur *ex-*

traneis. Schwarz.

Extraneis] Nam Augustus ipse etiam exceperat τοὺς πάνυ συγγενεῖς, ἢ καὶ πένητας, *plane conjunctos sanguine, aut pauperes.* Lips.

Irrogatum] I. e. imperatum, impositum. Thomas Ceva, in notulis suis non bene interpretatus est per 'confirmatum.' Frequenter alias dicitur, alicui 'irrogare pœnam, mulctam, exsilium, supplicium;' sed idem verbum etiam de tributis et vectigalibus impositis recte dicitur. Quæ formula loquendi fluxit ex institutis reipublicæ liberæ Romanorum; quia ibi neque pœna gravior, neque tributum et vectigal, imperari potuit, nisi magistratus antea rogaret, sive interrogaret populum, velletne, juberetne, ut hoc, vel illud, fieret. Unde et plures aliæ natæ sunt loquendi formulæ; v. g. 'legem rogare,' 'abrogare;' 'legi obrogare,' 'derogare,' 'arrogare filium;' 'prorogare alicui imperium,' &c. *Schwarz.*

Seu potius non laturi] Hæc verba sunt omissa in codice Ms. Parisiensi, et meo; ac nescio, quam facile iis carere posse videatur oratio. Retinenda tamen sunt propter auctoritatem ceterorum librorum omnium, cum figuram efficiant, quam rhetores vocant ἐπανόρθωσιν. In expositione autem ita explenda, *seu potius quam non laturi*. Vis enim particulæ *quam*, jam latet in antecedente voce *quanto*. Cf. Arntzenius, et Gesnerus. *Idem.*

Destringi aliquid et abradi] Eleganti translatione in utroque hoc verbo utitur Plinius, ut significet, quam invitis ægrisque animis hominum per vicesimam aliquid detractum fuerit hereditatibus et legatis. 'Destringere,' est quasi compressa manu detrahere; propriam sedem habet in frondibus, avenis, et similibus, quæ destringi dicuntur. Ab hoc distinguitur verbum 'distringere,' quod notat, in partes diversas distrahere. Hæc vero duo verba sæpissime a librariis confundi, docet Cuper. Obs. IV. 5. p. 67. seqq. 'Abradere' similiter pro auferre, surripere, dicitur, et quidem proprie per dolabram, limam, aut novaculam, ut Columella de arboribus, c. 10. dixit: 'Arida et vetera, falce quæ amputari non possunt, acuta dolabra abradito.' Inde transfertur ad bona, et alia. Terent. Phorm. II. 2. 19. 'Unde aliquid abradi potest.' Nos Germani hæc apte reddimus per *abzwacken*. Idem.

Quæ sanguine, gentilitate] Plinius his verbis indicat tres caussas et occasiones, ob quas ad aliquem pervenerint hereditates etiam ab intestato. Prima est ob 'sanguinem,' id est, ob cognationem consanguineorum, quales cum primis erant heredes domestici, v. g. filii et filiæ, nepotes et neptes, ex filio nati, qui essent in potestate morientium. Altera caussa erat 'gentilitas,' i. e. agnatio ex eadem gente et familia. Secundum Festum, 'gens' appellatur, 'quæ ex multis familiis conficitur.' Scilicet, sicut apud Romanos erant gentes ejusdem generis, v. g. gens Cincia, Cornelia, Tullia, &c.; ita gentes hæ rursus in varias stirpes et familias abibant; prout e Cornelia gente extiterunt familiæ Scipionum, Sullarum, Lentulorum, Cinnarum, Dolabellarum. Qui adeo ex eadem stirpe familiaque prodierant, vocabantur 'agnati;' qui ex eadem gente, 'gentiles.' Ergo, deficientibus heredibus suis, et domesticis, vocabantur ad hereditatem 'agnati proximi;' et, deficientibus 'agnatis proximis,' succedebant 'gentiles:' ut sic a domo ad familiam, a familia ad gentem, procederetur. Videtur vero Plinius 'gentilitatis' nomine 'agnatos' et 'gentiles' complecti. Tertia caussa, sive occasio, ob quam hereditas ad aliquem transiret, erat 'societas,' sive 'communio sacrorum,' qua nihil certiorem spem successionis afferebat, ita ut, qui 'sacrorum' participes heredesque es-

sent; ii etiam participes heredesque bonorum familiæ esse intelligerentur. Scilicet sacra Romanorum alia erant publica, quæ publico sumtu pro populo fiebant; alia privata, vel domestica, quæ certis familiis et gentibus erant propria, et fiebant pro salute familiæ, et gentis, aut singulorum ad familiam gentemque pertinentium. Cujusmodi 'sacrorum privatorum' et 'gentilitiorum' rationes, præter ceteros, luculenter explicavit Gutherius de Vetere Jure Pontificio, IV. 6. et 7. Licet igitur heredes sui, et agnati, gentilesque, item et alii testamento instituti, si hereditatem capere vellent, etiam 'sacris istis privatis' simul alligarentur; utpote quæ perpetua esse debebant; plures tamen etiam alii erant modi, quibus cavebatur, ne tunc etiam, si nemo relictus esset heres, vel ab intestato, vel ex testamento, ista sacra familiarum interirent. Sic enim, teste Cic. de Leg. II. 16. jure pontificio constitutum erat, ut non solum alligaretur sacris familiæ, 'qui morte testamentove patrisfamilias [e legato] tantundem cepisset, quantum omnes heredes;' sed etiam, 'si nemo esset heres, is obstringeretur sacris familiæ, qui de bonis, qui ejus fuerint, cum moreretur, usucepisset plurimum;' h. e. qui majorem bonorum partem usucepisset, et anno, vel biennio, cum paterfamilias sine alio herede moreretur, possedisset. Adhæc, 'si et nemo esset, qui ullam rem cepisset,' is in sacra familiæ transibat, 'de creditoribus mortui qui plurimum servaret.' Denique et 'is, qui ei, qui mortuus esset, pecuniam debuisset, neminique eam solvisset, proinde habebatur, quasi eam pecuniam (ex hereditate) cepe-rit,' adeoque sacris iisdem obnoxius erat, quibus creditor fuerat adstrictus. Quemadmodum vero omnis hereditas habebatur onerosa, cui alligata erant 'sacra privata;' propterea, quod in sacrificia, et sacerdotes, epulasque, haud exigui sumtus quotannis essent faciendi; ita onus istud eo gravius evadebat, si præterea per vicesimam non parum detraheretur bonis hereditariis. *Idem.*

Gentilitate] Deficientibus consanguineis substituebatur non nunquam testamento quis ex eadem nomine familia, ut et inter nos pariter usu venit. Hic ex gentilitate heres fieri dicebatur. *Patarol.*

Sacrorum denique societate] Nam et sacra privata sua familiis erant, atque ea pro nota, et vinculo. Inde 'transire in gentem et sacra:' itemque, 'hereditas cum sacris,' aut 'sine sacris,' in Plauto. *Sine*, inquam, cum in gentem adoptione non transitur. *Lips.*

Sacrorum denique societate] Aut, quia sacrum matrimonium, multiplicium cognationum seminarium; aut potius, quia cives Rom. habebant sacra hereditaria ex Lege XII. Tab. quinta, qua cavebatur, ut pater filiusque heres eadem sacra colerent. Unde 'filius non amplius in sacris,' Jctis. est 'emancipatus,' hoc est, de potestate patris missus, quod demum est, sui juris factus. Vid. Rad. Forner. Rerum Quotid. III. 29. Taubmanni Plaut. in Capt. IV. 1. not. 8. *Bern.*

Sacrorum societate] Lipsius et Raynaus intelligunt de sacris familiarum; unde proverbium, 'Hereditas cum sacris,' et 'sine sacris.' *Patarol.*

Ut sua] Namque, qui in jure vocantur 'heredes sui,' v. g. filii, jam vivo adhuc patre, habebantur quodam modo *συνδεσπόται*, et domini bonorum familiæ, ita, ut eorum successio non tam hereditas esse videretur, quam continuatio possessionis et dominii. Id quod paullo pluribus illustratum est in Excurs. XLII. *Schwarz.*

Hæc mansuetudo legis] Scilicet, ut domestici heredes, sive *πάνυ συγγενεῖς*, ut Dio loquitur, itemque paupe-

riores, seu quibus hereditas tantum exilis obvenerat, succederent absque onere vicesimæ solvendæ. *Idem.*

Veteribus civibus] Vocabulum *civibus* male omissum est in cod. Vaticano 3461. in Parisiensi, et Guelpherbytano; in Salisburgensi postliminio est adscriptum. 'Veteres cives' erant Romani, in urbe oriundi; nam 'cives novi,' qui vel per jus Latii vel privilegio et indulgentia imperatoris venerant in civitatem, etsi jam domicilium fixissent in urbe, et aditum nacti essent ad suffragia et honores; si tamen non cognationis jura a principe peculiari rescripto simul essent consecuti, a parentum et agnatorum hereditatibus erant exclusi; immo, si consecuti præterea essent cognationis jura, et per hæc admitterentur ad hereditates, adhuc tamen, tanquam novi cives, post vectigal vicesimæ ab Augusto institutum, onus pendendæ vicesimæ, h. e. solvendi quinque pro centum, sustinebant; a quo onere autem immunes erant veteres cives, quibus integra cognationum jura erant reservata. Vide Spanhem. in Orbe Romano, Exercit. II. 3. *Idem.*

Veteribus] Qui tempore ejus tributi invecti fuissent. *Lips.*

Novi] Deinceps facti. *Idem.*

Per Latium] Quibus Latinitas data, ut plerisque coloniis, ii plene cives fieri poterant, tribus fere modis: vel si magistratum domi gessissent; sive stirpe domi relicta Romam migrassent; sive denique nave, pistrino, ædificio. Nam de lege Servilia, ut eventu jam raro, omitto. Qui igitur, inquit Plinius, ex Latio cives facti erant, ii non fruebantur hoc indultu. *Idem.*

Per Latium] Per jus Latii, seu Latinitatis, per quod externi in cives Romanos adsciscebantur; solebatque jus hoc coloniis concedi. *Patarol.*

Per Latium] i. e. per jus Latii, cujus præcipua vis fuit, ut, qui in opido Latino, vel jure Latii donato, magistratum, h. e. duumviratum, vel ædilitatem, vel quæsturam, gessisset; item, qui stirpe ex se domi relicta, Romam se contulisset, civis Romanus esset, talemque se Romæ gerere posset; etsi hujusmodi novi cives, quod modo dixi, nondum ex omni parte pleno jure veterum Quiritium fruerentur. Interim, per se jam melior erat conditio Latinorum, quam Italicorum et provincialium. Hi enim nullum talem aditum ad civitatem Romanam habuere, nec potuere quidpiam testamento civis Romani capere, adeoque nec lege vicesimæ fuere obstricti. Plura, quæ ad jus Latii pertinuere, plena manu, præter ceteros, exposuere Sigonius de Jure Italiæ, cap. 4. et Spanhem. in Orbe Romano, passim. *Schwarz.*

In civitatem] Multi libri, nempe Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Aldi, Cuspiniani, Rhenani, Gryphii, Sichardi, Cellarii, pro casu quarto exhibent sextum, *in civitate.* Scio, ad exemplum Græcorum, qui particulas ἐν et εἰς identidem inter se permutant, etiam in Latinis scriptoribus non pauca loca inveniri, ubi præpositio *in* extra ordinem, et contra regulam grammaticam, aut cum quarto casu conjungatur, quando sextum adsciscere deberet, aut sextum sibi adjunctum habeat, quando regula ei casum quartum assignaret; sed scio et illud, hujusmodi locorum scripturam in diversis libris plerumque diversam reperiri, ut sæpe hæsites, utrum structura illa extraordinaria a primis auctoribus, an a librariis, dimanarit. Proinde in hoc loco structuram ordinariam et regularem secutus sum, quam omnes codices Mss. nec pauci libri typis excusi comprobant. Maxime autem me permovit indoles stili Pliniani, quem nec alibi hujusmodi Græcismo nimis delectatum esse deprehendi. Nec est, quem facile moveant exempla dubia Plinii,

quæ non nulli, Epist. x. 46. 65. et 85. observasse sibi visi sunt. *Idem.*

In civitatem] *In civitate* edit. Rhenan. sed *in civitatem*. Faber.

Beneficio principis] Nam jam olim libera rep. imperatores civitatem dabant, sed ut populus firmaret: qui non magis nunc princeps? Crebrum erat, et Plinii aliquot epistolæ sunt lib. x. quibus civitatem amicis aut clientibus suis petit a Trajano, impetratque. *Lips.*

Beneficio principis] Olim Romana civitas suffragiis populi dabatur: postea imperatores ex placito atque auctoritate eam contulere. *Patarol.*

Beneficio principis] Exempla civitatis Romanæ, beneficio principis concessæ, suggerit ipse Plin. Epist. x. 4. 5. 6. 22. 23. 105. et 107. *Schwarz.*

Cognationis jura] i. e. jura familiæ, qualia erant, ut liberi essent in potestate patria, ut essent in sacris iisdem, ut possent patri etiam ab intestato succedere, &c. Nisi enim illa jura simul cum civitate Romana, aut seorsum, post illam, impetrata essent a principe, tunc, ante Nervæ et Trajani constitutiones, novi cives, tanquam alienissimi, istis juribus haud fruebantur, etiamsi proximo gradu essent conjuncti. Erant enim ea jura propria veteribus. Unde mihi persuasum habeo, quoties Plinius a Trajano petierit non nullis, v. g. iatraliptæ suo, item libertis Antoniæ Maximillæ, Epist. x. 4. et 22. 'jus Quiritium;' eum videri simul ista cognationis jura petiisse; quoties vero simpliciter petierit 'civitatem Romanam,' tunc eum in vulgari principis indulgentia concedendæ civitatis acquievisse. Quando ergo Ulpian. Fragm. III. 2. scribit, 'Beneficio principali Latinus civitatem Romanam accipit, si ab imperatore jus Quiritium impetravit;' tunc arbitror, eum intelligere civitatem Romanam optimo jure, et loqui de subsecutis temporibus. *Idem.*

Cognationis jura] Quia illa transitione in civitatem divulsi a suis videbantur, qui nondum cives; atque ita alieni extraneique habebantur, nisi princeps seorsim tribuisset. *Lips.*

Instar erat odii] Cod. Vaticanus, et Guelpherbyt. converso ordine habent *instar odii erat*. Behrius pro *instar* substituere voluit *caussa;* sed nec huic mutationi addicit alius liber, nec eam exigit necessitas. Immo, ne Plinius quidem dicere voluit, civitatem Romanam, quæ non adjuncta habeat jura cognationis, caussam esse odii, discordiæ, et orbitatis; quamobrem nec recte verba interpretatus est Cellarius, dum scripsit, civitatem Romanam fuisse materiam odii ac discordiæ: sed, eam saltem habere quasi horum similitudinem, cum homines consanguineos, et natura conjunctissimos, v. g. patrem a liberis, liberos a patre, ratione quorundam jurium et effectorum civilium, ita abjungat, et quasi separet, ut, nihilo minus 'salva ipsorum pietate,' et naturali amore, adeoque etiam absque odio et discordia, atque orbitate, videantur alienissimi et disjunctissimi. *Instar* vero, ut ex lexicis constat, est nomen μονόπτωτον, quod similitudinem, simulacrum, vel speciem significat, vel, ut Servius ad Virgil. Æn. II. 15. monet, *instar* est 'ad similitudinem.' *Schwarz.*

Orbitatis] Quia pater a filiis, filii a patre, abjungebantur, nec cognati censebantur. *Lips.*

Carissima pignora] Sub finem hujus capitis Plinius hæc *pignora* vocat 'sanctissimas necessitudines.' 'Pignus' proprie dicitur, quod datur, ut creditor sit securus rei creditæ. Deinde generatim accipitur pro documento, et argumento idoneo, seu certo signo; uti munus quoddam dicimus esse 'pignus amoris.' Porro, *pignora* etiam frequenter appellantur liberi; quoniam hi videntur esse veluti pignora vinculi et caritatis inter maritum et uxorem. Sed et latius, uti hoc lo-

eo, *pignora* dicuntur proximi quique consanguinei et necessarii. Sic Quinctil. Instit. Orat. VI. 1. 'Quare et obsecratio illa judicum per carissima pignora, utique si reo sint liberi, conjux, parentes, utilis erit.' Plinius ipse, Epist. I. 12. tam late accipit nomen pignorum, ut et cognatos quosque, et amicos, complecti videatur: 'Præterea habet Corellius filiam, uxorem, nepotem, sorores, interque tot pignora, veros amicos.' Ceterum, in proximis verbis, *salva ipsorum pietate*, i. e. sine violatione pietatis ipsorum, grave mendum admisit editio Beroaldi, dum pro *ipsorum* prodidit *impiorum*. Schwarz.

Amor nominis nostri] I. e. tantum cuperent gestirentque cives Romani esse et fieri. *Idem*.

Inesset] Codex Vatic. 3461. et Salisburgensis, item et Guelpherb. pro *inessent* habent *erat*. Codex vero Parisiensis male intrudit particulam *non: nominis nostri non inesset*. Ita et codex Venetus, in initio hujus periodi, pro *tamen* perperam prodit *inde*. Idem.

Affinitatum] Duo codices Vaticani et Guelpherb. habent numerum singularem, *affinitatis*. 'Affines' κατ' ἐξοχὴν dicuntur viri et uxoris cognati, secundum Modestinum, lib. IV. π. de Gradibus, dicti ab eo, 'quod duæ cognationes, quæ diversæ inter se sunt, per nuptias copulantur, et altera ad alterius finem accedit.' Horum igitur cognatio stricte et proprie dicitur 'affinitas,' sive jus quoddam inter unum conjugem et alterius cognatos constitutum. Verum, cum ejusmodi 'affinitatis jure nulla successio permitteretur,' Cod. l. 7. Commun. de Success. 'affinitas' in hoc Plinii loco improprie et latissime accipienda est, ita ut etiam consanguinitatatem, sive conjunctionem consanguineorum et propinquorum, complectatur. Et nescio, annon et Festus de Verbor. Signif. hanc ampliorem notionem in mente habuerit, cum hæc scriberet, 'Affines in agris vicini, sive consanguinitate conjuncti.' Atque ut exempla quædam latioris hujus significationis, quæ ex jure civili et canonico afferuntur, nunc præteream; ipse Plinius noster, Epist. VIII. 18. 8. 'affinitates' vocat, quas usitatius cognationes et arctissimas necessitudines vocare potuisset. Laudat enim ibi testamentum Domitii Tulli, in quo ille, præteritis captatoribus, non solum filiam, quam genitam fratre adoptaverat, reliquerat heredem; sed etiam nepotes, et pronepotem, plurimis legatis prosecutus erat: nihilominus scribit, in hoc testamento 'affinitatibus, pro cujusque officio, gratiam relatam esse, relatam et uxori.' *Idem*.

Damno bene compensari] Fateor, hunc locum ab initio non nihil me solicitum habuisse, adeo ut miratus sim, eum, tanquam facillimum, a viris doctis prætermissum esse, qui tamen aliquando in locis facilioribus illustrandis nobilem industriam collocant. Noveram, usitato loquendi more, dici, 'Labores gloria et præmiis; id quod violatum est, officiis; damna et incommoda, lucro; mortem prælmaturam, immortali memoria; obsequium beneficiis,' et alia aliis rebus 'pensari,' vel 'compensari.' Arbitrabar igitur, Plinium, etiam hoc in loco, vel revera scripsisse, vel scribere debuisse, .. *ut Romana civitate, non vicesimæ modo, verum etiam affinitatum, damna bene compensari putarent*. Et certum sane est, Plinium hunc in modum scribere potuisse. Sed nullus liber manu scriptus, nullus impressus, quædam hujus variationis vestigia indicavit. Immo, quod deinceps animadverti, nec opus est ut de hoc loco mutando aut corrigendo cogitemus. Solus Lipsius, quasi eminus quidem, ostendit rationem exponendæ hujus orationis, dum hæc pauca verba annotavit: 'Cicero sic loquitur Fin. II.

30. 'compensabatur cum summis laboribus lætitia;'' ubi additur particula 'cum.' Secus dicimus, 'vicesimæ damnum civitate compensari.' Nimirum observamus, in usu horum verborum, 'pensare,' 'compensare,' 'repensare,' occurrere quasi quandam ὑπαλλαγὴν, ita ut aliquando duplicem admittant constructionem, salvo quidem eodem sensu. Sic loquitur Velleius II. 12. 'Marius hac victoria videtur bona malis repensasse.' Si invertas hæc posteriora verba, 'mala' [pristina, a se profecta,] 'repensasse bonis,' habebis eandem et usitatiorem quidem clarioremque sententiam. In priore enim structura Velleius dicere quasi voluit, 'bona pro malis repensasse.' Idem Vell. II. 115. 'Imperatori nunquam adeo ulla opportuna visa est victoriæ occasio, quam damno amissi pensaret militis.' Nonne Velleius idem expressurus fuisset, si, velut inverso ordine, dixisset, 'qua damnum amissi militis pensaret,' sive 'compensaret?' Adhuc Velleius II. 21. 'Cn. Pompeius decessit; cujus interitus voluptas, amissorum, aut gladio, aut morbo, civium pæne damno repensata est.' Converte postrema verba, et habebis eandem sententiam: 'cujus interitus voluptate damnum civium, aut gladio, aut morbo, amissorum, pæne repensatum,' sive 'compensatum est.' Simili loquendi ratione usus est Ovid. Heroid. Epist. III. 50. 'Tot tamen amissis te compensavimus unum;' ubi Heinsius, secundum usitatam constructionem, maluit, 'Tot tamen amissos te compensavimus uno.' Et Gronov. Obs. IV. 13. dixit, etiam posse legi, 'Tot tamen amissos tecum pensavimus uno.' In quo versu loquitur Briseis de marito et tribus fratribus in bello amissis, aitque, se horum jacturam uno Achille compensasse. Cujus vero loci vulgatam scripturam defendit et illustravit Burmannus. Nec alienus fuit Cicero ab hac loquendi forma. Refero huc locum a Lipsio ostensum, Fin. II. 30. 'compensabatur tamen cum omnibus [morbis et doloribus] animi lætitia.' Sed et dicere potuisset, 'Hi omnes morbi et dolores compensabantur animi lætitia.' Pariter Justin. v. 2. 'Sciebant, Alcibiadem parata cum amissis imperia pensare.' Potuisset et hic dicere, 'amissa cum paratis imperia pensare;' h. e. ut περιφράζει Gronov. 'sciebant, Alcibiadem tantum imperii recepisse, quantum perdiderat.' Itaque laudatissimus Burmannus bene observavit ad citatum Ovidii locum, 'illas locutiones, in quibus sint mutationes utrinque, reciprocas fere esse;' prout de verbo 'mutare' notarit Bentleius ad Horat. Od. II. 15. 19. et Sat. II. 7. 109. ubi nempe Bentleius docet, etiam verbum 'mutare' duplicem recipere constructionem, ut eodem plane sensu possis dicere, 'mutavit patriam exsilio,' et 'mutavit exsilium patria.' Interim verba Plinii vernacula nostra bene luculenterque expressit Dammius: *Gleichwohl fanden sich immer leute, die so grosse begierde nach unsern namen hegeten, dass sie glaubeten, die ehre des Römischen bürgerrechts könne nicht nur gegen den zwanzigsten pfennig, sondern auch gegen den schaden in ihrer verwandschaft, gar wohl gleich gerecknet werden.* Idem.

Reductus esset] Liberi quidem, jure naturæ, ubique sunt in potestate parentum: at, quia potestas patria Romanorum esset juris Quiritium, cujus non participes essent homines conditionis peregrinæ; immo, cum nec cives Romani recens facti eo tempore retinerent filios in sua potestate; necesse erat, ut, si liberi succedere gratis vellent bonis paternis, ex beneficio principis reducerentur in patris potestatem. Sic vero jam 'reducti' incipiebant jure Quiritium esse in potestate patria. Unde hæc formula: 'si modo filius reductus esset in patris potestatem,' et XXXVIII. 7.

'si modo filius in potestate patris fuisset,' συνωνύμως dicuntur, et unam eandemque rem significant; neque necesse est ut pro voce *reductus*, cum Cujacio et Baunio, reponamus *redactus*. Sed de hoc loco paullo plura dixi in Excurs. XLIII. *Idem.*

Reductus esset] Forte, *relictus esset*. Livin.

Reductus esset] Exierat enim, si ipse donatus civitate; sive etiam, si pater; nam deminutione hac capitis, id est, status, civilis illa potestas solvebatur. Festus, 'Deminutus capite appellatur, qui civitate mutatus est.' *Idem.*

Reductus esset] *Redactus esset*. Faber.

Reductus esset] Monuit manus Bongarsii, Cujacium legere *redactus esset*, qui adeatur super ea voce, Obs. x. 23. *Grut.*

In patris potestatem] Forte, *in patris potestate*. Livin.

In patris potestatem] Legibus Romanis circa successiones, etiam cognatis delatas, ea ratio habebatur, ut patri aut matri, civibus Romanis, filius peregrinus, aut Latinus, non posset ex testamento, vel ab intestato, civilique aut honorario jure succedere, nisi civitatem, aut jus Quiritium, prius impetret. Quare olim cum civitas liberis peteretur, hoc etiam addi solitum, ut in parentum potestatem redigantur. Plin. in Ep. 9. ne alioquin et in successione testamentaria pro alienissimis haberentur, ac proinde ac ceteri extranei vigesimam hereditatis fisco penderent. cap. 37. Vide Petr. Fabr. p. 151. 152. *Bern.*

Inseri publicanum] Verbum *inseri* pulchre dicitur de iis qui, quasi alieni, sive jure sive injuria, inseruntur familiæ. Sueton. Ner. c. 4. 'Insertus est et Liviorum familiæ, adoptato in eam materno avo.' Tacitus Annal. XIII. 14. usus translatione ab insitione surculorum, 'insitum et adoptivum' vocat. Idem Annal. VI. 2. 'Cum repente Togonius Gallus, dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit, per deridiculum auditur.' Val. Max. VI. 7. ext. 1. 'Inserit se tantis viris mulier alienigeni generis.' Ovid. Met. XIII. 35. 'Furtisque et fraude simillimus illi Inserit Æacidis alienæ nomina gentis.' Deinde veteres hoc nomine generatim utuntur de iis qui se cuicunque rei immiscent. Vide Burmannum ad Quinctil. Decl. IX. 14. et Barth. ad Stat. Theb. XI. 208. Sic idem verbum a Plinio eleganter accommodatur ad *publicanum*, qui cum exigeret vicesimam hereditatum, se alienis familiis quasi coheredem inserere videbatur. Publicani enim, sicut cetera vectigalia redemerunt, quod potissimum e Cic. pro Lege Manil. patet; ita etiam vicesimas hereditatum redemisse et exegisse videntur. Unde Plin. Ep. VII. 14. 'Quanti a publicanis partem vicesimam emisti.' Atqui hi publicani ex officio vicesimarum colligendarum aliquando simpliciter appellabantur 'vicesimarii,' ut apud Reines. Inscript. XIII. 43. Qui adeo his vicesimis exigentibus præerat, aut curam vicesimæ agebat apud ærarium, 'procurator XX. hereditatium,' item 'promagister XX. hereditatium' dicebatur. Vetus inscriptio apud Grut. pag. CCCCXXXVII. 7. PROC. XX. HERED. CCCCXXVI. 5. CCCCLVII. 8. PROMAGISTRO. XX. HEREDITATIVM. Vide Cellarium ad Plin. Epist. VII. 14. et Burmannum de Vectigal. Populi Rom. c. 11. *Schwarz.*

Publicanum] Nota per eos igitur exactum collectumque hoc vectigal. *Lips.*

Extraneos] Secundum Justinian. Inst. de Heredum Qual. et Differ. § 3. 'extranei heredes' appellantur, qui testatoris juri subjecti non sunt (sive alioquin naturaliter consanguinei et agnati, sive cognati, fuerint). 'Itaque liberi quoque nostri, qui in potestate nostra non sunt, ex-

tranei heredes videntur.' Sic filii emancipati, sic filii civium novorum Romanorum, si non simul cum patre jus civitatis et cognationis impetrassent, habebantur 'extranei.' Sic parentes etiam æstimabantur 'extranei,' quorum filii quidem jus civitatis Romanæ consecuti essent, ipsi autem parentes eo carerent. *Schwarz.*

CAP. XXXVIII. *Optimum adoptaturus*] Rursus exemplum videmus, quam miro codicum Mss. consensu corruptela alicujus loci fuerit propagata: in Vaticanis enim codicibus, Parisiensi, Veneto, Guelphico, Salisburgensi, et meo, immo etiam adhuc in Puteolani et Beroaldi exemplaribus impressis, desideratur vox *optimum,* quam primus evulgavit Catanæus. Per hunc *optimum* autem designatur Trajanus. *Idem.*

Delibasse quædam] Plurimi codices Mss. habent *deliberasse.* Atque ita hæc duo verba a rudibus librariis crebro confusa esse, multis aliorum scriptorum exemplis allatis docet Arntzenius. *Delibasset* procuderunt Puteolanus, Catanæus, Aldus, Philomusus. Quod utcunque tolerari possit; rectius tamen recipitur infinitivus *delibasse,* quem jam evulgarunt Beroaldus, Cuspinianus, ceterique editores, ut referatur ad vocem *contentus,* et conjungatur cum infinitivo *demonstrasse.* Verba autem 'libare' et 'delibare' proprie notant, leviter degustare, et quasi vix primis labris attingere. Petronius c. 36. 'Tum illa carnis etiam paullulum delibat.' Deinde eleganter transferuntur ad notandum parciorem cujuscunque rei usum et experimentum. Cic. de Orat. I. 34. 'Libandus etiam ex omni genere urbanitatis quidam lepos.' Plinius infra, LIV. 3. dixit, 'honores delibare parcissime.' Atque ita passim pro leviter attingere, decerpere, et quasi libando minuere, dicitur. Cic. pro Sext. c. 56. 'Ut omnes undique flosculos carpam atque delibem.' Servius ad Virgil. Æn. I. 256. 'Oscula libavit natæ,' leviter, inquit, tetigit. *Idem.*

Liberalitas tua adstruxit] *Adstruxit,* i. e. adjecit, addidit. Vide supra ad XXXV. 4. Utitur vero Plinius, per quandam enallagen, abstracto *liberalitas:* ubi dicere potuisset, 'Statim ergo muneri ejus liberaliter adstruxisti.' Ita et alibi sæpius loquitur; v. g. mox, in hoc capite, 'Nemo recentem et attonitam orbitatem ad computationem vocet.' Epist. X. 1. 'Tua quidem pietas . . . optaverat.' Item Epist. X. 3. 'Indulgentia tua me hortatur.' Præter alios, Phædrus cum primis abstractis crebro usus est, ut sententia apertior grandiorque esset; adeoque vitium, virtutemve aliquam, aut affectionem cujuspiam, pro ipso homine, aut animante, ponit; v. g. Fab. I. 4. 'Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.' I. 5. 'Verum decepta aviditas.' I. 6. 'Sic totam prædam sola improbitas abstulit.' II. 5. 'Tunc sic jocata est tanti majestas ducis.' Cf. Barth. Advers. LII. 3. Ceterum, in hac particula liberalitatis Trajani prædicanda Plinius fere nimius fuisse videtur. Quantillum enim beneficii Trajanus contulit in populum Romanum, cum constituit, ut in hereditate filii pater immunis esset a vicesima solvenda; cum ante eum jam Nerva sanxisset, ut filius in hereditate paternorum bonorum frueretur immunitate? Equidem videas quotannis tot facile filiorum, quot patrum, funera efferri: at rarius in adolescentia, aut juventute, moriuntur filii, qui jam propria habuerint bona, quæ transmittant ad patrem; rarius etiam in virili ætate e vita decedunt filii, qui non jam mariti, ipsi suos relinquant liberos. Et hæc forte caussa fuit, propter quam Nerva non eandem constitutionem suæ adjecerit liberalitati. Recte enim Lipsius: 'Nerva,' inquit, 'naturæ ordinem vidit, secutusque est,

ex qua magis justum, certe votivum, filium patri succedere, quam contra. Itaque, quia hoc et rarius, nec ita ex naturæ ordine, id neglexit.' *Idem.*

Quod fuisset] Trajanus naturæ vinculum intuitus, quod putavit civili constitutione non solvi. Itaque etsi civiliter desinebat pater esse, attamen quia ante civiliter fuerat, et nunc quoque naturaliter erat, habuit immunem. *Lips.*

Lacrymas parentum] Plinius, μετωνυμικῶς locutus, significat, Trajanum non passum esse, ut luctus parentum, ex orbitate filii ortus, obnoxius esset vectigali, i. e. conjungeretur cum onere vectigalis vicesimæ, ex relicta filii hereditate solvendæ. *Schwarz.*

Vectigales] Subjectas vectigali, obnoxias vigesimæ. *Lips.*

Socium hereditatis] Scilicet, fiscum aut, nomine fisci, publicanum, qui paullo inferius, § 5. per nomen 'coheredis' designatur. *Schwarz.*

Qui non habet luctus] Scilicet, socium. Lipsius quærit, an legendum *quem non habet.* 'Nam potest sane,' inquit, 'in filii morte consortes habere luctus, etsi non fiscum.' Ita *quem,* pro *qui,* legere maluit Rittershusius noster, maluit Bongarsius, et Gruterus. Hanc conjecturam jam recepere Behrius, Hearne, Cellarius, Patarol. Et fateor, eam perquam accommodatam esse sententiæ Plinianæ. Quia vero huic conjecturæ nullus codex Ms. nullaque antiquior editio succurrit; nec necessaria esse videtur; cum, Arntzenio recte judicante, Plinius non generatim loquatur de aliis luctus sociis, sed sigillatim de fisco, facileque hæc sententia sic suppleri possit, *nec* [fiscum] *socium hereditatis accipiat, qui* [eum] *non habet* [socium] *luctus;* igitur nondum duxi recedendum esse a lectione vulgata. *Idem.*

Attonitam orbitatem] I. e. patrem orbatum filio, ideoque attonitum. *Patarol.*

Liberalitas existimanda est] Cod. Vatican. Guelph. et liber Vossianus habent *æstimanda est;* at Arntzenius jam ad Aur. Vict. Cæs. XXXVIII. 5. et ad h. l. observavit, ista duo verba sæpe a librariis in antiquis codicibus inter se commutari solere. *Schwarz.*

Ratio non constat] 'Ea conditio est imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur,' Tacit. Ann. I. 6. Mirum est, 'quam singulis diebus in urbe ratio aut constet, aut constare videatur, cunctisque non constet,' Plin. Ep. I. 9. 4. Adde Spartian. in Valent. Cum autem pares sunt rationes, constant. Die Rechnungen treffen zu. *Bern.*

Cui ratio non constat] H. e. liberalitas, quæ temere fit, sine caussa justa et honesta, sine judicio et deliberatione. Etenim, quod Cic. Offic. I. 14. ait, 'beneficentia ac liberalitas habet multas cautiones.' Et cap. 15. 'Multi enim faciunt multa temeritate quadam, sine judicio vel modo, in omnes, vel repentino quodam quasi vento, impetu animi incitati: quæ beneficia æque magna non sunt habenda, atque ea quæ judicio, considerate, constanterque delata sunt.' Val. Max. IV. 8. 1. 'Liberalitatis duo sunt maxime probabiles fontes; verum judicium, et honesta benevolentia. Nam cum ab his oritur, dum demum ei ratio constat.' Plin. Epist. II. 4. 4. 'Liberalitas ita temperanda est, ne nimia profusione inarescat; sed temperanda in aliis; in te vero facile ratio constabit, etiam si modum excesserit.' Usitata Plinio dicendi formula, a rationibus deducta, quæ tum 'constare' dicuntur, si accepta et expensa bene conveniunt, aut legitima summa computationi respondet. Cortius ad hanc epistolam. Cf. Plin. Epist. I. 5. 16. I. 9. 1. III. 18. 10. VII. 6. 4. IX. 2. 5. X. 20. 3. *Schwarz.*

Orbitatis injurias] I. e. damna, sive

calamitatem. Vide supra, ad XXX. 2. *Idem.*

Sic quoque] Elegantem usum harum particularum non possumus non observare, cum reconditum quendam sensum afferant, ac significent, jam etiam per se aliquid fieri, vel faciendum esse, cum quid factum, aut non factum; item, jam personam vel rem, de qua sermo est, sua natura esse talem, qualis est. *Sic quoque,* i. e. jam per se, [*schon an sich selbst*] etiam cum onus vicesimæ non impositum, *abunde misera res est pater filio solus heres.* Pari modo locutus est Tacitus, Plinii æqualis, Annal. IV. 40. 4. 'Sic quoque erumpere æmulationem feminarum, eaquè discordia nepotes convelli: quid, si intendatur certamen tali conjugio?' 'Sic quoque,' i. e. jam per se etiam, cum nullum tale sit matrimonium, et caussa discordiæ, 'erumpere æmulationem feminarum,' etc. Idem Annal. XV. 17. 2. 'Sic quoque optimam fortunam orandam, ut pedes confectus spatiis itinerum, alacrem et facilitate camporum prævenientem equitem assequeretur.' Curtius VII. 8. 13. 'Sic quoque concupiscis, quæ non capis,' i. e. jam etiam, cum Dii habitum corporis aviditati animi tui parem esse noluerint, tua natura 'concupiscis, quæ non capis.' Ad sequentia verba, 'pater filio solus heres,' in margine annotaverat Livineius, scil. 'sine nepotibus;' quasi Plinius dicere voluerit, tum demum miseram rem fore, si filius decessisset nullis relictis liberis, et sic sine iis solus hereditatem cerneret pater. Negat Arntzenius, hunc verum hujus loci esse sensum; putatque, 'solum heredem' hic esse, si nullum alium heredem in testamento adscripsisset ipse filius. Sed utique censeo, istum verum Plinii esse sensum. Loquitur enim de successione ab intestato, non ex testamento: sic revera indicium miserrimæ orbitatis erat 'pater filio solus heres.' Et quod solatium ad patrem redundasset, si filius peregrinum coheredem adscripsisset patri? *Idem.*

A filio] Nec testamento ejus datum, nec ei junctum, qualis est fiscus, quem lex ingerit. *Lips.*

Illam exceptionem] Cod. Salisburgensis, pro voce *exceptionem,* habuit *acceptionem;* sed jam antiqua manus reposuit *exceptionem.* Scilicet ista verba fuerunt in edicto Nervæ; quam autem exceptionem Trajanus, ut se benigniorem ostenderet, sustulit. Quod si vero Trajanus jam illo tempore, quo hic panegyricus habitus est, removit istam exceptionem, voluitque, ut, etiamsi filius non esset in potestate patris, paternam tamen hereditatem caperet; nescio, cur postea Plinius Epist. X. 6. cum a Trajano peteret, ut liberis Chrysippi, Epigono et Mithridati, daret civitatem, tamen necesse putarit, simul a Trajano petere, ut hi liberi essent in patris potestate. *Schwarz.*

Vim legemque naturæ] In codice Salisburgensi legimus *videlicet legem naturæ.* Sed credo, hanc varietatem ex compendiis scribendi ortam esse. *Idem.*

Semper] Etiam grandes et adultos, etiam patre digniores, potentiores. Huc enim sequens comparatio spectat. *Lips.*

In ditione parentum] 'Στέργειν sive *diligere* parentes, naturæ prima lex est,' Val. Max. V. 4. 7. quam sequuntur omnia animalia. At vero τιμᾶν, *parere,* est juris gentium et tantum hominum. Homo igitur, qua homo est, etiamsi sit fortior, imbecilliori tamen parenti obsequitur, morem gerit, patriam tuetur: qua autem animal naturæ ductu nemini nisi viribus superiori cedit, jus in viribus ponit. *Bern.*

In ditione] I. e. in potestate. Ita Cicero identidem utramque vocabulum conjungit; v. g. pro Quinct. c. 2. 'Omnes, quorum in alterius manu

vita posita est, sæpius illud cogitant, quid possit is, cujus in ditione ac potestate sunt, quam quid debeat facere.' Hic intelligitur 'potestas patria,' quæ naturali ratione est jus utrique parenti competens in personas, actiones, et bona liberorum, ut eo dirigantur, ut liberorum felicitas et communis familiæ societatisque humanæ utilitas, procuretur. Ea ipsa potestas, secundum leges Romanas, non solum morte patris, sed etiam maxima et media diminutione capitis patris vel filii; præterea emancipatione, et adoptione ab adscendente facta, solvebatur. Justinian. Instit. Tit. quibus modis jus patriæ potestatis solvitur. Secundum vero jus naturæ, ea dici potest perpetua, propter indelebilem paternitatis characterem et perennem paternorum meritorum beneficiorumque fructum; quamvis usus et exercitium ejus potestatis pro ratione finis determinetur. Certe, ex legibus naturalibus honestatis et decori, liberi semper et per omnem ætatem, etiamsi e familia egressi, etiam grandes et adulti ac patre digniores et potentiores, ut recte monet Lipsius ad h. l. auctoritatem parentum revereri debent. Qua de re plura exposui in disputatione de Limitibus Pietatis Liberorum erga Parentes. *Schwarz.*

CAP. XXXIX. *Abstulisse vicesimæ*] I. e. exemisse vicesimæ, aut liberasse et vindicasse ob onere vicesimæ. Sic loquitur Plinius etiam Epist. VI. 20. 11. 'effusoque cursu periculo aufertur,' i. e. liberatur a periculo. Aliam structuram hujus verbi sequitur Plaut. in Asin. I. 3. 11. 'Solus solitudine te atque ab egestate abstuli,' i. e. liberavi et vindicavi te a solitudine et egestate. Censentur vero in primo cognationis gradu, pater, mater, liberi; in secundo gradu, frater, soror, avus, avia, neptis, nepos. Vide Julii Paulli Sentent. Recept. lib. IV. tit. 11. de Gradibus. *Idem.*

Exemit cavitque] Sub finem proximi capitis alloquebatur Plinius præsentem Trajanum: 'Tu quidem, Cæsar, illam exceptionem removisti.' Nunc tanquam de absente loquitur in persona tertia. Suspicor, illam personæ mutationem, quæ aliquoties in hoc Panegyrico occurrit, identidem profectam esse a Plinii frequenti emendatione orationis suæ; dum modo ex suo ingenio, modo ex admonitione amicorum, quibuscum eam ipsam orationem ante editionem communicaverat, quædam inseruit, quædam demsit, aliterque mutavit. Certe, si quis diligenter attendat inter legendum, non obscura sententiarum quarundam quasi postliminio intercalatarum vestigia deprehendet. Ceterum, notandus hic est usus singularis verbi 'cavere,' dum cum particula *ut* constructum, dicitur de iis qui vel lege vel testamento aliquid constituunt ac sanciunt. Sic usus est hoc verbo Cicero, cum de testamento Epicuri loqueretur, Fin. II. 31. 'Epicurus . . . tam accurate tamque diligenter cavet et sancit, ut Amynomachus et Timocrates, heredes sui, de Hermachi sententia dent, quod satis sit, ad diem agendum natalem suum quotannis.' Sueton. Domit. c. 9. 'Legatum etiam ex testamento Rusci Cæpionis, qui caverat, ut quotannis, ingredientibus curiam senatoribus, certam summam viritim præstaret heres suus, irritum fecit.' Curtius VI. 11. 20. 'Lege Macedonum cautum (i. e. sancitum) erat, ut propinqui eorum qui regi insidiati erant, cum ipsis necarentur.' Ipse Plin. Epist. VI. 4. 'At ille mandaverat caveratque, ut divinum illud et immortale factum versibus inscriberetur.' *Idem.*

His quoque] In codicibus Mss. Salisburgensi, Guelpherb. et meo, pro *His*, legitur *Iis*. Hæc prænomina sæpissime inter se permutari, præter

alios, annotavit Longolius ad Plin. Epist. x. 84. 3. *Idem.*

Per Latium] De hac formula jam supra ad xxxvii. 3. dictum. Sed in hoc loco alia latet difficultas, quam plurimi commentatores transilierunt. Quid enim sibi vult Plinius his verbis? 'His quoque, quibus per Latium civitas Romana patuisset, idem indulsit.' Nonne enim ea quæ Plinius de immunitate vicesimæ hactenus dixerat, jam pertinent ad novos cives Romanos, qui vel beneficio principis vel per jus Latii venirent in civitatem? Certe veteribus civibus Romanis non opus erat ejusmodi indultu, cum iis jam Augustus remisisset vicesimam, ubi eam primum instituit. Agnosces ergo aliquam difficultatem, cum Plinius nihilo minus dicat, 'His quoque, quibus per Latium civitas Romana patuisset, idem indulsit;' quasi Plinius antea de aliis, quam jure Latii civitatem Romanam consecutis, dixisset. Solus Lipsius attigit hunc locum, sed attigit levissime et hinc non nihil obscurius. 'Non solum,' inquit, 'qui beneficio principis. An hoc dicit, Qui tantum Latini cives?' Nisi vehementer fallor, duplicem hujus loci interpretationem attulit Lipsius: primam, ut putarit a Plinio sic significari, Trajanum non solum iis novis civibus Romanis, qui peculiari privilegio et beneficio principis consecuti essent jus civitatis Romanæ; sed etiam iis qui per jus Latii in eam venirent, immunitatem vicesimæ indulsisse. Secundum alteram interpretationem Lipsii, Plinius significare voluit, Trajanum etiam eos qui se non contulissent Romam, sed qui tantummodo Latii cives, jure Latii usi, in coloniis provinciisque viverent, immunes a vicesima pronuntiasse. Verum, neutra hæc interpretatio stare potest. Posterior enim repugnat historiæ vicesimæ: cum ii qui mero jure Latii utebantur, nec jure Romano testamenta condere, nec ex testamento hereditatem capere possent, adeoque, nec vicesimam solvere deberent. Prioris interpretationis sententia est vera; sed ea non exhaurit sensum orationis Plinianæ. Plinius enim quasi distinguit inter novos cives Romanos, qui tempore Trajani, sive ejus peculiari privilegio, sive per jus Latii, consequerentur civitatem Romanam, de quibus hucusque dixerat; et inter ejusdem generis cives Romanos, quibus jam ante Trajani tempora civitas Romana patuisset obvenissetque. Non solum igitur iis, a se factis civibus Romanis, sed et his, jam a superioribus principibus in civitatem receptis, concessit Trajanus eandem immunitatem. Ergo, in verbis Plinianis, vel ante verbum *patuisset*, excidit particula *ante* sive *olim*; vel ea certe ibi subandiri debet, cum sit verbum temporis plusquamperfecti. Immo sic Plinius prædicat singulare genus benignitatis Trajani. Cum enim priores quidam imperatores non facile concederent confirmarentque civibus ea jura et privilegia, quæ ab antecessoribus impetrassent, nisi et ipsi demisse rogarentur; Trajanus videtur sine nova singulorum rogatione et sine nova confirmatione, etiam iis omnibus civibus Romanis, qui per jus Latii ante se venissent in civitatem, immunitatem vicesimæ indulsisse. Tale quid jam Suetonius laudavit in Tito c. 8. 'Cum ex instituto Tiberii omnes dehinc Cæsares beneficia, a superioribus concessa principibus, aliter rata non haberent, quam si eadem iisdem et ipsi dedissent, primus præterita omnia uno confirmavit edicto, nec a se peti passus est.' *Idem.*

Commisit simul] In libro Vossiano, pro verbo *commisit* legitur *communis it*, et in Puteolani editione *communi sit*; verum hæc scriptura, vel ex corrupto verbo *commisit*, vel ex glossa supra scripta *communicavit*, orta est; cum forte alius verbum *commisit* per

communicavit fuerit interpretatus; neque id male, cum Cic. Attic. VII. 12. etiam ista conjunxerit: 'Quid ille mihi non commisit? Quid non mecum communicavit?' Arntzenius verbum *commisit* interpretatur per 'conjunxit;' eumque in finem varia affert exempla ex Ovidio Heroid. Epist. XI. 21. Virgilio Æneid. lib. III. vs. 428. Seneca Herc. Œt. c. 82. Val. Flac. VI. 491. &c. Non nego, notionem istam conjungendi aliquando huic verbo subjectam esse; quod vel ex nomine derivato 'commissura' patet; verum, quod pace viri docti dixerim, neque ista notio, neque exempla, eorumque structura, huc satis quadrant. Rectius verbum 'committere' hic generatim per 'dare,' 'tradere,' 'concedere,' explicatur. Equidem proprie alicui aliquid 'committere' dicimur, cujus fide utimur; unde et denominatio 'fideicommissi' orta. Unde 'committere' aliquid amplius notat, quam 'dare;' v. g. apud Cic. in Verr. v. 14. 'Ita quæstor sum factus, ut mihi honorem illum non solum datum, sed etiam creditum ac commissum, putarent:' hoc tamen non obstat, quin et generalis notio dandi, tradendi, aut conferendi, in hoc verbo locum habeat. Sic 'terræ semina committi' dicuntur. Sic Claudian. Laud. Seren. vs. 194. dixit, 'commissosque labor sic gessit honores.' Cicero quidem pro Font. cap. 14. fidei notionem ita adstrinxit verbo 'committere,' ut notionem potestatis et arbitrii ab eo sejunxerit: 'Frugi hominem,' inquit, 'judices, videtis positum in vestra fide ac potestate, atque ita ut commissus sit fidei, permissus potestati.' Nihilominus ista alibi conjungit; v. g. pro Domo sua, cap. 13. 'Omnium civium salus ... bona, fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, fidei, potestatique, commissa creditaque esse videntur.' Suspicabar primum, an verbum *commisit* forte scriptum sit pro *permisit;* cum et alibi aliquando ea verba confundantur. Sic vero Terent. Andr. I. 5. 61. ait, 'Bona nostra hæc tibi permitto, trado, mando;' verum non necesse est ut aliquid mutetur. Quid enim? si vel maxime dicas, sic significari, etiam Trajanum fidei novorum civium jura cognationum ita commisisse, ut iis non in damnum, sed commodum, reipublicæ, uterentur. Ceterum, in his Plinii verbis, codex Vaticanus 3461. et Salisburgensis, pro *simul,* exhibent *semel;* ac in meo codice desiderantur voculæ *et pariter.* Idem.

Priores principes] Sueton. in Tito c. 8. 'Cum ex instituto Tiberii, omnes dehinc principes beneficia a superioribus concessa principibus, non aliter rata haberent, quam si eadem iisdem et ipsi dedissent; primus præterita omnia uno confirmavit edicto, nec a se peti passus est.' *Lips.*

Quanti spiritus] Nomine *spiritus* si translate utuntur auctores aureæ Latinitatis, id fere in vitio ponunt, pro arrogantia et animi elatione. Cujus notionis exempla afferre supersedeo. Ab aliis vero, uti et a Plinio hoc loco, etiam in meliorem partem laudemque accipitur, pro magnanimitate et quadam animi celsitate. Sic Vell. I. 3. 'divini spiritus viri' dicuntur Æschylus, Sophocles, Euripides. Val. Max. III. 7. extr. 7. 'Capax,' inquit, 'generosi spiritus illud quoque dictum regis Cotys.' Et IX. 1. ext. 6. 'Quapropter deliciis tam enerves animi spiritum exercitus nostri sustinere non potuerunt.' Petron. cap. 118. 'Neque generosior spiritus vanitatem amat.' Curtius v. 8. 'Vos obtestor, ut nobilitate vestra gentisque dignos spiritus capiatis.' Florus v. 6. 'O singularem animum ac spiritum populi Romani!' *Schwarz.*

Sparsas atque laceras gentilitates] De 'gentilitate' jam supra ad XXXVII. 2. dixi. Gentilitates igitur ac familiæ 'sparsæ' et 'laceræ' sunt divi-

sæ et distractæ, ac quasi mutilatæ. Patre enim civitate donato, nec simul jura cognationum consecuto, filii, ac multo magis alii cognati, et vice versa, pro extraneis et alienis habebantur, adeoque sic familiæ et gentilitates veluti mutilabantur et distrahebantur. In vocibus 'sparsæ' et 'laceræ,' elegans latet metaphora. Verbum 'spargere' proprie locum habet in seminibus, et aquis spargendis; deinde ad multa alia transfertur. Auctor ad Herenn. IV. 2. 'Hoc ipsum summum est artificium, res varias et dispares, in tot poëmatibus et orationibus sparsas, et vage disjectas, diligenter eligere.' Liv. lib. XXXVII. cap. 13. 'Sparsam tempestate classem vidit.' Fest. 'lacerum' dicitur, 'quodcunque in corpore est imminutum.' Hanc vocem, uti et verbum 'dispersit,' Sil. Ital. IV. 646. eleganter transtulit ad amnem, cujus vis aquarum diminuitur, et spargitur in varios rivos, inde deductos: 'Lacerum per Gallica rivis Dispergam rura, atque amnis tibi nomina demam.' *Idem.*

Sparsas] Transitione hac in civitatem. *Lips.*

Imputandique] Ut supra XXIII. 3. inscribendi beneficii, demerendi. *Idem.*

Imputandique materiam] I. e. materiam bene merendi, et loco beneficii adscribendi. De verbo 'imputare,' vide supra ad XX. 2. Alias axioma politicum est, principi crebram benefaciendi occasionem esse amplectendam. *Schwarz.*

Dii dedissent] Nescio, quo modo in his verbis commune mendum aliquot occuparit codices Mss. nempe Vaticanum 1475. Parisiensem, Salisburgensem, et librum Vossianum; in quibus omnibus vocabulum *Dii* prætermissum: Salisburgensi tamen postliminio adscriptum est. Sic et in codice Veneto legitur *quod non dedisset.* Idem.

Sorores estis et fratres] Ita hunc locum restituendum censui, nixus auctoritate codicum Vaticanorum, Guelpherbytani, libri Vossiani, et primi Gudiani. Ac, quamquam ceteri libri omnes habeant *Sorores estis, et frater, avus et nepotes;* nescio tamen, cur numerus singularis commisceatur cum numero multitudinis. Nullum hic agnosco necessarium ordinem naturæ, ut unus frater et plures sorores, unus avus et plures nepotes, semper in familia existant; cum æque facile fieri possit, ut una soror et plures fratres, unus nepos et duo avi, paternus nempe et maternus, reperiantur. Quemadmodum igitur Plinio placuit, sub initium hujus capitis, hæc omnia nomina cognationis numero singulari exprimere, cum diceret, 'Cavit imperator, ut in sororis bonis frater, et contra, in fratris soror, utque avus et avia in neptis nepotisque, servarentur immunes;' ita nunc ei visum fuit, forte variandæ orationis caussa, eadem nomina generatim nomine multitudinis exprimere. Nec præterea habuit Arntzenius, ut in hac emendatione dubiam Latinitatem nescio quam vereretur. *Idem.*

Quid est ergo, cur rogetis] *Quid est ergo, cur egetis.* Vitiosa qua lectio, qua distinctio. In V. lego, *cur regitis, &c.* Aperte verum est, *cur rogetis, ut sitis? Vobis estis.* Paullo ante, ubi est *Sorores estis,* emenda meo periculo, *Soror estis.* Livin.

Cur rogetis] Omnino verum, *cur rogetis,* Livineio quoque visum. Distingue autem, *cur rogetis, ut sitis? vobis estis:* quasi dicat, et estis fratres, et vobis estis tantum; non fisco, qui nil jam decerpit. *Lips.*

Cur rogetis] Legebatur in omnibus fere *cur egetis? ut sitis.* Sic reposui fretus auctoritate editionum Genevensium, et conjectura Livineii ac Lipsii. *Patarol.*

Vobis estis] Cogitabam primum, an forte exciderit præpositio *a,* ut legi

debuerit, *a vobis estis;* hoc est, per vos, et per ipsam naturam estis fratres, &c. nec opus est, ut tales a principe declaremini; ut Cicero loquitur de Fin. II. 24. 'Sed ipsum a se oritur, et sua sponte nascitur.' Verum non opus est aliqua mutatione, cum et dativus commodi hic locum habere possit, quasi Plinius dixerit, Quidquid commodi ex vestra cognatione redundare potest, ad vos per naturam pertinet, non ad fiscum. Josephus Scaliger, commemorante Thoma Hearne, sic locum hunc legendum censuit: *Cur egetis, ut sitis? Vobis est is, qui pro cetera sua moderatione, &c.* Sic satis ingeniose; sed sine calculo vetustæ alicujus auctoritatis. Bene stare potest vulgata lectio, in posterioribus verbis; neque, ut Arntzenius putat, jam ante idem dixerat Plinius. Dixerat quidem supra, 'Sorores estis,' &c. sed non dixerat, 'Sorores vobis estis.' *Schwarz.*

Quid?] Hanc interrogandi et admirandi vocem restitui e codice meo; quæ etiam conveniens est stilo Plinii, utpote qui et alibi sententias sic connectit; v. g. XIII. 3. 'Quid? quum solatium fessis, ægris opem, ferres.' XLVII. 1. 'Quid? vitam; quid? mores juventutis, quam principaliter formas!' LXXX. 1. 'Quid? in omnibus cognitionibus quam mitis severitas!' Olim in omnibus exemplaribus *Qui* pro *Quid* legebatur. Lipsius conjecerat, reponendum forte *Quin*; sed certiorem scripturam suggerit codex noster, cujus indicium etiam secuti sunt Gesnerus et Arntzenius. *Idem.*

Dare hereditatem] Non simpliciter invidiosum est *dare hereditatem;* sed tunc demum, si princeps videri velit, ex singulari gratia et clementia dare alicui hereditatem, cui tamen ea jam ipso jure naturæ, propter sanguinis conjunctionem, debeatur. Recte Terent. Andr. II. 1. 30. 'Ego neutiquam officium liberi hominis esse puto, Cum is nihil promereat, postulare, id gratiæ apponi sibi,' i. e. interprete Donato, Non puto hominem liberum et ingenuum, qui, cum nihil præstet, haberi gratiam sibi poscat. Hinc Phædr. I. 22. 8. 'Noli imputare vanum beneficium mihi.' *Idem.*

Dare] Nova petitione, quam sustulit, et semel universe dedit. *Lips.*

Adite honores] In coloniis vestris. Hoc enim ad Latinos pertinet, qui (ut dixi) civitatem Romanam adipiscebantur, domi honoribus gestis. *Idem.*

Adite honores] Aberravit calamus librarii in codice Vaticano 3461. dum pro *adite* pinxit *audite.* His vero verbis Plinius nominatim homines Latini juris adhortari videtur, ut honores et magistratus in coloniis suis suscipiant, per quos, jam salva cognatione naturali, aditum ad consequendam civitatem Romanam sibi præmunire possint. Ergo Trajanus tunc nondum promiscue omnibus Latinis integra jura civitatis Romanæ permiserat. *Schwarz.*

Civitatem] Nostram. *Lips.*

Hoc necessitudinis abruptum] Sic dictum, ut 'læta et prospera stationis,' 'usurpata collium,' 'dubia bellorum,' 'incerta fortunæ,' 'lata camporum,' 'tempestatum incerta,' 'aspera laborum,' et similia, quæ tum hoc Panegyrico, tum aliis passim occurrent, poëtis quam oratoribus propria. Sic enim Lucret. 'strata viarum:' Propert. 'levitatis dura:' Horat. 'amara curarum:' alii alia. *Livin.*

Abruptum] Abruptio et disjunctio. Dissociabantur enim, qui civitatem mutabant. *Lips.*

Hoc necessitudinis abruptum] I. e. Hæc necessitudo abrupta. Hujusmodi loquendi formulas, in quibus adjectivum neutrius generis loco substantivi ponitur, ex aliis auctoribus ad hunc locum annotarunt Livineius et Arntzenius. Sic ipse Plinius nos-

ter supra xxx. 4. dixit, 'usurpata collium;' et Epist. viii. 4. 'Obsessa castris montium abrupta.' Quinctil. Decl. v. 4. 'In tristissimæ necessitatis positus abrupto.' Voluit hoc loco Plinius dicere, Ob mutatam civitatem, in posterum disjunctio quædam necessitudinum et cognationum neminem ita deseret, ac quasi nudabit, ut, exempli caussa, pater, a filiis sejunctus, similis sit arbori truncatæ, cui rami sui sunt amputati. 'Truncus' hoc loco non est substantivum, alias particula ἐγκλιτικὴ que non stare posset cum voce 'amputatum;' sed est adjectivum, pro 'truncatus;' quasi dicat, Neminem velut truncatum amputatumque destituet abrupta hæc necessitudo sive cognatio. Hac translatione usus et Liv. xxxi. 29. 'Urbs trunca, sine senatu, sine plebe.' Ita pater, cujus filii non sunt in ipsius potestate, dici potest 'pater truncus sine liberis.' *Schwarz.*

Velut truncum] Tanquam a patre jam abscissum, aut contra a filio patrem. Hærent et manent tales, interpretatione Trajani. *Lips.*

Pignoribus] I. e. liberis, conjuge, parentibus, avo, nepotibus, sanctissimis necessitudinibus; qui omnes dicuntur 'carissima pignora.' Vide celeberr. Schultingium ad Quinctil. Decl. i. 3. et supra ad xxxvii. 4. *Schwarz.*

Honestiores perfruentur] I. e. honoratiores, nempe honore et jure civitatis Romanæ aucti. 'Honestus' alioqui proprie is dicitur, qui probus est, et virtute præditus; propterea, quod talis præ ceteris honore dignus: attamen et pro 'honorato' dicitur, sive is virtute, sive alio modo, honorem sit consecutus; item pro homine lautioris sortis, et bonis fortunæ abundante; quia tales vulgo honorantur. Plaut. Capt. ii. 3. 32. 'Qui me honore honestiorem semper fecit, et facit.' Cic. ad Fam. ii. 15. 'Faveo Curioni; Cæsarem honestum esse cupio;' i. e. honoratum in dignitate sua. Brutus et Cassius, in Cic. ad Famil. xi. 3. 'Te cupimus in republica libera magnum atque honestum esse.' Petron. cap. 41. 'Nihil amplius interrogavi, ne viderer nunquam inter honestos cœnare.' Sueton. Aug. c. 46. 'Ac necubi, aut honestorum deficeret copia; aut multitudinis soboles;' ubi 'honesti' opponuntur plebeiæ multitudini. *Idem.*

Sed honestiores] Vidi, qui exponeret, ob commoda hereditatum. Johannes Maria Catanæus ad immunitatem vigesimæ trahebat. Neuter, meo animo, bene: nam beneficium maximum sentit, Romanæ civitatis, cum iidem post correctionem Trajani a vigesimæ onere solverentur. *Livin.*

Honestiores] Civitate aucti. *Lips.*

Ac ne remotus quidem] Recte monuit Gesnerus, et ante hunc laudatus Dammius, hinc novum caput incipiendum esse. Quemadmodum enim Plinius proxime exposuit, qua moderatione Trajanus usus sit in dispensandis gradibus cognationis; ita nunc commemorat, quem modum idem tenuerit in quantitate hereditatis vicesimæ subjicienda; dum a modica hereditate nihil delibandum statuerit Cæsar. Ceterum hæc verba in plurimis codicibus Mss. inquinata sunt mendo; dum in iis *remotius* scriptum est. Sic et in sequentibus, pro verbo *cogetur*, in codice Vaticano 3461. *cogeretur*, in Guelpherbytano *cogeres*, in meo *cogentur*, vitiose est exaratum. *Schwarz.*

A qualibet] Altera moderatio Trajani, qui non in gradibus solum dispensavit, sed in modo hereditatis. Si ea modica, et intra talem summam, (non est expressa uspiam) nihil delibatur. *Lips.*

Vicesimam inferre cogetur] *Vigesimam ut prius inferre cogetur* G. *Livin.*

Cap. xl. *Serviet*] Id est, exponetur, sive impendetur, attribuetur. Calpurnius ad Nemesian. Ecl. ii. 70. 'totum tibi serviet hornum.' Petron.

in fragm. ap. Burm. p. 668. 'Ac totus tibi servit honor.' Sed occurrit in hoc verbo quædam varietas. Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Aldus, Cuspinianus, Junta, Philomusus, Rhenanus, R. et H. Stephani, Gryphius, Sichardus, Navius, Livineius, Lipsius, Gruterus, et alii exhibent *servetur*. Contra codex Vaticanus 3461. Guelpherbytanus, et liber Vossianus habent *totam sepulcro, totam funeri, servet*. Verum, in codice Veneto legimus, prout evulgamus, *tota sepulcro, tota funeri, serviet*. Quam lectionem jam in margine annotârunt Gryphius, Sichardus, H. Stephanus, Claudius Minoë, Elzevir, et Rivinus, eandemque jam in contextum orationis receperunt Boxhornius, Kirchmaierus, Cellarius, Patarol, et Thomas Hearne; cui etiam nunc locum dedit Gesnerus. Omnes quidem hæ tres lectiones videntur habere, quo se tueantur, ambiguamque nobis faciant optionem. Neque codex Ms. Parisiensis, neque Salisburgensis, neque noster, explicant dubium; cum in his tribus perperam scriptum sit, *et, si ita gratus heres volet, tota sepulcro, tota funeri, servet*. Pari enim ratione hæsites, utrum in hoc verbo litera *i* elisa, *servet* repositum sit pro *serviet*; an, decurtatis ultimis duabus literis, *ur*, aut, omisso harum literarum compendioso signo, *servet*, pro *servetur*, locum invenerit; an denique in adjectivo *tota*, bis prætermissa fuerit ultima litera *m*, aut hujus literæ signum. Interim retinui verbum *serviet*, quod perspicue exprimit codex Venetus, et quod ratione temporis, magis, quam verbum *servet*, congruit cum primo hujus periodi verbo, *carebit*, et eum ultimo, *adsistet*. Schwarz.

Nemo observator] Id est, nemo, sive publicanus sive alius ab hoc subornatus, tanquam custos publicus, adstabit, ut observet, ac speculetur, an nihil in fraudem vicesimæ fiat; neque ut inquirat, quid reprehendat ac coërceat. 'Observare' enim est aliquid oculis animoque ad instar speculatoris et insidiatoris custodire. Unde verba hæc conjunxit Cic. in Orat. c. 62. 'Non enim id agit, ut insidietur, et observet; sed jam favet, dicendique vim admirans, non inquirit, quod reprehendat.' Et Q. Cic. de Petit. Consul. c. 14. 'Fac, ut competitores se abs te custodiri atque observari sciant.' Hinc ducitur nomen 'observator,' quo etiam usus est Seneca Epist. 41. 'Sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos.' Pro hoc, 'speculatoris' nomen posuit Prudent. in Hymno Matutino, vs. 105. 'Speculator adstat desuper, Qui nos diebus omnibus Actusque nostros prospicit.' 'Castigator' autem proprie dicitur, qui coërcet et moderatur, atque aliquid intra modum suum et decorem redigit; generatim vero, qui quovis modo in peccantes animadvertit. Sic Plinius Major, XVIII. 17. 'Luxuria segetum castigatur dente pecoris in herba duntaxat.' Vide Burmann. ad Petron. p. 238. Terent. Heaut. III. 3. 31. utrumque verbum, a quo hæc nomina descendunt, conjungit: 'Quid illum porro credis facturum, Chreme, Nisi eum, quantum tibi opis Dii dant, servas, [i. e. observas,] castigas, mones?' Ceterum, pro sequenti verbo, *adsistet*, Ceva in editione sua exhibuit *adsidet*; sed dubito, an ex quodam codice Ms. *Idem*.

Cuicunque modica pecunia] In codice Ms. Vaticano 1475. in Parisiensi, Veneto, Salisburgensi, et libro Vossiano; item in plurimis libris excusis, locus hic sic expressus legitur, *Cujuscunque modi ea pecunia ex hereditate alicujus obvenerit*. Livineius et Lipsius in quibusdam libris repererant *cujuscunque modica pecunia*; quam lectionem iidem nondum quidem receperunt, sed probarunt tamen, ita vero, ut et pro subsequenti voce *ali-*

cujus, rescribendum conjecerint *alicui*. Quæ correctio in voce *alicui* etiam placuit Rittershusio; nisi quod hic pro *cujuscunque modi*, etiam maluerit reponere *cujusque modi*. Sed omnino nostra nobis lectio genuina videtur. Vocabulum enim *modica*, pro quo male scriptum fuerat *modi ea*, (cujusmodi erratum etiam alibi observavit Scioppius,) jam in libris quibusdam observatum Livineio et Lipsio, prout modo diximus, placuit; idque Gruterus, Puteanus, ac Patarol, recte admisere in contextum orationis; cum idem nunc e scriptura trium codicum Mss. Vatt. 1775. 1776. et 3461. itemque Guelpherbytani, confirmare possimus. In voce *alicujus* nihil est mutandum; propterea, quod locum recte obtinet, et unanimi omnium librorum suffragio stabilitur. Sola prima vox *cuicunque* huic periodo ex correctione fuit restituenda; cum, restituta voce *modica*, sic prorsus incongruens evaderet oratio, *cujuscunque modica pecunia ex hereditate alicujus obvenerit;* cumque facile appareat, cur τὸ *cuicunque* in *cujuscunque* degeneraverit; nempe propter voces subsequentes vitiose scriptas, *modi ea*. Sic vero ex hac emendatione, quæ vestigiis antiquæ scripturæ quatuor codicum veterum Mss. eorumque adhuc superstitum, insistit, quamque jam agnovit Petrus Faber Sanorianus, in notulis suis ad hunc Panegyricum, editioni Parisiensi an. 1643. adjectis, facillima, et planissima, et digna Plinio, nascitur sententia. Sicuti enim Plinius modo generatim dixerat, ex edicto Trajani in posterum carere debere onere vicesimæ parvam et exilem hereditatem; ita nunc indicat, ex eodem edicto, *cuicunque*, i. e. sive domestico et cognato, sive extraneo, illam immunitatem obtingere debere, dummodo hereditas foret modica; cum e contrario ex opulenta hereditate partem vicesimam solvi oporteat. Nihilo minus hæc emendatio Arntzenio approbari non potuit; quia nempe ei tum Plinius idem videatur dicere, quod jam antea dixerit, 'parva et exilis hereditas;' quod hic repetere esset otiosum. Verum, non plane idem sic dicit Plinius; cum subjectum hujus immunitatis, uti loquuntur logici, significantius exprimit, neque hoc Trajani beneficium leviter, ac quasi sicco pede transilit, eleganti simul usus ἐξεργασίᾳ, quod schema non labem aliquam, sed ornamentum, affert orationi. Taceo, si Arntzenii lectio, et ejus interpretatio locum habeat, Plinium dicere debuisse, *quocunque modo et nomine pecunia ex hereditate alicujus obvenerit, &c.* Idem.

Cuicunque modica pecunia] *Cujuscumque modi ea pecunia.* Ita repperi in omnibus, excepto G. in quo vera lectio *Cujusc. modica pecunia.* Superiore capite statuerat Trajanus, affinium parvam et exilem hereditatem a vigesima immunem esse, hoc præterea, ut *cujuscunque*, id est, etiam affinitate non conjuncti, hereditas, dum ea tenuis ac modica esset, vigesimam ne penderet. *Livin.*

Cuicunque modica pecunia] Quidam libri *cujuscunque modica;* quod amplector, statim tamen legendo *alicui* pro *alicujus*. Sententia est, Cujuscunque ea parva pecunia fuerit, agnati vel extranei, non refert: nihil pendit. *Lips.*

Cuicunque modica pecunia] Edit. Rhenan. *cujuscunque modi ea pecunia;* sed *cuicunque modica pecunia.* Faber.

Cuicunque modica pecunia] *Cujuscumque modica pecunia ex hereditate alicujus obvenerit.* Placet conjectura Livin. *alicui*. Sed pro *cujuscumque modi*, malim reponere *cujusque modi*. Rittersh.

Ex hereditate alicujus] Forte, *Ex hereditate alicui*. Livin.

Ad periculum ejus perveniri] I. e. lex dicta est a Trajano, ut nemo vicesimam solvat, nisi qui ex opulenta

hereditate dives fiat. Uti Ciceroni usitatæ sunt loquendi formulæ, alicui ab vel ex aliquo, sive ab aliqua re, periculum esse; v. g. 'ab altera victoria tibi periculum nullum esse, perspicio;' item, 'propter studium novæ laudis in veteris fortunæ discrimen vocari;' item, 'in discrimen' vel 'periculum, famæ, existimationis,' et similium, 'venire' sive 'devenire;' ita Plinius hoc loco dicit *opibus*, i. e. propter opes, sive opulentam hereditatem, *ad periculum vicesimæ* (solvendæ) *pervenire*. Sic idem Plin. Epist. v. 16. 'Tandem homines non ad pericula, ut prius, verum ad honores, virtute perveniunt.' Observent vero juniores elegantem particularum, *nisi - non*, collocationem; cum Plinius non secundum vulgarem loquendi rationem dicat: ut ad periculum vicesimæ perveniri *non nisi* opibus possit. *Schwarz.*

Optat heres] Nec enim dabit, nisi dives. *Lips.*

Ut vicesimam debeat] Quia id ex instituto Trajani indicium obtentæ opimæ hereditatis erat. *Schwarz.*

Ejusmodi ex caussis] H. e. ex iis capitibus, quæ Trajanus in lege vicesimæ correxit. *Idem.*

Ejusmodi ex causis] Hoc est, ex iis capitibus, quæ Trajanus correxit: sequitur, *in idem edicti*, scilicet a Trajano propositi. *Livin.*

In diem] *In idem* edit. Rhenan. Rectius habet editio Gryphii anni 1551. *in diem*. Juret.

In diem edicti] *In idem edicti* Livin. in textu. Sed in margine, *In diem edicti* C. G.

In diem edicti] *In idem edicti* edit. Rhenan. sed, *in diem edicti*. Faber.

In diem edicti] I. e. usque in diem novi edicti a Trajano propositi: alias *ad diem*. Sed sic etiam, præter alios scriptores, Jureconsulti veteres passim loquuntur; v. g. π. de Administratione et Peric. Tutorum, l. LIII. 'Si in diem finitæ tutelæ idonei permansissent tutores,' &c. Vide Arntzenium ad h. l. Ex perversa autem literarum transpositione mendum occupaverat hunc locum in multis hujus Panegyrici libris. Pro voce enim *diem*, legimus *idem* in codice Guelpherbytano, et in editionibus Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Aldi, Rhenani, Philomusi, Juntæ, R. et H. Stephanorum, Navii, Livineii, Boxhornii, Elzeviri; in reliquis vero codicibus Mss. et excusis, recte proditur *diem*; quam lectionem primus evulgavit Cuspinianus. *Schwarz.*

At in] Forte, *et in*. Livin.

In præteritum] *In hoc fortuna jus perdidit, nec id in ullius arbitrium reduci potest.* Sen. Ben. VI. 2. 'Quæ ad nos pervenerunt, ne sint, effici potest; ne fuerint, non potest; licet omnes in hoc vires natura advocet, retro illi agere scilicet non licet.' Adde judicium Plinii Senioris, sed Paganum lib. II. Tanto igitur major Diis Trajanus scilicet, qui etiam infra c. 84. 'Infectum reddidit, quidquid fieri non potuit.' *Bern.*

Ne Dii quidem] Agathon Comicus, Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται, Ἀγένητα ποιεῖν, ὅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα. *Frustratur ipse præpotens uno hoc Deus, infecta posse, facta quæ sint, reddere.* Citat Aristoteles Moral. Nicom. VI. 2. *Livin.*

Ne Dii quidem] Plinius avunculus, 'Ne Deum quidem posse omnia; namque nec revocare defunctos, nec facere, ut, qui vixit, non vixerit; qui honores gessit, non gesserit: nullumque habere in præterita jus, præterquam oblivionis.' Agathon Comicus, apud Aristot. Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται, Ἀγένητα ποιεῖν, ὅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα. *Unum hoc ne ipse præpotens habet Deus, Quæ facta sunt, infecta posse reddere.* Lips.

Ne Dii quidem subvenire possunt] Quid vero ais, optime Plini? dum enim sic loqueris, aut nimis abjecte sentis de Diis tuis, aut ex nimio ar-

tranei heredes videntur.' Sic filii emancipati, sic filii civium novorum Romanorum, si non simul cum patre jus civitatis et cognationis impetrassent, habebantur 'extranei.' Sic parentes etiam æstimabantur 'extranei,' quorum filii quidem jus civitatis Romanæ consecuti essent, ipsi autem parentes eo carerent. *Schwarz.*

Cap. xxxviii. *Optimum adoptaturus*] Rursus exemplum videmus, quam miro codicum Mss. consensu corruptela alicujus loci fuerit propagata: in Vaticanis enim codicibus, Parisiensi, Veneto, Guelphico, Salisburgensi, et meo, immo etiam adhuc in Puteolani et Beroaldi exemplaribus impressis, desideratur vox *optimum,* quam primus evulgavit Catanæus. Per hunc *optimum* autem designatur Trajanus. *Idem.*

Delibasse quædam] Plurimi codices Mss. habent *deliberasse.* Atque ita hæc duo verba a rudibus librariis crebro confusa esse, multis aliorum scriptorum exemplis allatis docet Arntzenius. *Delibasset* procuderunt Puteolanus, Catanæus, Aldus, Philomusus. Quod utcunque tolerari possit; rectius tamen recipitur infinitivus *delibasse,* quem jam evulgarunt Beroaldus, Cuspinianus, ceterique editores, ut referatur ad vocem *contentus,* et conjungatur cum infinitivo *demonstrasse.* Verba autem 'libare' et 'delibare' proprie notant, leviter degustare, et quasi vix primis labris attingere. Petronius c. 36. 'Tum illa carnis etiam paullulum delibat.' Deinde eleganter transferuntur ad notandum parciorem cujuscunque rei usum et experimentum. Cic. de Orat. i. 34. 'Libandus etiam ex omni genere urbanitatis quidam lepos.' Plinius infra, liv. 3. dixit, 'honores delibare parcissime.' Atque ita passim pro leviter attingere, decerpere, et quasi libando minuere, dicitur. Cic. pro Sext. c. 56. 'Ut omnes undique flosculos carpam atque delibem.' Servius ad Virgil. Æn. i. 256. 'Oscula libavit natæ,' leviter, inquit, tetigit. *Idem.*

Liberalitas tua adstruxit] *Adstruxit,* i. e. adjecit, addidit. Vide supra ad xxxv. 4. Utitur vero Plinius, per quandam enallagen, abstracto *liberalitas:* ubi dicere potuisset, 'Statim ergo muneri ejus liberaliter adstruxisti.' Ita et alibi sæpius loquitur; v. g. mox, in hoc capite, 'Nemo recentem et attonitam orbitatem ad computationem vocet.' Epist. x. 1. 'Tua quidem pietas . . . optaverat.' Item Epist. x. 3. 'Indulgentia tua me hortatur.' Præter alios, Phædrus cum primis abstractis crebro usus est, ut sententia apertior grandiorque esset; adeoque vitium, virtutemve aliquam, aut affectionem cujuspiam, pro ipso homine, aut animante, ponit; v. g. Fab. i. 4. 'Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.' i. 5. 'Verum decepta aviditas.' i. 6. 'Sic totam prædam sola improbitas abstulit.' ii. 5. 'Tunc sic jocata est tanti majestas ducis.' Cf. Barth. Advers. lii. 3. Ceterum, in hac particula liberalitatis Trajani prædicanda Plinius fere nimius fuisse videtur. Quantillum enim beneficii Trajanus contulit in populum Romanum, cum constituit, ut in hereditate filii pater immunis esset a vicesima solvenda; cum ante eum jam Nerva sanxisset, ut filius in hereditate paternorum bonorum frueretur immunitate? Equidem videas quotannis tot facile filiorum, quot patrum, funera efferri: at rarius in adolescentia, aut juventute, moriuntur filii, qui jam propria habuerint bona, quæ transmittant ad patrem; rarius etiam in virili ætate e vita decedunt filii, qui non jam mariti, ipsi suos relinquant liberos. Et hæc forte caussa fuit, propter quam Nerva non eandem constitutionem suæ adjecerit liberalitati. Recte enim Lipsius: 'Nerva,' inquit, 'naturæ ordinem vidit, secutusque est,'

ex qua magis justum, certe votivum, filium patri succedere, quam contra. Itaque, quia hoc et rarius, nec ita ex naturæ ordine, id neglexit.' *Idem.*

Quod fuisset] Trajanus naturæ vinculum intuitus, quod putavit civili constitutione non solvi. Itaque etsi civiliter desinebat pater esse, attamen quia ante civiliter fuerat, et nunc quoque naturaliter erat, habuit immunem. *Lips.*

Lacrymas parentum] Plinius, μετωνυμικῶς locutus, significat, Trajanum non passum esse, ut luctus parentum, ex orbitate filii ortus, obnoxius esset vectigali, i. e. conjungeretur cum onere vectigalis vicesimæ, ex relicta filii hereditate solvendæ. *Schwarz.*

Vectigales] Subjectas vectigali, obnoxias vigesimæ. *Lips.*

Socium hereditatis] Scilicet, fiscum aut, nomine fisci, publicanum, qui paullo inferius, § 5. per nomen 'coheredis' designatur. *Schwarz.*

Qui non habet luctus] Scilicet, socium. Lipsius quærit, an legendum *quem non habet.* 'Nam potest sane,' inquit, 'in filii morte consortes habere luctus, etsi non fiscum.' Ita *quem*, pro *qui*, legere maluit Rittershusius noster, maluit Bongarsius, et Gruterus. Hanc conjecturam jam recepere Behrius, Hearne, Cellarius, Patarol. Et fateor, eam perquam accommodatam esse sententiæ Plinianæ. Quia vero huic conjecturæ nullus codex Ms. nullaque antiquior editio succurrit; nec necessaria esse videtur; cum, Arntzenio recte judicante, Plinius non generatim loquatur de aliis luctus sociis, sed sigillatim de fisco, facileque hæc sententia sic suppleri possit, *nec* [fiscum] *socium hereditatis accipiat, qui* [eum] *non habet* [socium] *luctus;* igitur nondum duxi recedendum esse a lectione vulgata. *Idem.*

Attonitam orbitatem] I. e. patrem orbatum filio, ideoque attonitum. *Patarol.*

Liberalitas existimanda est] Cod. Vatican. Guelph. et liber Vossianus habent *æstimanda est;* at Arntzenius jam ad Aur. Vict. Cæs. XXXVIII. 5. et ad h. l. observavit, ista duo verba sæpe a librariis in antiquis codicibus inter se commutari solere. *Schwarz.*

Ratio non constat] 'Ea conditio est imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur,' Tacit. Ann. I. 6. Mirum est, 'quam singulis diebus in urbe ratio aut constet, aut constare videatur, cunctisque non constet,' Plin. Ep. I. 9. 4. Adde Spartian. in Valent. Cum autem pares sunt rationes, constant. Die Rechnungen treffen zu. *Bern.*

Cui ratio non constat] H. e. liberalitas, quæ temere fit, sine caussa justa et honesta, sine judicio et deliberatione. Etenim, quod Cic. Offic. I. 14. ait, 'beneficentia ac liberalitas habet multas cautiones.' Et cap. 15. 'Multi enim faciunt multa temeritate quadam, sine judicio vel modo, in omnes, vel repentino quodam quasi vento, impetu animi incitati: quæ beneficia æque magna non sunt habenda, atque ea quæ judicio, considerate, constanterque delata sunt.' Val. Max. IV. 8. 1. 'Liberalitatis duo sunt maxime probabiles fontes; verum judicium, et honesta benevolentia. Nam cum ab his oritur, dum demum ei ratio constat.' Plin. Epist. II. 4. 4. 'Liberalitas ita temperanda est, ne nimia profusione inarescat; sed temperanda in aliis; in te vero facile ratio constabit, etiam si modum excesserit.' Usitata Plinio dicendi formula, a rationibus deducta, quæ tum 'constare' dicuntur, si accepta et expensa bene conveniunt, aut legitima summa computationi respondet. Cortius ad hanc epistolam. Cf. Plin. Epist. I. 5. 16. I. 9. 1. III. 18. 10. VII. 6. 4. IX. 2. 5. X. 20. 3. *Schwarz.*

Orbitatis injurias] I. e. damna, sive

calamitatem. Vide supra, ad XXX. 2. *Idem.*

Sic quoque] Elegantem usum harum particularum non possumus non observare, cum reconditum quendam sensum afferant, ac significent, jam etiam per se aliquid fieri, vel faciendum esse, cum quid factum, aut non factum; item, jam personam vel rem, de qua sermo est, sua natura esse talem, qualis est. *Sic quoque,* i. e. jam per se, [*schon an sich selbst*] etiam cum onus vicesimæ non impositum, *abunde misera res est pater filio solus heres.* Pari modo locutus est Tacitus, Plinii æqualis, Annal. IV. 40. 4. 'Sic quoque erumpere æmulationem feminarum, eaque discordia nepotes convelli: quid, si intendatur certamen tali conjugio?' 'Sic quoque,' i. e. jam per se etiam, cum nullum tale sit matrimonium, et caussa discordiæ, 'erumpere æmulationem feminarum,' etc. Idem Annal. XV. 17. 2. 'Sic quoque optimam fortunam orandam, ut pedes confectus spatiis itinerum, alacrem et facilitate camporum prævenientem equitem assequeretur.' Curtius VII. 8. 13. 'Sic quoque concupiscis, quæ non capis,' i. e. jam etiam, cum Dii habitum corporis aviditati animi tui parem esse noluerint, tua natura 'concupiscis, quæ non capis.' Ad sequentia verba, 'pater filio solus heres,' in margine annotaverat Livineius, scil. 'sine nepotibus;' quasi Plinius dicere voluerit, tum demum miseram rem fore, si filius decessisset nullis relictis liberis, et sic sine iis solus hereditatem cerneret pater. Negat Arntzenius, hunc verum hujus loci esse sensum; putatque, 'solum heredem' hic esse, si nullum alium heredem in testamento adscripsisset ipse filius. Sed utique censeo, istum verum Plinii esse sensum. Loquitur enim de successione ab intestato, non ex testamento: sic revera indicium miserrimæ orbitatis erat 'pater filio solus heres.' Et quod solatium ad patrem redundasset, si filius peregrinum coheredem adscripsisset patri? *Idem.*

A filio] Nec testamento ejus datum, nec ei junctum, qualis est fiscus, quem lex ingerit. *Lips.*

Illam exceptionem] Cod. Salisburgensis, pro voce *exceptionem,* habuit *acceptionem;* sed jam antiqua manus reposuit *exceptionem.* Scilicet ista verba fuerunt in edicto Nervæ; quam autem exceptionem Trajanus, ut se benigniorem ostenderet, sustulit. Quod si vero Trajanus jam illo tempore, quo hic panegyricus habitus est, removit istam exceptionem, voluitque, ut, etiamsi filius non esset in potestate patris, paternam tamen hereditatem caperet; nescio, cur postea Plinius Epist. X. 6. cum a Trajano peteret, ut liberis Chrysippi, Epigono et Mithridati, daret civitatem, tamen necesse putarit, simul a Trajano petere, ut hi liberi essent in patris potestate. *Schwarz.*

Vim legemque naturæ] In codice Salisburgensi legimus *videlicet legem naturæ.* Sed credo, hanc varietatem ex compendiis scribendi ortam esse. *Idem.*

Semper] Etiam grandes et adultos, etiam patre digniores, potentiores. Huc enim sequens comparatio spectat. *Lips.*

In ditione parentum] 'Στέργειν sive *diligere* parentes, naturæ prima lex est,' Val. Max. V. 4. 7. quam sequuntur omnia animalia. At vero τιμᾷν, *parere,* est juris gentium et tantum hominum. Homo igitur, qua homo est, etiamsi sit fortior, imbecilliori tamen parenti obsequitur, morem gerit, patriam tuetur: qua autem animal naturæ ductu nemini nisi viribus superiori cedit, jus in viribus ponit. *Bern.*

In ditione] I. e. in potestate. Ita Cicero identidem utrumque vocabulum conjungit; v. g. pro Quinct. c. 2. 'Omnes, quorum in alterius manu

vita posita est, sæpius illud cogitant, quid possit is, cujus in ditione ac potestate sunt, quam quid debeat facere.' Hic intelligitur 'potestas patria,' quæ naturali ratione est jus utrique parenti competens in personas, actiones, et bona liberorum, ut eo dirigantur, ut liberorum felicitas et communis familiæ societatisque humanæ utilitas, procuretur. Ea ipsa potestas, secundum leges Romanas, non solum morte patris, sed etiam maxima et media diminutione capitis patris vel filii; præterea emancipatione, et adoptione ab adscendente facta, solvebatur. Justinian. Instit. Tit. quibus modis jus patriæ potestatis solvitur. Secundum vero jus naturæ, ea dici potest perpetua, propter indelebilem paternitatis characterem et perennem paternorum meritorum beneficiorumque fructum; quamvis usus et exercitium ejus potestatis pro ratione finis determinetur. Certe, ex legibus naturalibus honestatis et decori, liberi semper et per omnem ætatem, etiamsi e familia egressi, etiam grandes et adulti ac patre digniores et potentiores, ut recte monet Lipsius ad h. l. auctoritatem parentum revereri debent. Qua de re plura exposui in disputatione de Limitibus Pietatis Liberorum erga Parentes. *Schwarz.*

CAP. XXXIX. *Abstulisse vicesimæ*] I. e. exemisse vicesimæ, aut liberasse et vindicasse ob onere vicesimæ. Sic loquitur Plinius etiam Epist. VI. 20. 11. 'effusoque cursu periculo aufertur,' i. e. liberatur a periculo. Aliam structuram hujus verbi sequitur Plaut. in Asin. I. 3. 11. 'Solus solitudine te atque ab egestate abstuli,' i. e. liberavi et vindicavi te a solitudine et egestate. Censentur vero in primo cognationis gradu, pater, mater, liberi; in secundo gradu, frater, soror, avus, avia, neptis, nepos. Vide Julii Paulli Sentent. Recept. lib. IV. tit. 11. de Gradibus. *Idem.*

Exemit cavitque] Sub finem proximi capitis alloquebatur Plinius præsentem Trajanum: 'Tu quidem, Cæsar, illam exceptionem removisti.' Nunc tanquam de absente loquitur in persona tertia. Suspicor, illam personæ mutationem, quæ aliquoties in hoc Panegyrico occurrit, identidem profectam esse a Plinii frequenti emendatione orationis suæ; dum modo ex suo ingenio, modo ex admonitione amicorum, quibuscum eam ipsam orationem ante editionem communicaverat, quædam inseruit, quædam demsit, aliterque mutavit. Certe, si quis diligenter attendat inter legendum, non obscura sententiarum quarundam quasi postliminio intercalatarum vestigia deprehendet. Ceterum, notandus hic est usus singularis verbi 'cavere,' dum cum particula *ut* constructum, dicitur de iis qui vel lege vel testamento aliquid constituunt ac sanciunt. Sic usus est hoc verbo Cicero, cum de testamento Epicuri loqueretur, Fin. II. 31. 'Epicurus . . . tam accurate tamque diligenter cavet et sancit, ut Amynomachus et Timocrates, heredes sui, de Hermachi sententia dent, quod satis sit, ad diem agendum natalem suum quotannis.' Sueton. Domit. c. 9. 'Legatum etiam ex testamento Rusci Cæpionis, qui caverat, ut quotannis, ingredientibus curiam senatoribus, certam summam viritim præstaret heres suus, irritum fecit.' Curtius VI. 11. 20. 'Lege Macedonum cautum (i. e. sancitum) erat, ut propinqui eorum qui regi insidiati erant, cum ipsis necarentur.' Ipse Plin. Epist. VI. 4. 'At ille mandaverat caveratque, ut divinum illud et immortale factum versibus inscriberetur.' *Idem.*

His quoque] In codicibus Mss. Salisburgensi, Guelpherb. et meo, pro *His*, legitur *Iis*. Hæc prænomina sæpissime inter se permutari, præter

alios, annotavit Longolius ad Plin. Epist. x. 84. 3. *Idem.*

Per Latium] De hac formula jam supra ad XXXVII. 3. dictum. Sed in hoc loco alia latet difficultas, quam plurimi commentatores transilierunt. Quid enim sibi vult Plinius his verbis? 'His quoque, quibus per Latium civitas Romana patuisset, idem indulsit.' Nonne enim ea quæ Plinius de immunitate vicesimæ hactenus dixerat, jam pertinent ad novos cives Romanos, qui vel beneficio principis vel per jus Latii venirent in civitatem? Certe veteribus civibus Romanis non opus erat ejusmodi indultu, cum iis jam Augustus remisisset vicesimam, ubi eam primum instituit. Agnosces ergo aliquam difficultatem, cum Plinius nihilo minus dicat, 'His quoque, quibus per Latium civitas Romana patuisset, idem indulsit;' quasi Plinius antea de aliis, quam jure Latii civitatem Romanam consecutis, dixisset. Solus Lipsius attigit hunc locum, sed attigit levissime et hinc non nihil obscurius. 'Non solum,' inquit, 'qui beneficio principis. An hoc dicit, Qui tantum Latini cives?' Nisi vehementer fallor, duplicem hujus loci interpretationem attulit Lipsius: primam, ut putarit a Plinio sic significari, Trajanum non solum iis novis civibus Romanis, qui peculiari privilegio et beneficio principis consecuti essent jus civitatis Romanæ; sed etiam iis qui per jus Latii in eam venirent, immunitatem vicesimæ indulsisse. Secundum alteram interpretationem Lipsii, Plinius significare voluit, Trajanum etiam eos qui se non contulissent Romam, sed qui tantummodo Latii cives, jure Latii usi, in coloniis provinciisque viverent, immunes a vicesima pronuntiasse. Verum, neutra hæc interpretatio stare potest. Posterior enim repugnat historiæ vicesimæ: cum ii qui mero jure Latii utebantur, nec jure Romano testamenta condere, nec ex testamento hereditatem capere possent, adeoque, nec vicesimam solvere deberent. Prioris interpretationis sententia est vera; sed ea non exhaurit sensum orationis Plinianæ. Plinius enim quasi distinguit inter novos cives Romanos, qui tempore Trajani, sive ejus peculiari privilegio, sive per jus Latii, consequerentur civitatem Romanam, de quibus hucusque dixerat; et inter ejusdem generis cives Romanos, quibus jam ante Trajani tempora civitas Romana patuisset obvenissetque. Non solum igitur iis, a se factis civibus Romanis, sed et his, jam a superioribus principibus in civitatem receptis, concessit Trajanus eandem immunitatem. Ergo, in verbis Plinianis, vel ante verbum *patuisset*, excidit particula *ante* sive *olim;* vel ea certe ibi subaudiri debet, cum sit verbum temporis plusquamperfecti. Immo sic Plinius prædicat singulare genus benignitatis Trajani. Cum enim priores quidam imperatores non facile concederent confirmarentque civibus ea jura et privilegia, quæ ab antecessoribus impetrassent, nisi et ipsi demisse rogarentur; Trajanus videtur sine nova singulorum rogatione et sine nova confirmatione, etiam iis omnibus civibus Romanis, qui per jus Latii ante se venissent in civitatem, immunitatem vicesimæ indulsisse. Tale quid jam Suetonius laudavit in Tito c. 8. 'Cum ex instituto Tiberii omnes dehinc Cæsares beneficia, a superioribus concessa principibus, aliter rata non haberent, quam si eadem iisdem et ipsi dedissent, primus præterita omnia uno confirmavit edicto, nec a se peti passus est.' *Idem.*

Commisit simul] In libro Vossiano, pro verbo *commisit* legitur *communis it*, et in Puteolani editione *communi sit;* verum hæc scriptura, vel ex corrupto verbo *commisit*, vel ex glossa supra scripta *communicavit*, orta est; cum forte alius verbum *commisit* per

communicavit fuerit interpretatus; neque id male, cum Cic. Attic. VII. 12. etiam ista conjunxerit: 'Quid ille mihi non commisit? Quid non mecum communicavit?' Arntzenius verbum *commisit* interpretatur per 'conjunxit;' eumque in finem varia affert exempla ex Ovidio Heroid. Epist. XI. 21. Virgilio Æneid. lib. III. vs. 428. Seneca Herc. Œt. c. 82. Val. Flac. VI. 491. &c. Non nego, notionem istam conjungendi aliquando huic verbo subjectam esse; quod vel ex nomine derivato 'commissura' patet; verum, quod pace viri docti dixerim, neque ista notio, neque exempla, eorumque structura, huc satis quadrant. Rectius verbum 'committere' hic generatim per 'dare,' 'tradere,' 'concedere,' explicatur. Equidem proprie alicui aliquid 'committere' dicimur, cujus fide utimur; unde et denominatio 'fideicommissi' orta. Unde 'committere' aliquid amplius notat, quam 'dare;' v. g. apud Cic. in Verr. v. 14. 'Ita quæstor sum factus, ut mihi honorem illum non solum datum, sed etiam creditum ac commissum, putarent:' hoc tamen non obstat, quin et generalis notio dandi, tradendi, aut conferendi, in hoc verbo locum habeat. Sic 'terræ semina committi' dicuntur. Sic Claudian. Laud. Seren. vs. 194. dixit, 'commissosque labor sic gessit honores.' Cicero quidem pro Font. cap. 14. fidei notionem ita adstrinxit verbo 'committere,' ut notionem potestatis et arbitrii ab eo sejunxerit: 'Frugi hominem,' inquit, 'judices, videtis positum in vestra fide ac potestate, atque ita ut commissus sit fidei, permissus potestati.' Nihilominus ista alibi conjungit; v. g. pro Domo sua, cap. 13. 'Omnium civium salus ... bona, fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, fidei, potestatique, commissa creditaque esse videntur.' Suspicabar primum, an verbum *commisit* forte scriptum sit pro *permisit;* cum et alibi aliquando ea verba confundantur. Sic vero Terent. Andr. I. 5. 61. ait, 'Bona nostra hæc tibi permitto, trado, mando;' verum non necesse est ut aliquid mutetur. Quid enim? si vel maxime dicas, sic significari, etiam Trajanum fidei novorum civium jura cognationum ita commisisse, ut iis non in damnum, sed commodum, reipublicæ, uterentur. Ceterum, in his Plinii verbis, codex Vaticanus 3461. et Salisburgensis, pro *simul,* exhibent *semel;* ac in meo codice desiderantur voculæ *et pariter.* Idem.

Priores principes] Sueton. in Tito c. 8. 'Cum ex instituto Tiberii, omnes dehinc principes beneficia a superioribus concessa principibus, non aliter rata haberent, quam si eadem iisdem et ipsi dedissent; primus præterita omnia uno confirmavit edicto, nec a se peti passus est.' *Lips.*

Quanti spiritus] Nomine *spiritus* si translate utuntur auctores aureæ Latinitatis, id fere in vitio ponunt, pro arrogantia et animi elatione. Cujus notionis exempla afferre supersedeo. Ab aliis vero, uti et a Plinio hoc loco, etiam in meliorem partem laudemque accipitur, pro magnanimitate et quadam animi celsitate. Sic Vell. I. 3. 'divini spiritus viri' dicuntur Æschylus, Sophocles, Euripides. Val. Max. III. 7. extr. 7. 'Capax,' inquit, 'generosi spiritus illud quoque dictum regis Cotys.' Et IX. 1. ext. 6. 'Quapropter deliciis tam enerves animi spiritum exercitus nostri sustinere non potuerunt.' Petron. cap. 118. 'Neque generosior spiritus vanitatem amat.' Curtius v. 8. 'Vos obtestor, ut nobilitate vestra gentisque dignos spiritus capiatis.' Florus v. 6. 'O singularem animum ac spiritum populi Romani!' *Schwarz.*

Sparsas atque laceras gentilitates] De 'gentilitate' jam supra ad XXXVII. 2. dixi. Gentilitates igitur ac familiæ 'sparsæ' et 'laceræ' sunt divi-

sæ et distractæ, ac quasi mutilatæ. Patre enim civitate donato, nec simul jura cognationum consecuto, filii, ac multo magis alii cognati, et vice versa, pro extraneis et alienis habebantur, adeoque sic familiæ et gentilitates veluti mutilabantur et distrahebantur. In vocibus 'sparsæ' et 'laceræ,' elegans latet metaphora. Verbum 'spargere' proprie locum habet in seminibus, et aquis spargendis; deinde ad multa alia transfertur. Auctor ad Herenn. IV. 2. 'Hoc ipsum summum est artificium, res varias et dispares, in tot poëmatibus et orationibus sparsas, et vage disjectas, diligenter eligere.' Liv. lib. XXXVII. cap. 13. 'Sparsam tempestate classem vidit.' Fest. 'lacerum' dicitur, 'quodcunque in corpore est imminutum.' Hanc vocem, uti et verbum 'dispersit,' Sil. Ital. IV. 646. eleganter transtulit ad amnem, cujus vis aquarum diminuitur, et spargitur in varios rivos, inde deductos: 'Lacerum per Gallica rivis Dispergam rura, atque amnis tibi nomina demam.' *Idem.*

Sparsas] Transitione hac in civitatem. *Lips.*

Imputandique] Ut supra XXIII. 3. inscribendi beneficii, demerendi. *Idem.*

Imputandique materiam] I. e. materiam bene merendi, et loco beneficii adscribendi. De verbo 'imputare,' vide supra ad XX. 2. Alias axioma politicum est, principi crebram benefaciendi occasionem esse amplectendam. *Schwarz.*

Dii dedissent] Nescio, quo modo in his verbis commune mendum aliquot occuparit codices Mss. nempe Vaticanum 1475. Parisiensem, Salisburgensem, et librum Vossianum; in quibus omnibus vocabulum *Dii* prætermissum: Salisburgensi tamen postliminio adscriptum est. Sic et in codice Veneto legitur *quod non dedisset.* Idem.

Sorores estis et fratres] Ita hunc locum restituendum censui, nixus auctoritate codicum Vaticanorum, Guelpherbytani, libri Vossiani, et primi Gudiani. Ac, quamquam ceteri libri omnes habeant *Sorores estis, et frater, avus et nepotes;* nescio tamen, cur numerus singularis commisceatur cum numero multitudinis. Nullum hic agnosco necessarium ordinem naturæ, ut unus frater et plures sorores, unus avus et plures nepotes, semper in familia existant; cum æque facile fieri possit, ut una soror et plures fratres, unus nepos et duo avi, paternus nempe et maternus, reperiantur. Quemadmodum igitur Plinio placuit, sub initium hujus capitis, hæc omnia nomina cognationis numero singulari exprimere, cum diceret, 'Cavit imperator, ut in sororis bonis frater, et contra, in fratris soror, utque avus et avia in neptis nepotisque, servarentur immunes;' ita nunc ei visum fuit, forte variandæ orationis caussa, eadem nomina generatim nomine multitudinis exprimere. Nec præterea habuit Arntzenius, ut in hac emendatione dubiam Latinitatem nescio quam vereretur. *Idem.*

Quid est ergo, cur rogetis] *Quid est ergo, cur egetis.* Vitiosa qua lectio, qua distinctio. In V. lego, *cur regitis, &c.* Aperte verum est, *cur rogetis, ut sitis? Vobis estis.* Paullo ante, ubi est *Sorores estis,* emenda meo periculo, *Soror estis.* Livin.

Cur rogetis] Omnino verum, *cur rogetis,* Livineio quoque visum. Distingue autem, *cur rogetis, ut sitis? vobis estis:* quasi dicat, et estis fratres, et vobis estis tantum; non fisco, qui nil jam decerpit. *Lips.*

Cur rogetis] Legebatur in omnibus fere *cur egetis? ut sitis.* Sic reposui fretus auctoritate editionum Genevensium, et conjectura Livineii ac Lipsii. *Patarol.*

Vobis estis] Cogitabam primum, an forte exciderit præpositio *a,* ut legi

debuerit, *a vobis estis;* hoc est, per vos, et per ipsam naturam estis fratres, &c. nec opus est, ut tales a principe declaremini; ut Cicero loquitur de Fin. II. 24. 'Sed ipsum a se oritur, et sua sponte nascitur.' Verum non opus est aliqua mutatione, cum et dativus commodi hic locum habere possit, quasi Plinius dixerit, Quidquid commodi ex vestra cognatione redundare potest, ad vos per naturam pertinet, non ad fiscum. Josephus Scaliger, commemorante Thoma Hearne, sic locum hunc legendum censuit: *Cur egetis, ut sitis? Vobis est is, qui pro cetera sua moderatione, &c.* Sic satis ingeniose; sed sine calculo vetustæ alicujus auctoritatis. Bene stare potest vulgata lectio, in posterioribus verbis; neque, ut Arntzenius putat, jam ante idem dixerat Plinius. Dixerat quidem supra, 'Sorores estis,' &c. sed non dixerat, 'Sorores vobis estis.' *Schwarz.*

Quid?] Hanc interrogandi et admirandi vocem restitui e codice meo; quæ etiam conveniens est stilo Plinii, utpote qui et alibi sententias sic connectit; v. g. XIII. 3. 'Quid? quum solatium fessis, ægris opem, ferres.' XLVII. 1. 'Quid? vitam; quid? mores juventutis, quam principaliter formas!' LXXX. 1. 'Quid? in omnibus cognitionibus quam mitis severitas!' Olim in omnibus exemplaribus *Qui* pro *Quid* legebatur. Lipsius conjecerat, reponendum forte *Quin;* sed certiorem scripturam suggerit codex noster, cujus indicium etiam secuti sunt Gesnerus et Arntzenius. *Idem.*

Dare hereditatem] Non simpliciter invidiosum est *dare hereditatem;* sed tunc demum, si princeps videri velit, ex singulari gratia et clementia dare alicui hereditatem, cui tamen ea jam ipso jure naturæ, propter sanguinis conjunctionem, debeatur. Recte Terent. Andr. II. 1. 30. 'Ego neutiquam officium liberi hominis esse puto, Cum is nihil promereat, postulare, id gratiæ apponi sibi,' i. e. interprete Donato, Non puto hominem liberum et ingenuum, qui, cum nihil præstet, haberi gratiam sibi poscat. Hinc Phædr. I. 22. 8. 'Noli imputare vanum beneficium mihi.' *Idem.*

Dare] Nova petitione, quam sustulit, et semel universe dedit. *Lips.*

Adite honores] In coloniis vestris. Hoc enim ad Latinos pertinet, qui (ut dixi) civitatem Romanam adipiscebantur, domi honoribus gestis. *Idem.*

Adite honores] Aberravit calamus librarii in codice Vaticano 3461. dum pro *adite* pinxit *audite.* His vero verbis Plinius nominatim homines Latini juris adhortari videtur, ut honores et magistratus in coloniis suis suscipiant, per quos, jam salva cognatione naturali, aditum ad consequendam civitatem Romanam sibi præmunire possint. Ergo Trajanus tunc nondum promiscue omnibus Latinis integra jura civitatis Romanæ permiserat. *Schwarz.*

Civitatem] Nostram. *Lips.*

Hoc necessitudinis abruptum] Sic dictum, ut 'læta et prospera stationis,' 'usurpata collium,' 'dubia bellorum,' 'incerta fortunæ,' 'lata camporum,' 'tempestatum incerta,' 'aspera laborum,' et similia, quæ tum hoc Panegyrico, tum aliis passim occurrent, poëtis quam oratoribus propria. Sic enim Lucret. 'strata viarum:' Propert. 'levitatis dura:' Horat. 'amara curarum:' alii alia. *Livin.*

Abruptum] Abruptio et disjunctio. Dissociabantur enim, qui civitatem mutabant. *Lips.*

Hoc necessitudinis abruptum] I. e. Hæc necessitudo abrupta. Hujusmodi loquendi formulas, in quibus adjectivum neutrius generis loco substantivi ponitur, ex aliis auctoribus ad hunc locum annotarunt Livineius et Arntzenius. Sic ipse Plinius nos-

ter supra xxx. 4. dixit, 'usurpata collium;' et Epist. viii. 4. 'Obsessa castris montium abrupta.' Quinctil. Decl. v. 4. 'In tristissimæ necessitatis positus abrupto.' Voluit hoc loco Plinius dicere, Ob mutatam civitatem, in posterum disjunctio quædam necessitudinum et cognationum neminem ita deseret, ac quasi nudabit, ut, exempli caussa, pater, a filiis sejunctus, similis sit arbori truncatæ, cui rami sui sunt amputati. 'Truncus' hoc loco non est substantivum, alias particula ἐγκλιτικὴ quæ non stare posset cum voce 'amputatum;' sed est adjectivum, pro 'truncatus;' quasi dicat, Neminem velut truncatum amputatumque destituet abrupta hæc necessitudo sive cognatio. Hac translatione usus et Liv. xxxi. 29. 'Urbs trunca, sine senatu, sine plebe.' Ita pater, cujus filii non sunt in ipsius potestate, dici potest 'pater truncus sine liberis.' *Schwarz.*

Velut truncum] Tanquam a patre jam abscissum, aut contra a filio patrem. Hærent et manent tales, interpretatione Trajani. *Lips.*

Pignoribus] I. e. liberis, conjuge, parentibus, avo, nepotibus, sanctissimis necessitudinibus; qui omnes dicuntur 'carissima pignora.' Vide celeberr. Schultingium ad Quinctil. Decl. i. 8. et supra ad xxxvii. 4. *Schwarz.*

Honestiores perfruentur] I. e. honoratiores, nempe honore et jure civitatis Romanæ aucti. 'Honestus' alioqui proprie is dicitur, qui probus est, et virtute præditus; propterea, quod talis præ ceteris honore dignus: attamen et pro 'honorato' dicitur, sive is virtute, sive alio modo, honorem sit consecutus; item pro homine lautioris sortis, et bonis fortunæ abundante; quia tales vulgo honorantur. Plaut. Capt. ii. 3. 32. 'Qui me honore honestiorem semper fecit, et facit.' Cic. ad Fam. ii. 15. 'Faveo Curioni; Cæsarem honestum esse cupio;' i. e. honoratum in dignitate sua. Brutus et Cassius, in Cic. ad Famil. xi. 3. 'Te cupimus in republica libera magnum atque honestum esse.' Petron. cap. 41. 'Nihil amplius interrogavi, ne viderer nunquam inter honestos cœnare.' Sueton. Aug. c. 46. 'Ac necubi, aut honestorum deficeret copia; aut multitudinis soboles;' ubi 'honesti' opponuntur plebeiæ multitudini. *Idem.*

Sed honestiores] Vidi, qui exponeret, ob commoda hereditatum. Johannes Maria Catanæus ad immunitatem vigesimæ trahebat. Neuter, meo animo, bene: nam beneficium maximum sentit, Romanæ civitatis, cum iidem post correctionem Trajani a vigesimæ onere solverentur. *Livin.*

Honestiores] Civitate aucti. *Lips.*

Ac ne remotus quidem] Recte monuit Gesnerus, et ante hunc laudatus Dammius, hinc novum caput incipiendum esse. Quemadmodum enim Plinius proxime exposuit, qua moderatione Trajanus usus sit in dispensandis gradibus cognationis; ita nunc commemorat, quem modum idem tenuerit in quantitate hereditatis vicesimæ subjicienda; dum a modica hereditate nihil delibandum statuerit Cæsar. Ceterum hæc verba in plurimis codicibus Mss. inquinata sunt mendo; dum in iis *remotius* scriptum est. Sic et in sequentibus, pro verbo *cogetur*, in codice Vaticano 3461. *cogeretur*, in Guelpherbytano *cogeres*, in meo *cogentur*, vitiose est exaratum. *Schwarz.*

A qualibet] Altera moderatio Trajani, qui non in gradibus solum dispensavit, sed in modo hereditatis. Si ea modica, et intra talem summam, (non est expressa uspiam) nihil delibatur. *Lips.*

Vicesimam inferre cogetur] *Vigesimam ut prius inferre cogetur* G. *Livin.*

Cap. xl. *Serviet*] Id est, exponetur, sive impendetur, attribuetur. Calpurnius ad Nemesian. Ecl. ii. 70. 'totum tibi serviet hornum.' Petron.

in fragm. ap. Burm. p. 668. 'Ac totus tibi servit honor.' Sed occurrit in hoc verbo quædam varietas. Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Aldus, Cuspinianus, Junta, Philomusus, Rhenanus, R. et H. Stephani, Gryphius, Sichardus, Navius, Livineius, Lipsius, Gruterus, et alii exhibent *servetur*. Contra codex Vaticanus 3461. Guelpherbytanus, et liber Vossianus habent *totam sepulcro, totam funeri, servet*. Verum, in codice Veneto legimus, prout evulgamus, *tota sepulcro, tota funeri, serviet*. Quam lectionem jam in margine annotarunt Gryphius, Sichardus, H. Stephanus, Claudius Minoë, Elzevir, et Rivinus, eandemque jam in contextum orationis receperunt Boxhornius, Kirchmaierus, Cellarius, Patarol, et Thomas Hearne; cui etiam nunc locum dedit Gesnerus. Omnes quidem hæ tres lectiones videntur habere, quo se tueantur, ambiguamque nobis faciant optionem. Neque codex Ms. Parisiensis, neque Salisburgensis, neque noster, explicant dubium; cum in his tribus perperam scriptum sit, *et, si ita gratus heres volet, tota sepulcro, tota funeri, servet*. Pari enim ratione hæsites, utrum in hoc verbo litera *i* elisa, *servet* repositum sit pro *serviet*; an, decurtatis ultimis duabus literis, *ur*, aut, omisso harum literarum compendioso signo, *servet*, pro *servetur*, locum invenerit; an denique in adjectivo *tota*, bis prætermissa fuerit ultima litera *m*, aut hujus literæ signum. Interim retinui verbum *serviet*, quod perspicue exprimit codex Venetus, et quod ratione temporis, magis, quam verbum *servet*, congruit cum primo hujus periodi verbo, *carebit*, et cum ultimo, *adsistet*. Schwarz.

Nemo observator] Id est, nemo, sive publicanus sive alius ab hoc subornatus, tanquam custos publicus, adstabit, ut observet, ac speculetur, an nihil in fraudem vicesimæ fiat; neque ut inquirat, quid reprehendat ac coërceat. 'Observare' enim est aliquid oculis animoque ad instar speculatoris et insidiatoris custodire. Unde verba hæc conjunxit Cic. in Orat. c. 62. 'Non enim id agit, ut insidietur, et observet; sed jam favet, dicendique vim admirans, non inquirit, quod reprehendat.' Et Q. Cic. de Petit. Consul. c. 14. 'Fac, ut competitores se abs te custodiri atque observari sciant.' Hinc ducitur nomen 'observator,' quo etiam usus est Seneca Epist. 41. 'Sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos.' Pro hoc, 'speculatoris' nomen posuit Prudent. in Hymno Matutino, vs. 105. 'Speculator adstat desuper, Qui nos diebus omnibus Actusque nostros prospicit.' 'Castigator' autem proprie dicitur, qui coërcet et moderatur, atque aliquid intra modum suum et decorem redigit; generatim vero, qui quovis modo in peccantes animadvertit. Sic Plinius Major, XVIII. 17. 'Luxuria segetum castigatur dente pecoris in herba duntaxat.' Vide Burmann. ad Petron. p. 238. Terent. Heaut. III. 3. 31. utrumque verbum, a quo hæc nomina descendunt, conjungit: 'Quid illum porro credis facturum, Chreme, Nisi eum, quantum tibi opis Dii dant, servas, [i. e. observas,] castigas, mones?' Ceterum, pro sequenti verbo, *adsistet*, Ceva in editione sua exhibuit *adsidet*; sed dubito, an ex quodam codice Ms. *Idem*.

Cuicunque modica pecunia] In codice Ms. Vaticano 1475. in Parisiensi, Veneto, Salisburgensi, et libro Vossiano; item in plurimis libris excusis, locus hic sic expressus legitur, *Cujuscunque modi ea pecunia ex hereditate alicujus obvenerit*. Livineius et Lipsius in quibusdam libris repererant *cujuscunque modica pecunia;* quam lectionem iidem nondum quidem receperunt, sed probarunt tamen, ita vero, ut et pro subsequenti voce *ali-*

cujus, rescribendum conjecerint *alicui*. Quæ correctio in voce *alicui* etiam placuit Rittershusio; nisi quod hic pro *cujuscunque modi*, etiam maluerit reponere *cujusque modi*. Sed omnino nostra nobis lectio genuina videtur. Vocabulum enim *modica*, pro quo male scriptum fuerat *modi ea*, (cujusmodi erratum etiam alibi observavit Scioppius,) jam in libris quibusdam observatum Livineio et Lipsio, prout modo diximus, placuit; idque Gruterus, Puteanus, ac Patarol, recte admisere in contextum orationis; cum idem nunc e scriptura trium codicum Mss. Vatt. 1775. 1776. et 3461. itemque Guelpherbytani, confirmare possimus. In voce *alicujus* nihil est mutandum; propterea, quod locum recte obtinet, et unanimi omnium librorum suffragio stabilitur. Sola prima vox *cuicunque* huic periodo ex correctione fuit restituenda; cum, restituta voce *modica*, sic prorsus incongruens evaderet oratio, *cujuscunque modica pecunia ex hereditate alicujus obvenerit*; cumque facile appareat, cur τὸ *cuicunque* in *cujuscunque* degeneraverit; nempe propter voces subsequentes vitiose scriptas, *modi ea*. Sic vero ex hac emendatione, quæ vestigiis antiquæ scripturæ quatuor codicum veterum Mss. eorumque adhuc superstitum, insistit, quamque jam agnovit Petrus Faber Sanorianus, in notulis suis ad hunc Panegyricum, editioni Parisiensi an. 1643. adjectis, facillima, et planissima, et digna Plinio, nascitur sententia. Sicuti enim Plinius modo generatim dixerat, ex edicto Trajani in posterum carere debere onere vicesimæ parvam et exilem hereditatem; ita nunc indicat, ex eodem edicto, *cuicunque*, i. e. sive domestico et cognato, sive extraneo, illam immunitatem obtingere debere, dummodo hereditas foret modica; cum e contrario ex opulenta hereditate partem vicesimam solvi oporteat. Nihilo minus hæc emendatio Arntzenio approbari non potuit; quia nempe ei tum Plinius idem videatur dicere, quod jam antea dixerit, 'parva et exilis hereditas;' quod hic repetere esset otiosum. Verum, non plane idem sic dicit Plinius; cum subjectum hujus immunitatis, uti loquuntur logici, significantius exprimit, neque hoc Trajani beneficium leviter, ac quasi sicco pede transilit, eleganti simul usus ἐξεργασίᾳ, quod schema non labem aliquam, sed ornamentum, affert orationi. Taceo, si Arntzenii lectio, et ejus interpretatio locum habeat, Plinium dicere debuisse, *quocunque modo et nomine pecunia ex hereditate alicujus obvenerit*, &c. Idem.

Cuicunque modica pecunia] *Cujuscumque modi ea pecunia*. Ita repperi in omnibus, excepto G. in quo vera lectio *Cujusc. modica pecunia*. Superiore capite statuerat Trajanus, affinium parvam et exilem hereditatem a vigesima immunem esse, hoc præterea, ut *cujuscunque*, id est, etiam affinitate non conjuncti, hereditas, dum ea tenuis ac modica esset, vigesimam ne penderet. *Livin.*

Cuicunque modica pecunia] Quidam libri *cujuscunque modica*; quod amplector, statim tamen legendo *alicui* pro *alicujus*. Sententia est, Cujuscunque ea parva pecunia fuerit, agnati vel extranei, non refert: nihil pendit. *Lips.*

Cuicunque modica pecunia] Edit. Rhenan. *cujuscunque modi ea pecunia*; sed *cuicunque modica pecunia*. Faber.

Cuicunque modica pecunia] *Cujuscumque modica pecunia ex hereditate alicujus obvenerit*. Placet conjectura Livin. *alicui*. Sed pro *cujuscumque modi*, malim reponere *cujusque modi*. Rittersh.

Ex hereditate alicujus] Forte, *Ex hereditate alicui*. Livin.

Ad periculum ejus perveniri] I. e. lex dicta est a Trajano, ut nemo vicesimam solvat, nisi qui ex opulenta

hereditate dives fiat. Uti Ciceroni usitatæ sunt loquendi formulæ, alicui ab vel ex aliquo, sive ab aliqua re, periculum esse; v. g. 'ab altera victoria tibi periculum nullum esse, perspicio;' item, 'propter studium novæ laudis in veteris fortunæ discrimen vocari;' item, 'in discrimen' vel 'periculum, famæ, existimationis,' et similium, 'venire' sive 'devenire;' ita Plinius hoc loco dicit *opibus*, i. e. propter opes, sive opulentam hereditatem, *ad periculum vicesimæ* (solvendæ) *pervenire*. Sic idem Plin. Epist. v. 16. 'Tandem homines non ad pericula, ut prius, verum ad honores, virtute perveniunt.' Observent vero juniores elegantem particularum, *nisi - non*, collocationem; cum Plinius non secundum vulgarem loquendi rationem dicat: ut ad periculum vicesimæ perveniri *non nisi* opibus possit. *Schwarz.*

Optat heres] Nec enim dabit, nisi dives. *Lips.*

Ut vicesimam debeat] Quia id ex instituto Trajani indicium obtentæ opimæ hereditatis erat. *Schwarz.*

Ejusmodi ex caussis] H. e. ex iis capitibus, quæ Trajanus in lege vicesimæ correxit. *Idem.*

Ejusmodi ex causis] Hoc est, ex iis capitibus, quæ Trajanus correxit: sequitur, *in idem edicti*, scilicet a Trajano propositi. *Livin.*

In diem] *In idem* edit. Rhenan. Rectius habet editio Gryphii anni 1551. *in diem.* Juret.

In diem edicti] *In idem edicti* Livin. in textu. Sed in margine, *In diem edicti* C. G.

In diem edicti] *In idem edicti* edit. Rhenan. sed, *in diem edicti*. Faber.

In diem edicti] I. e. usque in diem novi edicti a Trajano propositi: alias *ad diem*. Sed sic etiam, præter alios scriptores, Jureconsulti veteres passim loquuntur; v. g. π. de Administratione et Peric. Tutorum, l. LIII. 'Si in diem finitæ tutelæ idonei permansissent tutores,' &c. Vide Arntzenium ad h. l. Ex perversa autem literarum transpositione mendum occupaverat hunc locum in multis hujus Panegyrici libris. Pro voce enim *diem*, legimus *idem* in codice Guelpherbytano, et in editionibus Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Aldi, Rhenani, Philomusi, Juntæ, R. et H. Stephanorum, Navii, Livineii, Boxhornii, Elzeviri; in reliquis vero codicibus Mss. et excusis, recte proditur *diem;* quam lectionem primus evulgavit Cuspinianus. *Schwarz.*

At in] Forte, *et in*. Livin.

In præteritum] *In hoc fortuna jus perdidit, nec id in ullius arbitrium reduci potest.* Sen. Ben. VI. 2. 'Quæ ad nos pervenerunt, ne sint, effici potest; ne fuerint, non potest; licet omnes in hoc vires natura advocet, retro illi agere scilicet non licet.' Adde judicium Plinii Senioris, sed Paganum lib. II. Tanto igitur major Diis Trajanus scilicet, qui etiam infra c. 84. 'Infectum reddidit, quidquid fieri non potuit.' *Bern.*

Ne Dii quidem] Agathon Comicus, Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται, Ἀγένητα ποιεῖν, ὅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα. *Frustratur ipse præpotens uno hoc Deus, infecta posse, facta quæ sint, reddere.* Citat Aristoteles Moral. Nicom. VI. 2. *Livin.*

Ne Dii quidem] Plinius avunculus, 'Ne Deum quidem posse omnia; namque nec revocare defunctos, nec facere, ut, qui vixit, non vixerit; qui honores gessit, non gesserit: nullumque habere in præterita jus, præterquam oblivionis.' Agathon Comicus, apud Aristot. Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται, Ἀγένητα ποιεῖν, ὅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα. *Unum hoc ne ipse præpotens habet Deus, Quæ facta sunt, infecta posse reddere.* Lips.

Ne Dii quidem subvenire possunt] Quid vero ais, optime Plini? dum enim sic loqueris, aut nimis abjecte sentis de Diis tuis, aut ex nimio ar-

gutandi studio istud orationis tuæ acumen hebescit. An Dii tui non potuerunt debita diuturna remittere? cum etiam quisque privatorum hominum æs alienum inde a patre et avo derivatum tandem debitori ut solutum relinquere queat. Trajanus sic non facta reddidit infecta, sed sustulit facienda. Certe Domitianus, teste Sueton. cap. 9. 'Reos, qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependissent, universos discrimine liberavit.... Scribas quæstorios negotiantes ex consuetudine, sed contra Clodiam legem venia in præteritum donavit.' *Schwarz.*

Subvenire] 'Præterita magis reprehendi, quam corrigi, possunt,' vox Hannibalis apud Livium. *Bern.*

Desineret quisque debere] 'Hadrianus per edictum condonavit omnia, sive ea ad se pertinerent, sive ad ærarium; decenniumque præscripsit, a quo tempore debere quisquam desineret, nec postea debiturus esset.' Spartian. in Hadrian. *Idem.*

Quod non esset postea debiturus] Nescio qua conspiratione omnes codices Mss. quos consuluimus, in his verbis omiserint particulam negativam *non,* quam etiam in Cuspiniani, Gryphii, et Sichardi editionibus desideramus; cum eam tamen ad sententiam constituendam judicemus necessariam, eandemque jam Puteolanus et Catanæus evulgarint. *Schwarzius.*

Postea] Post diem tui edicti. *Lips.*

Quod non esset postea debiturus] Falso in V. C. negatio abest. Sententia manifeste docet. *Livin.*

Idem effecisti] *Idem fecisti.* Nulla hic mihi diversitas in exemplaribus notata, nisi quod in C. editur *Idem effecisti.* Bonum factum, et fallor? an aditus hinc jam expeditus, qua in lucem ex his tenebris evadam? nam hoc primum, literas, quæ coaluerant, dejungo, inde observo, ꝫ in exaratitiis libris nunc *em,* nunc *est,* valere, quod supra xxxvi. 4. ad illa, 'excogitatum cruciatu ē,' fugerat me monere. Igitur *idem* in *id est* commuto, et omnem hunc locum sic constituo, *post debiturus, id est, fecisti* (*seu effecisti*) *ne mal. princ. habuissemus,* (*quo ingenio?*) *si Natura pateretur.* Sed eamus, si placet, per partes, et singula illustremus. 'Ne mal. princ. habuissemus,' duriuscule dixit, pro 'ut videri possemus mal. princ. non habuisse.' Gemina phrasis et supra, 'ne quis occupatus, ne quis denique longe fuisset.' Rursum, 'ut quæ male feceras, impune tulisses.' *Quo ingenio* inclusi parenthesi, et notam addidi interrogationis. Videtur enim Plinius de industria gavisus brevibus hujusmodi (ut sic loquar) incisiunculis. Ante, 'Curni autem?' Et infra iterum, 'Quidni?' de quo in re præsente. Denique, 'si natura pateretur' germanum est cum eo, quod jam dixerat, ne Deos quidem posse. Ac videri equidem fortasse jam poteram satisfecisse; sed non mihi imperavi, quin fidei, et cujusdam similitudinis caussa eadem opera Tertulliani (Dii boni, cujus auctoris!) locum expurgarem. Verba ejus sunt de Carne Christi: 'In quo (loquitur de Mariæ partu) nihil interfuit de vi masculi admissi, an emissi id est, illud sexus resignarit.' Emenda indubitato, *idem illud.* Nam vulvam intelligit, qua et admittatur et emittatur masculus. *Idem.*

Idem] Livineius, *id est;* recte, etsi sequentia non bene ordinat. *Lips.*

Idem fecisti, ne malos principes habuissemus, quo ingenio si natura pateretur. Quam libenter tot spoliatis, tot trucidatis sanguinem et bona refudisses] Lectio sine ullo sensu; quem tamen, et quidem acutum aliquando eliciebam rescribendo, *debiturus; id est, fecisti, ne malos principes habuissemus, quo ingenio, si natura pateretur, quam libenter tot spoliatis, tot trucidatis, &c.* et ita certe auctor distinxit,

si non etiam omnia scripsit. *Grut.*

Idem effecisti] Vulgo legitur *idem fecisti;* sed jam Cuspinianus, pro verbo simplici *fecisti*, evulgavit compositum *effecisti*. Bene; hoc enim etiam asserunt codices Mss. Vaticani, Parisiensis, Venetus, Salisburgensis, Guelpherbytanus, et meus. Idem confirmat liber uterque Gudianus. *Idem* vir doctus Christianus Tob. Dammius pro neutro habet; cum hoc loco sit generis masculini, quasi Plinius dixerit *idem tu effecisti*. Sic etiam loquitur infra, l. I. 'Idem tam parcus in ædificando, quam diligens in tuendo.' Quasi enim duo Trajani merita et beneficia ex unica condonatione pristinæ vicesimæ deducit et laudat Plinius: unum, quod Trajanus sic solverit pristinos debitores a solvendi necessitate; alterum, quod idem sic effecerit, ne superiores principes, qui istam vicesimam imposuerant, jam, postquam ea a Trajano remissa erat, male duriterque egisse viderentur. Non inargute conjecerat Livineius, pro voce *idem*, rescribendum esse *id est*, ita ut ista prima sex verba connectantur cum proximis, quæ antecesserant. Nec nego, ista vocabula *idem*, atque *id est*, facile inter se permisceri potuisse, maxime ubi verbum *est* per compendium *e* scriptum sit, ut etiam pro *em* legi, et cum *id* conjungi possit. Nec desunt exempla hujus confusionis, quæ suggerit Cortius ad Plin. Epist. VI. 29. et Arntzenius ad h. l. qui etiam vellet, istam ingeniosam Livineii conjecturam a codicibus Mss. confirmari. Quæ ipsa Livineii conjectura etiam a Lipsio et Grutero est comprobata. Verum, quoniam vox *idem* in omnibus omnino libris superest, neque ulla nota, ullumve indicium, istius variationis deprehenditur; et quoniam eadem vulgata lectio nihilo minus commodam admittit interpretationem, eam ipsam aspernari ac rejicere nolui. *Schwarz.*

Ne malos principes habuissemus] I. e. ne videamur sentiamusque olim habuisse malos principes, qui tenues hereditates rapuerint; cum tu eorum leges de vicesima correxeris, remiserisque, quæ sub malis principibus fisco debebantur. Sic et supra, XII. 2. dixerat Plin. 'non immensis muneribus paciscimur, ut vicerimus,' i. e. ut vicisse videremur. Et XXV. 4. 'Provisum est, ne quis æger, ne quis occupatus, ne quis denique longe fuisset,' i. e. fuisse videretur. Et XXVIII. 2. 'Non tibi benefaciendi fuit caussa, ut, quæ male feceras, impune fecisses.' *Idem.*

Quo ingenio] I. e. Quo animo, qua indole; sive, hoc tali ingenio, hoc tali tantaque indole tua. Germanice: *bey so gnädigem und gütigem gemüthe*, vel, *Und da du so gütig gesinnet bist.* Non potuit non obscurare orationem Plinii Livineius, dum hæc verba, *Quo ingenio*, parenthesi includenda, simulque nota interrogationis signanda censuit. *Idem.*

Si natura pateretur] I. e. Si per naturæ ordinem fieri possit, ut facta reddantur infecta. Cic. Quæst. Acad. IV. 48. 'Quod rerum natura non patitur.' Plinius Major, N. H. XVIII. 29. 'Non patitur ratio naturæ.' *Idem.*

Bona refudisses] I. e. reddidisses, aut compensando restituisses. Plinius supra XXXI. 3. 'Refudimus Nilo suas copias.' Behrius maluit legere *refunderes*. Dicitur autem Trajanus 'bona spoliatis, trucidatis sanguinem,' sive vitam, refusurus fuisse. *Idem.*

Non tuo sæculo] I. e. non tempore regiminis et imperii tui. Vide supra ad XVIII. 1. *Idem.*

Non tuo sæculo] Uno verbo remisit reliqua ejus vectigalis, in caussis dictis. Hoc est, quod Ausonius in Laudatione Gratiani tangit: 'Vel illud unum cujusmodi est, de condonatis residuis tributorum? Quis unquam imperatorum hoc provinciis suis uberiore te indulgentia dedit? Fecerat

et Trajanus olim, sed partibus retentis. Non habebat tantam oblectationem concessi debiti portio, quanta suberat amaritudo servati.' Omnino hnc faciunt, nec de alia Trajani remissione legas. Qui enim e nummis adferunt RELIQVA. VETERA. HS. NOVIES. MILL. ABOLITA. falli credo, nec Trajani, sed Trajani Hadriani (ita conjunctim dicitur) nummos istos ego vidi. Ita enim exstant hodieque in consulatu ejus III. Et inscriptio Romæ, IMP. CAESARI. DIVI. TRAIANI PARTHICI. F. TRAIANO. HADRIANO AVG. PONT. MAX. TR. POT. II. COS. II. QVOD. OMNIVM. PRINCIPVM. ET. SOLVS. REMITTENDO. HS. NOVIES. MILLIES. CENTENA. MILLIA. N. DEBITVM FISCI. NON. PRAESENTES. MODO. SED ET. POSTEROS. SVOS. PRAESTITIT. HAC LIBERALITATE. SECVROS. Ea remissio grandis, et nostra æstimatione et locutione valeat viginti duos milliones Philippicorum et semis. At Trajani liberalitas minor, et 'in partibus' tantum, ut dixit Ausonius. *Lips.*

Alius ut contumacibus irasceretur] Alius, isque malus princeps. Particula *ut* mirantis esse hic videatur, quasi dictum esset, Hei, quantum alius princeps irasceretur contumacibus! Sic Plin. supra XXI. 4. 'Ut cum civibus tuis, quasi cum liberis parens vivis! Ut reversus imperator, ... agnosceris!' XXIII. 5. 'Ut plena altaribus, augusta victimis, cuncta!' Verum *ut* hoc loco potius pro 'tanquam,' sive 'veluti,' ponitur: *Alius* princeps *irasceretur* [scil. tarde solventibus,] *ut*, i. e. tanquam, *contumacibus*. Sic Plin. dixit supra, II. 3. 'Nusquam ut Deo nunc, nusquam ut numini blandiamur.' *Schwarz.*

Solvendi dupli] Ita, nam pœna etiam moræ solet adjici: quo sensu Victor de Nerva, 'Quidquid antea pœnæ nomine tributis accesserat, indulsit.' Itaque exemplum aliquod a paterna indulgentia habuit, etsi superavit. *Lips.*

Solvendi dupli] Exime Tiberium, qui exactores diu in eo munere detinuit, ut satiati mitius agerent cum tributariis. Quod si accepisset aliquem exactorem supra legitimum modum exegisse, et duriorem esse in agendo, eum subjiciebat gravibus suppliciis, proferens laudabile dictum, 'Volo tonderi oves, non deglubi.' Imitamini, o principes! *Bern.*

Nihil referre iniquitatis] I. e. eandem iniquitatem, et perinde nefas, esse censes, sive exigas talia jam debita, quæ deberi non oportuit; sive primum constituas, ut debeantur. Ἐλλειπτικὴ hæc est loquendi ratio, quasi dixeris, Nihil refert ad notam, vel discrimen, iniquitatis. Vossius, in Grammatica Minore, pag. 64. notavit, verbum quidem 'interest' jungi genitivis quibusvis; 'refert' autem vix aliis jungi, quam iis qui pretium significant, ut sunt 'tanti,' 'quanti,' 'parvi,' 'magni,' 'permagni,' 'pluris.' Quare potius dicendum censuit, 'interest reipublicæ,' quam 'refert reipublicæ.' Quæ vero observatio fallit. Quinctil. Instit. Orat. IX. 4. 'Sed plurimum refert compositionis, quæ quibus anteponas.' Vell. II. 72. 'Tantum reipublicæ retulisset.' Plinius noster h. l. 'Nihil refert iniquitatis.' Idem Epist. VIII. 22. 'Quisquis ille, sileatur: quem insignire, exempli non nihil; non insignire, humanitatis plurimum refert.' *Schwarz.*

Exigas] Cellarius explicationis caussa hæc supplet, 'si exigas,' vel 'exigasne.' Bene; nam verbis illis, 'interest' et 'refert,' non raro adjungitur conjunctivus, cum particulis 'utrum,' 'utrumne,' 'nec ne,' 'ne ... an,' 'si.' Plinius vero, uti hoc loco, ita et alibi, particulam dubitandi, 'ne,' priore loco omittit; v. g. Epist. I. 18. 2. 'Refert tamen, eventura soleas, an contraria, somniare.' Similiter Epist. III. 19. 3. 'Quæ plurimum refert, unum in locum conferas, an in diversa spargas?' Ad-

hæc, Epist. v. 8. 11. vi. 29. 2. ix. 26. 5. x. 29. 1. Haud secius Tacit. Annal. xi. 36. 'Sponte, an coactus, tam magna peccavisset, nihil refert.' Ipse Cic. pro Flacco, cap. 9. 'Quid refert igitur, tanto post ad judices deferantur, an omnino non deferantur?' Qui tamen et plenius hæc effert in Pison. cap. 17. 'Nihil mea refert, utrum tu . . . nihil quidquam ausus sis scribere, an amici tui tabulas abdiderint.' *Idem.*

Non oportuerit] Illud vetus, in caussis, quas abrogasti edicto. Æque iniquum censes, exigere talia jam debita, et constituere ut debeantur. *Lips.*

Ut debeatur] V. Livineii in margine *quod.*

Cap. xli. *Feres, Cæsar, curam*] I. e. Dabis veniam, et patienter humaniterque feres curam ac solicitudinem meam, quam tanquam consul nunc gero, dum tot impendia tua, totque erogationes, quasi ad rationes revocare videor. Plinium quodammodo imitatus videtur Eumenius in Gratiarum Actione Constantino Aug. dicta, c. 14. 'Dabis veniam, et amoris nostri injuriam feres.' Recte notavit reprehenditque Arntzenius interpretem Gallicum, qui contra mentem Plinii hæc verba exposuit, quasi Trajanus in se transtulerit curam ærarii, quam gerere debuerit ipse Plinius. Ita vero ea verba reddidit Anonymus, in versione Gallica anno 1642. Parisiis edita: *Pour moy, o grand empereur, ce me décharge sur vous du soing de mon consulat, pour ce qui est de finances, ausquelles je dois prendre garde pour les intérests du public.* Quam etiam secutus videtur Abbas Esprit, an. 1701. *Mais trouver bon, o César, que je me décharge sur vous des soins, et des inquiétudes, que me donne mon consulat.* Et eodem tendit Sacyus, an. 1709. *Vous porterez, César, tout le poids du consulat.* Multo melius rectiusque sententiam Plinii reddidit Germanicus interpres, Dammius: *Du wirst, grosser Kayser, mir, als consul, meine sorge und bekummerniss zu gute halten.* Schwarz.

Consularem] I. e. meam, qui ex munere consulatus reipublicæ curam agere debeo. *Patarol.*

Consularem] Quia ego jam consul, consulere reip. debeo. *Lips.*

Collationes remisisse] Spectat cum alia provincialium in auspiciis imperii dona, tum 'coronarium aurum' maxime, qua specie collationis exhauriebantur. Itaque boni principes remittebant, ut hic Trajanus; ut Julianus, inter cujus liberalitatis testimonia Ammianus xxv. 14. recenset, 'Coronarium indultum, et remissa debita multa diuturnitate congesta.' *Idem.*

Collationes] Titus, 'ne concessas quidem ac solitas collationes recepit.' Sueton. cap. 7. Quæ Beroaldo sunt tributa, sed falso; ea enim remittere, reipubl. est nervos incidere: rectius ergo illa provinciarum, in auspicio imperii, dona, et 'aurum coronarium.' *Bern.*

Collationes remisisse] 'Collatio' Plinio nostro alias dicitur comparatio; ut infra, lxi. 2. 'Altissimæ civium dignitates collatione fastigii tui quasi deprimuntur.' Et Epist. iv. 5. 'Nulla hinc et inde collatio,' scil. orationum. Deinde generatim accipitur pro contributione, quando a pluribus in commune, sive publice sive privatim, confertur pecunia; ut Plin. Epist. iv. 2. dicitur 'pecunia collata;' et Epist. x. 94. 'collatio:' 'Tali collatione non ad turbas et illicitos cœtus, sed ad sustinendam tenuiorum inopiam, utuntur.' Etiam pro tributo dixit Justin. xvi. 4. 'Cum Athenienses Græciæ et Asiæ tributum in tutelam classis descripsissent, omnibus cupide ad præsidium salutis suæ conferentibus, soli Heraclienses, ob amicitiam regum Persicorum, collationem abnuerant.' Imperatorum Rom.

tempore quodvis honorarium et extraordinarium pensionis sive tributi genus vocabatur 'collatio,' vel etiam aliquando 'oblatio;' quando a populo Romano sociisque, vel sponte et ultro, nec ex indicto, munera certa imperatoribus offerebantur, vel, quando certus pecuniæ modus alicui corpori ita imponebatur, ut iis, qui conferrent, liberum relinqueretur, quantum ex partitione cuique esset conferendum. Cujusmodi 'collationum' variæ erant occasiones, v. g. sub auspicium imperii, propter victorias et triumphos. Huc inprimis refertur 'aurum coronarium,' de quo non pauca collegit Lipsius de Magnitudine Rom. II. 9. Suetonio referente, in Nerone cap. 44. Nero hic, 'in præparanda expeditione, . . . partem etiam census omnes ordines conferre jussit, et insuper inquilinos privatarum ædium atque insularum, pensionem annuam repræsentare fisco; exegitque ingenti fastidio et acerbitate nummum asperum, . . ut plerique omnem collationem palam recusarent.' Sub Augusto, 'in restitutionem Palatinæ domus, incendio absumtæ, veterani, decuriæ, tribus, atque etiam singulatim e cetero genere hominum, libentes ac pro facultate quisque contulerunt,' narrante Sueton. Aug. cap. 57. C. Cæsar Caligula, 'filia nata, paupertatem, nec jam imperatoria modo, sed et patria conquerens onera, collationes in alimoniam atque dotem puellæ recepit,' teste eodem Sueton. Calig. cap. 42. Hujusmodi 'collationes' a benignis imperatoribus recipiebantur quidem sæpe, sed non extorquebantur; immo nec raro 'remittebantur.' Augustus de se ipso, in lapide Ancyrano, MVNICIPIIS. ET. COLONIIS. ITALIAE. CONFERENTIBVS. AD. TRIVMPHOS MEOS. QVINCTVM. CONSVL. REMISI. ET POSTEA. QVOTIESCVNQVE. IMPERATOR . . AVR. CORONARIVM. NON. RECEPI. Sic Titus Vespasianus, teste Sueton. cap. 7. 'ne concessas quidem ac solitas collationes recepit.' Contra duriores principes efflagitabant et extorquebant. Nero, ut Sueton. cap. 38. narrat, 'collationibus non receptis modo, verum et efflagitatis, provincias, privatorumque census, exhausit.' Cum vero Plinius de ceteris liberalitatis benignitatisque Trajani generibus supra egerit, v. g. de 'congiario' et 'donativo,' cap. 25. 26. 28. de 'abactis delatoribus,' cap. 34. et 35. 'de vectigalibus temperatis,' c. 37—40. mirum est, cur non etiam ibi nominatim mentionem injecerit 'collationum remissarum;' nisi forte huc referas, ex cap. 17. aurum coronarium sociis non extortum: 'Videor,' inquit, 'jam cernere non spoliis provinciarum, et extorto sociis auro, . . . triumphum gravem.' *Schwarz.*

Donativum reddidisse] De 'donativo' dixi supra ad p. 555. 'Reddere' hic ponitur pro simplici verbo, 'dare.' Præpositio enim inseparabilis *re* aliquando in verbis compositis non mutat significationem simplicium, aut certe non reciprocationem, vel reiterandi actum, connotat, ut in verbis, 'resciscere,' 'revereri,' 'recipere,' 'repræsentare.' Sigillatim de verbo 'reddere,' hoc observavit vetus jurisconsultus Celsus, l. 21. π. de Legatis et Fideicom. item, l. 94. π. de Verborum Signif. 'Verbum reddendi,' inquit, 'quamquam significatum habet retro dandi, recipit tamen et per se dandi significationem.' Sic apud Cic. idem valent formulæ obviæ, 'responsum dare,' et 'responsum reddere.' Item, apud alios bonos auctores, 'testimonium alicui dare,' et 'testimonium reddere,' &c. *Idem.*

Temperasse] Istud *vigesimæ*, ad modum jam dictum. *Lips.*

Habeat frugalitas principis] Pro *habeat*, in codicibus Vatic. Parisiensi, Veneto, et meo, scriptum est *habet*, quasi post vocabulum *reditus*, perfecta interpunctio collocanda, et inde nova periodus incipiat, *An tantas vi-*

res habet frugalitas principis, &c. In subsequentibus verbis vitiose scriptum est in codice Parisiensi *solus sufficias;* et in Salisburgensi, *sola sufficeret.* Ceterum huc omnino faciunt, quæ de frugalitate regis vel principis disserit Cic. in Orat. pro Deiot. cap. 9. 'Omnes in illo sunt egregiæ virtutes;' [ita enim cum Patricio malo legere, quam cum aliis editoribus, qui pro voce *egregiæ* habent *Rege regiæ*] 'sed præcipue singularis et admiranda frugalitas; etsi hoc verbo scio laudari reges non solere. Frugi hominem dici, non multum habet laudis in rege: fortem, justum, severum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regiæ laudes; illa privata est. Ut volet, quisque accipiat: ego tamen frugalitatem, id est, modestiam, et temperantiam, virtutem esse maximam judico.' Quantum vero etiam privata frugalitas ad augendam rem familiarem valeat, suo exemplo commonstrat Plin. Epist. II. 4. 'Sunt quidem omnino nobis modicæ facultates, dignitas sumptuosa, reditus, propter conditionem agellorum, nescio minor, an incertior; sed, quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur, ex qua, velut ex fonte, liberalitas nostra decurrit. Quæ tamen ita temperanda est, ne nimia profusione inarescat.' *Schwarz.*

Tot inpendiis] In milites, magistratus, ludos, opera, atque alia, quorum specimen in nostris Admirandis, lib. II. *Lips.*

Omnia raperent] De Domitiano Sueton. c. 12. 'Nihil pensi habuit, quin prædaretur omni modo.' *Patarol.*

Raperent] Ad Domitianum pertinent. Adi Sueton. c. 12. *Lips.*

Ut si nihil rapuissent, nihil retinuissent, defuerint] *Ut si nihil rapuissent, defuerint* Livin. in textu. Sed in margine, *Ut si nihil rapuissent, nihil retinuissent, defuerint* C. G. recte. *Ritters.* Post, *ut si nihil largiaris et auferas* C. bene. *Idem.*

Nihil retinuissent] Hæc verba orationi Plinianæ inserunt Rhenanus, Gryphius, Sichardus, Lipsius, Gruterus, Puteanus, Patarol; eademque Livineius, Stephanus, et Rivinus, margini addidere. Neque ab his multum abeunt Cuspinianus, Bernegger, Grævius, De la Baune, Th. Hearne, Ceva, Gesnerus, qui pro verbo *retinuissent* reposuerunt *detinuissent.* At ea verba, *nihil retinuissent*, sive *nihil detinuissent*, prorsus omissa sunt in codicibus Mss. in libro Vossiano, et in editionibus Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Aldi, Philomusi, Juntæ, Cellarii. Arntzenius vero ex errore tradit, hæc verba quoque in editione Frobenii, sive Rhenani, desiderari, cum in meo exemplari utique extent. Possint autem hæc ipsa verba superflua videri; quia, qui nihil rapuerunt, nihil etiam raptorum bonorum retinere potuerunt. Nihilo minus ea admittenda duxi; quia nempe et isti, qui omnia rapuerunt, si non omnia, partem tamen bonorum retinere potuissent; deinde, quia sic concinnior pleniorque redditur sententia Plinii; ac denique, quia eadem jam a tot editoribus, qui partim etiam usi sunt codicibus antiquis, animadversa sunt atque evulgata. Prætuli autem verbum *retinuissent* alteri *detinuissent;* quia sic elegantius refertur ad antecedens verbum *retinerent*, cui æque injuriæ nota adhæret, ac verbo *detinuissent;* cum non nisi de retentis bonis, quæ rapta fuerant, sit sermo; quæ ad diluendam Gesneri opinionem addenda duxi. *Schwarz.*

Cum tam multa largiaris, et nihil auferas] *Ut si nihil largiaris et auféras* C. *Livin.*

Et nihil auferas] Cum primum ederem observationes ad Panegyricum Plinii, annotavi, pro his verbis in codice Guelpherbytano, et in libro Vossiano, legi *nec auferas quidquam.* Quæ variatio perplacuit Arntzenio,

ut eam receperit in contextum. Placuerat et mihi; sed non ita, ut vulgatam lectionem ideo exturbandam censuerim; utpote cui lectioni vulgatæ locum vindicant omnes reliqui codices scripti, librique impressi; eandemque oblique confirmat ipse Plin. XXVII. 2. 'Nihil largiatur princeps, dum nihil auferat.' Id vero adhuc observandum, post hæc verba, *et nihil auferas;* præterea sequentia, *ut si nihil largiaris, et auferas,* adjecta in codice Veneto et meo, item in editione Cuspiniani, et apud Thomam Hearnium, a Jos. Scaligero annotata, deprehendi; in codice autem Parisiensi, ita cum subsequentibus legi, *ut si nihil largiaris, et auferas omnia, supersint omnia.* Ex quo supplemento hæc περίοδος existeret: 'Nam, quid est caussæ, cur aliis quidem, cum omnia raperent, et rapta retinerent, ut si nihil rapuissent, nihil retinuissent, defuerint omnia: tibi, cum tam multa largiaris et nihil auferas, ut si nihil largiaris, et auferas omnia, omnia supersint?' Concedo quidem, sic concinnitatem periodi, more veterum sophistarum, videri pleniorem fieri; nihilo minus tamen, cum sententia nimis fere arguta hinc in quandam affectationis notam incidat, magnopere vereor, ne hæc posterior lacinia aliunde sit assuta. *Schwarz.*

Fronte gravi et tristi supercilio] H. e. qui simulata animi gravitate et severitate assidue intenti essent augendis fisci commodis. Hæc epitheta inverso ordine exhibentur in codicibus Vaticanis, Parisiensi, Veneto, Salisburgensi, Guelpherbytano, et meo, *qui fronte tristi et gravi supercilio.* Sed opinor, ea utroque modo recte cum istis substantivis conjungi posse; quamvis ordini in codicibus Mss. obvio magis faveam. 'Tristitia,' 'gravitas,' 'severitas,' sunt cognatæ naturæ, nec raro conjunguntur; quibus opponuntur, remissio, suavitas, comitas. Cic. in Lælio, cap. 18. 'Tristitia autem, et in omni re severitas, habet illa quidem gravitatem; sed amicitia remissior esse debet, et liberior, et dulcior, et ad omnem comitatem facilitatemque proclivior.' Cic. de Orat. II. 71. 'Vultus quidem quo severior et tristior, ut in te, Crasse,' &c. Plauto, Tibullo, et aliis, 'frons' dicitur 'tristis;' Lucretio, 'triste supercilium.' Etiam Martiali, XI. 2. 'Triste supercilium, durique severa Catonis Frons.' 'Frons' autem æque ac 'supercilium' habentur indices affectuum et propensionum animi. Hinc Plinius Major, XI. 37. 'Frons et aliis animantibus; sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis, index.' De 'superciliis' idem ibidem: 'In iis pars animi: negamus, an annuimus? Hæc maxime indicant fastum. Superbia alicubi conceptaculum, sed hic sedem, habet. In corde nascitur; huc subit, hic pendet.' *Idem.*

Qui fronte gravi] Viri pessimi calumnias excitantes vel æque pessimum principem docentes, quo modo civium bona raperet; nam 'bona vivorum et mortuorum usquequaque, quolibet et accusatore, et crimine, corripiebantur.' *Patarol.*

Contumaciter] Alias dicitur pro arroganter atque insolenter adversus superiores. Hoc loco idem est, ac assidue et perseverantissimo studio. Seneca Epist. 45. 'Qualescunque sunt libri mei, tu illos sic lege, tanquam verum quæram adhuc, non sciam; et contumaciter quæram.' *Schwarz.*

Ipsi sua sponte] Forte, *Ipsi quidem sua sponte.* Livin.

A nobis] Animadvertas licet variam structuram verbi 'discere.' Boni enim linguæ Latinæ auctores dicunt 'discere ab aliquo,' 'ex aliquo,' 'de aliquo,' et 'apud aliquem.' Terent. Eun. II. 31. 2. 'Ut sibi liceret discere id de me.' Ubi Donatus hæc notat: 'Magis, 'de illo,' et 'de me discere,'

veteres dicebant, quam, ut nos dicimus, 'a me,' aut 'ab illo.'' *Schwarz.*

Avaris adulationibus] 'Adulationes' μετωνυμικῶς dicuntur 'avaræ,' quæ ei, cui quis adulatur, avaritiam suadent, eumque reddunt avarum. Eodem modo Plinio nostro, Epist. IX. 13. 16. dicitur 'cruenta adulatio;' Tacito Annal. IV. 20. 'sævæ adulationes.' *Idem.*

Plus tamen] Antehac vulgo editum est, *ut tibi, cum plurimum pro tuis, tum pro nostris, moribus debeamus.* Nostram lectionem confirmant codices Mss. Vaticani, Parisiensis, Venetus, Salisburgensis, Guelpherbytanus, et noster; itemque in excusis primus Cuspinianus. *Idem.*

Pro nostris] Cum enim malæ artes apud principem locum non habeant, ideo iisdem non studemus; sed mores nostros castigamus, quia sic placemus imperatori. *Patarol.*

Pro tuis, plus tamen pro nostris] *Pro tuis, tu pro nostris,* Livin. in textu. Sed in margine, *Pro tuis, plus tamen pro nostris* V. C. recte. *Rittersh.*

Nostris moribus] Qui bonos nos facis, qui ab adulationibus sic arces. *Lips.*

Cap. XLII. *Voconiæ*] Lex Voconia vetus, ne quis heredem feminam, vel unicam etiam filiam, faceret, ultra quadrantem hereditatis. *Lips.*

Voconiæ leges] Proprie loquendo non erat, nisi una lex Voconia; quæ vero, quia plura complectebatur capita, etiam numero multitudinis appellabatur. Id quod et de lege Julia est notandum. Q. nempe Voconius Saxa, tribunus plebis, studiose cavit, ne parentum propinquorumque bona, præter dotem, vel ex testamento, vel ab intestato, unquam perciperent feminæ; quam in rem, A. U. C. DCLXXXIV. tulit rogationem, quæ sanxit in posterum, qui post A. Postumium et Q. Fulvium, censores, census esset, ne heredem virginem, neve mulierem, faceret, ut tradit Cic. Verr. I. 4. Quia vero metuendum erat, ne testator, quando aliud nihil poterat, patrimonium suum legatis in feminas, quas heredes sibi vellet, erogaret; certa quoque, sed exigua, eadem lege præfinita est summa, ultra quam nullo modo cuipiam mulieri liceret testamento aliquid relinquere. Si quis vero quid contra hanc legem feminæ relinqueret, id fiebat caducum, et, sub imperatoribus, fisco cedebat, vel ærario; unde fiscus et ærarium inde locupletari dicebantur. Non tamen integra lex ista Voconia ad Domitiani et Trajani usque tempora, immo, docente Perizonio, ne quidem ad tempora fisci constituti amplius in usu fuit; sed Plinius sine dubio Voconiam vocavit legem parte sui aliqua ex illa ortam, seu in quam præcipuum ejus caput ab Augusto fuit translatum. Augustus enim revocavit retractavitque legem Voconiam, ejusque mentionem et partem aliquam æque, ac Juliæ de maritandis ordinibus, in Papiam Poppæam contulit; de qua mox dicemus. Quæ omnia pluribus exposuit Jacobus Perizonius, in erudita dissertatione de Lege Voconia Feminarumque apud Veteres Hereditatibus. *Schwarz.*

Voconiæ et Juliæ] Lex Voconia a Voconio lata cavebat, ne quis mulierem heredem institueret. Memorat Gell. XX. 1. Juliæ vero plurimæ fuerunt; hic tamen intelligi puto Julias de Maritandis Ordinibus, a Cæsare primum latas, mox ab Augusto confirmatas, addita etiam Papia Poppæa, augendo ærario, Tacit. Annal. lib. III. *Patarol.*

Juliæ leges] Variæ hujus nominis fuere leges, quas in compendio recenset Hotomannus, in Primis Juris Civilis Elementis, P. II. Poterat huc referri lex Julia Vicesimaria, de vicesima hereditatum, de qua supra ad pag. 654. egimus; poterat et locum habere lex Julia Majestatis, cujus

mox fit mentio: cum utræque illæ leges facerent ad locupletandum fiscum et ærarium. Ac Julia quidem lex majestatis eo magis huc referenda esset, si sequeremur scripturam codicis Salisburgensis, in quo hæc verba ita scripta legimus, *Locupletabant et fiscum et ærarium non magis Voconiæ, quam Juliæ leges, quam majestatis singulare, &c.* Sed, quoniam lex Julia hoc loco conjungitur cum lege Voconia, viris doctis probabilius visum est, hic indicari legem Juliam de Maritandis Ordinibus; quam Augustus jam A. U. C. DCCXXXVI. ferendam retulerat ad senatum; sed demum anno IↃCCLXII. pertulit, ita quidem, ut tum et Voconiæ, et Juliæ legis, rogationes plerasque in legem Papiam Poppæam transtulerit; unde accidit, ut Voconia, et Julia, et aliquando Papia Poppæa, aut passim conjungantur, aut una pro altera nominetur. Legi autem Papiæ Poppææ nomen inditum est a M. Papio Mutilo, et Q. Poppæo Secundo, A. U. C. IↃCCLXII. consulibus suffectis. Hujus legis Papiæ Poppææ duæ fuere partes; quarum prior egit de maritandis ordinibus, de præmiis conjugum et parentum, et de cælibum atque orborum pœnis; cum, e. g. sanciretur, ne cælibes hereditatem caperent, nec legatorum essent participes, aut certe eorum pars decima ad ærarium pertineret: posterior pars egit de bonis caducis, ereptitiis, et vacantibus; unde et Ulpiano, Fragm. Tit. XXVIII. § 7. dicta est lex Julia caducaria; cum, e. g. sancitum esset, ut, si quicunque hominum heres, legatariusve, vivo testatore, post testamentum conditum decederet, relictum in caussa caduci esset, et fisco, vel principi, deferretur; item, si cælibi, vel alteri cuivis incapaci, plus, quam ex H. L. liceret, relictum esset, id tanquam caducum fisco vindicaretur; et quæ plures hujus generis fuere sanctiones. Prior adeo pars hujus legis pertinebat ad amplificandum civium numerum; posterior ad lucra quædam privatis præripienda, augendumque ærarium. Unde Tacit. Annal. III. 27. 'Papiam Poppæam,' inquit, 'senior Augustus, post Julias rogationes, incitandis cælibum pœnis, augendo ærario, sanxerat.' De hac lege Julia et Papia Poppæa diligentissime commentatus est Heineccius, vir de humaniore jurisprudentia meritissimus. *Schwarz.*

Juliæ leges] Multæ sunt ab Augusto, hoc nomine; sed nunc Juliam de Maritandis Ordinibus, quæ Papiæ jungi aut cum ea misceri solet, ipsasque Papias intelligi, clarum est. Nam has Augustus, ut Tacitus loquitur, 'ærario augendo sanxerat,' ob multiplices ibi mulctas. *Lips.*

Majestatis singulare et unicum crimen] Sueton. lege Ner. cap. 32. et Domit. cap. 12. *Livin.*

Unicum crimen] In Tacito passim docetur, ubi, quibus nihil objici potest, majestatis crimen impingitur. Nero etiam statuit, 'ut lege majestatis, omnia dicta factaque, quibus modo delator non deesset, tenerentur.' Suet. Ner. *Lips.*

Unicum crimen] Tacit. Annal. III. 47. 'Majestatis crimen omnium accusationum complementum.' Vide supra II. 1. Dictum enim quodvis innocentissimum ad caput aliquod de majestate a delatoribus plerumque flectebatur, quod letale erat reo: uti insani quoque recutiti, præter intensum majestatis crimen, dictum Christi, quo se Dei filium ex pontificis interrogatione asserebat Matth. XXVI. 63. ad caput aliquod legis arripiebant, Joh. XIX. 7. ἡμεῖς, inquiunt, νόμον ἔχομεν (legem autem de blasphemia intelligebant, Levit. XXIV. 16.) quod apud imperitum ampliabant perversi atque extendebant, interpretationem de suo promentes, scil. κατὰ τοῦτον τὸν νόμον ὀφείλει

ἀποθανεῖν, ὅτι ἑαυτὸν υἱὸν Θεοῦ ἐποίησεν. O scelesta scelestorum interpretatio, quæ nisi ab imperito legis divinæ ipsis fuisset negata. Ubi enim lex ea lata, ὅτι πᾶς ὅστις ἑαυτὸν λέγει υἱὸν Θεοῦ, ὀφείλει ἀποθανεῖν, aut eamne legislator Dei filius adversus se ipse tulit? *Bern.*

Majestatis crimen] Cum vigebat libertas in vetere Roma, majestas tribuebatur populo Romano; at, postquam populus lege regia summam potestatem transtulit in principes, etiam nomen majestatis iis proprium cœpit vindicari. In republica libera, eaque antiqua, non nisi perduellio de atrocissimo majestatis crimine eorum, qui prodidissent patriam, et contra rempublicam aliquid moliti essent, prædicabatur. Adversus hoc crimen aliquot leges sunt latæ; e quibus postremum maxime eminuit lex Julia majestatis, quam Gundlingius, in erudita commentatione ad legem majestatis, I. 16. non immerito ex Ciceronis Philipp. I. 9. vindicavit Julio Cæsari, ita quidem, ut non negarit, huic legi postea ab Augusto non nulla capita fuisse adjecta. Utilis et necessaria est ejusmodi lex in quavis republica, ne impune spernatur auctoritas sanctitasque imperantium, civesque temere ad seditiones voceutur; at noxia evadit, crudelitatisque incurrit notam, si principes ea abutantur; eandemque ad opprimendos innocentes, horumque bona corripienda, detorqueant. Cujusmodi abusus maxime invaluerat sub perversis quibusdam Romanorum imperatoribus. Teste enim Sueton. c. 58. Tiberius 'judicia et leges majestatis atrocissime exercuit.' Immo, narrante Seneca de Benefic. III. 26. 'Sub Tiberio fuit accusandi frequens et pæne publica rabies, quæ omni civili bello gravius togatam civitatem confecit. Excipiebatur sermo, simplicitas jocantium; nihil erat tutum, omnis sæviendi placebat occasio, nec jam reorum exspectabatur eventus, cum esset unus.' Nec mitius agebat Caius Caligula. Adhæc Nero, qui monstro, quam homini, similior, secundum Sueton. c. 32. instituit 'ut lege majestatis facta dictaque omnia, quibus modo delator non deesset, tenerentur.' Remisit iste furor sub Claudio, et maxime sub Flavio, ac Tito, Vespasianis; sed majorem in modum denuo exarserat sub Domitiano, utpote qui, referente Sueton. c. 12. 'bona vivorum ac mortuorum usquequaque, quolibet et accusatore, et crimine, corripiebat; cui satis erat, objici qualecunque factum dictumve, adversus majestatem principis.' In summa: in dies nova excogitabantur argumenta, quæ ad majestatis crimen referrentur; cujusmodi exempla quædam jam supra, ad p. 480. annotavi. *Schwarz.*

Crimine vacarent] Codices Mss. Parisiensis, Venetus, et meus, item et liber Vossianus, pro *crimine*, exhibent *crimini*. Scio quidem, casum sextum tertiæ declinationis aliquando in *e*, et *i*, desinere; vide Voss. Anal. II. 11. et 12. sed vocabulum criminis non est huc referendum; neque hujusmodi insolentes nominum formationes, itemque archaismi, quærendi sunt in Plinio. Manifestum hoc est mendum, quod ab imperitia librariorum fluxit; qui cum meminissent alibi dici, quamvis alia significatione, 'vacare corpori, philosophiæ, sermoni,' &c. i. e. operam dare, opinati sunt, hic etiam scribendum esse, *vacare crimini*. Ii autem dicuntur 'vacare crimine,' et 'culpa,' qui sunt innocentes, expertes omnis criminis et culpæ, aut liberi a crimine. *Idem.*

Penitus sustulisti] Omnino sub Nerva et Trajano repressa est ista rabies ex quovis dicto factove reos majestatis agendi pronuntiandique. Tacitus enim in Agricola, c. 3. 'Primo statim,' inquit, 'beatissimi sæculi ortu Nerva Cæsar res olim dissociabiles

miscuit, principatum ac libertatem, augetque quotidie felicitatem imperii Nerva Trajanus, nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur, assumsit.' Et ipse Trajanus ad Plin. Epist. x. 86. 'Propositum meum optime nosti, non ex metu nec terrore hominum, aut criminibus majestatis, reverentiam nomini meo acquiri.' Rectè tamen Gundlingius, in laudata dissertatione I. 32. 'Cave putes,' inquit, 'Trajanum totam legem Juliam majestatis sustulisse; rejecit ille leviores caussas et species, quæ sub obtentu principalis venerationis ad legem Juliam trahebantur.' *Idem.*

Majestatem vindicabant] Potest quidem quisque imperans majestatem sibi jure meritoque vindicare; verum ex justis manifestisque caussis, et ex utilitate reipublicæ; non ex libidine et sævitia, neque ex levissimis rationibus, neque ex falsis criminationibus, quas sequebantur tyranni et mali principes. In codice Parisiensi et Guelpherbytano, scriptum est *vendicabant;* sed pro more codicum mendosorum. Vide Priscian. xviii. p. 1208. et Dausq. Orthogr. vol. ii. p. 332. *Idem.*

Amicis] Qui nunc amicum non deferunt. *Lips.*

Amicis fides] Cic. in Lælio, c. 18. 'Firmamentum stabilitatis constantiæque ejus, quam in amicitia quærimus, fides est. Nihil enim stabile est, quod infidum est.' Uti autem a malis principibus excitabantur identidem amici, ut se invicem reos agerent; ita et liberi in parentes, ac servi in dominos, armabantur. Miseriarum et sævitiæ exemplum atrox, nempe 'reum patrem, accusatorem filium,' e Tiberii sæculo refert Tacit. Annal. iv. 28. nec minus insigne exemplum perfidiæ amicorum, et occultarum calumniarum, idem notat cap. 68. ejusdem libri. Tradente Suida, sub voce Γάϊος, Caligula servorum dominatum instituit, lege lata, ut iis dominos accusare liceret, si quod eorum peccatum vidissent, et ex eo magna calamitas orbem terrarum invasit, cum servi magnis suppliciis dominos subjicerent. Contra auctor est Dio lib. lxviii. p. 769. jam Nervam cavisse, ne servis crimen ullius facinoris liceret dominis inferre. A Nerva adoptatus Trajanus omnia ista in meliorem ordinem redegit. Sic et Vopiscus in Tacito, c. 9. testatur, Tacitum quoque cavisse, 'ne servi in dominorum capita interrogarentur, ne in caussa majestatis quidem.' *Schwarz.*

Liberis] Qui et ipsi armabantur in parentes. *Lips.*

Obsequium servis] Qui antea ex spe præmii dominos calumniabantur; quod genus hominum, Dione teste, Nerva ad unum jussit occidi. *Patarol.*

Servis] Passim in dominos insurgebant, et territabant accusaturi majestatis. *Lips.*

Dominos habent] In primo Gudii libro aliquis, e conjectura, ut opinor, annotavit, pro verbo *habent*, legendum esse *amant*. Sed correctio hæc foret supervacanea. Servi enim recte dicuntur 'habere dominos,' qui eos habent heros, quibus non illudant, nec quos falsis apud principem accusationibus terreant; sed a quibus ipsi coërceantur, pœnisque meritis afficiantur. Excessit vero Tiberius imperator omnem civilitatis humanitatisque modum, qui, referente Sueton. c. 29. inter alia his verbis allocutus est senatum Romanum: 'Et bonos, et æquos, et faventes vos habui dominos, et adhuc habeo.' *Schwarz.*

Servi nostri] Antehac in omnibus libris excusis, præter Gesnerianum et Arntzenianum, qui nostris observationibus Plinianis usi sunt, hæ voces ordine leviter inverso legebantur, *Non enim jam servi principis nostri*

amici, sed nos sumus. Verum istam transpositionem, quam nunc recepimus, observavimus in omnibus, quos consulere nobis datum fuit, codicibus Mss. eamque omnino meliorem, contextuique orationis congruentiorem, quam vulgatam, judicavimus. Hic ergo grammaticus istarum vocum ordo esse debet *Non enim jam servi nostri sunt amici principis, &c.* Neque enim Plinius jam generatim de servis principis, sed de servis et 'mancipiis alienis,' sive de servis civium, loquitur; cum constet, superiores principes majorem fidem servis et mancipiis civium, quam ipsis civibus, habuisse, atque illos servos spe promissisque corrupisse, et domo identidem abduxisse, inque dominorum capita subornasse atque armasse. *Idem.*

Omnes accusatore domestico] Bene recteque se habet hæc lectio; verum hæc verba in quibusdam codicibus Mss. mendo commaculata deprehenduntur. In Vaticano enim 1475. Veneto, et Salisburgensi, scriptum est *omnis accusator e domestico;* in Parisiensi, *omnis accusator edomestico;* et in Vossiano, *omnes accusatore e domestico.* In Parisiensi etiam vitiose exaratum est *municipiis*, pro *mancipiis.* Fuerunt autem domestici accusatores improbi liberi, consanguinei, et servi, qui ad prodendos calumniandosque parentes, necessarios, dominos, se induci passi sunt. *Idem.*

Salutis publicæ signo] Lipsius interpretatur 'signum' quasi per tesseram datam. Et sane Sil. Ital. xv. 478. 'Tacitum dat tessera signum.' Intelligit autem Plinius per signum generatim 'salutis publicæ' indicium, nempe legem illam Trajani, in salutem reipublicæ latam, qua coërceret insolentes servorum accusationes, et impietatem adversus heros. Ea lege, dicit, veluti 'servile bellum' sublatum finitumque esse. Cum ergo tesseræ usus is proprie esset, ut ea milites in prœlio se internoscerent, neque excubitores fraude hostium circumvenirentur; contra autem, 'vexillo' proposito sublatoque, tanquam *signo*, ad pugnam committendam hostemque debellandum, excitarentur; malim hic, ubi 'bellum sublatum' dicitur, metaphoram 'signi' ad 'vexillum,' quam ad 'tesseram,' referre. Ad hunc fere modum loquitur etiam Cic. Orat. pro Marcello, c. 1. 'His omnibus ad bene de omni republica sperandum, quasi signum aliquod sustulisti.' Ubi jam ostendit Buchnerus, tractam esse istam loquendi formulam ex more militiæ, et sigillatim quidem a vexillo, tanquam signo militari. Nam cum pugnam commissuri imperatores essent, vexillum proponebant, quod cum elatum videbant milites, statim intelligebant, quid faciendum sibi esset. Virgil. Æn. VIII. 1. 'Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce Extulit,' &c. Hirtius de B. Alex. cap. 46. 'Vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum, quæ primæ naves subsequebantur, idem ut facerent, significabat.' Cæsar de B. G. II. 20. 'Vexillum proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret.' Ammian. Marcell. lib. XXVII. 'Signis illico fixis ex more, cum undique ad arma conclamaretur, imperio principis et ductorum stetit miles; vexillum operiens extollendum, quod erat opportune pugnæ subeundæ indicium.' Præter Buchnerum, conferatur Turneb. Advers. XIV. 16. Ceterum, Christophorus Behrius, in Gedanensi editione, in hoc loco Pliniano, pro *unoque, &c.* legendum censuit *elatoque salutis publicæ signo, &c.* Arrideret et mihi *elatoque* vel *sublatoque,* dummodo veteres codices quædam hujusmodi lectionis vestigia ostenderent. *Idem.*

Salutis publicæ] Velut formula erat, in laudem bonorum principum: et in

nummis passim insculpitur, 'Salus publica.' *Lips.*

Signo] Quasi hac tessera data et edita. *Bern.*

Servile bellum] Allusum ad vetera servilia bella, cum manus in dominos armarunt; at hic linguas. Trajanus autem hæc ista sustulit, aut sublata a Nerva patre comprobavit. Nam de eo Dionis compendium: *Τούς τε δούλους καὶ τοὺς ἐξελευθέρους τοὺς τοῖς δεσπόταις σφῶν ἐπιβουλεύσαντας, πάντας ἀπέκτεινε, καὶ τοῖς μὲν τοιούτοις οὐδ' ἄλλό τι ἔγκλημα ἐπιφέρειν ἐπὶ τοὺς δεσπότας ἐφῆκε. Servos et libertos, quicumque insidiati dominis fuissent, omnes interfecit; atque iis nec aliud quodvis crimen inferre, aut accusare dominos, permisit.* Lips.

Servile bellum] Plinius ita *μεταφορικῶς* vocat ferociam nequitiamque, qua servi illius temporis adversus dominos suos usi erant. Sic vero Plinius, quod recte animadvertit Lipsius, allusit ad vetera bella servilia; quæ, præter ceteros, breviter strictimque exponit Flor. III. 19. et 20. Quoniam vero Plinius veritus est, ne audaciore translatione usus videretur, dum cum bellis illis servilibus, quibus servi, excitata communi seditione, manus in dominos, et in ipsam rempublicam, armassent, comparavit privatam perfidiam singulorum quorundam servorum, qui saltem linguas ad calumniandos heros suos exacuerant; ad istam translationem quasi molliendam adhibuit præcastigationis formulam, *ut sic dixerim.* Qua in re secutus est præceptum oratorium Cic. de Orat. III. 41. 'Atque etiam, si vereare, ne paullo durior translatio esse videatur, mollienda est, præposito sæpe verbo: ut, si olim M. Catone mortuo, pupillum senatum quis relictum diceret, paullo durius; sin, ut ita dicam, pupillum, aliquando mitius est. Etenim verecunda debet esse translatio.' Sic ipse Plinius noster, supra, XXXIX. 3. 'Sparsas, atque, ut ita dicam, laceras gentilitates.' Epist. V. 6. 16. 'Acanthus in plano mollis, et pæne dixerim, liquidus.' *Schwarz.*

In quo] I. e. in qua re, in qua perfidia servorum, aliorumque improborum hominum, compescenda. Pronomen *quo*, non ad solam vocem *bellum*, sed ad integram sententiam, quæ antecedit, est referendum. *Idem.*

Hos enim] Pro vocula *hos*, in codice Veneto, Salisburgensi, et meo, extat *nos*. In codice Parisiensi scriptum est *Non enim securos illos, sed bonos fecisti.* Nihil horum mihi placet; nec solicitanda est vulgata lectio: *Hos enim*, scilicet dominos, *securos fecisti*, i. e. tutos a metu servilis accusationis; *illos*, nempe servos, *fecisti bonos*, repressa eorum perfidia ac nocendi facultate. *Idem.*

Hos enim securos] *Nos enim securos* V. *Livin.* Male. *Rittersh.*

Non vis interea laudari] Vir bonus debito, non laudi, ducit, facere suum officium. Vide ad LXXX. 1. *Bern.*

Interea laudari] Behrius pro *interea*, reponendum censuit *propterea*. Etiam Perizonius, quod notatum est ab Arntzenio, varie tentavit hoc vocabulum; sed præter necessitatem. *Interea* est idem ac 'inter hæc,' dum nempe hæc instituis et facis; Germanice, *hierbey*, sive, *bey solchen deinen verordnungen*. Celsus III. 26. 'Moderandumque inter hæc, ut vires conserventur.' Cic. Attic. VII. 12. 'Interim velim mihi ignoscas, quod ad te scribo tam multa toties.' Terent. Andr. II. 2. 26. 'Interea introire neminem video.' *Schwarz.*

Nec fortasse laudanda sint] Nempe, ut Cellarius ait, propter ignobile ex servis argumentum. Loquitur Plinius ex sententia stoicorum, qui ad veram hominis laudem non requirebant saltem *καθήκοντα, officia communia*, quorum ratio in eo potissimum consistit, ne alii a nobis lædantur; sed etiam *κατορθώματα, officia perfectiora* eorum, qui similes sint menti

divinæ, ut non solum ipsi felicissime vivant, sed alios etiam, quoscunque possint, reddant felices. Vide Cic. Offic. I. 3. Hæc igitur perfectiora magnarum mentium officia magis quam illa communia, laude digna censebant. Qua ratione dixit Vell. II. 45. 'Catonis integritatem (i. e. abstinentiam ab aliena pecunia,) laudari, nefas esse;' quia nempe majora in Catone laudanda, quæ in alio haud temere exstent. Similiter Tacitus Agric. c. 9. 'Integritatem,' inquit, 'atque abstinentiam in tanto viro referre, injuria virtutum fuerit.' Et Claudian. Laud. Mall. vs. 214. seqq. 'Nam spretas quis opes, intactaque pectora lucro Commemoret? Fuerint aliis hæc forte decora: Nulla potest laus esse tibi, quæ crimina purget.' Horat. Arte Poët. vs. 267. 'Vitavi denique culpam; Non laudem merui.' Ausonius de parente suo, Parental. I. 'Deliquisse nihil, laudem nunquam esse putavi.' Vide Grut. ad Vell. l. c. et Berneggerum ad hunc Plinii locum. *Idem.*

Nec fortasse] Extra culpam enim dumtaxat sunt, at laudis finem non attingunt. *Lips.*

Nec fortasse] Quia aliæ magis eximiæ, magis raræ, ejus sunt virtutes. Sic 'Catonis integritatem laudare nefas est.' Vell. II. 45. 'Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, injuria virtutum fuerit.' Tacit. Agric. cap. 8. Claudian. de Mallio, 'Nam spretas quis opes, intactaque pectora lucro Commemorat? fuerint aliis hæc forte decora: Nulla potest laus esse tibi, quæ crimina purget.' Tamen apud Cic. Offic. II. sub fin. 'Laudat Africanum Panetius, quod fuerit abstinens. Quidni laudet? Sed in illo alia majora. Laus enim abstinentiæ non hominis est solum, sed etiam temporum illorum.' At contra, 'Ut nunc sunt mores, adeo res rediit, Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.' Terent. Phorm. I. 2. *Bern.*

Principem illum] Domitianum. *Patarol.*

In capita] I. e. in perniciem, sive periculum mortis aut exsilii. 'Caput' enim sæpe ponitur pro vita et corpore; item et pro juribus civitatis. Hinc frequenter dicitur 'capitis aliquem accersere,' 'capitis condemnare,' &c. 'capitale crimen,' quod mortem vel exsilium 'meruit;' 'judicium capitis,' vel 'capitale judicium,' quo damnatus, vel vitam, vel civitatem et libertatem, amittebat. Justin. § 2. Instit. tit. de Publicis Judiciis, 'Capitalia judicia dicimus, quæ ultimo supplicio afficiunt homines, vel aquæ et ignis interdictione, vel deportatione, vel de metallo.' *Schwarz.*

Et inevitabile] Sic etiam appellatur a Tacito Annal. I. 74. 'Hispo Marcellum insimulabat, sinistros de Tiberio sermones habuisse: inevitabile crimen, cum ex moribus principis fœdissima quæque deligeret accusator, objectaretque reo; nam, quia vera erant, etiam dicta credebantur.' *Idem.*

CAP. XLIII. *Testamenta nostra secura*] I. e. libera, et rata, quæ princeps non impugnat. Supra XXXIV. 1. 'Nulla testamenta secura.' Vide notata ad p. 627. *Schwarz.*

Nunc quia scriptus, nunc quia non scriptus, heres] Hunc locum antehac omnes editores corruptum evulgarant, præter unum Cuspinianum. Ei quidem medelam variis modis afferre nonnulli tentarunt; sed nescio quo modo medicina semper vitio fuerit imbecillior. Etiam e codicibus Mss. Vaticanis nulla spes sanandi hujus loci affulsit. In tribus enim hæc legimus *non unus omnium nunc, quia non scriptus, heres.* In quarto codice Vaticano R. A. D. 1475. omissa est in posteriore loco particula negandi *non*, quæ etiam desideratur in codice Guelpherbytano et in plurimis libris ex-

cusis, in quibus legimus *nec unus omnium nunc, quia scriptus, heres.* At pleniorem verioremque lectionem restitui e codice meo, quam nunc confirmant etiam Parisiensis, Venetus, et Salisburgensis; secundum quam lectionem Plinius dixit, Trajani temporibus non esse unum omnium heredem, qui omnium hereditates ad se rapere nitatur, qualis antehac fuerit quisque princeps avidior, qui nunc ex ea ratione, quia scriptus nuncupatusque fuerit heres; nunc ex eo prætextu, quia non scriptus, sed ab ingratis in testamento fuerit præteritus, ejusmodi testamentum, tanquam inofficiosum et impium, pœnæ loco resciderit, hereditatemque fisco inferendam statuerit. Quæ pluribus exposui in Excurs. XLIV. Quam observationem quum primum ederem, Heumann. Pœcil. tom. II. 4. hanc meam emendationem vocavit πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον· nisi quod pro *heres*, retinendum sit *heres es.* Verum ego sciens prudensque hic prætermitto verbum substantivum *es;* quia id neque comparet in codicibus Mss. in quibus vera lectio exstat; neque a Cuspiniano editum est; neque adeo necessarium videtur. Certe enim potuit Plinius primum ἐν θέσει dicere, non unum esse omnium heredem; deinde id sigillatim transferre ad præsentem Cæsarem. Et, si vel maxime statuas, Plinium jam istis ipsis verbis alloqui Trajanum; non sane necesse foret, ut verbum substantivum simul exprimatur; utpote cujus ἔλλειψις in hoc Panegyrico vel centies occurrit. Ex nostra observatione emendationem hujus loci nunc etiam receperunt viri doctissimi, Gesnerus et Arntzenius; et hic quidem profitetur, se interim, dum meliora doceatur, Cuspinianum, et meum codicem, esse secutum, quamvis nec sic illa sibi satis placeant. Nec vero ullam affert rationem, cur nondum illa sibi satis placeant. *Idem.*

Nunc quia scriptus, nunc quia non scriptus] *Nunc quia scriptus heres* in contextu, sed in margine *nunc quia scriptus, nunc quia non scriptus*, C. *Livin.*

Nec unus omnium, nunc quia scriptus, nunc quia non scriptus, heres] *Nec unus omnium nunc, quia scriptus heres*, obscura, nec mihi recta. Inflecto, *nec unus omnium, nunquam scriptus heres.* Acute et vere, aut fallor. Non tu, inquit, omnium heres nunc es, ut ille Domitianus, qui falso talem se gerebat nec cogitatum nec scriptum. *Lips.*

Nec unus omnium, nunc quia scriptus, nunc quia non scriptus, heres] *Nec unus omnium nunc, quia scriptus heres.* Grut. Divinaram dudum *omnium, nunquam scriptus heres*, quod cum et Lipsio nostro nupere venerit in mentem, non est sane, quod de eo me jactem; lætor potius collineasse una cum caro illo capite ad eundem scopum. *Grut.*

Iniquis] Ubi propior, aut suus, heres est. *Lips.*

Iniquis tabulis advocaris] *Iniquis tabulis advocatis* edit. Rhenan. sed *iniquis tabulis advocaris* H. Stephan. *Faber.*

Nunquam scriptus heres es] In omnibus fere legebatur *nunc quia.* Placet *nunquam;* quod prætulit etiam in sua editione Cellarius, post Lipsium et Gruterum. Notat hic principum illorum aviditatem, qui, deficiente pecunia, hereditates sibi rapiebant. Vide Sueton. Calig. c. 38. in Ner. c. 32. in Domit. c. 12. *Palarol.*

Tabulis] Testamenti. *Idem.*

Tabulis advocaris] I. e. Non tu fictis suppositisque, neque iniquis testamentis, per quæ legitimi heredes excludantur, adhiberis et insereris, ut ea tuo nomine tuaque auctoritate confirmes, ac rata esse jubeas. 'Tabulæ' et 'tabellæ,' alias generatim pro omnis generis scripturis et codicibus ponuntur; quia ante chartas

inventas in tabulis veteres scripsisse dicuntur. Hic κατ' ἐξοχὴν sic appellantur testamenta. 'Tabulas' enim 'testamenti,' secundum Ulpian. pr. de Bonorum Possess. 'secundum tabulas, accipere debemus omnem materiæ figuram. Sive igitur tabulæ sint ligneæ, sive cujuscunque alterius materiæ; sive chartæ, sive membranæ sint; vel si e corio alicujus animalis; tabulæ recte dicuntur.' Interdum tamen adjecto alio vocabulo vocantur 'tabulæ supremæ;' v. g. apud Tacit. Annal. XVI. 14. 'Monitus Anteius, ne supremas tabulas moraretur.' Sæpius appellantur 'tabulæ testamenti.' Tacit. Annal. XV. 62. Sueton. Vitell. c. 14. &c. 'Advocari' autem alicui homini vel rei, dicuntur illi, qui conquiruntur et accersuntur ad consilium, opemque ferendam, et ad præstandum favorem. Cic. pro Quinctio, c. 14. 'Potentes, diserti, nobiles omnes, advocandi sunt.' Ibid. c. 21. 'Alphenus, ne qua subesse posset suspicio, viros bonos cumplures advocat.' Seneca de Clementia, c. 9. 'Augustus constituit se ab eo vindicare; consilium amicorum advocari jussit.' Ceterum, exemplum Trajani, qui testamenta civium voluit esse secura, præter alios, secutus est Helv. Pertinax imperator, qui, referente Capitolino, in ejus Vita, c. 7. 'legem tulit, ut testamenta priora non prius essent irrita, quam alia perfecta essent, neve ob hoc fiscus aliquando succederet; ipseque professus est, nullius se aditurum hereditatem, quæ aut adulatione alicujus delata esset, aut lite perplexa, ut legitimi heredes et necessarii privarentur.' Cf. Instit. § 8. quibus modis testamenta infirmentur. *Schwarz.*

Nullius ad te iracundia . . . confugit] I. e. Nemo nunc, qui heredibus alias legitimis ex quacunque leviore caussa irascitur, infensusque est, ad favorem tuum confugit, et tibi, ceu principi, hereditatem defert, ut istos eadem privare possit. Id quod, sub malis principibus, aliquando etiam faciebant impii liberi et nepotes adversus patrem et avum, et hi vicissim. Unde Tacitus in Agric. c. 43. dixit, 'a bono patre non scribi heredem, nisi malum principem.' Contra Augustus hereditatem ex hujusmodi causeis sibi adscriptam non admittebat. Auctor enim est Sueton. in Vita ejus, c. 66. Augustum 'legata, vel partes hereditatum, a quibuscunque parentibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concedere, aut, si pupillari ætate essent, die virilis togæ, vel nuptiarum, cum incremento restituere, consuevisse.' 'Furor' autem hoc loco non dicitur de plena animi ad omnia cæcitate; propterea quod furibundus, tempore furoris, testamentum facere non potest; sed de alio quocunque immoderato affectu, et inconsulto animi impetu. Ita Plancus apud Cic. Epist. x. 11. de tota legione ad seditionem propensa; 'Si decima legio veterana ad eundem furorem redierit.' *Idem.*

Iracundia] Puta liberti in patronum. *Paterol.*

Iracundia] Puta liberti, qui patrono offensus, et ut illum jure successionis privaret, principem scribebat. *Bern.*

Impietas] Patris aut filii. Nam, ut Tacitus in Agric. 'a bono patre non scribitur heres, nisi malus princeps.' *Lips.*

Impietas] Puta, filii in patrem, vel patris in filium, aut consanguinei in consanguineum. *Patarol.*

Furor] Aliquis parum sanæ mentis, qui spretis suis ad principem vertit. *Lips.*

Quia ipse meruisti] Sic neque Tiberius, in primis imperii sui annis, teste Tacito Annal. II. 48. 'hereditatem cujusquam adiit, nisi cum amicitia meruisset.' *Schwarz.*

Scriberis ab amicis] Paullo ante Plinius dixerat 'nuncuparis;' nunc ait

'scriberis,' scilicet heres. Utroque verbo dicitur aliquis 'heres institui,' sive designari bonorum post mortem alicujus dominus futurus; ista tamen, ratione modi, distinguunt jureconsulti; v. g. Ulpianus lege 21. pr. π. Qui testamenta facere possint, &c. 'Heredes palam, ita, ut exaudiri possint, nuncupandi sunt. Licebit ergo testanti, vel nuncupare heredes, vel scribere; sed, si nuncupat, palam debet. Quid est 'palam?' non utique in publicum; sed ut exaudiri possit: exaudiri autem non ab omnibus, sed a testibus.' Non igitur nefas erat, principem scribi heredem; dummodo id fieret sine fraude, et sine legitimorum heredum damno. Immo ex more istius ævi, pro indicio singularis amoris habebatur, si princeps justo modo scriberetur heres. Unde Sueton. Aug. c. 66. hæc narrat: 'Exegit et ipse invicem ab amicis benevolentiam mutuam, tam a defunctis, quam a vivis. Nam, quamvis minime appeteret hereditates, ut qui nunquam ex ignoti testamento capere quidquam sustinuerit; amicorum tamen suprema judicia morosissime pensitavit; neque dolore dissimulato, si parcius, aut citra honorem verborum; neque gaudio, si grate pieque quis se prosecutus esset.' Vide dissertationem Gundlingianam de Principe Herede ex Testamento Civium. *Idem.*

Scriberis ab amicis] Pro more et jure. Atque ita Augustus professus, 'viginti proximis annis, quaterdecies millies HS. ex testamentis amicorum percepisse,' Sueton. *Lips.*

Ab ignotis præteriris] I. e. non instituеris heres. Uti Romani velut ignominiosum existimarunt, ab amicis præteriri in testamentis; quod habuerunt pro indicio, præteritos parum amari; qua de re vide Abramum ad Cic. Philipp. II. cap. 16. et quam ob caussam etiam Augustus, de quo modo dixi, id signum mutuæ benevolentiæ ab amicis requirebat: ita tamen ex testamentis ignotorum nihil capiebat; quemadmodum et Tiberius, in primis imperii annis, teste Tacito Annal. II. 48. 'ignotos, et aliis infensos, eoque principem nuncupantes, procul arcebat.' Similiter Hadrianus, narrante Spartiano, cap. 18. 'ignotorum hereditates repudiavit, nec notorum accepit, si filios haberent.' Immo et jam in republica libera Cic. Philipp. II. 16. exprobrat Antonio, quod ab ignoto homine, a quo certe nunquam antea salutatus fuerat, factus fuerit heres: 'Te is,' inquit, 'quem tu vidisti nunquam, L. Rubrius Cassinas, fecit heredem. . . . Et quidem vide, quam te amarit is, qui albus aterne fueris, ignorans, fratris filium præteriit!' *Schwarz.*

A pluribus] Ergo et a pluribus scriberis. *Bern.*

Plures amas] Si vis amari, ama. 'Ut ameris, amabilis esto.' Ovid. 'Amor amore provocatur.' *Bern.*

Tene, Cæsar] *Tenes Cæsar* Livin. in textu; sed in marg. *Tene Cæsar* C.

Tene, Cæsar] I. e. Prosequere institutum tuum. Ita exprimitur imperativus modus non solum in impressis libris Cuspiniani, Lipsii, Gruteri, Puteani, Berneggeri, Grævii, Pataroli, Cevæ, et aliorum recentiorum; sed etiam in codicibus Mss. Vatican. Parisiensi, Veneto, et meo. At in ceteris exstat modus indicativus *tenes.* Præterea, Gryphius, H. Stephanus, et Sichardus, pro nomine *cursum*, in margine annotarunt *casum;* quæ autem variatio nihili est. Etiam Cic. de Orat. I. 1. dixit, 'vitæ cursum tenere.' *Schwarz.*

Et probabitur] Hanc lectionem prodiderunt Cuspinianus, Lipsius, Gryphius, Puteanus, Gruterus, Grævius, Bernegger, Patarol, Ceva, et alii recentiores; cui lectioni bene convenit cum antecedente imperativo *tene.* Simili hortandi formula, cum sequente verbo temporis futuri, utitur Plinius infra, XLV. 6. 'Perge modo, Cæsar, et vim effectumque censuræ tuum propositum, tui actus, obtinebunt.'

In codicibus Mss. mire hallucinati sunt librarii. In Vaticanis enim, Salisburgensi, et Guelphico, legitur *probiter*; in Parisiensi *probitur*, ubi tamen vestigia quædam temporis futuri *probabitur* animadvertas; in codice Veneto et meo, *probetur*; in libro Vossiano *probatur*, et al. *probetur*. Idem.

Probabitur experimento] *Probatur experimento* Livin. sed *probabitur* C. *probiter* V. forte *probetur*. Livin.

Cogantur] 'Tiberius Cn. Lentulum, cui census erat maximus, metu et languore ad fastidium vitæ egit, ut ne quo, nisi ipso herede, moreretur.' Vitellius 'equitem Rom. proclamantem, cum raperetur ad pœnam, Heres meus es,' exhibere testamenti tabulas coëgit: utque legit, coheredem sibi libertum ejus adscriptum, jugulari cum liberto imperavit. *Bern.*

Pater tuus] Nerva, 'qui et bona omnia quæ extabant, et Domitianus inique abstulerat, dominis reddidit; et plebi Romanæ agros emit ac divisit.' Dio. Factum ejusdem liberale et memorabile in Zonara et Philostrato scriptum. Reppererat Herodes Atticus, Sophistæ pater, domi suæ ingentem thesaurum. Calumnias veritus, ad principem scripsit et indicavit. Ille rescripsit, 'Utere.' Sed Atticus nec sic securus, iterum scripsit, 'At enim thesaurus privati hominis conditionem superat.' Nerva iterum animose, 'Ergo abutere.' *Lips.*

Multa] Consule Dionem scribentem, bona omnia, quæ Domitianus rapuerat, restituta fuisse dominis prioribus a Nerva imperatore, patre adoptivo Trajani. *Patarol.*

Cesserit parum gratus] In omnibus libris hæc sibi constat lectio, cujus vero sententia Livineio visa fuit obscurior; quam ergo ita corrigendam censuit, *Cesserint* [multa, quæ tu paterque donastis,] *parum gratis; manent tamen ii qui bonis tuis fruuntur*. At sic etiam pro *ejus*, contra omnium librorum auctoritatem reposuit *tuis*. Lipsius, pro *cesserit*, legendum putavit *ceperit*; nisi tamen quis velit *cesserit*, pro *decesserit*, accipere. Suspicabar primum, num *cesserit* generatim pro 'evaserit,' 'evenerit,' vel 'fuerit' positum, et quasi dictum sit, Etsi aliquis eorum, quibus tu paterque tuus multa donastis, evaserit ingratus, &c. Uti Plin. XLIV. 8. ait, 'prout turpe honestumque bene ac secus cessit;' sed videtur tamen Plinius hic de pleniore abitu et decessu loqui; quia sequitur *manent*, i. e. supersunt salvique manent, *ii qui bonis ejus*, nempe defuncti et ingrati hominis, ex bonitate principis, *fruantur*. Verbum igitur *cesserit*, ut bene in mentem venit Lipsio, per 'decesserit' vel 'obierit' est explicandum. Sic boni auctores linguæ Latinæ frequenter quidem pro 'mori,' dicunt 'decedere vita,' aut 'decedere de vita;' nihilo minus tamen et eadem notione simpliciter dicunt 'decedere;' ac Plinius quidem, in epistolis suis, perpetuo hoc solo verbo, pro 'mori,' 'obire,' usus est. Itaque quamvis Cic. Tuscul. I. 15. in Bruto, cap. 1. et Tacit. Hist. II. 55. similiter, pro 'mori,' plenius dicant 'cedere vita,' 'cedere e vita;' quidni tamen Plinius nihilo minus etiam simpliciter 'cedere' æque ac 'decedere' pro mori, ponere potuerit? Cui sententiæ etiam adstipulatur Arntzenius. Duo codices Vaticani habent *manent tibi ii*, pro *manent tamen ii*. Schwarz.

Cesserit parum gratus] Obscura, mihi quidem, sententia, et amplius, parum sana. Corrigam et exponam, *Cesserint* scilicet multa illa qua patris dona, qua tua *parum gratis, manent tamen*, id est, supersunt, impune ferunt *ii, qui bonis tuis fruuntur*, hoc est, posteri et heredes, quorum decessores, maximis a te bonis affecti, te in testamento præterito defuncti. At non id itidem

sub aliis principibus impune. Sueton. adi Calig. cap. 38. Ner. cap. 32. Vitell. c. 12. *Livin.*

Cesserit] Lego *ceperit*, et sententia liquet. Nisi vis tamen pro *decesserit* accipere; id esset, Age, mortuus ex illis aliquis parum gratus. *Lips.*

Parum gratus] Qui te heredem non fecerit. Nam quos promovissent aut ditassent ab iis suo jure gratitudinem exigebant. Ita Caligula in Sueton. cap. 38. 'Primipilarium testamenta, qui neque Tiberium, neque se, heredem fecissent, ut ingrata, rescidit;' quia nempe principum beneficio ad gradum opesque venissent.' *Idem.*

Bonis ejus fruantur] *Bonis ejus* Livin. in textu; sed in margine, *Bonis tuis fruantur* C. G.

Bonis ejus] Nervæ; quia tamen et de ipso Trajano præivit, melius fortasse *bonis eis*. Bern.

Qui bonis ejus fruantur] Livineius maluit legere *qui bonis tuis*. Catanæus et Lipsius putarunt, per pronomen *ejus* respici Nervam; verum, quia Plinius eadem etiam de Trajano dixerat, Lips. censuit, melius fortasse legi *bonis eis*, ut hæc ad utrumque principem referri possint. Sed pronomen *ejus* omnium librorum suffragio nititur; ac nescio cur id referri debeat ad Nervam; cum potius referendum sit ad eum qui e vita cesserit ingratus, cujus bonis sive hereditate, sub Trajano, secure frui posse dicuntur ii heredes, qui post mortem defuncti manent in vita. Ita enim loquitur Cic. Epist. IV. 13. Illud vero per mihi mirum accidit, quod verbum *fruantur*, non solum in omnibus codicibus Mss. quibus usi sumus, sed etiam in Puteolani, Beroaldi, Juntæ, Rhenani, Livineii, et Navii libris excusis desideretur; sine quo tamen sententia Plinii sibi non constat. Illud tamen verbum jam publicarunt Catanæus, Cuspinianus, Musophilus, Cratander, Gryphius, Sichardus, R. et H. Stephani, Hackius, Bernegger, et alii recentiores; at, pro modo potentiali, indicativum *fruuntur*, non satis bene exhibent Gruterus, Puteanus, Jac. De la Baune, Patarol. *Schwarz.*

Clariorem ingratus] At Sen. Benef. VII. 29. 'Ingratus non sine nostro pudore protrahitur.' Qui ergo et honore ac clarore? Forte bonitas celebratur, cui malitia imposuit: quanquam tacitus pudor est in animo decepto. *Bern.*

Ne id quidem in patrimoniis] Clarius dixisset *non id quoque in patr.* Sed ita loquitur et infra, 'Omnibus quos bonos facis, hanc astruis laudem, ne coëgisse videaris.' Iterum, 'Tu facilitate ista consecutus es, ne quem retinere videaris invitum.' Lucan. lib. VII. 'nulloque frequentem Cive suo Romam, sed mundi fæce repletam Cladis eo dedimus, ne tanto in tempore bellum Jam possit civile geri.' Porcius Latro apud Senec. patrem Controv. II. 8. 'Pudica sic amari, ne sollicitaretur, potuit?' pro 'ut non.' *Livin.*

Ne id quidem] Sollicitavit hunc locum Livineius, præter caussam. 'Clarius,' inquit, 'dixisset Plinius *non id quoque in patrimoniis*.' Exempla formularum loquendi quæ attulit, nequaquam huc quadrant. Pone vero, ita scriptum esse, ut voluit Livineius; num aptior sententia hinc nascitur? Credo, cives Romanos avaris principibus lubenter reddidisse, et post mortem per testamentum reliquisse, quidquid donorum ab iis acceperint, dummodo reliquas patrimonii sui partes retinere salvas, et ad legitimos heredes transferre, potuissent. Codex Parisiensis habet eodem sensu *nec id quidem*. At in codice Guelpherbytano legimus, *ne id quidem in patrimoniis nostris situm duxit, quod esset;* omissis postremis duabus voculis, *de suo*. Sed censeo sanam omnino esse illam lectionem,

quæ in omnibus editis libris extat, ac codicum etiam Mss. auctoritate stabilitur. Particulas autem illas *ne quidem*, hoc loco explicamus per 'non saltem,' 'non duntaxat,' aliasque hujus generis formulas. Ista certe loquendi ratio frequens occurrit in antiquis probatisque scriptoribus; v. g. apud Cic. ad Attic. IX. 1. 'Mirabar, nihil allatum esse, ne rumoris quidem;' i. e. non rumorem saltem. Confer Sanctii Minerv. c. XIV. pag. 570. Plinius scilicet laudavit Trajanum, quod hic æquo animo tulerit, si qui beneficiis donisque, cum a se, tum a patre suo, Nerva, cumulati, in testamentis ipsum præterierint sine grati animi significatione; cum ceteri principes, si non totas facultates privatorum, saltem tamen id ex hereditate senatorum civiumque mortuorum sibi referendum expectarint, et quasi suo sibi jure repetierint, quod istis vivis de suo donavissent. Pro verbo *duxit*, codex Venetus habet *dixit*, et Salisburgensis *dixerit*. Sed placet vulgata lectio. *Schwarz.*

Ut Regum, ita Cæsarum, munera] 'Regis' et 'regni,' nomina Romanis, in libera inprimis republica, admodum fuere invisa, ita ut tantum non 'rex' pro tyranno, 'regnum' pro tyrannide diceretur. Unde Latinus Pacat. cap. 20. dicit, veteres Romanos, post exactos reges, 'regnum usque ad nomen odisse.' Tyrannus autem is habebatur, qui non jure et æquis legibus, sed vi et quadam animi libidine, dominaretur. Hinc qui, post mutatam reipublicæ liberæ formam, summæ rerum apud Romanos præerant, non 'reges,' sed 'Cæsares,' 'Augusti,' et 'principes,' appellari consueverunt. Sic Jul. Cæsar plebi regem se salutanti, Cæsarem se, non regem esse, respondit. Sueton. Cæs. c. 79. Et Tacit. Annal. I. 1. tradit, Augustum 'cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepisse;' et cap. 9. ab Augusto, 'non regno, neque dictatura, sed principis nomine, constitutam esse rempublicam.' Etiam Aurel. Victor, Epit. c. 1. ait, 'Mos Romæ repetitus uni prorsus parendi, pro rege, imperatore, vel sanctiore nomine Augusto, appellato.' De quibus imperatorum Romanorum appellationibus nemo accuratius egit Spanhemio de Usu et Præstant. Numism. Dissert. XII. p. 342—358. Erant tamen etiam inter hos principes et Cæsares omnibus regibus avidiores potentiæ et sæviores, ita ut aliquando et 'speciem principatus in regni formam convertere' niterentur. Quod sigillatim de Caligula narrat Suetonius, in ejus vita, cap. 22. Notat ergo et Plinius noster hoc loco quorundam hujusmodi Cæsarum avaritiam, qui propter munera in privatos antea collata, tanquam viscata et hamata beneficia, eorum hereditatem, omnesque sæpe facultates, captarint sibique vindicarint. *Idem.*

Illitos cibis hamos] Elegans imitatio ejus, quod a veteribus dictum est, 'Munera hamos imitantur.' Sed elegantior erit, si, pro *multiplicata*, mecum reposueris *implicata*; nam hamorum est 'implicare,' non 'multiplicare.' *Rittersh.*

Illitos cibis hamos] 'Hamata munera' Plinius vocat Epist. IX. 30. 'Viscata beneficia' Senec. Epistola 8. Hamum jacit captator. Martial. in captatores IV. 56. 'Sic avidis fallax indulget piscibus hamus, Callida sic stultas decipit esca feras.' *Bern.*

Velut hausta et implicata] *Velut hausta et implicata* Livin. Vidi, qui *implicata*, aut *implicita*, probaret; mihi placeat, *velut aucta et multiplicata.* Livin.

Hausta] Legendum *aucta;* si tamen sequens vox *multiplicata* sedeat. Pro qua alii libri *implicata;* et mihi non displiceat, aptiusque ita ad *hamos laqueosque* referas. Bona illa Cæsaris

velut *hausta* et absorpta (ut piscibus hami) privatis facultatibus, iisdemque *implicita* et innexa, ut feris laquei; trahuntur una cum istis ad principem, specie illa gratitudinis in testamentis. *Lips.*

Hausta] Malim ego *hausta et implicata* (der Angel hinab geschluckt.) Nam 'haurire' respicit ad retro referre. *Bern.*

Implicata] *Multiplicata*. Legitur alias *implicata*; ut forte scripserit auctor, *veluti aucta et amplificata retro*. Grut.

Hausta et implicata] Varie hic locus, et scriptus, et a commentatoribus tentatus, reperitur. Omnes libri scripti atque impressi, quibus usus sum, produnt *hausta*; quod vero vocabulum Lipsius putavit in *aucta* mutandum: quæ conjectura etiam arrisit Livineio et Grutero, eademque in Vossiani libri margine annotata est; an in codice quodam Ms. reperta sit, dicere non habeo. Meo autem qualicunque judicio recte locum suum tuetur vox *hausta*. Equidem Plinius Major IX. 63. ait, 'Scolopendræ, hamo devorato, omnia interanea evomunt, donec hamum egerant; deinde resorbent:' tamen, pro 'devorare,' etiam verbum 'haurire' locum habere potest. Sic Colum. VIII. 17. 11. 'Hauriunt pisces quidem integros cibos.' Et eidem Plinio Majori III. 12. et V. 31. 'opida mari hausta' dicuntur. Pro altera voce *implicata*, legimus *multiplicata* in codicibus Vaticanis, Parisiensi, Salisburgensi, et Guelpherbytano; quæ lectio utique etiam a plurimis editoribus est evulgata. Gruterus quidem in contextu editionis suæ prodidit *hausta et multiplicata*; at in notis magis probavit *aucta et amplificata*. Verum hæc posterior correctio soli debetur ingenio et conjecturæ, neque præsidio alicujus veteris codicis aut editionis munitur. Vox *implicata*, quam recepi, extat in codice Veneto, et in libro Vossiano; eademque jam edita est a Jacobo De la Baune, et Gesnero. Pro hac habet *implicita* Patarol; quam scripturam etiam Gryphius, Sichardus, et Rivinus, in ora editionum suarum, ac Gruterus in notis suis, annotarunt. Num autem legas *implicata*, an *implicita*, nihil interest; utravis enim forma utuntur probatæ Latinitatis auctores. Quamquam vero Plinius noster in epistolis, quantum memini, semper prodidit participium *implicitus*; jam tamen retinui *implicata*, ex codice Ms. uti dixi, Veneto, et libro Vossiano. Cui scripturæ quodammodo etiam succurrit terminatio alterius lectionis, *multiplicata*; quæ ex illa orta in tot libris invenitur. Equidem aliquantisper hæsitavi, utrum *multiplicata*, an *implicata* admitterem. Antehac pronior fueram ad amplectendam vocem priorem *multiplicata*; nunc alteri locum concessi. Huc potissimum me induxit comparatio, qua usus est Plinius, et quam Lipsius ac Gesnerus bene explicarunt. Scilicet Plinius comparat dona Cæsarum avarorum hamis et laqueis, quibus inescantur et capiuntur pisces ac feræ. Sicuti igitur hami cum esca hauriuntur et absorbentur a piscibus, cum damno horum; ac sicuti laqueis et retibus similiter implicantur et innectuntur pisces, aut aves et feræ, ut una cum hamis laqueisque extrahantur et capiantur; ita munera avarorum principum similia sunt hujusmodi hamis et piscibus; dum hauriri quidem a facultatibus privatorum, et his implicari videntur; sed ita tamen, ut sic *hausta*, et his ipsis facultatibus *implicata*, referantur ad eosdem principes, tanquam captatores patrimoniorum privatorum. Adeo participium *implicatum* perquam accommodatum est ad continuandam metaphoram, a captura piscium ferarumque petitam. Id luculenter comprobat locus Cic. Orat. de Harusp. Resp. cap. 4. 'Si etiam

nunc,' inquit, 'illaqueatus jam omnium legum periculis, irretitus odio bonorum omnium, exspectatione supplicii jam non diuturna implicatus, feretur tamen hæsitans, et in me impetum impeditus facere conabitur; resistam,' &c. Similem comparationem legas, licet, in Plin. Epist. IX. 30. *Schwarz.*

CAP. XLIV. *Quam utile*] Nihil enim 'infelicius (dicebat Demetrius, a Seneca de Divina Provid. c. 3. relatus) videtur eo cui nihil unquam advenit adversi.' *Patarol.*

Per adversa] Pindarus enim vere, Ὁ πονήσαις τε νόῳ, καὶ προμάθειαν φέρει, *Qui animo exercitus fuit et laboravit, prudentiam fructum tulit.* Lips.

Erat innocentium vita] I. e. periclitari et crudelitatem quamque timere, sub Domitiano, similibusque sævis principibus, erat innocentium et bonorum vita, sive vivendi ratio. Sic Seneca Epist. 5. ait, 'Bibere, et sudare, vita cardiaci est,' i. e. conditio et ratio vitæ cardiaci est. In Vossiano libro hæc verba ita scripta sunt *Quæ tunc erant vitia innocentum.* Sed hæc varietas non nisi audaciæ vel petulantiæ alicujus librarii accepta est referenda. *Schwarz.*

Quantopere detestentur] Aldus, Junta, Cratander, Sichardus, Gryphius, Arntzenius, pro *quantopere,* habent *quanto opere.* Constat, hujusmodi loquendi rationem Ciceroni inprimis frequentem vindicari; quamquam et aliis scriptoribus Latinis sit communis, ut scilicet pro *quantopere,* dicatur *quanto opere;* pro *magnopere, magno opere;* et pro *maximopere, maximo opere.* Sed quæritur, an hæc scribendi ratio etiam Plinio fuerit familiaris. Notat quidem Cortius ad Plin. Epist. I. 7. ejus generis exempla quædam ex epistolis Plinianis; verum exempla ista adhuc sunt dubia, neque libri omnes consentiunt. *Id.*

Malos principes] Singularis, sed ab otioso ingenio profecta, hujus loci mutatio occurrit in codice Parisiensi, *quantopere detestentur mali principes, etiamsi malos faciunt.* Idem.

Qui malos faciunt] Aulici, præsertim assentatores, qui principibus blandiuntur, eorumque vitia, dum laudant, fovent. *Patarol.*

Malos faciunt] Adulantes et subservientes. *Lips.*

Privato judicio] Id est, qualem privatus judicabas esse oportere. Sed et *Nunc,* pro *Nam,* equidem reposuerim ex scripturæ veteris observatione, qua *nē* interdum *nec,* interdum *nunc,* valet. Ei autem scripturæ admodum vicina, *nā, nō,* et *nū;* exempla, in quibus inter se hæc commutata, passim hoc in opere occurrent, ut colligere non sit necesse. *Livin.*

Privato] Clarius, si *privati* legas. Sensus: Tu ita geris principem, uti privatus judicabas esse gerendum. Quod plerumque aliter: et qui extra fortunam, bene de ea judicamus; cum in ipsa, abripimur et ferenti vento nos damus. *Lips.*

Privato judicio] Recte explicat hæc verba Lipsius, Tu ita geris principem, qualem privatus judicabas esse debere. Addit vero, clariorem fore sententiam, si *privati* legas. Etiam Baudius applaudit huic conjecturæ, et huc refert ex superiore cap. IX. 3. 'Subjecti animo imperare cœpisti.' Sed non necesse est, ut contra consensum omnium librorum aliquid mutetur. Plinius enim nunc æque recte *privato judicio,* pro *privati judicio,* dicere potuit, ac in proximo c. XLIII. 5. dixerat 'privatis facultatibus,' pro 'privatorum facultatibus;' item XXIII. 6. 'privata domus,' pro 'privati domo;' LVIII. 4. 'privata nomina,' pro 'privatorum nominibus.' Præterea nihil frequentius est hoc μετωνυμίας genere. Sic Tacito Hist. III. 15. dicitur 'civilis præda,' pro 'prædæ civibus;' Annal. XIV. 30. 'cruor captivus,' pro 'cruore captivorum;' Hist. I. 13. 'Pop-

pæa, scortum principale;' Annal. IV. 23. 'liberti regii, et servilia imperia,' pro 'libertis regis et servorum imperiis.' *Schwarz.*

Principem geris] I. e. princeps es, sive præstas ea quæ sunt principis. Ordinarie dicere possis, 'gerere principatum;' prout Plinius noster passim, cum in epistolis, tum in hoc Panegyrico, dixit, 'gerere consulatum, proconsulatum, tribunatum, honores, magistratus.' Sed hoc loco dixit 'gerere principem;' sicut alibi, 'agere tribunum, consulem, ducem, matrem.' De qua formula vide supra ad p. 448. Buchnerus, in notis ad Plin. Epist. VIII. 14. observavit, poëticam esse ejusmodi formulam, 'gerere principem;' prout nempe Claudian. de IV. Cons. Honor. vs. 294. cecinit, 'Tu civem patremque geras.' Seneca in Troad. vs. 714. 'Excidat Hector; gere captivum,' i. e. depone indolem Hectoris, et gere te more captivi. Florus I. 9. pronomine 'se' adscito: 'Lupa ... matrem se gessit.' Similiter Val. Max. IX. 1. 9. Catilina 'eodem deinde animo civem se gerens, quo patrem egerat.' Utrumque verbum conjunxit Val. Max. ut appareret, indifferentem utriusque esse usum. Idem Val. Max. VII. 7. 'Multo Q. Metellus prætorem urbanum severiorem egit, quam Orestes gesserat.' Observat Gronov. Obs. IV. 14. p. 227. codices Mss. in his duobus Val. Max. locis pronomen *se* recte omisisse. Aliter hoc exprimit Cic. pro Archia cap. 5. 'Ita se jam tum gessit pro cive.' Item Curt. IV. 16. 28. 'Dubio adhuc pugnæ eventu, pro victore se gessit.' Aliam notionem huic formulæ tribuit Sulpicius Severus, Hist. Sacr. II. 37. 'Ariani perfidiam suam occultabant; ... catholicos se gerebant,' i. e. catholicos specie simulationis se ostentabant. *Idem.*

Meliorem immo] In meo codice pro *imo*, scriptum est *uno;* quæ varietas facile accidere potuit ex vetere scriptura, ubi litera *i*, nullo puncto superne posito, insigniri consuevit. De simili corruptela hujus vocis vide supra, p. 534. *Idem.*

Alium precabare] Tacit. in Oratione Galbæ, 'Utilissimus idem ac brevissimus bonarum malarumque rerum dilectus, cogitare, quid aut nolueris sub alio principe, aut volueris.' *Lips.*

Precabare] *Precabere* edit. Rhen. sed *precabare* H. Steph. *Faber.*

Precabare] Mæcenas apud Dion. lib. LII. p. 564. 'Si hæc tua sponte egeris, quæ velles alium in te imperium habentem agere, nulla in re peccabis.' Hadrianus, 'Talem me præstabo privatis, qualem optarem ipse privatus.' *Bern.*

Tam tui] Virtutis summæ tuæ, et prudentiæ. *Lips.*

Tam ignarus sui] Qui ad te non potest accedere. *Idem.*

Locum ipsum] Livineius e conjectura in margine editionis suæ notarat, pro voce *ipsum*, forte legendum *istum*. Hanc correctionem adsciverunt Lipsius, Grævius, Hearne, Gesnerus, eamque refert prior Gudii liber. Admisissem et ipse, nisi ceteri libri omnes *ipsum* tuerentur. Locus autem iste, de quo loquitur Plinius, est principatus imperii Romani. *Schwarz.*

Possit, quam ut velit] Tacitus de Pisone Hist. I. 17. 'Sermo erga patrem imperatoremque reverens, de se moderatus; quasi imperare posset magis, quam vellet.' *Idem.*

Ut velit] Sapiens quidem; nam succedere aliquis potest et debet; par esse, aut similis etiam, non potest. *Lips.*

Molem sponte subeat] *Moles* numero multitudinis scriptum est in cod. Vatic. et Guelpherbyt. ac Venet. 2. Scilicet, postquam denuo, propter alios labores, quibus impeditus fui, rursus supra annum cessatum est in hoc opere imprimendo, interea acci-

dit, ut Jo. Henr. David. Gœbelius, vir elegantioris litteraturæ studiosissimus, dum versatur Venetiis, inciderit in alium codicem Ms. Panegyrici Plinii, eumque usque ad caput XLIV. mutilatum; quem accurate descriptum mecum peramanter communicavit. Hunc adeo in posterum codicis Veneti 2. et illum priorem, quo adhuc usus sum, codicis Veneti 1. nomine designabo. *Schwarz.*

Comparari tibi] Conferas, si lubet, Jo. Franc. Buddei dissertationem de Metu Comparationis. *Idem.*

Expertus et ipse es] Ita Tiberius apud Tacit. Annal. I. 11. dicit, 'solam divi Augusti mentem tantæ molis capacem; se in partem curarum ab illo vocatum, experiendo didicisse, quam arduum, quam subjectum fortunæ, regendi cuncta onus.' *Idem.*

Onerosum] Et imitari, seque dignum præbere. Sic LXXIII. 7. 'Onerasti futuros principes.' Senec. ad Polyb. 22. 'Ad exemplum se modestiæ tuæ formaverat, cogitabatque, quantum tu et ornamentum tuorum esses, et onus.' *Bern.*

Et eam afferebas] In meo codice, pro *et afferebas*, scriptum est *ut afferebas.* Pronomen *eam* nulli hodie reliqui libri ostendunt; quod vero ex ingenio verbis Plinianis inserendum censuit Livineius; atque id ad explendam Plinii sententiam tantum non necessarium, ac postliminio restituendum, duxi. Livineius id eruit ex verbo *efferebas*, quod pro *afferebas* in vetere codice scriptum repererat; utpote in quo per festinationem librarii coaluisse putavit has duas voces, *eam afferebas.* Ego vero suspicor, librarium quendam, cum has voces, *et eam*, arcte juxta se positas invenisset, pro *etiam* habuisse, et sic rescripsisse; cum vero deinde alii librarii agnoverint, particulam *etiam* hic non satis commode locum habere posse, pro ea reposuisse *et*, nescios pronomen quoque *eam* restituendum esse. Hinc pronomen hoc in reliquis libris desiderari cœptum est. Opinor, non nimis audacem, neque a verisimilitudine alienam esse hanc conjecturam. Si quis tamen sibi religioni duxerit, admittere pronomen *eam;* is fortasse ex nostro codice particulam *ut*, pro *prout*, retinere possit. *Schwarz.*

Afferebas excusationem adoptanti] Pro *adoptanti*, habent *adoptati* tres codices Vatt. 1775. 1776. 1475. codex Venetus 2. Salisburgensis, et meus. In impressis, Puteolanus, Beroaldus, Rhenanus, Gruterus, Hearne, Cellarius, Patarol, Arntzenius, similiter *adoptati* prodidere; hancque lectionem ita interpretatus est Cellarius: Dicebas, nisi adoptio te cogeret, nolle te sponte tua imperium suscipere. Non contemnenda quidem hæc est sententia; sed nescio, an fluat ex istis verbis; ac, si id dicere voluisset Plinius, annon minus insolenter dicturus fuisset, *Et afferebas excusationem adoptionis.* Multo tamen durior videtur tertia lectio, *adoptari;* quæ quidem in nullo codice scripto, at in omnibus ceteris libris excusis invenitur. Lubens igitur recepi eam lectionem, quam suggerit optimus codex Vat. 3461. item Venetus 1. et Guelpherbytanus, et liber Vossianus. Conjunge enim hoc participium, *adoptanti*, cum præcedentibus verbis, et intelliges, nihil luculentius, et sententia Pliniana dignius, ex antiquis codicibus referri posse: *Et* eam *excusationem afferebas adoptanti*, i. e. Et patri tuo, Nervæ, te adoptanti, afferebas eam ipsam excusationem, quod onerosum sit, succedere bono principi. Apparet autem, quam facile ex compendio scripti participii præsentis temporis *adoptanti*, potuerit nasci præteritum *adoptati;* et ex hoc demum infinitivus *adoptari;* cum nihil pronius fieri consueverit in antiquis libris, quam ut literæ *t* et *r* inter se permutarentur. *Idem.*

An parva pronaque] Ita efferunt has

voces omnes codices Mss. cum in libris excusis inverso ordine prodantur, *An prona parvaque*. *Parva*, i. e. exigua. Infra c. 54. 'Nihil ante tam vulgare, tam parvum, in senatu agebatur.' Epist. III. 1. 'Quin etiam parva hæc, parva, si non quotidie fiant, ordine quodam et velut orbe circumagit.' In Beroaldi editione, forte ex errore typographi, legitur *prava*. *Prona*, i. e. facilia. Plinius Epist. VIII. 10. 'pronum ad honores iter.' Tacitus Hist. III. 63. 'Omnia prona victoribus,' i. e. facilia et expedita. *Schwarz.*

Adoptanti] *Adoptari*. Id est, excusatior tibi successio, quia non sponte, neque ultro, venisti, sed adoptione adscitus, et quasi coactus. At, qui se ingerit, minus excusatur, nisi parem se præbeat. *Lips.*

Adoptanti] *Adoptati*. Haud dubitavi sic rescribere, suasu unius codicis manuscripti; alterius vero vetuste cusi: male hodierni *adoptari*. Grut.

Incolumitatem turpitudine rependit] Sueton. lege in Ner. cap. 29. Domit. c. 10. Paullo ante etiam inverterim verba, et *An parva pronaque sunt, &c.* rescripserim. *Livin.*

Turpitudine rependit] Id est, nemo hoc ipso salvus, quod virtutem non habeat salvam. Sub malis, ea in odio; et qui grati aptique aulæ esse volunt, ejurant probitatem. Exempla etiam, ubi obscœnitas et professa turpitudo saluti fuerint, in Suetonii Ner. c. 29. et Domit. 10. *Lips.*

Incolumitatem turpitudine rependit] Sic 'Cesoninus vitiis protectus, tanquam in illo fœdissimo cœtu passus muliebria.' Tacit. Annal. XI. 36. Simile Sueton. in Domit. cap. 10. 'Qui se quo facilius expertes culpa ostenderent, impudicos probaverant.' *Bern.*

Turpitudine] De Nerone Sueton. cap. 29. 'Obscenitatem apud se professis cetera quoque concessisse delicta.' De Domitiano idem cap. 10. duos morti destinatos veniam impetrasse, 'qui se impudicos probaverant.' De Claudio Tacit. Annal. XI. 36. 'Cesoninus vitiis protectus est, tanquam in illo fœdissimo cœtu passus muliebria.' *Patarol.*

Turpitudine rependit] In codice Salisburgensi legimus, *Nemo incolumitate turpitudinem repellit*. Quæ lectio, dubito, an aliquam commodam interpretationem admittat. Sed ab eadem antiqua manu in margine annotatum est, alibi pro *repellit*, legi *rependit*. Tunc hæc lectio, *Nemo incolumitate turpitudinem rependit*, fortasse non simpliciter foret rejicienda, si inprimis ea expendantur, quæ jam supra ad XXXVII. 5. annotavimus. Attamen vulgata lectio in ceteris libris omnibus sibi constat; secundum quam hoc voluit dicere Plinius: Nemo, ut incolumis salvusque vivat, necesse habet, quasi meriti aut redhostimenti loco, turpiter aliquid agere, turpiterque vivere. 'Rependere' significat, compensare, reddere, reponere, redimere, aut redimendo acquirere, translatione a more antiquo appendendæ pecuniæ deducta; ut apud Cic. de Orat. l. II. c. 67. 'Cui pro C. Gracchi capite erat aurum repensum.' Sic etiam accipiuntur verba frequentativa 'pensare,' 'repensare,' 'compensare;' de quibus supra pag. 659. Varie hæc formula exprimi potest; quam variationem propter juniores annotare libet, v. g. *Nemo incolumitatem rependit turpitudine;* quod est in contextu. Sic loquitur et Val. Max. I. 1. 8. 'Dionysius, tametsi debita supplicia non exsolvit, dedecore tamen filii pœnas rependit mortuus, quas vivus effugerat.' Idem V. 3. 3. 'Beneficia injuriis rependere,' i. e. pro beneficiis reddere injurias. Ovid. Met. V. 15. 'Meritisne hæc gratia tantis Redditur? Hac vitam servatam dote rependis?' Deinde, eadem notione dici potest, *Nemo pro incolumitate rependit turpitudinem.* Sic Ovid. Amor. II. 10. 21. 'Pro quibus officiis

pretium mihi dulce repende.' Ad hæc, eandem sententiam sic efferas, *Nemo incolumitati rependit turpitudinem;* i. e. nemo pro eo, ut incolumis vivere possit, turpe aliquid designat. Sic Ovid. Met. II. 694. 'Neu gratia facto Nulla rependatur.' Et Colum. in Præf. § 10. 'Nam nec gratuitæ servituti, sed donis, rependitur honor.' Denique dici potest, uti scriptum est in codice Salisburgensi, *Nemo incolumitate rependit turpitudinem,* i. e. Nemo jam est, qui, uti priores quidam principes, turpitudinem, quasi præmii loco, compenset incolumitate. Ovid. Art. Am. II. 677. 'Illæ munditiis annorum damna rependunt.' Et Plinius supra XXXVII. 5. 'Romanam civitatem affinitatum damno bene compensari putabant.' *Schwarz.*

Dignitas vitæ] Licet etiam in dignitate et luce vivere. *Lips.*

Consideratus] Quod sub improbis principibus; et sapientia tum, latere. Seneca de Vatia, 'In hac villa ille prætorius dives, nulla re alia, quam otio notus, consenuit; et ob hoc unum felix habebatur. Nam quoties aliquos Asinii Galli amicitia, aut Sejani odium, deinde amor, merserant; exclamabant homines, O Vatia, solus scis vivere!' *Idem.*

Consideratus ac sapiens] Consideratus, i. e. homo prudens, cui vivendi via considerata atque provisa est. Ipse Cic. pro Cæcina, cap. 1. 'Illud considerati hominis esse putavit.' Hi enim pro sapientioribus, iisque qui vivere scirent, habebantur, qui istis asperis sævisque temporibus bene latere sciebant; quamquam Plinius infra LXVI. 4. hanc vocet 'miseram ex periculis factam prudentiam.' Horatius tamen Epist. XVII. 10. ait, 'Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.' Hinc notum est illud λάθε βιώσας, quo usus est Epicurus, quamvis alio quodam sensu; unde refutatus est a Plutarcho, in peculiari libello, 'Qui ætatem in tenebris agit,' i. e. qui in secessu et otio, ac sine honoribus vivit; cujusmodi homines Plinius mox dicit 'otio aut situ abstrusos, et quasi sepultos.' In codice Guelph. pro *agit,* scriptum est *agat. Schwarz.*

Sapiens] 'Oderunt virtutem et bonum alienum, qui genus ac fortunam suam animis non æquabant.' Liv. de Antiocho lib. XXXV. 'Sed nunc optimus et doctissimus quisque perquiritur. Si quis præstat virtutibus, in amicis habetur, ultro ad familiaritatem vocatur; omnes augentur pecunia; locupletantur divitiis, honoribus honestantur.' Juliani Panegyrista. Vide LXIX. 5. XLV. 1. et Grut. Discurs. c. 34. *Bern.*

In tenebris] Ovidii monito: 'Vive tibi, quantumque potes, prælustria vita, Sævum prælustri fulmen ab arce venit.' *Lips.*

Libertate] Libertas monarchiæ opponitur, uti Tacit. Annal. I. 1. *Bern.*

Ex conscientia merces] *Et conscientia merces* Livin. in contextu; at in margine, *ex conscientia,* V. C. G. R. *sed etiam præmia* C. G.

Ex conscientia] Ut virtutem habeas, sine famæ aut honoris præmio. Et sane eo philosophi, atque etiam poëta iste vocat, Theognis: Εὖ ἔρδων, εὖ πράττε· τί δ' ἄγγελον ἄλλον ἰάλλεις; Τῆς εὐεργεσίης ῥηιδίη ἀγγελίη. *Si bene agis, bene fit tibi: quid præconia quæris? Virtuti facilis promptaque fama venit.* Lips.

Ex conscientia merces] *Et conscientia merces* Rittersh. *Ex conscientia* V. C. G. R. addunt. *Sed etiam præmia* C. G. optime. *Rittersh.*

Ex conscientia merces] Hæc Aldus, Gryphius, Cratander, Sichardus, Livineius corrupte prodiderunt *et conscientia merces.* Codices quidam Vaticani et Guelpherbytanus habent *nec ex benefactis tantum, sed et ex conscientia, merces.* Sed nihil est mutandum in vulgata lectione. Sil. Ital. XIII. 663. ex mente Stoicorum, 'Ip-

sa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.' Claudian. in Consul. Manlii Theod. vs. 1. 'Ipsa quidem virtus pretium sibi,' &c. Seneca Epist. 81. 'Virtutum omnium pretium in ipsis est: non enim exercentur ad præmium; recte facti merces est, fecisse.' Symmach. Epist. IX. 110. 'In sola conscientia est ratio et fructus virtutis.' Ceterum, his verbis, *nec benefactis tantum ex conscientia merces*, in editionibus Cuspiniani, H. Stephani, Kirchmaieri, Boxhornii, Cellarii, et forte aliorum, hæc alia quatuor verba adduntur, *sed etiam præmia sunt.* Verum, hoc additamentum est superfluum, et propter ταυτολογίαν auribus ingratum; quoniam vocabulum *præmia*, in brevi verborum ambitu mox recurrit; atque adeo hæc ipsa appendix non solum ex omnibus codicibus Mss. sed etiam ex plurimis libris impressis, merito suo exulat. *Schwarz.*

Rectosque ac vividos] In codice Guelpherbytano minus recte omittitur copula *que*. Wasseus ad Sallust. Catil. c. 7. quod notavit Arntzenius, pro *rectosque* maluit *erectosque;* sed contra auctoritatem omnium librorum, et præter caussam. Neque enim fortasse 'erecti animi' satis commode dicerentur 'attolli.' 'Rectus' proprie est, cui cum regula convenit. Hinc 'recti homines' translate dicuntur boni et honesti, qui rectam veritatis et virtutis viam, non obliquam vitii rationem, sequuntur. Sic Plinio Epist. II. 11. Julius Ferox dicitur 'vir rectus et sanctus;' et Epist. VII. 31. Pollio, 'vir rectus, integer, quietus.' Epist. III. 7. 'recta ingenia' opponuntur 'ingeniis perversis.' Horat. Od. IV. 9. 34. ait, 'Est animus tibi Rerumque prudens, et secundis Temporibus dubiisque rectus.' Pro voce *vividos*, codices quidam Vaticani, item Salisburgensis, Guelpherbyt. et liber Vossianus, minus bene habent *mundos;* ac Parisiensis, et Venet. I. adhuc pejus, *invidos*. Quæ corruptela extitit ex antiqua scriptura, in qua literæ *i* nullum punctum imponitur. 'Animi vividi' dicuntur vigore pleni, et alacres; uti Plin. Epist. III. 1. dixit corpus 'agile et vividum.' Tacit. Annal. XIII. 8. 'Vividum animum in alia detorsit.' Plura utriusque epitheti exempla congessit laudatus Arntzenius. *Idem.*

Vividos] Altius spirantes; quod genus non dicam minutis, sed modicis principibus parum grati sunt; qui 'pares rebus' (Taciti verba Annal. VI. 39.) quærunt, non qui 'supra sint.' *Lips.*

Ut alii] Claudius Corbulonem, 'cum Chaucis bellum pararet; quippe virum insignem, et ignavo principi prægravem.' Tacit. Annal. XI. 19. Agric. c. 39. *Bern.*

Contundis ac deprimis] 'Tundere,' et 'contundere,' proprie significat, saxo aut alio instrumento pulsare, frangere, obterere, ac tenue aliquid efficere. Unde in glossis, *Tundit*, θλᾷ, λεπτοκοπεῖ. Quinctilian. Instit. Orat. XI. 2. 'Triclinium supra convivas corruit, atque ita contudit, ut non ora modo oppressorum, sed membra etiam omnia, requirentes ad sepulturam propinqui nulla nota possent discernere.' Deinde transfertur ad animum, et ingenium, atque alia, si frangi ac diminui dicantur. Cic. ad Attic. XII. 44. 'Contudi enim animum, et fortasse vici.' Virgil. Georg. IV. 240. 'Contusosque animos, et res miserabere fractas.' Plin. Epist. VIII. 14. 'Eadem mala jam senatores tulimus, quibus ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, contusa sunt.' Val. Max. V. 8. 'contusam' dicit, 'et confractam belli Punici armis rempublicam.' Ita vero præstantium virorum animi, malis principibus suspecti, tunc deprimebantur, contundebantur, atque subvertebantur; quorum exemplis in primis pleni sunt Annales Taciti;

nec pauca hanc in rem congessit Gruterus, in Discurs. Polit. ad Tacit. c. 33. *Schwarz.*

Hi amicitia] In codice meo librarius pro *hi* reposuit *ii: his provincias offers; ii amicitia, ii judicio, florent:* ut scilicet conciliaret hæc cum sequente pronomine, vitiose scripto, *isti.* Idem.

Judicio florent] I. e. honorifica fama et existimatione excellunt. Cic. Fam. XIII. 46. 'Ut hominem probum existimares, qui patroni judicio ornatus esset.' Idem ad Q. Fr. I. 1. 15. 'Non est tibi his solis utendum existimationibus ac judiciis, qui nunc sunt, hominum; sed iis etiam, qui futuri sunt.' Plin. Epist. IV. 15. 'Ita nos virtutes tuæ, ita judicia principis, augurari volunt.' Et Epist. X. 8. 'Ad testimonium laudemque morum meorum pertinet, tam boni principis judicio exornari.' *Idem.*

Acuuntur isto] Varie depravatum est hoc verbum in non nullis codicibus. In codice Veneto 2. scriptum est *accuntur*, in Salisburgensi *ac utuntur*, in Guelphico *acciuntur*. Vulgo totus hic locus sic legebatur, *Acuuntur isti integritatis et industriæ pretio. Similes et dissimiles alliciuntur.* Tria vitiarunt hunc locum. Primum, pronomen *isti*, pro *isto;* deinde interpunctio perfecta inter voces *pretio* et *similes* posita; tum copula *et* verbis Plinianis aliunde intrusa. Jam Lipsius vidit, pro casu nominativo numeri pluralis *isti*, rescribendum esse casum sextum singularis numeri, *isto*, ut referatur ad sequens nomen *pretio*. Probo utique hanc correctionem; potuerunt enim librarii, qui ex antecedentibus casum nominandi, *hi*, adhuc in animo habuerunt, facile effingere *isti*, pro *isto*, antequam ad nomen *pretio* pervenirent, aut antequam alium prospicerent casum nominandi, ad quem verbum *acuuntur* referrent. Et quidni Plinius, ut omnia consonarent prioribus, tunc potius dixisset *hi acuuntur integritatis et industriæ pretio?* Quoniam autem verus casus nominandi, qui cum verbo *acuuntur* conjungitur, est vox *similes*, hæc vox nequaquam a suo verbo per interpunctionem est divellenda; cum potius post eam lenior quædam interpunctio, v. g. semicolon, habeat locum. Particula denique copulandi *et* est rejicienda; cum nec ullus codicum Mss. nec antiquiores libri impressi eam agnoscant, sed primum a Cratandro et Sichardo Plinianis verbis inserta deprehendatur. Hoc autem dicere voluit Plinius: Isto integritatis et virtutis præmio, quod defers bonis, ad prosequendum laudis curriculum acuuntur, et magis exstimulantur similes, h. e. alii boni; immo sic alliciuntur etiam, atque ad virtutem pariter colendam flectuntur, dissimiles, h. e. qui alias non erant boni. In nostro codice hæc legimus, *His honores, his sacerdotia, his provincias, offers; ii amicitia tua, ii judicio, florent, acuuntur: isti integritatis et industriæ pretio similes dissimiles alliciunt.* Adhæc, pro verbo *alliciuntur*, libro Vossiano adscriptum est *abjiciuntur*. Unde alii exsculpant, quod sibi placeat. Nos nihil in his invenimus, quod animum trahat in diversum, aut a priore sententia nostra nos revocet. Fateor, omnes libros conspirare in lectionem pronominis *isti;* neque ego nimis proclivis mihi videor ad recipiendas conjecturas; verum, quot non aliæ, eæque manifestæ, corruptelæ occuparunt omnes libros? Adhæc, nec obscura est facilis errandi occasio, quam rudes librarii arripuerunt. Denique, ex lenissima illa emendatione, qua reponitur *isto*, planissima, Plinioque dignissima, surgit sententia. Bene autem intellexere isti consules Romani, quid præmia bonorum malorumque efficiant in republica, qui, apud Liv. IV. 2. dixere, 'cui rei præmium sit in civitate, eam ma-

ximis semper auctibus crescere; sic pace bonos, sic bello, fieri: maximum Romæ præmium seditionum esse; id et singulis universisque semper honori fuisse.' Plin. Epist. II. 7. 'Acuent ad bonas artes juventutem, adolescentibus quoque, digni sint modo, tanta præmia constituta.' *Idem.*

Acuuntur isto] *Acuuntur isti;* scilicet qui in amicis tuis, qui honores jam adepti. *Livin.*

Acuuntur isto] *Acuuntur isti;* immo *isto*, meo judicio; et sententia est, qui vident sic attolli a te virtutem, magis acuuntur et stimulantur; boni quidem eam persequi; et qui non boni, flectere se et sequi. *Lips.*

Acuuntur isto] *Isti.* 'Sic Antoninus Philosophus ex malis bonos fecit, ex bonis optimos: fuitque per omnia moderatissimus in hominibus deterrendis a malo, invitandis ad bonum, remunerandis copia et indulgentia liberalis.' *Bern.*

Præmia] Sallustius ad Cæs. Orat. II. 48. 'Gloria industria alitur: ubi eam dempseris, ipsa per se virtus amara atque aspera est.' Idem Hist. I. 3. 15. 'Ubi malos præmia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est.' Livius, 'Nihil non aggressuri sunt homines, si magna conatis magna præmia proponantur.' *Lips.*

Præmia] Tac. Ann. II. 'Languescit industria, intenditur socordia, si nullus ex se metus aut spes.' Vide quoque notam 5. ad corollam Tullianam quinctam Clar. Meisneri. *Bern.*

Ingenio valent] Tam valida solidaque mente sunt, ut virtutem aut vitium a sese, non a successu aut mercede, pendant. *Lips.*

Bene, ac secus] I. e. bene, ac male. Rich. Bentleius in notis ad Horat. Sat. II. 1. 31. ὡς ἐν παρόδῳ monet, in hoc Plinii loco legendum esse *bene, aut secus, cessit.* Quam notam jam præoccupavit Arntzenius, et ex aliis scriptoribus aliquot exempla annotavit, in quibus hæ particulæ similiter conjunguntur: 'bene, aut secus;' sive, 'recte, aut secus.' Placet ista admonitio; neque incredibile est, potuisse librarios particulas *ac, at, aut*, confundere. Quoniam vero nullus liber varietatem quandam ostendit, nec mutatio quædam necessaria est; cum Plinius hic æque potuerit per copulam conjungere particulas *bene ac secus*, sicut conjunxerat *turpe honestumque;* nihil de vulgata lectione immutandum duxi. *Schwarz.*

Ubi laboris] In codice Vaticano 3461. et in Guelpherbytano, pro voce *laboris*, scriptum est *labori;* et pro *frugalitatis, frugalitati;* haud secus ac in antecedentibus iidem codices, ac liber Vossianus, et editio Puteolani, Beroaldique, pro *expetant* exhibent *expectant.* Quæ autem menda non debentur nisi negligentiæ aut inertiæ librariorum. Sic vero construenda sunt ista verba, 'ubi merces laboris datur inertiæ, &c.' *Idem.*

Laboris inertiæ] Sic sub Galba 'segnitiæ erat sapientia.' Tacit. Hist. I. sub Nerone, 'inertia sapientia.' Agric. cap. 6. *Bern.*

Quibus alios] 'Caius Petronius, cui dies per somnum, nox officiis et oblectamentis vitæ transigebatur, utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat: revolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni assumtus est.' Tacit. Annal. XVI. Bene Martialis de aulicis: 'Nemo suos, hæc est aulæ natura potentis, Sed domini mores Cæsarianus habet.' *Idem.*

Dum volunt, fiunt] I. e. dum volunt videri similes malis, ad promerenda paria præmia, mali fiunt. Ovid. Met. II. 345. 'Nam morem fecerat usus.' Tacit. Agric. cap. 2. 'Subit quippe etiam ipsius inertiæ dulcedo, et invisa primo desidia postremo amatur.' Curtius IV. 16. de militibus: 'dum

putant se vincere, vicere.' Quæ ipsa verba etiam habet Liv. II. 64. Ascensius, et Henr. Stephanus, itemque Elzevirii an. 1640. pro *volunt*, edidere *nolunt*, vulgata tamen lectione inter variantes lectiones notata. Admittit hæc lectio non contemnendam interpretationem, si eam ita explicaveris: *et, dum nolunt* fieri mali, *fiunt*. At, si hic fuerit sensus Plinii, tunc fortasse dicturus fuisset *et, quamvis nolint, fiunt*. Multo ergo accommodatior est orationi et menti Plinii vulgata lectio, *tales esse et videri volunt, et, dum volunt* [esse et videri,] *fiunt*. Schwarz.

CAP. XLV. *Et priores quidem principes, excepto patre tuo, præterea uno aut altero (et nimis dixi) vitiis potius civium, quam virtutibus, lætabantur*] Parum abest Livineius, quin adseveret recte et Pliniane legi *dixi pœnis potius civium, &c.* meo animo, perperam; nam etsi extet illud *pœnis* in codice scripto vice *potius*, habet quoque et ille liber præcedens verbum *vitiis;* quod quo jure ejiciamus, non video. Deinde, si principes isti priores *pœnis* potius delectabantur quam *vitiis;* cur rationes subditæ nihil confirmant de *pœnis*, sed de *vitiis?* et vero nihil mutandum: dictum enim voluit, quod Sallustius in Catil. cap. 7. 'Regibus boni, quam mali, suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est:' quam gnomam plurium exemplorum paribus confirmavi ad illa Taciti, Ann. III. 28. 'Deterrima quæque impune; ac multa honesta, exitio fuere.' *Grut.*

Uno, aut altero] Augusto, Vespasiano, Tito; si tamen hoc de ipso Augusto dici potest, qui suos molliri vincique voluptatibus haud ægre patiebatur. Ideo noster ait, 'et nimis dixi.' *Patarol.*

Uno, aut altero] In libro Vossiano extat *uno et altero*. Atque ita sæpe loquuntur veteres auctores, si 'paucissimos' significare volunt. Cic. pro Cluent. cap. 13. 'Qui cum unum jam et alterum diem desideraretur.' Idem in Fragm. de Fato, 'Cum Scipio unum et alterum ex iis, qui eum salutatum venerant, invitasset.' Nihilo minus doct. Arntzenius lectionem vulgarem recte vindicat Plinio; etenim et alii auctores eodem modo loquuntur, si maxime dubitare videntur, an unum tantum designare, an vero alterum liceat addere. Cic. Fam. v. 21. 'Qui frequentant domum meam, excepto uno, aut ad summum altero.' Ipse Plinius noster, Epist. IV. 3. 'Qualis ante te, qualis post te, vix unus, aut alter; non sinit enim verecundia tua dicere, qualis nemo.' Similiter dicitur, 'unus, vel alter,' 'unus, alterve.' *Schwarz.*

Et nimis dixi] In Salisburgensi codice scriptum est *et minus dixi;* quod, nescio, an menti Plinii conveniat. Christoph. Behrius, in editione Gedanensi, maluit *et nimis multos dixi;* sed nullo adstipulante libro. *Idem.*

Nimis dixi] Corrigit se, nec frustra fortasse in Augusto, qui recta, aut certe erecta, non nimis amabat. Suos etiam ludis et voluptatibus molliri atque inflecti, in bono tutoque habebat. *Lips.*

Vitiis potius civium] Soleo in autographis libris non virtutes solum legere et excipere, sed ipsas adeo, quæ videntur, mendas introspicere. Et est profecto, in quo aliquando operæ pretium fiat. Non longe abiero. Quod in V. scribitur *pœnis civ.* parum abest, quin asseverem recte et Pliniane concipi *pœnis civium.* Supra, 'cum orbem terrarum non pedibus, quam laudibus, peragrares.' Infra, 'Quanquam non ambitio, quam livor et malignitas, videri potest.' Imitatus hoc Nazarius in Constantinum, 'Si concordiam, quam veniam, appellari fas est.' Arnobius adversus Gentes lib. I. 'Non simillimum veri est, fidem vicinis et finitimis, quam

spatiorum inesse longinquitate distantibus?' Alii crebro. In Græcis id quidem (quod nemo jam nescit) frequens ac protritum est. Homerus Il. A. Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι. Et sexcenta talia, quæ non congero. *Livin.*

Delectat] Ex notissimo verbo, 'Simile amicum simili.' *Lips.*

Deinde, quod patientiores] Pro duabus prioribus vocibus *deinde quod*, mendose scriptum legimus *denique quos* in codicibus Mss. Parisiensi, Veneto 2. Salisburgensi, et nostro. *Denique quod* habent Vaticani et Guelpherbytanus. *Deinde quos* adhuc Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Cuspinianus, Philomusus, Rhenanus. Aldus primus veriorem lectionem in lucem protulit. Porro, pro voce *patientiores*, in codice Salisburgensi scriptum erat *patentiores*, (quæ lectio fortasse ex errato typographico etiam occurrit in editione Ultrajectina an. 1652.) sed ab antiqua manu correctum mutatumque est in *parentiores*. Equidem *parentiores*, ut *obedientiores*, omnino Latine dicitur; ut in præstantioribus libris Cic. de Offic. I. 22. 'Quin etiam Lacedæmonii ob has ipsas caussas et parentiores habuerunt exercitus, et fortiores;' sed *parentiores servitutis* nihili est. At, 'servitutem pati,' et 'servitutis patientem,' seu 'patientiorem esse,' recte dicitur. Cic. Philipp. VI. 7. 'Aliæ nationes servitutem pati possunt; populi Romani est propria libertas.' Tacitus in Agric. cap. 15. 'Britanni agitare inter se mala servitutis; . . nihil profici patientia, nisi ut graviora, tanquam ex facili tolerantibus, imperentur.' *Schwarz.*

Patientiores] Malos et molles, quibus honesti æquique nec amor nec cura est. *Lips.*

Deinde, quod patientiores] *Deinde, quos potentiores.* Faber.

Patientiores servitutis] 'Neque homines voco, qui servitutem amant;' quia, ut anima, forma corporis si abest, cadaver est, ita, cui libertas. Heinsius, cujus visum et auditum magno, si possem, emerem, in laudato Panegyrico Gustavo Magno consecrato. *Bern.*

Servos] Nam mali dignissimi servitute, et qui meliorum imperiis coërceantur aut emendentur. *Lips.*

Nisi servos] Vitia enim homines ignavos reddunt, pusillanimes ac viles. *Patarol.*

Horum in sinum] H. e. in hujusmodi servos et libertos, sibi carissimos, mali principes conferebant opes honoresque; v. g. ut Claudius in Narcissum et Pallantem; Nero in Polycletum; Galba in Icelum; Domitianus in Crispinum aliosve. *In sinum alicujus omnia congerere*, est elegans loquendi formula, petita a veterum more pecunias, aliasque res, quas servatas aut occultas vellent, in sinu vestis condentium portantiumque. 'Sinus' enim est pars tunicæ laxior, supra cincturam, ante pectus; quo solebant conjicere, si quid sub veste gestare aut occultare vellent. Apul. Met. VIII. pag. 214. edit. Wechel. 1621. 'Stipes æreas, immo vero et argenteas, multis certatim offerentibus, sinu recepere patulo.' Martial. V. 16. 'Et fiet vario sordidus ære sinus,' i. e. et colligam ingentem pecuniæ summam. E contrario idem poëta 'vacuum sinum' ejus vocat, qui nihil lucri acquisivit; et habet, X. 78. 'Rectorem vacuo sinu remittes.' Ovid. Amor. I. 10. 'Quid puerum Veneris pretio prostare jubetis? Quo pretium condat, non habet ille sinum.' Juvenal. Sat. XIV. 325. 'Si nondum implevi gremium, si panditur ultra;' i. e. si, designata summa pecuniæ, nondum implevi marsupium, in sinu tuo reconditum, idque adhuc hiat, et laxum est. Nempe, etiam e collo aliquando pendebat veteribus crumena, atque inde in sinum dimittebatur. Vide

Taubmann. ad Plaut. Truc. III. 1. 7. 'Homo crumenam sibi de collo detrahit.' Idem Juvenal. Sat. I. 87. 'Quando major avaritiæ patuit sinus?' Propert. de avara Cynthia, II. 16. 12. 'Semper amatorum ponderat illa sinus;' i. e. scrutatur, et expendit sinus, an graves sint ære. Seneca Epist. 119. 'Quid sit, quod invenerim, quæris? Sinum laxa: merum lucrum est;' i. e. sinum vestis extende et expande, ut eum lucro compleas. Idem de Benef. VI. 43. 'In magnis erroribus sunt, qui ingentis animi credunt, proferre, donare, plurium sinum ac domum replere.' Idem Epist. 20. 'Non licet divitias in sinu positas contemnere?' Tacit. Hist. III. 19. 'Opes Cremonensium in sinu præfectorum legatorumque fore.' Sed de his formulis audiantur P. Faber Semestr. I. 22. Turneb. Advers. XXVI. 24. et inprimis Passerat. ad Propert. II. 16. *Schwarz*.

Otio aut situ abstrusos] I. e. latentes et obscuros *otio*, sive vita a publicis honoribus negotiisque remota, et *situ*, h. e. desuetudine ac solitudine, qua aeres animi tandem languescunt et torpent; sicuti res variæ, diu in opaco latentes, nec loco motæ, tandem situ et squalore occupantur. Plinius paullo ante dixerat 'qui ætatem in tenebris agunt;' infra, LXIII. 5. 'abstrusus atque abditus.' Tacit. Annal. IV. 63. 'Haud minus latebra, quam detestanda fraude, se abstrudunt.' Liber Vossianus, et editiones Puteolani, Aldi, Cuspiniani, Rhenani, Ascensii, et Navii, pro *abstrusos*, habent *obstrusos*. Nos sequimur auctoritatem plurimorum, eorumque cum manu exaratorum, tum typis excusorum, librorum; itemque rationem habemus et etymologiæ et analogiæ. De scriptura verbi 'abstrudo,' et 'obstrudo,' quædam annotavit Arntzenius. *Idem*.

Periculis] Noti, non nisi per mala sua, fiebant. *Lips*.

Ex optimis legis] i. e. eligis, et secernis. Infra LXXXVI. 2. 'Præfectum prætorii non ex ingerentibus, sed ex subtrahentibus, legere.' Nescio, quo fato verbum *legis* omissum sit in codicibus Mss. Parisiensi, Venet. 1. et 2. Salisburgensi, Guelpherbytano, et libro Vossiano; immo adhuc in editis libris Puteolani, Beroaldi, et Rhenani; cum in ceteris omnibus, quos inspeximus, id verbum extet, nec sententia Plinii eo recte carere possit. *Schwarz*.

Qui invisi malo] Fortasse vox *invisi*, in vetusto quodam codice, ex quo alii plures descripti sunt, fuit obliterata. Hinc enim pro ea sine sensu reposuerunt quidam rudes librarii, ut in Parisiensi, *qui imus si in malo;* in Veneto 1. *qui immunes in malo;* in Veneto 2. vacuo relicto spatio brevi, *qui si in malo;* in meo, *qui minus si in malo*. Alii librarii, paullo sagaciores sibi visi, cum obsolescentem scripturam legere non potuerint, ex ingenio aliam sensui convenientiorem substituere; ut in Vat. 3461. 1775. et 1776. atque in Guelpherbytano, *qui formidolosi malo;* at Vat. 1475. *qui invisi in malo;* in Salisburgensi, *qui odiosi malo;* denique in libro Vossiano, *qui minus si in malo*. Al. *qui formidolosi malo*. Verbum *fuerint* omnes codices agnoscunt et confirmant. Non dubitamus approbare lectionem vulgatam; utpote quam non solum antiquiores quique editores in lucem protulerunt; sed sequentes etiam sine hæsitatione sunt secuti. *Idem*.

Scis, ut sunt] Recte hodie hæc verba sic exprimuntur. Ante Cellarii ἔκδοσιν omnes omnino libri typis excusi, quorum evolvendorum nobis copia fuit, pro *sunt*, perperam exhibuerunt *sicut*, hoc ordine, *Scis, ut sicut diversa natura, &c.* Bene secutus est Cellarius conjecturam Livineii et Bongarsii, qui primi ex ingenio animadverterant, potius verbum *sunt*,

quam particulam *sicut*, hic locum obtinere debere. Quæ conjectura etiam placuit Rittershusio et Grutero. Nunc veró comprobandæ huic emendationi vestigia ostendunt codices Mss. Vaticani, Venetus 2. Guelpherbytanus, ac noster; in quibus legimus *Scis, ut sint diversa natura*. Immo veram lectionem plenius confirmat codex Parisiensis, in quo diserte scriptum est *Scis, ut sunt diversa natura*. Simili ratione loquitur Quinctil. Instit. Or. IX. 4. 'Hæc, ut sunt diversa natura, dissimilem componendi quoque rationem desiderant.' *Idem.*

Scis, ut sunt diversa] *Scis ut sicut diversa* Liviu. in textu; sed in margine, 'forte *sunt*.' Probe. *Rittersh.*

Diversa natura] Tiberii dictum ea mente: 'Dominum se servorum, imperatorem militum esse, principem ceterorum.' Princeps igitur liberorum. *Lips.*

Scis, ut sunt diversa] Non inepte conjiciebat Livineius, *scis ut sunt diversa, &c.* Quod et in mentem veniebat optimo Bongarsio. *Grut.*

Dominatio, et principatus] Dominatio est malorum principum, de quibus jam dictum, quod domini vocabantur; principatus autem boni est imperatoris, qui non tanquam servis, sed tanquam liberis, imperat. *Patarol.*

Dominum graventur] i. e. gravate ferant, aut pati recusent. Omnes libri impressi, una cum codicibus Mss. Parisiensi, utroque Veneto, et meo, conspirant in hanc lectionem; verum, in codicibus Vaticanis, et Guelpherbytano, extat *dominio graventur*. In Salisburgensi per compendium scriptum est *dno graventur*. Non adeo in codice Guelph. ut notat Arntzenius, sed in libro Vossiano, scriptum est *dominum gravem gerit*. Veruntamen nihil prorsus mutandum est in vulgata lectione. Servius ad Virgil. Æn. x. 628: 'Gravari,' inquit, 'est ægre graviterque ferre. Et hac elocutione non nisi per accusativum utimur, ut sic dicas: Gravor adventum tuum, id est, graviter fero, item, gravor præsentiam tuam.' Hactenus Servius. Sic vero et Lucan. VII. 284. loquitur, 'Romanos odere omnes, dominosque gravantur.' Sueton. Vitell. c. 12. 'Asiaticum libertum, ob nimiam contumaciam et ferocitatem, gravatus.' Sic et Justin. XXXIX. 4. ait, 'At in Ægypto Cleopatra, cum gravaretur socium regni, filium Ptolemæum,' i. e. non ferret. Immo, sic etiam ipse Plin. Epist. III. 18. 'Quam materiam in senatu quoque, ubi perpeti necesse erat, gravari tamen vel puncto temporis solebamus.' Vide de hoc verbo Gronov. ad Senecæ Thyesten, vs. 106. *Schwarz.*

Secta vitæ] i. e. regula et genus vitæ, ratio et modus vivendi; postea ad disciplinas philosophorum accommodatur. Cic. pro Rabir. cap. 8. 'Quam tandem auctoritatem, quam vocem, cujus sectam sequi, cujus imperio parere potissimum, velles?' Idem Verr. v. 70. 'Hæc eadem est nostræ rationis regio et via; horum nos hominum sectam atque instituta persequimur.' Idem pro Cœl. cap. 15. 'nos hanc sectam rationemque vitæ, re magis, quam verbis, secuti sumus.'. Plinius infra LXXXV. 7. 'Placeat tibi semper hæc secta.' *Idem.*

Ideo] Fateor, in codicibus Mss. et aliquot impressis ante adverbium *ideo*, poni particulam *et*; nec hanc ullo modo loco movendam censerem, nisi mox altera periodus ab eadem particula exordiens, *Et alioquin nescio*, sequeretur. Et si vel maxime a Plinio venerit utraque particula *et*; credo tamen, eum ipsum, si ingratæ repetitionis admonitus fuisset, illam rejecturum fuisse. Annotavit Arntzenius, ante *ideo*, particulam *et* exsulare jussisse Ascensium, Gryphium, Hearnium, indicta caussa. Sed puto

me qualemcunque caussam dixisse; et noto, præter citatos editores, etiam Beroaldum, Catanæum, Aldum, et Rhenanum, copulam *et* hoc loco non agnovisse. *Idem.*

Censuram] Ut Claudius, ut Vespasianus, Domitianus. *Lips.*

Præfecturam] Quo titulo C. Cæsar, si memini, usus, et Augustus (in Suetonio) 'recepit morum et legum regimen perpetuum, sine honore censuræ.' *Idem.*

Præfecturam morum] Hanc a 'censura' distinguere videtur Plinius. Et certe, ex grammatica vocum ratione, 'præfectura morum' non nisi partem 'censuræ' designat; cum multo plura 'censorum' in republica libera fuerint munia, quæ magnam partem recenset Asconius Pedian. in Divinat. Cic. p. 20. copiosius Antiquitatum Roman. commentatores. Sic jam Pompeius, cum, teste Tacito Annal. III. 28. 'corrigendis moribus delectus' diceretur, non integram censuram, sed ejus duntaxat partem, suscepisse existimandus est. At, republica in principatum mutata, pauci imperatores, nempe Claudius, et ferme Flavii soli, titulum 'censoris' adscivere; nisi tantummodo aliquando in agendo censu: ceteri autem sub hac ipsa formula præfecturæ, aut regiminis, morum, nihilo minus, omnibus, iisque amplificatis, 'censuræ' juribus usi sunt; quanquam identidem etiam ex privatis hominibus 'censores' crearint. Secundum quam præfecturam et censoriam potestatem, tradente Dione Cassio, lib. LIII. pag. 508. pro suo arbitrio exercuerunt facultatem in vitam et mores civium inquirendi, census agendi, in equestrem ac senatorium ordinem adscribendi, aliosque ex iis removendi. Sic vero Julio Cæsari, devicto Pompeio, a senatu, inter alios honores, etiam præfecturam morum ad tres annos decretam esse, narrat idem Dio, lib. XLIII. p. 220. Et, quod alio tempore factum, Sueton. Cæs. c. 76. 'Cæsar,' inquit, 'honores nimios recepit, ut continuum consulatum, perpetuam dictaturam, præfecturamque morum,' &c. Sic idem Dio, lib. LIII. p. 527. refert, Augusto quoque Octaviano decretum fuisse, ut per quinque annos ἐπιμελητὴς τῶν τρόπων, curator sive præfectus morum esset, potestatemque censoriam haberet. Similiter de Augusto Sueton. cap. 27. hæc tradit: 'Recepit et morum legumque regimen perpetuum; quo jure, quanquam sine censuræ honore, censum tamen populi ter egit; primum ac tertium cum collega; medium solus.' Uberius hæc exposuit Spanhem. de Usu et Præst. Numism. tom. II. pag. 472. seqq. Dubium autem est, cur plurimi imperatores, omisso 'censoris,' 'censuræque,' nomine, 'præfecturam morum' suscipere maluerint; cum tamen re ipsa omnia censorum jura habuerint. Si fides habenda est Dioni, l. c. pag. 220. id ideo contigit, quia nomen 'censoris' non satis honorificum dignumque visum fuerit imperatoribus. Quam Dionis opinionem etiam defendit Gutherius de Offic. Domus Aug. lib. I. c. 40. Verum, summa semper habita est dignitas censoris, quam Plutarchus, in Paullo Æmilio, ἀρχὴν πασῶν ἱερωτάτην, et in Catone Majore, κορυφήν τινα τιμῆς ἁπάσης, *omnium honorum apicem*, vocavit. Ergo lubentius accedo Casaubono ad Sueton. in Cæs. c. 76. existimoque, Augustum, aliosque imperatores, titulum 'censoris,' et 'censuræ,' potius per speciem modestiæ, quam quia minus honorificum habuerint, recusasse, ne scilicet omnes censuræ partes honoresque recepisse, neque severitatem illam censoriam, populo aliquando non satis gratam, exerere velle viderentur. *Schwarz.*

Beneficio] Leniter ad bona ducere, et bene faciendo, potius quam cen-

sendo, mulctando, puniendo. *Lips.*

Quam remediis] ‘Remedia’ h. l. dicuntur notæ censoriæ, ignominia, correctiones. Sicut enim proprie quidem dicimur ‘mederi vulneribus et morbis;’ per translationem autem omnibus etiam aliis rebus molestis, quas curamus, aut in ordinem redigere volumus; sic et usus nominis ‘remedii’ latissime patet. Præcipue ad pœnas, tanquam remedia vitiorum et delictorum, transfertur. Tacit. Annal. III. 28. ‘Pompeius corrigendis moribus delectus, at gravior remediis, quam delicta erant.’ Idem XII. 54. ‘Interim Felix intempestivis remediis delicta accendebat.’ XIII. 35. ‘Remedium severitate quæsitum est.’ A suppliciis tamen ‘remedia’ distinguit Seneca de Clement. I. 14. ‘Nemo ad supplicia exigenda pervenit, nisi qui remedia consumsit.’ Ceterum in his verbis Plinianis codex Venet. 1. pro *potius*, habet *prius*. Schwarz.

Esse patitur] Codex meus habet *esse patiatur;* et codex Salisb. pro *cogit*, refert *cogat*. Neque incommode modus potentialis hic locum habere posse videtur. At minime placet, quod cod. Vatic. 1475. pro verbo *cogit*, reposuit *tegit*. Idem.

Esse patitur] Inopinata et mira sententia: sed, ut hic multæ, ex abditis prudentiæ et naturæ. Seneca huic assertor et interpres, de Clem. I. 22. ‘Constituit bonos mores civitati princeps, et vitia ejus facilius compescit, si patiens eorum est; non tanquam probet, sed tamquam invitus, et cum magno tormento ad castigandum veniat.’ *Lips.*

Qui cogit] Panegyricus Pacati, ad Theodosium: ‘Vitiis corrigendis curam adjecisti, idque moderate, ut suadere potius honesta, quam cogere, videreris.’ *Lips.*

Sequaces] Vox hæc fere poëtica est; unde Plinius addit molliendi formulam, *ut ita dicam;* de qua Quinctil. VIII. 3. ‘Si quid periculosius finxisse videbimur, quibusdam remediis præmuniendum est: ‘ut ita dicam;’ ‘si licet dicere;’ ‘quodammodo;’ ‘permittite mihi uti.’ Quod idem etiam in iis, quæ licentius translata erunt, proderit, quæ non tuto dici possunt.’ Vocabulo ‘sequax’ frequenter usi sunt Lucretius, Virgilius, Poëtæ Latini minores. Etiam Ovid. Epist. Heroid. XIX. 12. ‘Flectitis aut freno colla sequacis equi.’ Tamen etiam ex solutæ orationis auctoribus Plinius Major hoc vocabulum aliquoties posuit; v. g. XI. 2. ‘In magnis corporibus facilis officina sequaci materia fuit.’ XI. 37. ‘Adeo sequax natura est, ut in ipsis viventium corporibus ferventi cura flectantur.’ XXXVI. 36. ‘Nec est alia nunc materia sequacior, aut etiam picturæ accommodatior, vitris Obsidianis,’ &c. Plus vero est, ‘sequacem esse,’ vel ‘sequi,’ quam ‘duci;’ secundum illud Senecæ de Clement. I. 24. ‘Natura contumax est humanus animus; sequiturque facilius, quam ducitur.’ Bene ad hunc locum Cellarius, ‘Hæc respondent verbo *flexibili*. Cic. de Orat. III. 45. ‘Nihil est tam flexibile, neque quod tam facile sequatur, quocunque ducas, quam oratio.’ A cera desumta translatio. Noster Epist. VII. 9. ‘Ut laus est ceræ, mollis cedensque sequatur, Si doctos digitos, jussaque fiat opus.’ ‘Sequi’ enim, obedire est, et facile tractari, ut ‘mores sequaces’ apud Lucret. III. 316. sunt, ‘qui naturam sequuntur.’’ ‘Ducuntur’ vero, qui aliorum imperio et præceptis, aut certe exemplo, reguntur. *Schwarz.*

Speraverint dissimiles] Plurimi codices Mss. impressique libri habent *speraverunt*. Codex Salisburg. dubie per compendium exhibet *speravert*. In solo codice Parisiensi diserte scriptum est *speraverint*. Quæ lectio ex conjectura placuerat Bongarsio et Gruntero; eamque exprimi curavit Plantinus in editione an. 1622. et Grævius in editione Hackiana, item-

que posthæc Hearne, et Cellarius, et nunc quoque Gesnerus, qui in Epistola de sua Plinii editione bene notavit, 'Verba præteriti temporis interdum, apud Senecam præsertim, aoristorum Græcorum vim habere.' Ergo et huic lectioni, non omni antiquitatis testimonio destitutæ, locum dandum duxi. Cum vero in his ipsis verbis vocem *dissimiles* quidam applicent ad cives malos, eosque principi cuique dissimiles; alii referant ad principes malos, et Trajano non similes; ego malim posteriorum interpretationi subscribere; quia Plinius jam ἐμφατικῶς dixerat, 'Huic [principi optimo, Trajano nostro,] cari, huic probati, esse cupimus; quod frustra speraverint, sive sperare possint, dissimiles Trajano principes, scilicet fore, ut his etiam cari probatique esse cupiamus.' *Idem.*

Quod frustra speraverint] *Quod frustra speraverunt.* Convenerit magis *speraverint*, ut reponendum ducebat idem ille noster Bongarsius. *Grut.*

Unius moribus] Principis, quem omnes, ut solem, spectant, et ab eo colorantur. *Lips.*

Unius] Tuis nempe. *Patarol.*

Nam vita] *Namque vita* C. *Livin.*

Vita principis censura est] I. e. recta vitæ principis exempla loco censuræ perpetuæ sunt, sive idem præstant, quod munus censoris perpetui. Pertinent huc sententiæ jam ab aliis notatæ, Vell. II. 126. 'Facere recte cives suos princeps optimus faciendo docet; cumque sit imperio maximus, exemplo major est.' Claudiani de IV. Consul. Honorii, 299. 'Componitur orbis Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, ut vita regentis.' Ceterum A. U. 319. lege Æmilia cautum est, teste Liv. IV. 24. et IX. 33. ut singulis quidem quinquenniis censores crearentur; sed ita ut potestas tamen eorum annua tantum et semestris esset: at deinde Julio Cæsari et Augusto Octav. oblata est censura perpetua. Domitianus vero non solum rem, sed et nomen 'censoris perpetui' sibi arrogavit. *Schwarz.*

Nec tam imperio] Idem Pacatus, 'Sic est enim, sic est, exasperat homines imperata correctio, blandissime jubetur exemplo.' Plura huic rei ego, in Politicis II. 9. *Lips.*

Opus est] Verbum substantivum *est* deest in codicibus Vaticanis, Veneto 2. et Guelpherbytano; nec id desideraveris, maxime cum idem modo affuerit, 'censura est;' et mox sequatur, 'magister est metus.' *Schwarz.*

Infidelis] Simili gnome Tullius Off. II. 7. 'Malus diuturnitatis custos est metus.' *Lips.*

Infidelis] 'Timor non diuturnus magister officii.' Cic. Philip. II. 36. 'Servitus ubi est, ibi esse non potest fidelitas. Ibi pax est fida, ubi voluntarii pacati sunt.' Liv. IX. 21. Vide aliqua multa ibi annotata a Grutero. *Bern.*

Exemplis docentur] Fabius, 'Quantum Græci præceptis valent, tantum Romani (quod est majus) exemplis.' *Lips.*

Approbant] Re ostendunt. *Idem.*

Quæ præcipiunt] Nec volam, nec vestigium, alicujus varietatis in his verbis nobis indicant scripti cusique libri, quotquot nobis innotuere. Sed monuit vir celeberr. Christ. Aug. Heumannus, utique legendum *quæ præcipiuntur.* Videatur, inquit, Plin. Epist. III. 18. Contra Seneca Epist. 108. 'improbe viventes philosophos,' ait, 'se ipsos circumferre exempla inutilis disciplinæ.' Acuta quidem conjectura, nec omni verisimilitudine destituta; cum facile fieri potuerit, ut, pro *præcipiunt*, alii scripserint *præcipiunt;* at nulla hic necessaria est mutatio; quoniam et ipsa exempla, quamvis aliquando ab imperio et præceptis distincta, dici queant, 'præcipere,' 'movere,' 'monere,' 'docere,' 'testari.' Huc facit, quod apud Quinctil. Declam.

III. 15. legimus: 'Hæc conditio superiorum est, ut, quidquid faciunt, præcipere videantur; et perniciosissimus est malæ rei maximus quisque auctor.' Item apud Lat. Pacat. in Paneg. cap. 15. 'Sic est enim, sic est: exasperat homines imperata correctio; blandissime jubetur exemplo.' Bene ad h. l. Arntzenius: 'De mutatione ne cogitandum quidem hic. Exempla duas res perficiunt: et ipsa monent, quæ facienda sunt; et dein ostendunt, etiam ea fieri posse. Adi Buchnerum ad Plin. Epist. VIII. 14. Quod fidelissimum præcipiendi genus, exemplis docebantur,' &c. *Schwarz.*

CAP. XLVI. *Et quis*] Macula typographica hæret in editionibus Cellarianis, cum inquinate exhibeant *his*, loco pronominis interrogandi, *quis?* Similiter mendum librarii est in codice Guelpherbytano, qui, pro *valuisset*, oscitanter reposuit *voluisset;* et in verbis *reverentia tui*, pronomen *tui* prorsus omisit; pro quo æque vitiose librarius in codice Veneto scripsit *tua.* Sed nec moramur illud *efficitur*, quod pro præterito tempore *effecit* innostro codice exaratum est. *Idem.*

Obtinuit aliquis] Tiberius, 'a quo pulsi histriones Italia,' Tacit. Annal. IV. 14. et Nero, a quo 'pantomimorum factiones cum ipsis relegatæ,' Sueton. cap. 16. et Domitianus, qui 'interdixit histrionibus scenam,' Idem Sueton. cap. 7. Vide et Dionem Cassium, Cellar. *Patarol.*

Obtinuit aliquis] Et Tiberius olim, Tacit. Annal. IV. 14. Suet. Ner. cap. 1. Sueton. Domit. cap. 7. pr. qui 'histriones Italia pepulit;' et Nero, qui 'factiones pantomimorum una cum ipsis relegavit;' et Domitianus denique, 'qui interdixit histrionibus scenam, intra domum quidem exercendi artem jure concesso.' De isto eum sentire, sequentia docent. *Lips.*

Pantomimorum] Ne histrioniam artem in scena et in propatulo exercere possent. *Bern.*

Pantomimorum] Qui gestu et saltatione, motuque corporis, omnia exprimunt et imitantur, unde Græcum nomen. Latini 'histriones,' et 'saltatores,' et 'gesticulatores,' reddunt. *Lips.*

Pantomimorum] Horum historiam exposuit Octav. Ferrarius in dissertatione postuma; ex qua non nisi pauca quædam nunc afferre libet. Cum nempe primo in tragœdiis, sublato choro, introducerentur, qui modos facerent; etiam actores inducti sunt extra argumentum, quorum urbanitate ac jocis animi spectatorum laxarentur; atque hi παρὰ τοῦ μιμεῖσθαι, *ab imitatione*, dicti 'mimi,' non saltatione et gestu, sed voce ac verbis res ridiculas in scena repræsentarunt; aliquando tamen et utilibus vitæ sententiis sunt usi. Sed alii, quod taciti, sola saltatione ac gestu omnia, quæ a tragœdo canebantur, exprimerent ac repræsentarent, audierunt 'pantomimi,' quasi omnium imitatores. Omnis ergo horum ars fuit, motu corporis, pedum agilitate, et gesticulatione, quæ in scena canebantur, ita imitari et exprimere, ut muti intelligerentur, et, ut sic dicamus, spectatorum oculi audirent. Exempla singularia horum pantomimorum affert Macrob. Saturn. II. 7. et Apul. Miles. lib. X. p. 233. Ostendit vero Ferrarius falli Lipsium, qui sub Augusto pantomimos inductos existimarit; cum histriones, et ludiones, antiquissimi fuerint Romanis, teste Liv. I. 7. Id tamen concedit, cum initio pantomimi cum tragœdis et comœdis inter actus saltarint et gesticulati sint, sub Augusto separasse se ab illis, et artem peculiarem fecisse; adeoque dici posse, hanc artem tunc primo inventam esse. Inde autem pantomimos a theatro etiam ad mensas et convivia vocatos esse, præter alios, testatur Juvenal. Sat.

v. *Schwarz.*

Populus Romanus] Plerique codices Mss. per compendium habent *P. R.* aut *Po. Ro.* unde quædam editiones, v. g. H. Stephani, Elzeviriorum, Rivini, Kirchmaieri, effinxerunt *Populi Romani;* aliæ, ut Rob. Stephani, Juntæ, Gryphii, Sichardi, *Populo Romano.* Veram tamen et integram lectionem, *Populus Romanus,* codex Vat. 3461. et Guelpherbytanus, atque in excusis jam Cuspinianus aliique protulere. *Idem.*

Ut vellet] Recte Cellarius: 'Principes illi obtinuerunt, ut populus pateretur pantomimos relegari, aut etiam concederet; non autem, ut ex animo illud vellet. Fiebat enim invito populo.' *Idem.*

Ut vellet] Animo non assensit, etsi factis principi non dissensit. *Lips.*

Esse beneficium] I. e. Populus R. cœpit pro beneficio reputare, quod tu, ejus rogatu, ejecisti pantomimos; at vero antea pro necessitate et coactione habuere, cum sub superioribus quibusdam imperatoribus non nisi inviti his ludicris rebus carerent. *Schwarz.*

Concentu] Harmonico clamore, ut supra notavi: an hic magis verum, *consensu?* Lips.

Minore concentu] Latinus Latinius, in Bibliotheca Profana, pag. 53. censuit pro *concentu* rescribendum esse *contentu.* Atque, en, hanc vocem sic scriptam reperimus in codice nostro, eandemque margini sui libri allevit Is. Vossius: quæ si locum obtineret, pro *contentione,* sive magno studio et conatu, poneretur. Sed, quid nomen insolens obtrudamus Plinio, cui usitatius est *concentu,* i. e. harmonica acclamatione, et consensu? Idem supra II. 5. 'Populus Rom. quanto paullo ante concentu formosum alium, hunc fortissimum personat.' Et IV. 6. 'At Principi nostro quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, contigit!' Lipsius quasi dubius scripsit, 'An hic magis verum, *consensu?*' Sed nulla opus est mutatione. Supra ad II. 5. jam ipse agnoverat hanc vocem ad hujusmodi rem aptissimam esse; nam acclamationes illas theatricas cum modulis et quodam velut cantu fuisse. Tacit. Annal. XVI. 'Plebs personabat certis modis, plausuque composito.' Etiam Cicero semel iterumque utitur hac voce, et eam, de Orat. III. 6. conjungit cum voce 'consensu:' 'Omnium,' inquit, 'doctrinarum quasi consensus concentusque.' Cf. idem de Offic. I. 14. et de Divinat. II. 15. *Schwarz.*

Utrumque recte] Bene ad h. l. Jac. De la Baune: 'Ingeniosus,' inquit, 'si quis est alius in toto Panegyrico locus. Sic enim laudat Trajanum, quod pantomimos aboleverit, ut simul laudet Nervam, a quo hi paullo ante restituti erant.' Sed, quantumcunque oratoris ingenium hinc elucet, rem ipsam tamen aliter ex morum doctrina dijudicat philosophus. Recte proinde censet Baudius, non oportere obductam cicatricem refricari, ut sit remedio locus; nec expedire, malum arcessere, ut expellatur. *Idem.*

Malus princeps] Domitianus. *Lips.*

Tolli] A te iterum. *Idem.*

Auctorem displicuisse] Pertinet huc Lacedæmoniorum factum, de quo Agellius prolixe, XVIII. 3. *Livin.*

Auctorem] Ut Lacedæmonii, qui bonam sententiam ab improbo homine in senatu dictam, jusserunt a bono iterum dici, eique inscribi. Gellius, et Plutarchus in Præcept. Gerendæ Reip. *Lips.*

Auctorem] 'Nec pœna criminis, sed factum displicebat.' Tacit. Hist. II. 10. *Bern.*

Auctorem displicuisse] Cum apud Lacedæmonios homo quidam 'turpitudine pristinæ vitæ defamatissimus' optimum pro re publica consilium protulisset, placuit, ut quod ipse pro-

tulerat, ab alio boni nominis viro pronuntiaretur. 'Sic bona sententia mansit, turpis auctor mutatus est.' Gellius XVIII. 3. *Patarol.*

Scenici] Puta Caii, de quo Sueton. c. 54. aut Neronis, de quo idem, cap. 20. *Idem.*

Et applausor] Codices Mss. Vaticani, Salisburgensis, Guelpherbytanus, et Venetus 2. non *applausor*, sed tantum *plausor*, produnt. Tritum quidem est verbum 'applaudere' ac nomen 'applausus;' quin et Horatius, et Quinctilianus, et Suetonius, aliique, haud abstinuere a simplici nomine 'plausor;' sed nec mihi succurrit locus, vel ex Plinio, vel ex alio probatæ Latinitatis auctore, ubi nomen compositum *applausor* inveniatur; nec ejus usum Lexica alio, nisi unius hujus loci Pliniani testimonio, probare solent. Nihilo minus tamen hoc ipsum nomen compositum non audeo de possessione dejicere, cum ἀναλογία ei faveat, nec quisquam commentatorum Plinianorum in eo recensendo hæsitarit. Quanto autem studio nominatim Nero captarit hujusmodi applausum theatralem, narrat Sueton. cap. 20. 'Captus,' inquit, 'modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de novo commeatu Neapolim confluxerant, plures Alexandria evocavit. Neque eo segnius adolescentulos equestris ordinis et quinque amplius millia e plebe robustissimæ juventutis undique elegit, qui divisi in factiones, plausuum genera condiscerent,' &c. *Schwarz.*

Aversatur] Scilicet, 'effeminatas artes.' Mirum est, quam multæ editiones pro verbo *aversatur*, procuderint *adversatur*. Hoc enim prodidere Puteolanus, Catanæus, Aldus, Junta, Philomusus, Rhenanus, R. et H. Stephani, Gryphius, Sichardus, Gruterus, Elzevir, Boxhornius, Patarol; quin et in codicibus Mss. Vatic. Salisburgensi, Venetis 1. et 2. Guelpherbytano, ac meo, exaratum est. Th. Ceva, ut id magis accommodaret structuræ verborum, omissa præpositione *in*, excudendum curavit *nunc pantomimis quoque adversatur*. Sed et in aliis scriptoribus non infrequens est commutatio horum verborum, cujus exempla annotavit Arntzenius. Nec minus voces *adversus* et *aversus* in antiquis codicibus sæpe turbari, animadvertit Drackenborchius, ad Sil. Ital. II. 618. qui et XI. 14. observat, eodem modo generatim a librariis peccari in plurimis verbis, quæ ex præpositionibus *ad* et *ab* componuntur. Interim in hoc loco Plinii jam Beroaldus et Cuspinianus verbum *aversatur* evulgarunt; quos vero non nisi pauci recte sunt secuti. *Idem.*

Aversatur] *Adversatur*, Livin. in textu; sed in margine, *aversatur* C. Recte. *Rittersh.*

Effeminatas artes] Mollitiem scenicam, ludos saltatorios. Vide Macrob. Sat. II. 9. *Bern.*

Sæculo] Huic tuo virili et honesto. *Lips.*

Principum disciplinam] Claud. ad Stilic. 'Scilicet in vulgus manant exempla regentum.' Idem apud Honor. 'Componitur orbis Regis ad exemplum.' Idem alibi, 'Mobile mutatur semper cum principe vulgus.' Euseb. de Præparat. Evangel. lib. VI. ἕπεται τὸ ὑπεξούσιον τῷ αὐτεξουσίῳ. Adde Evang. I. et VI. Petron. Lips. Monit. Pol. cap. 8. Gruter. Discurs. cap. 6. et rationem apud Senec. Clem. II. 2. *Bern.*

Disciplinam capere] I. e. vulgus etiam capax est accommodandi se ad principum disciplinam, instituta, et consuetudinem. Scilicet *capere* hac notione idem notat, ac idoneum esse ad aliquid recipiendum, ferendum, sustinendum, et utendum. Cujus notionis exempla apud Senec. Val. Max. et inprimis Curtium, occurrunt; v. g. Curt. IV. 5. 3. 'Nihil difficilius est,

quam in illa ætate tantam capere fortunam.' Idem VII. 8. 13. 'Sic quoque concupiscis, quæ non capis.' IX. 3. 7. 'Quidquid mortalitas capere poterat, implevisti.' Principum autem disciplina opponi videtur 'disciplinæ civitatis,' i. e. institutis, moribus et consuetudini, civium liberæ reipublicæ; cujus meminit Cic. Verr. III. 69. 'Liberos instituere atque erudire ad majorum instituta, atque civitatis disciplinam, non ad tua flagitia, neque ad turpitudines, debuisti.' *Schwarz.*

Ab uno] Principe. *Lips.*

Vis et imperium] In codic. Vatic. et Salisburg. pro voce *vis*, legitur *jus.* Sed jam Arntzenius, ad hunc Paneg. LXXVII. 4. observavit, confusionem istam frequentem esse adeo, ut sæpe vix internosci queat. *Schwarz.*

Nunc mores] Seneca in lib. de Provid. 'Desinit esse remedio locus, ubi, quæ fuerant vitia, mores sunt.' Mores autem, id est, pervulgata judicia, aut facta, et uno verbo, sæculum. *Lips.*

Ipsi, qui] Nempe, ipse populus. Non enim Caius, aut Nero, ut quidam explicat. *Idem.*

De severitate tua] Pro mendo typographico habeo, quod legitur in Cevæ editione, *de servitute tua.* In proximis verbis *et liberum est, queri*, liber Vossianus pro particula *et*, exhibet *ut.* Schwarz.

Liberum est queri] Ecquid ni liberum, quod liberum natura fecit? 'Quod relinquetur jus, si ne loqui quidem permittimur?' Brutus ad plebem, Halicar. VII. 16. 'Quid, si vox libera non est, liberum est?' Thessali apud Liv. XXXIX. 25. Libertas linguæ minima, quam dare potest, cui omnia in omnes licent. Placet mihi vox Tiberii: 'In civitate libera, linguam mentemque liberas esse debere,' Suet. cap. 28. 'Est enim (verba Pacati in Theod. cap. 25.) aliquod calamitatum delinimentum, dedisse lacrymas malis, et pectus laxasse suspiriis.' Contra, 'Crescit dissimulatione ipsa dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet,' Just. VIII. 5. 11. Quamplurima in hanc rem Gruter. Discurs. LVI. 42. 43. et seq. *Bern.*

Minus principe] Behrius, Prof. Gedanensis, ex conjectura maluit legere *ut de nullo magis principe querantur homines;* sed is non satis assecutus videtur sententiam Plinii, quam ista sua correctione redderet frigidissimam. Recte vero acuteque dixit Plinius, de nullo minus principe queri solere homines, quam de quo maxime liceat; quia manifestum indicium est boni principis et liberæ civitatis, linguam quidem mentemque liberam posse habere, nec tamen justam frequentemque querendi caussam invenire. *Schwarz.*

Licet] 'Felix sæculum, ubi sentire quæ velis, et quæ velis dicere, licet.' Tacit. Hist. I. 1. Contra, 'Heu quam miserum est, ab eo lædi, de quo non possis queri!' P. Syrus. *Bern.*

Tum tuo in sæculo] Antehac in editis libris vulgo legebatur *tamen in sæculo.* Codex Ms. Parisiensis habet *tum in sæculo.* Ita etiam Livineius in vetere codice invenerat scriptum *tum in sæculo;* unde per conjecturam effingendum censebat, *tum tuo sæculo.* Lipsius malebat pro *tum*, duntaxat *tuo:* cui conjecturæ calculum nunc addunt codices Mss. Vaticani, Veneti, et Guelpherbytanus, ita quidem, ut simul præpositionem *in* retineant, *tuo in sæculo.* Codex Salisburgensis habet *cum in sæculo.* In Vossiano libro annotata est utraque lectio, *tum in sæculo.* In codice meo ambigue est scriptum *ut* vel *tum*, vel fortasse *tuo* legere possis. Opportune, et fere necessario, rejecta particula *tamen* ex tot codicibus Mss. pronomen *tuo* restituitur huic loco. Particulam *tum*, quam nunc omisere Arntzenius et Gesnerus, et quæ abesse potest, nihilominus tamen, majoris perspicuitatis caussa, ex vestigiis codicis Livi-

neii, Parisiensis, et Vossiani, recipiendam duxi. Particula vero *quum*, vel *cum*, quæ sub initium hujus periodi legitur, 'Sed cum ita comparatum sit;' hic significat 'quoniam;' eidemque in sequenti membro respondet particula *tum*; v. g. apud ipsum Plinium nostrum Epist. VII. 8. 3. 'Nam, cum omnibus virtutibus abundet, tum hac præcipue, quod habet maximam in amore constantiam.' Apud eundem Epist. VIII. 18. 11. 'Nam, cum aures hominum novitate lætentur, tum ad rationem vitæ exemplis erudimur.' Item apud Cic. Famil. IX. 14. 'Cum te semper dilexerim, tum his tuis factis sic incensus sum.' Nam adeo satis caussæ habuit Cortius, cur in citatis Plinii epistolis pro modo conjunctivo reponeret indicativum. Fateor autem, non necesse esse, ut particulæ *cum* tunc semper respondeat *tum*. Omittit eam ipse Cic. de Offic. III. 2. 2. 'Cum Athenas, tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus; inanem redire turpissimum est, dedecorantem et urbis auctoritatem, et magistri.' Ceterum Plinius hic dixit *tum tuo in sæculo*, pro *tum tuo in principatu*. Sic is sæpius loquitur; v. g. supra XXX. 5. 'Tristius aliquid sæculo tuo passis.' XL. 3. 'Quod deberi non tuo sæculo cœperat.' Epist. X. 1. 'Precor ergo, ut tibi, et per te generi humano, prospera omnia, id est, digna sæculo tuo contingant.' Dignos enim sic significare volebant principes suos, qui ex omnium voto sæculum viverent imperarentque: quamquam hæc formula etiam ad principatum, sive tempus regiminis, malorum principum, applicari consuevit. Vide supra, ad XVIII. 1. *Schwarz.*

Tum tuo in sæculo] *Tamen in sæculo*, Livin. in contextu; at in margine, *Tum in sæculo.*

Tum tuo in sæculo] *Tamen in sæculo.* Explorate, proba lectio, quæ est in V., *tum*. Proxime juvem conjectura, et emendem, *tuo sæculo*, ut sit, *tum tuo sæculo*. Supra, 'Vetuisti exigi, quod deberi non tuo sæculo cœperat.' *Livin.*

Tum tuo] *Tamen*. Livineius *tum*, ex veteri libro: fortasse *tuo*. Lips.

Tum tuo in sæculo] *Tum* recte, nisi forte *tuo*. Rittersh.

Quo non omne] Elzevirii an. 1640. non tantum retenta voce *tamen*, sed intempestive etiam omissa particula *non*, hunc locum sic vitiose, contra sententiam Plinii, et contra auctoritatem omnium codicum, ediderunt, *tamen in sæculo nihil est, quo omne hominum genus lætetur et gaudeat.* Schwarz.

Omne hominum genus] Claudian. æmulus hujus loci, de Stilicone: 'Hinc priscæ redeunt artes, felicibus inde Ingeniis aperitur iter, despectaque Musæ Colla levant, opibusque fluens, et pauper eodem Nititur ad fructum studio, cum cernat uterque, Quod nec Inops jaceat probitas, nec inertia surgat Divitiis.' Hoc mihi sæculoque nostro terque quaterque optem. *J. Bern.*

Provehuntur] De hoc ipso Dio: 'Bonos omnes ornabat honoribus, et dignitatibus augebat.' *Patarol.*

Nec timent] Quia non crudeliter puniuntur, sed suaviter corriguntur. *Idem.*

Nec timent] Codex Parisiensis mendose habet *nec tument*. Significat autem Plinius, interprete Lipsio, 'bonis amicum et bonum Trajanum fuisse; nec malis quidem nimis asperum, ac meliores exemplo et mora fecisse.' *Schwarz.*

Nec timent] Hocne probas, Plini, malos solutos metu esse? Ita, sed nempe magno metu, qui ad res novas facile impellit. Tutius meliusque, ubi jam multi mali, paullatim pati emendare et ad frugem se recipere, quam acribus pœnis concitare. Ut in humano corpore vitiosi humores non impetu purgantur, nisi cum periculo; ita in republica. Significat

igitur, bonis amicum et bonum Trajanum fuisse; nec malis quidem nimis asperum, et meliores exemplo et mora fecisse. *Lips.*

Nec timentur] *Nec timentur. Vitiorum pœnitentiam expectas* C. G. *Livin.*

Nec timentur] A bonis, quia vires non habent. *Lips.*

Nec timentur] Quia malignæ ipsorum delationes apud bonum principem locum non inveniunt. *Patarol.*

Mederis erroribus] Jac. De la Baune et Laur. Patarol hunc locum a principio auctiorem evulgarunt, *Vitiorum pœnitentiam expectas; mederis erroribus.* Idem additamentum jam ante prodiderant Cuspinianus, Gruterus, et Parisienses an. 1643. Gudius, ad H. Stephani editionem, id duplici modo annotavit, *Vitiorum pœnitentiam expectans;* et, *vitiorum emendationem expectas.* Utcunque vero est, haud ægro animo dimittimus hunc panniculum, purpuræ Plinianæ aliunde assutum, et fortasse ex glossa contextum; quem neque alii codices Mss. agnoscunt. *Schwarz.*

Sed implorantibus] Constat sibi hæc lectio in omnibus libris scriptis et excusis. At nescio, quam *καταχρηστικῶς* ' errores ' hic dicantur ' implorantes.' Luculentius dici crediderim, *mederis erroribus, sed implorantium,* i. e. sanari cupientium quærentiumque opem. Casus vero dandi mihi visus est forte irrepsisse ex inertia librariorum, qui hoc participium vel ad præcedens nomen *erroribus,* vel ad sequens *omnibus,* (quod in codicibus Vaticanis, Salisburgensi, et Guelpherbytano, sine particula *ἐγκλιτικῇ que* scriptum est,) referendum accommodandumque esse, sunt opinati; quasi Plinius scripsisset, ' Mederis erroribus; sed implorantibus omnibus, quos bonos facis, hanc adstruis laudem, ne coëgisse videaris.' Possis fortasse vulgatam lectionem ita interpungere atque explicare, ut participium *implorantibus* non ad verbum *mederis,* sed ad verbum *adstruis* referatur: *Mederis erroribus; sed implorantibus, omnibusque, quos bonos facis, hanc adstruis laudem,* (quasi ipsi suos errores emendarint,) *ne coëgisse videaris.* Conjectura nostra prior vehementer placuit Gesnero; neque tamen ausus sum eam inferre Plinio, etsi ejus concinnitati haud repugnare videatur. Arntzenius sententiæ convenientius existimarat, si *ἀπὸ κοινοῦ* verbum revocaretur, *mederis erroribus, sed mederis implorantibus,* scil. iis qui talibus erroribus laborabant. *Idem.*

Implorantibus] Cum ipsi, qui emendandi, volunt emendari. Qui festinat, et qui aliter, quid nisi ' intempestivis remediis delicta accendit?' *Lips.*

Implorantibus] Sophocl. in Ajace vs. 582. *οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ θρηνεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι πήματι. Non est sapientis medici, Lamentationes recitare in morbo, qui sectionem desiderat;* vel, ut Plinius loquitur, ' in morbo implorante.' Et forte Plinius ad hoc *τομῶν* respexit; nam ut Prov. xxv. 20. ' Ne cantes carmina cordi pessimo.' Adde Agrippam apud Dion. l. LII. *Bern.*

Ne coëgisse] Ita Agricola apud Tacit. Annal. XII. 54. in Vita Agr. c. 7. cum Britanniæ præsideret, ' rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos, quam fecisse.' Denique quid in tota hac re sit, pulchre Apuleius: ' Neminem proconsulem provincia Africa magis reverita est, minus verita: nullo, nisi tuo anno, ad coërcenda peccata plus pudor valuit quam timor. Nemo te alius pari potestate, sæpius profuit, rarius terruit.' *Lips.*

CAP. XLVII. *Quid?*] Hæc vox, quæ interrogandi et admirandi vim habet, et utilis est ad parandam attentionem, haud raro inseruit transitioni, ut ab eo quod dixit orator, commode digrediatur ad alia. Atque eadem sæpius usus est Plinius ad connectenda argumenta; v. g. II. 7. ' Quid

nos ipsi? divinitatem principis nostri, an humanitatem, . . . celebrare universi solemus?' LVII. 5. 'At illos respublica ciebat: quid? te non eadem respublica, non senatus,' &c. Cf. ad XXXIX. 4. ubi et alia hujus generis exempla annotavimus. Sic vero hæc verba cum Livineio, Grutero, Baunio, Patarolo, et Arntzenio, interpungenda censui; quæ vulgo ab aliis aliter, et hunc quidem in modum interpuncta, leguntur, *Quid vitam? quid mores juventutis? quam principaliter formas?* Schwarz.

Quam principaliter formas] I. e. quam principali, sive principe digna, cura, et sumtu, ac quam convenienter bono principi et patri patriæ, juventutem Romanam educandam instituendamque curas! Qua cura nihil salutarius præstari a principe potest rei publicæ; cum publica salus maximam partem e recta educatione et institutione juventutis dependeat. Alia notio hujus adverbii occurrit apud veteres jureconsultos in Pandectis; ubi identidem per 'primario' aut 'directo' explicandum est. Verbum autem 'formare' proprie significat, formam dare, fingere; deinde transfertur ad alia; v. g. ad 'formandam orationem' apud Cic. de Orat. III. 49. item ad mentes, mores, ingenia, et studia formanda. Horat. Od. III. 24. 53. 'teneræ mentes formandæ studiis.' Quinctil. Instit. Orat. Procem. lib. I. 'Studia ejus formare ab infantia incipiam.' Idem XII. 2. 'Mores præceptis ac ratione formare.' Plinius ipse Epist. IV. 19. 'Me a pueritia statim formare solebas.' *Idem.*

Principaliter] Sive, ut decet principem, sive eximie, et ἐξόχως. Habes hanc curam inter principes. *Lips.*

Dicendi magistris] Rhetoribus. Victor de Trajano: 'Eruditissimos, quamvis ipse parcæ esset scientiæ, moderateque eloquens, diligebat.' Et Dio, Παιδείας μὲν γὰρ ἀκριβοῦς, ὅση ἐν λόγοις, οὐ μετέσχε, τό γε μὴν ἔργον αὐτῆς καὶ ἠπίστατο καὶ ἐποίει. *Doctrinæ accuratæ, quæ in verbis consistit, particeps non fuit; at quæ præcipiuntur, ea et novit, et fecit.* Summa est, summe doctum in literariis artibus non fuisse; at in philosophicis et moralibus, maxime. Quis enim hoc negaverit, qui vel Plutarchum cogitaverit, ejus doctorem? Exstat epistola viri, quam misit ad Trajanum jam recenter principem, digna quæ apud ipsum legatur. *Lips.*

Dicendi magistris] 'Celso statuam poni jussit: poëtas muneribus affecit,' Dio: et Juvenalis de Trajano benigno in doctos viros: 'Solus enim tristes hac tempestate Camænas Respexit.' *Bern.*

Dicendi magistris] Rhetores et philosophos summo habitos honore a Trajano, tradunt Aurel. Victor, et Xiphilinus. Testatur et Juvenal. Sat. VII. 1. 'Et spes et ratio studiorum in Cæsare tantum,' &c. ubi tamen contra aliorum fidem Domitianum intelligi Ascensius vult. *Patarol.*

Quam dignationem] *Quam dignitatem* Livin. sed in margine, *quam dignationem* V. C. Recte. *Rittersh.*

Quam dignationem] *Quam dignitatem.* Verum est *dignationem.* Infra 'tantumque dignationis in ipso honore ponebat,' &c. Eumenius pro Restaur. Scholis: 'Qui honorem literarum hac quoque dignatione cumulavit,' &c. Iterum, 'Singularem eorundem erga literas dignationem in antiqua literarum sede celebremus.' *Livin.*

Quam dignationem] Cellarius et, ante eum, non pauci alii edidere *quam dignitatem.* Sed lectionem nostram non solum jam publicarunt Cuspinianus, Lipsius, Gruterus, Bernegger, Grævius, De la Baune, Hearne, Patarol, Ceva; sed nunc etiam confirmant codices Vaticani, Veneti, Guelpherbytanus, et meus; eandemque in vetere codice repererat Livineius. Sic et Plinius infra LXXVII. 3. 'Tantum dignationis in ipso honore

ponebat.' Hanc ipsam vocem Lambinus, Popma, et alii, etiam ipsi Ciceroni vindicant, ad Attic. l. x. c. 9. 'Nec quidquam, nisi de dignatione, laborat.' Eadem in Livio aliquoties occurrit; v. g. II. 16. VII. 25. x. 7. Sic Sueton. etiam et Tacitus identidem 'dignationem,' pro 'dignitate,' usurparunt. *Schwarz.*

Ut sub te spiritum] Referam huc illa Juvenalis Sat. VII. 'Et spes et ratio studiorum in Cæsare tantum.' Rursum, 'Nemo tamen studiis indignum ferre laborem Cogetur, posthac nectit quicunque canoris Eloquium vocale modis, laurumque momordit.' Veteri interpreti Pithœano, qui ad Neronem pertinere voluit, multis de caussis non assentior. Ipse Plinius Epist. III. 18. 'Mihi hunc honorem habitum putem, an studiis? Studiis male, quæ prope extincta refoventur.' *Livin.*

Ut sub te spiritum] Hanc laudem et alii tribuunt Trajano. Juvenalis, 'Et spes et ratio studiorum in Cæsare tantum.' In Epistolis noster, 'Studiis quæ prope exstincta refoventur.' Argumentum et a viris doctis, quibus ævum illud claruit: et a Bibliotheca Ulpia, quam iis liberaliter struxit, atque instruxit. *Lips.*

Et patriam] Nam exulaverant, ut addit; et Sueton. de Domit. cap. 10. 'Philosophos omnes urbe Italiaque submovit.' *Idem.*

Priorum temporum] 'Sophocles quidam decreto ejecit omnes ab Attica philosophos, et Romani in omnibus eosdem ab urbe expulere, tanquam juventutis corruptores.' Athenæus. Sic 'Antiochus rex, cujuscunque sectæ, regno suo interdixit.' Adde Suet. in Tib. Ner. cap. 52. quos hic taugit. *Bern.*

Priorum temporum] Codex Ms. Parisiensis habet *studia nostra, quæ priorum immanitas, &c.* Addit adeo vocabulo *studia* pronomen *nostra;* quod abest ab omnibus aliis exemplaribus Panegyrici Pliniani; et nunc recte abesse poterat; contra omittit vocem *temporum*, quasi sub voce *priorum*, subaudiri debeat *principum;* cum tamen vocabulum *temporum* omnes ceteri libri agnoscant. Plinius vero, more suo, utitur abstracto pro concreto, et nominat *priorum temporum immanitatem*, ubi simplici oratione, 'immania tempora,' sive 'immanes principes priores,' dicere potuisset. De qua Pliniana loquendi ratione jam supra, ad p. 662. non nihil monui. *Schwarz.*

Exiliis] 'Expedit vobis, neminem videri bonum, quasi aliena virtus exprobratio delictorum vestrorum sit.' Senec. de Vit. Beat. c. 19. 'Virtutem ipsam excindere cupiunt tyranni.' Tacit. Annal. XVI. 90. 'Malus bonum malum esse vult, ut sit sui similis.' Plautinus senex. *Bern.*

Exiliis] De Domitiano Sueton. c. 10. 'Philosophos omnes urbe Italiaque submovit;' tuncque Epictetus Roma Neapolim abiit, teste Gellio, xv. 11. Cujusmodi persecutionis meminit et ipse Plin. Epist. l. III. c. 11. 'Quum essent philosophi ab urbe submoti, fui apud illum in suburbano.' *Patarol.*

Quum sibi vitiorum] Domitianum notat, qui philosophos urbe exegit; vide Satiram Sulpitiæ de temporibus Domitiani. Hunc infra c. 82. 'optimi cujusque spoliatorem et carnificem' vocat, digno et vero elogio. *Rittersh.*

Artes] Vera philosophia, vitiis carere, virtutibus eminere, veritatem inquirere. *Bern.*

Quam reverentia] Ut Tacitus in Agric. c. 20. in eodem Domitiani facto, 'nequid usquam honesti oculis occurreret.' Et qui illud non amant, aut non habent; quomodo has ament, famæ aut infamiæ publicas tubas? *Lips.*

Reverentia] Sic 'Commidia Quadratillum ad studia admonuit; id quod

non amore ejus magis facere, quam reverentia, videbatur.' Plin. Epist. VII. 24. *Bern.*

Reverentia] Quia non tam oderat artes, quam timebat, ne turpitudinem sibi exprobrarent. *Patarol.*

In complexu] Hæc auget codex Parisiensis, addito alio vocabulo, *in sinu, complexu, &c.* at vocabulum *sinu* puto e glossa irrepsisse in contextum. *Schwarz.*

Præstas enim, quæcunque præcipiunt] Hoc illud est, quod Xiphilinus voluit, cum de Trajano scripsit, Παιδείας μὲν ἀκριβοῦς, ὅση ἐν λόγοις, οὐ μετέσχε, τό γε μὴν ἔργον αὐτῆς καὶ ἐπίστατο καὶ ἐποίει. Et observa sis mihi, ἀκριβοῦς· οὐ γὰρ ἦν ἔξω τοῦ δύνασθαι ῥητορεύειν, ὑπὸ δὲ τῆς φιλοποσίας ἀμβλύτερος ἑαυτοῦ πολλάκις ἦν, ait Julianus imperator, Cæsaribus. *Livin.*

Probaris] Nam sermonibus, aut scriptis, honestant et laudant te totum hoc genus. *Lips.*

Admissionum] Officium erat Palatinum, 'Ab admissionibus,' et 'Admissionales,' per quos aditus ad principem erat. Ii sæpe duri, molles mitesque sub miti hoc Trajano. *Id.*

Admissionum tuarum facilitatem] Panegyristes alius de Juliano: 'Nemo gradu pulsus, nemo aditu prohibitus, nulli palatii fores clausæ.' Sic imper. Honor. 'clemens aditu' apud Claudian. Theodosius 'facilis aditu' apud Pacatum. 'Constantini faciles aditus auresque patientissimas' laudat ejus panegyristes. Laudabile est imperatori Gratiano, apud Auson. 'faciles interpellantibus præbere aditus, nec de occupatione excusari.' Adde tamen Tacit. Hist. IV. 65. Val. Max. II. 6. 7. Prudens rex omnibus potius patet, quam nemini; cum recessus sit index vitii. Vide Grut. Discurs. A. 18. et 44. et Sen. Clem. cap. 13. *Bern.*

Admissionum tuarum facilitatem] I. e. quod tam facilem ad te aditum aliis permittas. Hanc virtutem in Miltiade commendavit Nepos, VIII. 4. 'In Miltiade,' inquit, 'erat cum summa humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret.' Ab hoc genere humanitatis etiam Latinus Pacatus, imitator Plinii, XXI. 2. collaudat Theodosium Augustum: 'Creber egressu expectantibus populis te fateris, nec videri modo patiens, sed et facilis adiri, e proximo accipis vota hominum tuorum.' Idem de Juliano prædicat Mamert. XXVI. 4. 'Nemo gradu pulsus, nemo aditu prohibitus, nulli palatii fores clausæ sunt.' Est hæc una ex iis artibus, quibus summum sibi princeps apud suos comparat amorem. Hinc Seneca de Clement. I. 13. 'Princeps sermone affabilis, accessuque facilis, vultu, qui maxime populos demeretur, amabilis, æquis desideriis propensus, et iniquis acerbus, a tota civitate amatur, defenditur, colitur.' Unde et Octavianus Augustus, teste Sueton. c. 53. 'promiscuis salutationibus admittebat et plebem, tanta comitate adeuntium desideria excipiens, ut quendam joco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem.' Ab hujusmodi facilitate etiam Cic. commendavit Pompeium, pro lege Manil. c. 14. 'Jam vero,' inquit, 'ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis, esse dicuntur, ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur.' Contra vero quidam principes constituerant quasi certos gradus amicorum et clientum, quos admitterent; qui ex ordine, quo admittebantur, dicti sunt, 'amici primæ, secundæ, tertiæ admissionis.' Quem sui ævi morem vituperat Seneca de Benef. VI. 33. 'Non sunt isti amici,' inquit, 'qui agmine magno januam pulsant, qui in primas et secundas admissiones digeruntur. Consuetudo ista vetus est regibus, regesque simu-

lantibus populum amicorum describere. Est proprium superbiæ, magno æstimare introitum ac tactum sui liminis, pro honore dare, ut ostio suo propius assideas, ut gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludunt.' Laudi autem vertitur Alexandro Severo, a Lampridio, c. 20. quod 'moderationis tantæ fuerit, ut nemo unquam ab ejus latere submoveretur; ut omnibus se blandum affabilemque præberet; ut amicos non solum primi ac secundi loci, sed etiam inferiores, ægrotantes viseret.' Ab hoc more, inter officia palatina, sive aulica, manarunt, 'officium admissionis,' 'admissionales,' 'magister admissionum,' 'admissionum proximi.' De quibus jam plura annotarunt Lipsius ad Tacit. Annal. VI. 9. Pignorius de Servis, pag. 231. Gutherius de Offic. Domus Augustæ, III. 11. Bulenger de Imperatore Rom. II. 22. *Schwarz.*

Ante vos] Recte, et consentientibus plurimis codicibus Mss. ita editum est, *ante vos*, i. e. ante Nervam, et ante te, Trajane. Vitiose scriptum est in codice Salisburgensi, *ante nos.* Nec probo pronomen demonstrativum *hos*, quod legitur in libro Vossiano, excusisque exemplaribus Puteolani, Beroaldi, Aldi, Cuspiniani, Rhenani, Philomusi, Stephanorum, Gryphii, Sichardi, Livineii, Boxhornii. Sic et mendose codex Guelpherbytanus pro voce *arcem*, refert *artem*; et pro verbo *inscripserat*, *transcripserat.* 'Ædes' vero 'publicæ' ex vetere instituto erant 'ædes populi Romani.' Quia vero pontifex maximus, quod jam Lipsius observavit, in ejusmodi publico domicilio habitare debebat; hinc etiam jam Augustus, cum pontificis maximi munus suscepisset, palatium publicavit; deinde iterum Nerva inscripsit 'ædes publicas.' Ab hoc autem alia significatione palatium publicarum ædium nomine inscriptum esse, ingeniose innuit Plinius; nempe, quia in eo patuerit omnibus aditus ad principem. *Idem.*

Ante vos principes] *Ante hos principes.* Sed *ante vos principes* V. id est, te et Nervam. *Livin.*

Ante vos] Te et Nervam. Sententia est: Palatium hoc antea arx quædam et velut regia, sub vobis facta est communis quædam domus, atque adeo a Nerva sic inscripta. *Lips.*

Arcem] Palatium in modum arcis munitum a malis principibus; vel, quia vitæ suæ timerent; vel ne privati accederent, quos omnes oderant, et a palatio suo quasi 'arcebant.' *Patarol.*

Publicarum ædium] Factum Nervæ caussam etiam aliam habuit (immo primitus aliam) ab hac, quam orator tangit. Nam principes Romani, quatenus pontifices maximi, in publico habitare debebant. Dio in Augusto notat, lib. LV. 'cum domum ædificasset, totam eam publicasse, quod pontifex max. esset.' Ipsum hoc dicit, lib. LIV. post Lepidi mortem: vide. Facit huc, quod in Dionis M. Antonino est: Ἡμεῖς γὰρ, ἔφη πρὸς τὴν βουλὴν, λέγων, οὕτως οὐδὲν ἴδιον ἔχομεν, ὥστε καὶ ἐν τῇ ὑμετέρᾳ οἰκίᾳ οἰκοῦμεν. *Nos, inquit Antoninus ad senatum, adeo nihil proprii habemus, ut etiam in vestris ædibus habitemus.* Ergo palatium jam ab Augusto publicum; et iterum fecit scripsitque Nerva. *Lips.*

Quamque omnia] In excusis exemplaribus Puteolani, Aldi, Cuspiniani, Gryphii, Cratandri, Boxhornii, Cellarii, legebamus *quamquam omnia.* Sed codices Mss. aliæque editiones comprobant lectionem a nobis receptam. *Schwarz.*

Non alius] I. e. tanquam tu ipse inscripseris, non pater tuus, nomen 'publicarum ædium' domui imperatoris. *Patarol.*

Tanquam non alius] Ipse tu, non Nerva; adeo elogium hoc verum præstas. *Lips.*

Nullæ obices] 'Obex' proprie dicitur pessulus, et repagulum; deinde quodvis obstaculum, ab 'objiciendo;' quia foribus objicitur, ad alios excludendos. Inde poëtæ, ad producendam primam syllabam, in casibus obliquis scribunt 'objice,' et 'objicibus.' Vide Gell. IV. 17. Notum autem est, hoc nomen esse generis communis; Servio tamen judice ad Virgil. Georg. IV. 422. melius 'hic,' quam 'hæc obex,' dicimus. Observant etiam alii, poëtas frequentius feminino quam masculino genere hujus nominis uti. Unde et Arntzenius, scripturam libri Vossiani, et codicis Guelpherbytani, secutus, hoc in loco reposuit *nulli obices*. Quibus et quorundam codicum Vaticanorum auctoritas accedit. Ceteri autem codices Mss. omnes, et libri excusi, quos consului, proferunt vulgatam lectionem; quæ, si mearum quidem aurium judicium audiam, utique commodius sonare videtur, quam *nulli obices, nulli contumeliarum gradus*. Neque orator noster aliquando nimis alienus est a dictione poëtica. Cf. si lubet, doctiss. Drackenb. ad Sil. Ital. XIII. 252. et Heinsium ad Prudentii Hymn. Cathem. IX. 74. *Schwarz.*

Nulli contumeliarum gradus] Codex meus, pro voce *nulli*, habet in numero singulari *nullus*. Cum vero, quod sub proxima ostendi, gradus certi amicorum clientumque statuerentur, iis omnino contumeliosum videri poterat, qui a superbis admissionalibus, et ministris ad fores, rejicerentur ad gradus inferiores, aut prorsus limine submoverentur: cujusmodi contumeliis nullus dabatur locus in palatio Trajani. *Idem.*

Contumeliarum gradus] Ut alii primo ostio admitterentur, interioribus excluderentur; alii, nec primo. Sive, quod ægre et superbe excepti a janitoribus, iterum iterumque, ut plura erant limina, has contumelias subeundæ. *Lips.*

Superatisque] In particulis copulantibus, *et*, *ac*, *atque*, *que*, interdum simul latere vim negandi, repetendam ἀπὸ κοινοῦ, ex antecedente voce negante; id in Excurs. XXXVIII. ad XXXVI. 1. per plura exempla demonstravi. Itaque et hoc in loco, particula *que* ex proximis verbis negantibus suspensam vim negandi repetit, ut hunc in modum explicari debeat: *nullæ obices, nulli contumeliarum gradus; superatisque* [i. e. neque superatis] *jam mille liminibus, ultra semper aliqua dura* sunt *et obstantia.* Ita Plinius etiam in proximis verbis hujus capitis loquitur: 'Non Capitolium, ipsaque [i. e. neque ipsa] illa adoptionis tuæ sedes, magis publica, magis omnium.' Similiter locutus est supra XXXVI. 1. 'Nunc templum illud, nunc vere ædes; non spoliarium civium, cruentarumque [i. e. nec cruentarum] prædarum sævum receptaculum, ac [i. e. nec] toto in orbe terrarum adhuc locus unus, in quo, optimo principe, boni malis impares essent.' Adhæc idem, XXXV. 3. 'Neque, ut antea, exsanguem illam et ferream frontem necquidquam convulnerandam præbeant punctis, et [i. e. neque] notas suas rideant.' Cf. infra XLIX. 6. Eadem loquendi ratio alias etiam bonis scriptoribus est communis; v. g. Virgil. Æn. IV. 227. 'Non illum nobis genetrix pulcherrima talem Promisit, Graiumque [i. e. neque Graiorum] ideo bis vindicat armis.' Et vs. 236. 'Nec prolem Ausoniam, et [i. e. nec] Lavinia respicit arva.' Horat. Epod. XVI. 8. 'Nec fera cœrulea domuit Germania pube, Parentibusque [i. e. nec parentibus] abominatus Hannibal.' Gratius Faliscus Cyneg. vs. 308. 'Nec luxus alios, avidæque [i. e. neque avidæ] impendia vitæ Noscant.' *Schwarz.*

Mille liminibus] Sicut Drackenb. ad Sil. I. 66. et IV. 105. observavit, in scriptis codicibus haud raro inter se commutari 'limen,' 'lumen,' et 'li-

mes;' ita et hic pro *liminibus*, codex Vaticanus 3461. babet *limitibus*, codex Vaticanus 1776. et Parisiensis *luminibus*. Sed locum suum recte tuetur lectio vulgata, quam etiam ceteri codices scripti confirmant. 'Limen' proprie dicitur pars januæ, sive trabs superior ostii, et inferior. Quod nomen Festus a 'limo' deducit. 'Limus,' inquit, 'obliquus, id est, transversus; unde et limina.' Et Donatus in Terentii Eun. III. 5. 53. 'Limis est transversus; unde limen dicitur quoque, quod ingredientibus exeuntibusque transversum est.' Deinde 'limen' per συνεκδοχὴν, uti hoc loco, dicitur pro janua, ostio, foribus; immo aliquando etiam pro tota domo. Virgil. Georg. II. 504. 'Penetrant aulas et limina regum.' Quam difficilis aliquando fuerit clientibus aditus ad divites, et inprimis ad principes superbos, etiam tum, cum his matutinæ salutationis officium præstaturi essent, (cum et principibus solennes salutationes ferrentur, teste Tacito Annal. II. 22.) indicat cumprimis Seneca de Brevitate Vitæ, c. 14. 'Isti qui per officia discursant, qui se aliosque inquietant, cum bene insanierint, cum omnium limina quotidie perambulaverint, nec ullas apertas fores præterierint; cum per diversas domos meritoriam salutationem circumtulerint; quotumquemque ex tam immensa, et variis cupiditatibus districta, urbe poterunt videre? quam multi erunt, quorum illos, aut somnus, aut luxuria, aut humanitas submoveat? quam multi, qui illos, cum diu torserint, simulata festinatione transcurrant? quam multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt, et per obscuros ædium aditus profugient? quasi non inhumanius sit decipere, quam excludere. Quam multi, hesterna crapula semisomnes et graves, illis miseris somnum suum rumpentibus, ut alienum expectent, vix allevatis labiis insusurratum millies nomen oscitatione superbissima reddent.' Ὑπερβολὴ vero est superans fidem, quando Plinius dixit, 'mille limina,' vel ostia, superari et penetrari oportuisse, antequam principes quidam adiri potuerint; ubi Seneca de Benefic. VI. 33. moderatius ait, si quis 'gradum intra domum posuerit, deinceps multa fuisse ostia, quæ receptos quoque excluserint.' *Idem.*

Mille liminibus] Satis hoc laxum, de *mille liminibus;* sed oratoria nempe, an poëtica superlatione. Tamen multa hæc ostia, ex more, divitibus. Seneca de Benef. VI. 33. 'Ut gradum intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludunt,' de ipsis istis salutationibus. *Lips.*

Juxta te] Pronomen *te* hic prætermittunt Puteolanus, Catanæus, Aldus, Junta, Rhenanus, Philomusus, uterque Stephanus, Plantinus, Elzevirii, Berneggerus, Grævius, Ceva, Gesnerus, Arntzenius. Potuisset hæc vocula præteriri, et facile repeti ex antecedentibus; sed anaphora hoc loco repetita, nescio quomodo, gratior accidit auribus: adhæc in eandem voculam omnes scripti codices, et alii, si a citatis discesseris, libri excusi, consentiunt. *Schwarz.*

Tantum ubique silentium] O pulchre! et hoc nomine barbara illa Turcarum natio laudanda, quibus in sua Porta, inter mille Janitzaros, aliumque confluxum, silentium est pæne solitudinis. *Lips.*

Tam altus pudor] Codices quidam Vaticani, et Guelphicus, habent *tantus pudor.* Sed nihil est mutandum. Equidem, 'silentium' utplurimum vocatur 'altum;' attamen et ingens *pudor* recte dici potest *altus;* uti Tacito Annal. XVI. 29. dicitur 'novus et altior pavor;' et Petronio c. 128. 'timor altus,' qui penitus insedit. *Schwarz.*

Exempla referantur] Sic legimus in excusis plurimisque scriptis. Codex

meus habet *exemplar referatur.* Parisiensis, Salisburgensis, et Venetus 2. itemque editio Græviana, mendose produnt *exemplar referantur;* ubi tamen ipsum verbum in numero multitudinis positum indicio esse potest, *exempla*, non *exemplar*, scribi debuisse. *Idem.*

Modestiæ et tranquillitatis] *Modestiæ, tranquillitatis* Livin. in textu; sed in margine, *modestiæ et tranquillitatis* V.C.G.R.

CAP. XLVIII. *Ut excipis*] *Ut* est hoc loco particula admirantis, i. e. quomodo, seu, quam comiter, excipis adventantes! *Ut expectas*, i. e. quam æquo animo, et quam patienter expectas adituros, ut non necesse habeant, quasi in puncto temporis advolare! Cum contra Domitianus senatores cogeret festinare, teste Juvenale Sat. IV. 145. 'Quos Albanam dux magnus in arcem Traxerat attonitos, et festinare coactos.' Frequenter, in admiratione exprimenda, particula *ut* etiam ipse Cicero utitur; v. g. pro Milone c. 24. 'Ut contempsit! Ut pro nihilo putavit!' Sic Plinius noster alibi; v. g. Epist. V. 16. 3. 'Ut illa patris cervicibus inhærebat! ut nos amicos paternos et amanter et modeste complectebatur! ut nutrices et pædagogos, ut præceptores, pro suo quemque officio, diligebat! Quam studiose, quam diligenter, lectitabat!' Et supra XXXIII. 5. 'Ut plena altaribus, angusta victimis, cuncta!' Item XLVII. 1. 'Ut sub te spiritum et sanguinem, et patriam, receperunt studia!' *Schwarz.*

Ut expectas] Non excipis solum comiter, sed in limine velut obvium te das, aut certe invitas, et vacuum te ostentas. *Lips.*

Quasi per otium] Vulgando te, audiendo, alloquendo, ut solent feriati. *Idem.*

Non, ut alias, attoniti] *Non alii et attoniti* V. C. *Livin.*

Non, ut alias, attoniti] Ante, sub malis principibus. Sed quidam libri, *non alii et attoniti*, quod magis probo. Id est, non colore vultuque alio, et a prioribus demutantes: ut est facies metus. *Lips.*

Ut alias] I. e. ut antea, sub malis imperatoribus, quemadmodum hæc Catanæus et Lipsius interpretantur. Supra XXXV. 3. 'Neque, ut antea, exsanguem illam et ferream frontem nec quidquam convulnerandam præbeant punctis.' Lipsius nihilo minus tamen magis probat eam scripturam, quam in codice Parisiensi, Veneto 1. et 2. Salisburgensi, nostro, et libro Vossiano, item et in margine editionum Livineii et Gryphii, deprehendimus, *ut alii, et attoniti;* quam idem Lipsius ita interpretatur, 'Itaque non colore, vultuque alio, et a prioribus demutantes, ut est facies metus.' Alii codices Mss. hæc verba non sine mendo exhibent; v. g. Vat. 3461. *Atque nos alii, nec attoniti.* Vat. 1475. *Itaque non alii, nec attoniti.* Guelpherbytanus *Itaque nos alii, nec attoniti.* In antiquioribus editionibus Puteolani, Beroaldi, et Philomusi, hæc legimus, *Itaque non alii, ut attoniti.* Sed vulgata lectio et simplicior est, et planior, neque aliena a more Plinii, qui fere per totum Panegyricum Trajani tempora cum temporibus Domitiani, aliorumque malorum principum, comparat. *Schwarz.*

Ut alias] Sub Domitiano, cujus temporum acerbitatem egregie describit Juvenal. Sat. IV. *Patarol.*

Udituri tarditate] I. e. nec, propter tarditatem, si nempe tarde veniamus, udituri periculum capitis. Mirum est, cur Lipsius pro *tarditate*, lubentius admittere voluerit *tardi ad te;* i. e. non cunctanter et trepide, sed hilares et securi. Etiam Heumannus, pro *tarditate*, legere maluit *tardiores*, secundum illud Virgil. Ecl. X. 19. 'tardi venere bubulci.' Verum plana est sententia vulgatæ lectionis, cui adstipulator omnium scriptorum impressorumque librorum auctoritas. Ait vero Plinius: Trajano imperante,

cives non, ut alias, sive alio tempore, scilicet sub malis principibus, trepidos et attonitos, nec tarditatis caussa, si quando tardiores veniant ad salutandum principem, in periculum capitis incursuros; sed securos et hilares, ac, cum commodum sit, Cæsarem adire posse. Sic omnia sana ac perspicua sunt, neque indigent medica manu. Recte ergo Baudius de tentata horum verborum mutatione, 'Quid opus fuit,' inquit, 'convellere sententiam optime positam? Non est ea medicina, cum sanæ parti corporis atque integræ scalpellum adhibetur: carnificina est ista et crudelitas.' In sequentibus verbis, *Et, admittente principe,* particula *et* pro *etiam* ponitur. *Schwarz.*

Periculum capitis adituri tarditate] Hæc videlicet Pegaso caussa properandi apud Juvenal. Sat. IV. 'Rapta properabat abolla Pegasus, attonitæ positus modo villicus Urbi.' *Livin.*

Tarditate] Quasi periclitaturi, si tarde veniremus. Ideo Satiricus, 'rapta properabat abolla Pegasus.' Sic explicant: at mihi rescribi placeat *tarde ad te.* Non, inquit, trepide et cunctanter te adimus, sed hilares et securi, quia libet, et cum libet. *Lips.*

Tarditate] Quod rescribi placet, *tarde ad te,* displicet, si cogito sequentia, 'cum commodum est,' item, 'interdum est aliquid.' *Bern.*

Convenimus] Tacitus Germ. c. 11. idem ex libertate vitium refert. 'Non simul,' inquit, 'nec jussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione absumitur.' *Bern.*

Tibi] Ipse tu excusationem nostram apud te exples. *Patarol.*

Nec unquam excusandi] Acuta et vera lectio, quam V. repræsentat, *nec unquam magis excusandi.* Scilicet, 'quam cum a te absumus, atque excusamur tibi.' *Livin.*

Sibi quemque] Non tua caussa, nec ut velut officium præstemus; sed in nostram voluptatem, et ut te fruamur. *Lips.*

Sibi quemque præstare] Ἔμφασις latet in pronomine *sibi,* qui est dativus commodi, et acquisitionem significat; quasi dicat Plinius: Scis, non tuo honori, tuoque commodo, aliquid accedere; sed quemque sibi, id est, suo commodo, suo honori, suique animi voluptati, præstare, quod te videat frequentetque. Sic loquitur Plinius etiam alibi; v. g. Epist. II. 10. 'Parum providum est sperare ex aliis, quod tibi ipse non præstes.' Item infra, in hoc Paneg. LVIII. 1. 'His te confero, quos certum est, quoties consules fuerunt, non sibi præstitisse:' et LXVIII. 5. 'Nemo hoc sibi non præstat: amamus quidem te, in quantum mereris; istud tamen non tui facimus amore, sed nostri.' Sic et crebro loquitur Cic. v. g. in Lælio, c. 3. 'Factus est iterum consul, sibi suo tempore, reipublicæ pæne sero.' Similiter et dativus incommodi exprimitur. Cic. Fam. II. 18. 'Si quid offendet, sibi totum, nihil tibi, offenderet.' Et Plautus Captiv. IV. 2. 86. 'Mihi quidem esurio, non tibi.' Pertinet huc etiam illud Plauti Epid. II. 2. 80. 'Mihi istic nec seritur nec metitur,' i. e. ista res nihil ad me pertinet, ut quæ neque meo fiat periculo neque emolumento. Idem Merc. I. 1. 71. 'Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis.' Cf. Perizon. ad Sanctii Minerv. II. 4. pag. 194. *Schwarz.*

Quod te frequentet] Pronomen *te* non extat in cod. Vatican. Parisiensi, et meo. Afuit etiam ex codice Salisburgensi; cui vero ab alia manu deinceps est adscriptum. In sequentibus verbis, *ac tanto liberalius ac diutius, &c.* cum particula *ac* statim sine figura repetatur, Vaticani codices eam priore in loco cum *et* non male commutatam exhibent. *Idem.*

Salutationes tuas] Non hic intelligendus ritus ille, quo honoris caussa

invicem se salutabant, qui in via sibi forte obvenirent; sed potius ejus generis 'salutatio,' quam amici clientesque faciebant, qui primo mane in ædes honoratiorum veniebant, eos 'salvere' jubentes, eisque officia sua et studia, si quibus opus esset, offerentes. In vestibulis et atriis subsistebant, qui venerant ad patronum salutandum, priusquam in domum intromitterentur, teste Gellio, XVI. 5. et Seneca de Benefic. VI. 33. et 34. Erant deinde peculiaria conclavia, sive loca ædium, quæ a Plin. XV. 11. dicuntur 'cubicula salutatoria,' in quibus patronum e dormitorio prodeuntem salutarunt. Immo et horum cubiculorum in ædibus hominum opulentorum non unum fuit genus. Honoratiores salutatores in cubiculum interius admittebantur; paullo plures in cubicula atrio propiora; plurimi in ipso atrio substitere. Formula solennis erat, 'ave!' Qua de re disseruimus in Dissert. de Assectatione Veterum Romanorum. Quod matutinæ et publicæ salutationis officium non tantum florente republica in usu fuit; sed etiam sub imperatoribus continuatum, et his ipsis magna frequentia et ambitione præstitum est. Sic Octavius Augustus, teste Sueton. Aug. c. 53. 'promiscuis salutationibus admisit et plebem.' Idem Sueton. Vesp. c. 21. narrat, hunc imperatorem, 'dum salutabatur,' ipsum se calceasse et amicivisse; et, c. 4. eundem, cum adhuc privatus esset, a Nerone 'publica salutatione,' quæ scilicet in turba, atque inter ceteros, fieret, esse prohibitum. In Galba, c. 17. refert, Galbam repente 'e media salutantium turba' Pisonem Frugi apprehendisse, filiumque appellasse. In Claud. c. 35. tradit, imperatorem 'salutatoribus' scrutatores semper apposuisse, et quidem omnibus, et acerbissimos; qui nempe perscrutarentur salutatores, an arma vestibus tecta haberent. Unde, secundum Tacit. Annal. XI. 22. Claudius Cn. Novium, equitem Romanum, cum hic ferro accinctus reperiretur, 'in cœtu salutantium principem,' tormentis dilaniari jussit. Quam vero scrutandi consuetudinem Fl. Vespasianus omisit, quod in hujus Vita, c. 12. commemorat Suetonius. Sic haud ægre intelligimus, quemadmodum atrocium principum salutationes fuga et vastitas sequi potuerit, si saltem in mentem revocemus exemplum Vitellii, qui quendam 'in ipsa salutatione' supplicio traditum coram interfici jussit, velle se dicens pascere oculos; quod apud Sueton. legimus in Vitell. c. 14. *Idem.*

Salutationes tuas] Illas solennes et matutinas, quas et principi ferebant. Tacit. Ann. II. 22. 1. 'Cn. Novius, in cœtu salutantium principem.' *Lipsius.*

Fuga et vastitas] Quia jussi statim recedere, nec subsistere ibi fas, aut morari. *Idem.*

Fuga et vastitas] Post matutinas salutationes non a te fugimus, ut olim sub Tiberio et Domitiano. Vide Dionem et Sueton. *Patarol.*

Remoramur, resistimus] Uti verbum simplex 'moror,' ita et compositum 'remoror' ad verba abundantia pertinet, quæ in eadem forma, modo active, modo neutraliter, uti grammatici loquuntur, usurpari solent. Active dicitur verbum 'remoror,' pro 'detineo,' 'retardo;' neutraliter, pro 'maneo,' 'commoror,' 'cunctor.' Ut plura utriusque notionis exempla, passim obvia, prætermittam, unicam Plauti Casinam nunc excitare libet. Ibi, III. 5. 65. active dicitur, 'Eo nunc jam, nisi quippiam remorare me.' At neutraliter, IV. 3. 7. 'Quid illa nunc tamdiu intus remoratur?' De verbo autem 'resistere,' pro 'consistere,' 'perstare,' jam supra, ad p. 478. non nihil dixi. *Schwarz.*

Illa immanissima bellua] Pronomen *illa* in multis libris desideratur. At

illud tuentur codices Vaticani, Veneti, Guelpherbytanus, meus, et libri excusi Puteolani, Cuspiniani, Philomusi, Gryphii, Sichardi, Gruteri, Puteani, Baunii, Pataroli, Cevæ. Et certe Plinius quasi δεικτικῶς Domitianum respexisse videtur, quem toto hoc loco cum bellua sæviente comparat. Ad hunc modum loquitur etiam Seneca de Clement. I. 3. cujus locum, jam a Lipsio aliisque annotatum, non possum quin jam repetam, 'Quo procedente principe, non, tanquam malum aliquod, aut noxium animal prosilierit, diffugiunt.' *Idem.*

Nuper illa] Domitianus. *Patarol.*

Illa immanissima bellua] *Immanissima bellua* Livin. in textu; sed in margine, *illa immanissima bellua* V. C. G. R.

Bellua] Seneca de Clem. I. 3. 'Non, tamquam malum aliquod, aut noxium animal, e cubili prosilierit, diffugiunt.' *Lips.*

Specu inclusa] Tacitus de illo pulchro ac decenti monstro in Agric. c. 39. et 45. 'Quod sævæ cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus: et sævus ille vultus, et rubor, quo se contra pudorem muniebat.' Adde Hist. IV. 40. *Bern.*

Propinquorum] Nam Flavius Clementem et Arretinum, patrueles suos, occidit. Sueton. Domit. c. 10. et 15. *Lips.*

Propinquorum] De Domitiano Eutropius sub finem lib. VII. 'Consobrinos suos interfecit.' Fuerunt autem illi, Fabius Clemens, et Flavius Sabinus. De illo Dio; de isto Sueton. cap. 9. Nec caruit suspicione, tanquam et fratri Tito exitum maturaverit. Innuit Suetonius in Tito, cap. 9. sed apertius Dio de Tito, 'fama est, fratrem mortem ei attulisse.' Firmius Suida de Domitiano, 'Invidens fratri, veneno eum tollit.' *Patarol.*

Sanguinem lamberet] Scilicet, ut fera tigris. Catanæus. Seneca Herc. Fur. vs. 97. 'Veniat invisum Scelus, suumque lambens sanguinem Impietas ferox!' *Schwarz.*

Clarissimorum] Juvenalis, Sat. IV. 'Tempora sævitiæ, claras quibus abstulit urbi Illustresque animas impune, et vindice nullo.' *Bern.*

Civium] Nimirum, Civicæ Cerealis, Salvidieni Orfiti, Acilii Glabrionis, ceterorumque, quos referunt auctores citati. *Patarol.*

Obversabantur] Male editio Gryphii anni 1551. et aliæ quædam reposuerunt *Observabantur.* Idem error in Panegyr. Pacati statim in princ. ibi 'observarique dicturo.' *Juret.*

Obversabantur foribus] In Jod. Badi Ascensii editione an. 1533. legitur *observabantur foribus.* Sed confusio horum verborum, 'obversari' et 'observari,' ex oscitantia librariorum frequens occurrit in codicibus Mss. Et hanc variationem jam etiam observavit Juretus in editione Gryphii an. 1551. *Schwarz.*

Admissis et exclusis] Quos enim blandiore vultu admiserat, nihil minus timebant, quam qui a superbis ejus satellitibus exclusi fuerant. Erat enim perfide et subdole crudelis. Sic Clementem et Arretinum amicissime, ut videbatur, in palatium accersitos, morte per summam perfidiam postero die damnavit. Jac. De la Baune. Metuebant hinc utrique; et admissi, ne verbo aut gestu offenderent; et exclusi, ne jam antea offendissent. *Id.*

Ad hæc] *Ad hoc* V. *Livin.*

Ad hæc] I. e. præterea. Codices Vaticani, Parisiensis, Venetus uterque, et Guelpherbytanus, habent *ad hoc.* Sed et pro *occursu,* Vaticani et Guelpherbytanus habent *concursu*; quam vero posteriorem lectionem negligentiæ librariorum imputo. *Schwarz.*

Visuque terribilis] Tacitus in Agric. c. 45. 'Cum tot hominum palloribus denotandis sufficeret sævus ille vultus.' *Lips.*

Superbia in fronte] Infra, 'Juvabat illidere solo superbissimos vultus.' De impudentia quidem in ore abire in diversum Suetonius videtur, cum hæc refert cap. 18. 'Commendari se verecundia oris adeo sentiebat, ut apud senatum sic quondam jactaverit, 'Usque adhuc certe animum meum probastis, et vultum.'' Sed et Tacitus extrema Julii Agricolæ Vita scriptum reliquit, 'Præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre et aspici, cum suspiria nostra subscriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus, et rubor, a quo se contra ruborem muniebat.' *Livin.*

Ira in oculis] Nihil Suetonius, tantum c. 18. princ. 'grandibus oculis' fuisse. *Lips.*

In ore impudentia] Tacitus in Agric. cap. 45. 'Rubor, quo se contra pudorem muniebat.' Apparebat igitur verecundus, non erat. *Idem.*

In ore impudentia multo rubore suffusa] Quomodo? an non potius ruborem detrivisse, et nescire erubescere impudentes, dicimus? et contra. An non 'tantum sanguinis in ore, quantum in animo pudoris?' Ut idem infra verissime dicet Plinius. Legendum igitur, *nullo rubore suff.* Rittersh.

In ore impudentia multo rubore suffusa] Nihil est mutandum; nam de *rubore* testatur expresse Sueton. in Vita ejus, cap. 48. 'Statura fuit procera, vultu modesto, ruborisque pleno:' et interpretatur Tacit. in Vita Agricolæ c. 45. 'Præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre et adspici, cum suspiria nostra subscriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus, et rubor, a quo se contra pudorem muniebat.' Ad quem locum consulatur Lipsius. *Grut.*

Multo rubore] Sen. Epist. 2. 'Quidam nunquam magis timendi, quam cum erubuerint, quasi omnem verecundiam effuderint.' *Bern.*

Multo rubore suffusa] Rittershusius voluit reponere *nullo rubore suffusa*; Behrius, Gedanensis, *frustra rubore suffusa.* Hi enim putarunt, 'ruborem' potius pudoris et modestiæ, quam impudentiæ, esse indicium. Et sane, 'rubor,' in adolescentibus cum primis ingenuis verecundiæ signum habetur; unde, referente Plutarcho in libello de Pudore Vitioso, Cato Major eos magis probavit adolescentes, qui erubescerent, quam qui pallescerent. Et Plinius noster, ubi commendat Acilianum egregium juvenem, Epist. I. 14. 'Est illi,' inquit, 'facies liberalis, multo rubore suffusa.' Etiam Seneca Epist. VI. laudatus amicum bonæ indolis, 'Ubi se collegit,' inquit, 'verecundiam, bonum in adolescente signum, vix potuit excutere; adeo illi ex alto suffusus rubor.' Nihilo minus 'rubor' non semper, nec solius pudoris et modestiæ, sed aliquando etiam iræ, libidinis, aut vinolentiæ, signum est. Unde Seneca in eadem epistola: 'Quidam nunquam magis, quam cum erubuerint, timendi sunt; quasi omnem verecundiam effuderint. Sulla tunc erat violentissimus, cum faciem ejus sanguis invaserat.' Et Tacit. in Agric. cap. 45. omnium optime hunc Plinii locum explicat, ubi ait, Domitianum 'a rubore se contra pudorem munivisse.' Bene ergo de his Plinii et Taciti locis Virdungus noster ad Vitam Agricolæ commentatus: 'Utroque dicto,' inquit, 'significatur, ruborem vultus, qui solet in aliis esse verecundiæ argumentum, notam in Domitiano impudentiæ fuisse; et, quamvis ruberet vultu sævo, nullius tamen ipsum sceleris, vel flagitii, puduisse: immo tunc ipsum vel maxime omnem verecundiam effundere solitum, cum maxime vultum rubor occuparet.' Itaque dudum Gruterus contra Rittershusium bene monuit, nihil in hoc loco Plinii esse mutan-

dum. Ceterum, in describendo Domitiano, Plinius pulcherrimum διατυπώσεως exemplum dedit. *Schwarz.*

Tenebras semper secretumque captantem] Adi eundem Sueton. cap. 3. *Livin.*

Secretumque] Quotidie horarium, ut Sueton. c. 3. scribit, etsi male ibi distinctum, quasi 'inter initia principatus' tantum. Ille vero assidue hoc fecit: et ea verba ad superius caput ac periodum pertinent, de Tito. Qui legis, attende; sed auscultare me vetat sequentis ibi periodi initium, deinde attende. *Bern.*

Secretumque captantem] Latinus Pacat. Panegyr. xxi. 3. 'At quam aliis illorum principum mos fuit, (quos loquar notum est,) qui majestatem regiam imminui et vulgari putabant, nisi eos intra repositum Palatinæ ædis inclusos, tanquam aliquod vestale secretum, veneratio occulta consuluisset; nisi intra domesticam umbram jacentes, solitudo provisa, et silentia late conciliata, vallassent.' Signum utique fuit, scelerati maleque sibi conscii, et ideo timentis, principis, tenebras semper et secretum captare. *Schwarz.*

Solitudinem] Occidendo, pellendo; nam ad sævitiam exercendam prodibat. Non displiceat tamen *solicitudinem* legi, apta allusione, et sententia veriore. *Lips.*

Solitudinem] Magis ad acumen Plinianum videtur Berneggero *solitudinem*. Nam *solicitudinem* Domitianus semper faciebat, etiam absens, etiam in solitudine inclusus; *solitudinem* vero non semper. *Frischm.*

Solitudinem faceret] Nempe strage et cæde immani. Lipsius, pro voce *solitudinem*, maluit legere *solicitudinem*; sed neque idonea quadam ratione, neque ullius libri suffragio nixus: quamvis jam Freinshemius ad Curt. VII. 3. 12. VII. 7. 29. et IX. 8. 25. observarit, hæc nomina, 'solitudo' et 'solicitudo,' sæpe confundi. Idem Curt. IX. 2. 24. 'Postquam solitudinem in Asia vincendo fecistis,' Tacitus Agric. cap. 30. 'Ubi solitudinem faciunt, pacem appellant.' *Schwarz.*

CAP. XLIX. *Parietibus*] Quos enim 'phengite lapide distinxit, ut, quidquid a tergo fieret, pervideret,' insidiarum metu: Sueton. c. 14. *Lips.*

Dolum secum] Insidiatores ipsos domesticos, et e cubiculo. *Idem.*

Insidias] Quamvis enim maxima se solicitudine tueretur, ut videre est apud Sueton. in Domit. c. 14. custoditum tamen cubiculum ingressi per dolum sunt ejusdem interfectores, Stephanus, Clodianus, Maximus, et Saturius. Idem. c. 17. *Patarol.*

Ultorem scelerum] 'Bona conscientia turbam advocat; mala etiam in solitudine anxia atque sollicita est.' Senec. Epist. 43. 'Bona conscientia prodire vult, et conspici; ipsas nequitia tenebras timet.' Epist. 47. Ad. de Ben. IV. 17. Tertull. in Apologet. c. 7. *Bern.*

Custodias pœna] 'Custodiæ' hic latius dici videntur; cum pro locis, quibus aliqui inclusi custodiuntur, ut apud Cic. Verr. v. 55. 'In has custodias (loquitur de lautumiis) tantum numerum civium Romanorum includere ausus;' tum pro hominibus custodibus, qui res certas, vel loca, vel alios homines custodiunt; ut apud Aurel. Vict. de Viris Illustr. cap. 26. 'Ipse intempesta nocte per medias custodias, somno oppressas, incolumis evasit.' Jam, si in hoc Plinii loco verbum *dimovit* consideremus, 'custodiæ' homines custodientes denotare videntur; quia dimovetur turba custodum et satellitum, ut apud Tacit. Hist. III. 80. 'Occiditur proximus lictor, dimovere turbam ausus.' Sin respiciamus verbum *perfregit*, *custodias* magis ad loca, quibus ipse se incluserat Domitianus, referas; quia parietes et fores palatii proprie 'perfringi' dicuntur. Sic Lucan. III.

343. 'Et vi perfringere portas.' Tacit. Hist. IV. 1. 'Nihil usquam secretum aut clausum sinebant, Vitellianos occultari simulantes. Initium id perfringendarum domuum.' *Pœna* autem, quod hic recte observavit Gesnerus, est persona, sive Dea vindictæ, ac parens Furiarum. Val. Flac. I. 796. 'Ultricesque Deæ, Fas, et grandæva Furorum Pœna parens, meritis regi succedite tectis, Et sævas inferte faces!' Virgil. Culice, vs. 217. 'Obvia Tisiphone, serpentibus undique comta, Et flammas, et sæva quatit mihi verbera Pœna.' Sæpe tamen 'Pœnæ' etiam in numero multitudinis dicuntur, uti 'Erinnyes.' Sil. Ital. II. 551. 'Atque omnes adsunt Pœnæ, formaque trifauci Personat insomnis lacrimosæ janitor aulæ.' *Schwarz.*

Angustosque] Ædificii ratione tales, an custódum frequentia? *Lips.*

Invitantia limina] Sunt nimirum vel apertæ et patentes, vel semiapertæ, fores, quæ quasi invitamento sunt aliis, et occasionem dant ad introëundum. Plinius Epist. V. 6. 'Villa .... æstivum solem ab hora sexta quasi invitat in porticum.' Idem Epist. VIII. 17. 'Anio delicatissimus amnium, ideoque adjacentibus villis velut invitatus retentusque.' Plinius Major. Hist. Nat. I. 10. 'Mel invitat furantem.' Idem XXII. 24. 'Aqua mulsa invitat vomitiones.' Cf. Barth. ad Rutil. in itinere, I. 245. qui plura annotavit exempla, ubi veteres scriptores verbo 'invitare' de rerum inanimatarum naturali, vel arte facta, gratia et aliectatione, usi sunt. *Schwarz.*

Longeque tunc illi divinitas sua] I. e. nihil ei profuit, nihilque præsidii attulit, affectata divinitas. Sic formulam hanc recte explicarunt, pluribusque exemplis illustrarunt Livineius, Lipsius, Arntzenius. Cerda tradit Plinium hanc loquendi rationem sumsisse a Virgil. Æn. XII. 52. 'Longe illi Dea mater erit.' Similiter Silius Ital. XVII. 80. 'Longe conjugia, ac longe Tyrios Hymenæos, Inter Dardanias acies fore.' Petron. cap. 58. 'Curabo, longe tibi sit comula ista bessalis, et Dominus dupondiarius;' h. e. interpretante Burmanno, Curabo, ne te juvet, nec ejus præsidio ferox sis et insolens. Ut enim 'adesse' est juvare; sic 'abesse,' et 'longe esse,' contrarium. Affectasse autem quosdam imperatores jam in hac vita 'divinitatem,' aut certe ab adulantibus 'divinitatis' nuncupationem honoremque admisisse, constat. Val. Max. in Præf. ad Tib. 'Cetera divinitas opinione colligitur; tua præsenti fide, paterno avitoque sideri par videtur.' De Domitiano, quid referat Sueton. cap. 13. et Victor. in Epitome, cap. XII. res nota est. Martial. V. 8. 'Edictum Domini Deique nostri.' Statius Sylv. IV. 3. 128. 'En hic (Domitianus) est Deus, hunc jubet beatus Pro se Juppiter imperare terris.' *Idem.*

Longeque tunc illi divinitas sua] Et hoc ποιητικώτερον. Virgilius, 'Longe illi Dea mater erit.' Propertius, 'Longe castra tibi, longe miser agmina septem, Flebis in æterno surda jacere situ.' Silius Ital. l. I. 'Longe clausis sua fœdera, longe Italiam fore.' *Livin.*

Longeque tunc illi] Latii quidam idiotismus, quo significatur, hoc aut illud nil juvare, aut prodesse. Nam quæ præsentia, auxilio esse solent: longinqua frustra implores. Itaque et 'adesse' dixerunt, pro juvare et patrocinari. Illa phrasis in Virgil. Æn. XII. 'Longe illi Dea mater erit.' In Cæsare, 'Longe iis fraternum nomen populi Romani futurum.' In Floro, II. 6. 56. item II. 2. 18. 'Longe illi triplex murus, totidemque arces.' *Lips.*

Illa cubilia] In Boxhornii, Cellarii, et aliorum quorundam editionibus, omissum est pronomen *illa;* quod ta-

men omnes codices Mss. et antiquiores editiones huic loco vindicant. 'Cubile' alias lectus dicitur a cubando: hoc loco videntur *cubilia* poni pro cubiculis, h. e. pro conclavibus, in quibus cubilia sternuntur; ut apud Tacit. Annal. I. 49. 'Non adversis e castris, sed iisdem e cubilibus, quos simul vescentes dies, simul quietos nox, habuerat, discedunt in partes.' Item apud Sueton. Ner. c. 25. 'Sacras coronas in cubili circa lectos posuit.' Erant vero 'cubicula diurna, nocturnaque,' teste ipso Plinio nostro, Epist. I. 3. 'Diurna,' explicante Scheffero, erant conclavia, in quæ, secreti negotii caussa, secedebant, ut, submota turba familiarium, soli, vel cum paucis, possent expedire, quæ factu erant opus: 'nocturna,' quæ Epist. II. 17. 'cubicula noctis et somni' vocantur, ubi lecti erant, in quibus quietem somnumque capiebant. Domitianum vero non quidem in 'lecto,' tamen in 'cubiculo,' interfectum refert Sueton. c. 16. 'Itaque, summotis omnibus, in cubiculum se recepit, atque ibi occisus est.' *Schwarz.*

Sævique secessus] Ubi sæva et tristia machinabatur. Tacit. in Agric. c. 39. 'Quodque sævæ cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus.' *Lips.*

In quos] Vitiose scriptum est in Parisiensi, et in Veneto 1. codice, *in quo.* Ita in hoc capite etiam alia hujus generis menda occurrunt, quæ fere tædet vel leviter annotare; v. g. supra, pro *Pœna*, codex Guelpherbytanus habet *Pœnates;* pro *apertas*, codex Venetus 2. *aptas;* pro *divinitas*, cod. Guelpherb. et liber Vossianus *diversitas;* pro *timore*, codex Salisburgensis *tumore;* pro *agebatur*, cod. Vatic. 3461. Guelpherb. et liber Vossianus, *angebatur;* pro *nunc*, cod. Paris. et uterque Venetus, *tunc.* Schwarz.

Quanto nunc tutior] Singularis lectio est hujus loci, quam suggerit unicus codex Salisburgensis. Ibi enim totum hunc locum ita exaratum legimus: *Quanto tu major, tanto securior. Eadem domus, post ejus mortem, non crudelitatis, sed amoris, excubiis; non solitudine et claustris, sed civium celebritate, defenditur.* Non contemnenda videtur hæc lectio, si inprimis pro vocula *ejus*, reponatur *illius;* sed vehementer vereor, ne ab ingenio arguti librarii hæc correctio sit profecta. *Idem.*

Postquam non crudelitatis] Antehac vulgo in excusis exemplaribus legebatur *postquam ejus non crudelitatis, &c.* Ita etiam Catanæus in prima editione Mediolanensi an. 1506. prodiderat; sed in indice erratorum typographicorum calci adjecto jussit pronomen *ejus* deleri. Atque ita deletum deinceps exhibetur in editionibus Catanæi Venetis an. 1510. et 1519. Quin idem pronomen *ejus* etiam omissum est in editione Paulli Stephani an. 1601. et in Genevensi an. 1643. in 4. Jam suspicatus est Livineius, in vitio esse ea verba, vulgo edita, quamlibet consentiant libri; at parum feliciter per additam vocem *aditus* sententiam explere voluit, ut legeretur, *postquam aditus ejus non crud. &c.* Lipsius etiam hæsitabundus: 'Legendum,' inquit, '*postquam ea;* aut vocula deest, *dominus ejus*, talisve. An placet *herus* legi?' Heumannus in Pœcile: 'Hic tibi subscribo: nisi quod pro *ejus*, rescribere *tuis* gestio.' Candide de his emendandi rationibus Baudius: 'Ut jurisconsulti,' inquit, 'sine lege; ita nos sine auctoritate erubescimus loqui.' Plurimi codices Mss. vestigia corruptelæ retinent. Codices enim Vaticani 1775. et 1776. item Parisiensis, uterque Venetus, meus, et liber Vossianus habent *Post ejus non crudelitatis.* Quam lectionem prodat codex Salisburgensis, in proxima nota jam exposui. Ceteri duo codices Vati-

cani, nempe 3461. et 1475. prætermisso pronomine *ejus*, exhibent *cum non crudelitatis*. Cum his convenit codex Guelpherb. *quum non crudelitatis*. Atque hanc etiam scripturam simul annotavit Vossius, *Alii: eadem domus, cum non crudelitatis*. Sive ergo legeris *postquam non*, sive *cum non*, eadem manet sententia. Retinui *postquam*; quod in omnibus impressis adhuc legimus, et cujus vestigia etiam quidam codices scripti ostendunt. Dimisi pronomen *ejus*; quia idem jam etiam codices Mss. et aliquot libri excusi, quos recensui, non agnoscunt. Quam exauctorationem voculæ *ejus*, etiam manes Plinii, ut opinor, mihi facile condonabunt; cum ea non solum non necessaria ad orationem esse, sed huic quoque quandam quasi nubeculam obducere videatur, undecunque demum accesserit. Equidem voculam hanc *ejus*, tanquam innocuam tuendam suscepit Arntzenius. 'Ipsissima,' inquit, 'hæc est Plinii manus; tu modo *ejus* construe cum *crudelitatis*, et Domitianum intellige.' Sed non persuadet mihi vir doctus, esse ipsam Plinii manum. Intelligo quidem omnino Domitianum; verum, cum nihil interveniat, quod a Domitiano secernat sequentia verba, *sed amoris excubiis*, nescio quo modo hæc cohæreant. Quis enim tunc non saltem hæc expectaret, *postquam non crudelitatis ejus, sed amoris tui, excubiis, . . . defenditur*. Reliquum est, ut hic etiam annotem, quem ad modum Gesnerus, in recentiore editione, conjecturam Lipsii expoliendam sibi sumserit. *Ejus*, inquit, quod inter hæc duo verba *postquam non* inserunt, Gudiani apud Schwarzium codicis auctoritate, (cui vero nunc plurium codicum suffragia accedunt,) omisi. Sed, cum inserendi nulla caussa fuerit, magna omittendi; placet fere magis Lipsii conjectura, *herus*. Nempe, *erus* aliquis scripserat, quod non intellectum sibi alius mutavit in *ejus*. Interim vir doctus nihilo minus eam, quam nunc damus, lectionem in contextum recepit. *Idem*.

Postquam non crudelitatis] *Postquam ejus non crudelitatis*. In vitio sunt, quamlibet consentiant libri, quos equidem tractarim. Expleam ego, *postquam aditus ejus, &c.* non enim placet deleri *ejus*, quod, vidi, qui faceret. *Livin.*

Postquam ejus] Deest utique aliqua vox. Lipsius legendum putat, *postquam ea*; aut 'vocula deest,' inquit, '*Dominus ejus*, talisve.' *Patarol.*

Excubiis] De Trajano Dio: 'interdum nulla munitus custodia,' &c. *Id.*

Claustris, sed civium celebritate, defenditur] *Claustris defenditur* vulgo; at, *claustris, sed civium celebritate defenditur* C. G. *Livin.*

Non solitudine et claustris, sed civium celebritate, defenditur] *Non solitudine et claustris defenditur*. Inserunt, *Non solitud. et claustr. sed civium celebritate, defenditur* C. G. recte. *Rittersh.*

Sed civium celebritate] Hæc tria verba non in solius Cellarii, sed etiam Beroaldi, Catanæi, Aldi, Rhenani, Philomusi, Navii, Livineii, Stephani, et Boxhornii editione, non sine damno elegantioris orationis, sunt omissa; quæ tamen omnes codices Mss. agnoscunt, et, præter recentissimos editores, jam etiam Cuspinianus, Gryphius, Lipsius, Gruterus, Berneggerus, Grævius, Patarol, Ceva, recensuerunt. Quod complementum utique requirit concinnitas orationis, qua contraria contrariis opponuntur. 'Civium' autem 'celebritas' hic pro 'frequentia' dicitur, atque opponitur 'solitudini,' haud secus, ac apud Cic. Attic. XII. 13. 'Me hæc solitudo minus stimulat, quam ista celebritas.' Alibi Cicero 'solitudini' opponit 'cœtum' et 'frequentiam;' v. g. Offic. III. 1. 'Ille enim requiescens a reipublicæ pulcherrimis muneribus, otium sibi sumebat aliquando, et a cœtu hominum frequentiaque interdum,

tanquam in portum, in solitudinem se recipiebat. . . . Itaque, qui in maxima celebritate atque in oculis civium quondam viximus; nunc fugientes conspectum sceleratorum, . . . abdimus nos, quantum licet, et sæpe soli sumus.' *Schwarz.*

Ecquid ergo] Codices Mss. et quædam editiones antiquiores, dividunt priorem vocem, *Et quid ergo?* Sed manet utrobique eadem sententia. *Idem.*

Fidissimam esse custodiam] Ascensius, H. Stephanus, Elzevirii, Rivinus, Kirchmaierus, Cellarius edidere *fidelissimam.* Quæ vox etiam in Vossii libro est annotata. Sed nihil mutandum. Mendum vero librarii occurrit in codice Guelpherbytano, qui pro *custodiam* posuit *discordiam.* Id.

Ipsius innocentiam] Quæ virtus principis dicatur *innocentia*, jam supra ad XXVIII. 2. exposui. *Idem.*

Principis ipsius innocentiam] Sic 'Titus imper. de crimine majestatis nunquam cognovit, neque permisit aliis, ut cognoscerent. Nemo enim, inquit, injuria me adficere potest, aut insequi contumelia, propterea quod nihil ago quod reprehendi mereatur: ea vero, quæ falso de me dicuntur, prorsus negligo.' Dio Cass. apud Xiphil. *Bern.*

Arx inaccessa] I. e. arx, ad quam accedi non potest aut non debet. In sola editione Pataroli lego *arx inaccessibilis;* nescio autem, utrum ex ingenio editoris, an ex codice quodam Ms. an forte ex errore typographi, vox *inaccessibilis* hic locum invenerit. Equidem Mamert. in Genethl. Max. Aug. IX. 2. 'Illa,' inquit, 'quæ tunc aliis forent inaccessibilia, superastis.' Eadem voce etiam scriptores ecclesiastici identidem utuntur; sed ea vix convenit stilo Pliniano. Plinius Major VI. 32. potius scribit, 'Opidum circumdatum montibus inaccessis.' Similiter idem alibi dicit, 'oram inaccessam cœno; mare inaccessum scopulis; saltus inaccessus, inaccessam rupem,' et si qua sunt alia generis ejusdem. Etiam Tacitus, æqualis Plinio, Hist. IV. 50. dicit 'inaccessa mapalium;' et de Germania, cap. 1. 'Rhenus Rhæticarum Alpium inaccesso ac præcipiti vertice ortus.' Ante hos, Virgil. Æn. VII. 11. 'Dives inaccessos ubi solis filia lucos Assiduo resonat cantu.' Et VIII. 195. 'Quam dira tenebat Solis inaccessam radiis.' Ad quæ verba Servius hæc commentatur: 'Participium sine verbi origine. *Accedor* enim non dicimus; sed tale est, ut *placita, nupta, triumphata, regnata.* Et quæritur, quis hoc ante Virgilium dixerit?' Hactenus Servius. Sic vero etiam dicitur 'illaudatus,' qui laudari non potest, aut non debet; 'invictus,' quem auctores sequioris Latinitatis vocant 'invincibilem,' &c. *Schwarz.*

Inexpugnabile munimentum] Huc pertinet locus ex Senecæ de Clement. I. 19. qui, quamvis ab aliis jam sit præoccupatus, pulchrior tamen est, quam ut non etiam hic repetatur. 'Non opus est,' inquit, 'instruere in altum editas arces; nec in adscensum arduos colles emunire; nec latera montium abscindere; multiplicibus se muris turribusque sepire: salvum regem in aperto clementia præstabit. Unum est inexpugnabile munimentum, amor civium.' Mamert. Grat. Act. Juliano Aug. c. 24. 'Quid armis opus est, cum firmissimo sis muro civici amoris obseptus?' *Idem.*

Inexpugnabile] Seneca: 'Unum est inexpugnabile munimentum, amor civium.' *Lips.*

Terrore] Ennius, 'quem metuunt, oderunt; quem quisque odit, periisse expetit.' *Bern.*

Septus caritate] Ex Cicerone in Antonium: 'Caritate et benevolentia civium septum oportet esse, non armis.' *Lips.*

Arma enim armis] Homerus hoc voluit: ἕλκει δέ τε ἄνδρα σίδηρος, visusque

virum trahit ensis. Lips.

Num autem] *Nam autem* edit. Rhenan. Sic meus C. *Faber*.

Serias tantum] Matutinas et meridianas; nam postea exercitiis et curæ corporis se dabant. *Lips*.

Serias partes dierum] Hæ erant, Lipsio interprete, matutinæ et meridianæ horæ; adeoque potissimum septem horæ primæ diei, ubi maximam partem publica et seria tractabant Romani; reliquas horas dabant remissionibus, exercitiis et curationi corporis; quamquam homines industrii, exemplo Plinii Majoris, etiam in cœnæ tempus studerent. Unde illæ horæ antemeridianæ Virgil. Æn. IX. 156. 'melior pars diei' dicuntur: 'Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei, Quod superest, læti bene gestis corpora rebus Procurate, viri!' Paulus Jurisconsultus de Verbor. Signif. lib. II. meminit hujus temporis: 'Cujus diei major pars est horarum septem primarum diei, non supremarum.' Horat. Od. I. 1. 20. eas horas, quæ seriis rebus destinabantur, vocat 'solidum diem:' 'Est qui nec veteris pocula Massici, Nec partem solido demere de die Spernit.' Vide Taubmannum, ad citatum Virgilii locum, et ad Plaut. Asinar. IV. 2 16. Cf. et Martial. IV. 8. ubi describit, quid singulis diei horis vulgo a Romanis agi consueverit. *Schwarz*.

Cœtuque] Baunius edidit *cœtusque*, quasi hic casus gignendi referatur ad vocabulum antecedens *oculis;* cui vero lectioni nullus alius liber subvenit. *Idem*.

Non remissionibus tuis] Recte, et ex consensu omnium codicum Mss. sic expressum legimus; cum ex adverso Catanæus, Aldus, Cuspinianus, Sichardus, et alii quidam editores, non solum in hujus sententiæ, sed et quatuor sequentium, initio, evulgarint *num*, pro *non;* quod *num* locum habere non potest. Particula vero *non* ponitur pro *nonne*. Sic Terent. Adelph. v. 2. 6. 'Non manum abstines, mastigia?' Ibid. v. 8. 19. 'Non omittis?' Idem Phorm. v. 7. 94. 'Non taces?' Cicero pro Quint. cap. 26. 'Quid hæc amentia, quid hæc festinatio, significat? Non vim? non scelus? non latrocinium? non denique omnia potius, quam jus, quam officium, quam pudorem?' Idem pro Planc. cap. 34. 'Non vobis videor cum aliquo declamatore, non caussa laboris et fori, disputare?' Ipse Plinius alibi sæpius. *Idem*.

Non remissionibus] *Num remissionibus* edit. Rhenan. *Non remissionibus*. Faber.

Remissionibus] Dio Cassius super istis: Ἀγαπητὸς μὲν πᾶσι, φοβερὸς δὲ μηδενὶ, πλὴν πολεμίοις. Καὶ γὰρ θήρας, καὶ συμποσίων, ἔργων τε καὶ βουλευμάτων, σκωμμάτων τε συμμετεῖχε σφίσι, καὶ πολλάκις καὶ τέταρτος ὠχεῖτο. *Amabilis omnibus, nulli, præterquam hostibus, formidandus. Venationibus, conviviis, deliberationibus, actionibusque amicorum, intererat, atque etiam jocis et dicteriis: et sæpe vel quartus vehebatur*. Eutropius plane eadem: 'Gloriam militarem civilitate et moderatione superavit: Romæ, et per provincias, æqualem se omnibus exhibens; amicos salutandi caussa frequentans, vel ægrotantes, vel cum festos dies habuissent: convivia cum iisdem indiscreta vicissim habens: sæpe in vehiculis eorum sedens, nullum senatorum lædens.' Atque hic, quod de vehiculis ait, consonat, et explicat illud Dionis, 'quartum vectum' esse, id est, cum pluribus: etsi principes et magnates soli fere solerent. *Lips*.

Remissionibus] De eodem idem Dio, 'Venationibus, conviviis, seriisque ac jocosis civium rebus, intererat.' *Patarol*.

Non tibi semper] *Num tibi semper* edit. Rhenan. *Non tibi semper*. Sic meus C. *Faber*.

In medio cibus] I. e. nonne tibi idem apponitur cibus, qui in cœna ad

communem usum omnibus convivis apponitur, ita ut ab eo capiendo prohibeas neminem? Schultingius Jurisconsultus quondam humanissimus, in notis ad Quinctil. Declam. I. 8. 'Pene inducor,' inquit, 'ut credam, proprie, 'in medio posita,' dici, quæ anteposita sunt convivis in cœna, aliove genium oblectandi tempore, quæ capere quisque suo potest arbitratu, quæque communia sunt, ceduntque, sive ex toto, sive ex parte, prout ratio fert, occupantibus.' Hinc Cic. de Offic. I. 7. dixit, 'communes utilitates in medium afferre.' Terent. Prolog. Phorm. vs. 17. 'Is sibi hoc responsi habeat, in medio omnibus Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.' Ergo significare voluit Plinius, Trajanum non sibi delicatiorem quendam cibum et potum, at ceteris convivis vulgarem, posuisse; prout quidam vir sordidus et superbus fecerat, quem idem Plin. Epist. II. 6. reprehendit, quod in cœna sibi et paucis optima quædam, ceteris vilia et minuta, posuerit; vinum etiam in tria descripserit genera; aliud sibi et honoratioribus, aliud minoribus amicis, aliud suis ceterorumque libertis. Pari significatione Plinius mox dicit 'semperque mensa communis;' cui opponuntur 'mensæ iniquæ' apud Juvenal. v. 3. in quibus non eædem epulæ domino et convivis apponuntur, neque idem præbetur vinum; quem morem salse ibi vituperat Satyricus. Paucis sic habe: Trajanum eadem fercula omnibus posuisse, eosque, quos invitaverat, et mensa, et dapibus, exæquasse. *Schwarz.*

Non ex convictu] *Num ex convictu* edit. Rhenan. *Non ex convictu.* Sic meus C. *Faber.*

Non provocas] *Num provocas* edit. Rhen. *Non provocas.* Sic meus C. *Id.*

Provocas] Suetonius de Augusto c. 4. 'Cœnam præbebat, ut non nimio sumtu, ita summa comitate. Nam et ad communionem sermonis tacentes, vel submissim fabulantes, provocabat.' *Lips.*

Non ipsum tempus] *Num ipsum tempus* edit. Rhenan. *Non ipsum tempus.* Sic meus C. *Faber.*

Cum frugalitas] At 'vini affatim,' si Xiphilino credimus, 'bibebat.' Ælius etiam Lampridius Alexandro Severo 'largiorem ei compotationem' tribuere videtur his verbis: 'Cum amicos militares habuisset, ut usum Trajani, quem ille post secundam mensam potandi usque ad * pocula instituerat, reservaret, unum tantum poculum exhibebat in honorem Alexandri Magni.' Asteriscum adscripsi, quod excidisse numerum opiner, qui Trajano familiaris in ea invitatione. Adde huc, quæ notamus ad XLVII. 2. *Livin.*

Frugalitas] Hoc et in epistolis adserit VI. 31. 'Adhibebamur quotidie cœnæ; erat modica, si principem cogites. Interdum acroamata audiebamus, interdum jucundissimis sermonibus nox ducebatur.' Nota in 'noctem ducta,' quod hic est 'extensa,' fuisse. *Lips.*

Medium diem] Sic dicebatur meridies, qui semper incidebat in horam sextam, cum Romani tunc singulos dies, ab ortu solis usque ad occasum, in duodenas horas, sive partes æquales, dividerent. Tempus cœnæ autem ordinarie erat hora diei nona. *Schwarz.*

Non enim ante medium diem] *Num enim ante medium diem.* *Non,* lego: sic meus C. et interrogationem deleo, ut apte connectatur cum sequentibus. Præcedentia interrogative pronuntianda sunt, et *num* pro *nonne* accipiendum; nisi forte ibi quoque pro *num*, legi debet *non*, pro *nonne nisi quod.* Sic accipitur quoque *num* supra: 'quod enim forum, quæ templa tam reserata? num Capitolium.' *Faber.*

Ante medium] Ut Domitianus, de

quo Suetonius, 'Lavabat de die, prandebatque ad satietatem: ut non temere super cœnam, præter Matianum malum, et modica (sic lego) in ampulla potiunculam sumeret.' *Lips.*

Ante medium] 'Domitianus intempestive ac præmature epulatus.' Consule Lips. Excurs. ad Tacit. Annal. XIV. de tempestivis et intempestivis conviviis. *Bern.*

Distentus solitaria cœna] Suetonium lege Domit. c. 21. *Livin.*

Solitaria] Ipsum illud plenum prandium *cœnam* appellat; quia ejus loco. *Lips.*

Solitaria cœna] Nimis quam tangit Domitiani rationem vivendi, a priscorum more longe alienissimam, quod quidem 'solus,' sed 'quasi in cœna laute, fuerit pransus;' cum contra veteres, et Græci et Latini, prandereut parce, et ut plurimum soli cum suis; invitationes vero ad cœnam fierent: inde nulla, aut rara erat *cœna solitaria*. Nam, ut refert Plutarch. Probl. VIII. 6. *τὸ δεῖπνον φασὶ κοῖνα διὰ τὴν κοινωνίαν καλεῖσθαι· καθ' ἑαυτοὺς γὰρ ἠρίστων ἐπιεικῶς οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι, συνδειπνοῦντες τοῖς φίλοις. Aiunt cœnam* (Romanis) *dictam ob* (*κοινωνίαν*,) *communionem; veteres enim Romanos solos medice prandere solitos; cœnare vero una cum amicis.* Unde et Domini cœna *κοινωνία*, 1 Cor. x. 16. dicitur; quia, præterquam quod est organum nostræ cum Christo conjunctionis, mutuumque inter nos vinculum charitatis, etiam publica quædam omnium fidelium invitatio est. *Bern.*

Solitaria] Ut solebat Domitianus, de quo Sueton. c. 21. *Patarol.*

Solitaria cœna] Hæc veluti per *ὀξύμωρον* dicuntur. Si enim *cœna* quasi *κοινὴ*, a communione victus, est dicta, quoniam tunc cibum communiter et cum hospitibus caperent, quomodo proprie *solitaria* dici potest? Et, si tempus cœnæ ordinarium fuit vespertinum, una, duabusve horis, ante occasum solis, quomodo jam *ante medium diem* habita? Nimirum Domitianus a solenni Romanorum more recessit. Cum enim moderatiores ante meridiem vel plane nihil, vel, quod Plinii avunculus fecit, Epist. III. 5. interdiu, sive sub meridiem, levem duntaxat et facilem cibum, ac quidem soli, veterum more, sumerent, atque demum sub vesperam recta justaque cœna, sæpius cum amicis, uterentur; tum Domitianus, referente Sueton. c. 21. ante medium diem solus prandebat ad satietatem, largiusque se invitabat, (quod prandium quasi loco 'cœnæ solitariæ' fuit,) ut non temere super cœnam, præter Matianum malum, et modicam in ampulla potiunculam, sumserit. *Schwarz.*

Annotatorque] Quid dicant, edant, bibant, innuant. *Lips.*

Annotatorque] Œnoptes, qui, quid quisque biberet in convivio, observabat. Apud Athenienses, œnoptæ erat genus magistratus, qui funalia et ellychnia cœnantibus præstabant, ut postea luminis præsidio domum redire possent. Unde et 'oculi' dicti, ut patet ex Philini oratoris loco apud Athenæum lib. x. et ex Eustathio ad Odys. Z. *οἱ τοῖς δειπνοῦσι λύχνους καὶ θρυαλλίδας παρέχοντες, ὀφθαλμοὶ πρός τινων ἐκαλοῦντο. Qui cœnantibus candelas aut lucernas exhibebant, oculi dicti non nullis.* Bern.

Conviviis tuis immines] Ita aliis 'imminere' dicuntur, qui iis, ex audiendi vel videndi, et observandi, cupiditate, quasi inhiant, aut instant, aut ex alto incumbunt. Plin. Epist. VI. 33. 'Ad hoc stipatum tribunal, atque etiam ex superiore basilicæ parte, qua feminæ, qua viri, ... audiendi et visendi studio imminebant.' Quinctil. Declam. I. 8. 'Dormientium anhelitus imminens audit.' *Schwarz.*

Immines] Avide spectando. Catullus, 'Vir tuus, Tyrio in toro, Totus immineat tibi.' *Lips.*

Plenus ipse, et ructans] *Plenus ipse*

eructans Livin. in textu; sed in margine, 'Forte, *plenus ipse et ructans.*'

Ructans] *Eructans.* Aptius videbatur *irructans*: quasi in os iis ructans. *Lips.*

Ructans] *Eructans.* Sic 'Vitellius mane singulos jamne jentassent sciscitatus, seque fecisse, ructu quoque ostendit.' Suet. Vit. c. 7. *Bern.*

Et ructans] Non me piget, etiam tenues maculas e tam pulchro orationis corpore, si fieri possit, eluere. In omnibus quidem scriptis et excusis libris extat *plenus ipse eructans.* Sed occurrunt et alia menda, quibus nihil remedii ex libris superest. Vix autem decet, duo ejusmodi ἐπίθετα sine copula ponere. Certe talis loquendi ratio a Plinio aliena est, si vel maxime apud alios ea rarissime reperiatur. Sed facile apparet occasio corruptelæ, quæ omnes libros occupavit. Mihi enim videntur duæ voces in uno participio, *eructans*, vitio describentium coaluisse, nempe, *et ructans*, aut forte, *et eructans*; quæ voces postliminio secernendæ sunt. Librarios frequenter hoc modo peccasse, jam monuit doctissimus Drackenborch. ad Sil. Ital. III. 54. ubi, 'effusi,' pro 'et fusi,' scriptum fuit; et XI. 12. 'erupisse,' pro 'et rupisse;' item apud Claudian. Rufin. I. 99. 'edidicit,' pro 'et didicit;' apud eundem Claudian. Bel. Gild. vs. 47. 'elapsi,' pro 'et lapsi;' apud Senec. Octav. vs. 902. 'evicta,' pro 'et victa,' &c. Cum primum conjectura me duxerit ad hanc correctionem, deinceps animadverti, jam quoque Livineium margini apposuisse, 'f. *et ructans.*' Codex meus pro *eructans*, mendose habet *eruptans.* Lipsius ingenio suo, nec quadam necessitate, aut subsidio librorum veterum inductus, aptius habuit *irructans*, quasi in os iis ructans. *Schwarz.*

Ægreque perpessus] Hic novum exemplum animadvertas, ubi particula copulans *que* per 'neque' explicanda est, ex sensu a superiore negatione pendente: 'Non enim ante medium diem distentus solitaria cœna spectator annotatorque convivis tuis immines; nec jejunis et inanibus, plenus ipse et ructans, non tam apponis, quam objicis cibos, quos dedignaris attingere; ægreque [i. e. nec ægre] perpessus superbam illam convictus simulationem rursus te ad ganeam ... refers.' Nisi enim hæc posteriora verba æque, ac præcedentia, per sententiam negantem exponerentur, Trajanus magis vituperaretur, quam laudaretur. Plura ejus generis exempla loquendi jam notavi in Excurs. XXXVIII. ad c. XXXVI. 1. et XLVII. 5. *Idem.*

Clandestinam ganeam] Ut ipse interpretatur, *occultum luxum.* Ganea enim pro gula et re luxu plena. Sic apud Plin. lib. IX. 'sues' dicuntur 'numerosa materia ganeæ,' die gern schweinen Fleisch fressen, et apud Sidonium, 'Dissumtum ganea stomachum nulla res sarcire melius, quam parsimonia, potest.' *Bern.*

Argentum] Ministeriale, scitum et multiplex. *Lips.*

Nec argentum] Plinius de Spurinnæ, privati hominis, cœna, Epist. III. 1. 'Apponitur cœna, non minus nitida, quam frugi, in argento puro et antiquo. Sunt in usu et Corinthiaca, quibus delectatur, non afficitur.' Quid si cogitemus mensam principis? *Schwarz.*

Ingenia cœnarum] I. e. ingeniosas inventiones et apparatus cœnarum. Hinc etiam Petron. c. 119. et Martiali XIII. 62. dicitur 'ingeniosa gula.' Nam, quod ait Plinius Major, X. 50. 'Invenit mille artes viasque deliciarum luxus et gula.' Vide supra ad XXV. 5. *Idem.*

Jucunditatemque] Parem 'Catonis hilaritati,' quando incaluit mero. Martial. XII. 6. Trajanus autem, ut refert Lampridius in Alexandro, 'post

secundam mensam usum potandi, usque ad quinque pocula instituit.' *Bern.*

Quando] Non nulli codices Mss. habent *qn.* ut possis legere *quoniam*, vel *quando*. Schwarz.

Ornata] Nescio quid subolet vel vitii, vel defectus. An fuit, *ornata comi gravitate?* Lips.

Ornata] Ennius apud Gell. lib. II. 'Hocce locutu' vocat, qui cum bene, sæpe, libenter, Mensam sermonesque suos rerumque suarum Comiter impartit,' &c. *Bern.*

Superstitionis mysteria] I. e. interprete Lipsio, sacerdotes Isiaci, Bellonarii, Galli Matris Deum, qui circumferebant sua mysteria, et cum choro domos et convivia solebant irrumpere. Pro voce *mysteria*, Arntzenius substituit *ministeria*, et de pueris Alexandrinis, ac servis Ægyptiacis, interpretatur. Cui lectioni quamquam faveant indicia codicum Mss. pristinam tamen perpetuoque adhuc vulgatam lectionem, tanquam meliorem et digniorem, Plinio vindicatum ivi in Excurs. XLV. *Schwarz.*

Superstitionis] Aut Ægyptiæ, puta, aut Judaicæ, aut consimilis generis, quæ temporibus iis, sicut et ceteræ malæ artes, Romæ locum invenerunt. Plura Juvenal. Sat. VI. 'Qualiacunque voles, Judæi somnia vendunt.' *Patarol.*

Peregrinæ superstitionis] Hoc, opinor, propter institutos a Domitiano sacerdotes in Albano, quibus unice delectatus. *Livin.*

Peregrinæ superstitionis] Referunt ad 'sacerdotes, quos in monte Albano instituit.' Sed cur ea 'peregrina superstitio?' aut quid ad mensas? Malim accipere Isiacos, Bellonarios, Gallos Matris Deum, qui cum cœtu, aut choro, domos et convivia solent irrumpere. Juvenal. Sat. VI. dicet, et describet. An et de Judæis vis accipi? *Lips.*

Obscena] Psaltriarum, cinædorum, puellarum a Gadibus; de quibus scriptores sparsim. *Idem.*

Obscena petulantia] Scortorum scilicet, aut parasitorum, aut aliorum hujusce generis pravorum hominum. *Patarol.*

Obscena petulantia] Agnoscimus hic exempla τοῦ ὕψους styli Pliniani; dum per *mysteria peregrinæ superstitionis*, sacerdotes et chorum, mysteria Deæ Phrygiæ et Bellonæ circumferentes; per 'obscenam petulantiam,' homines obscenos et petulantes, designat; de quibus, Epist. IX. 17. scribit: 'Recepi literas tuas, quibus quereris, tædio tibi fuisse, quamvis lautissimam cœnam; quia scurræ, cinædi, moriones, mensis inerrabant.' Sic et Sueton. Tib. cap. 42. refert, 'Tiberium nudis puellis ministrantibus cœnasse.' *Schwarz.*

Oberrat] Plinius Epist. l. IX. c. 17. 'Quereris, tibi tædio fuisse quamvis lautissimam cœnam, quod scurræ, cinædi, moriones, mensis inerrabant.' *Lips.*

Benigna invitatio] Sic Liv. XXXIII. 39. 'Primus congressus cum legatis, et deinceps invitatio benigna et hospitalis fuit.' Hic non significatur ea invitatio, quæ cœnam antecessit, qua hospites ad convivium vocabantur; sed ea, quæ in ipsa cœna facta, quando convivæ ad loquendum, edendum, et inprimis bibendum, comiter provocabantur; in quo solo aliquam Trajani intemperantiam notant historici, eandem tamen noxiam nemini; prout hæc Lipsius et Gesnerus bene explicant. Sic et ii ipsi, qui ultro indulgebant potui, 'se invitare' dicebantur. Plaut. Amph. I. 1. 127. 'Mira sunt, nisi invitavit se in cœna plusculum.' *Schwarz.*

Invitatio] Ad loquendum, edendum, an et bibendum? ita, ex ingenio Trajani. Nam 'vini cupidiorem fuisse' Dio, pag. 243. in compendio Xiphilini notat: et Spartianus, 'Hadrianum vino indulsisse, Trajani mo-

tibus obsequentem.' Id maxime factitabat, et quasi solenniter, post secundam mensam. Lampridius in Alexandro: 'Cum militares amicos habuisset, ut usum Trajani, quem ille post secundam mensam potandi usque ad pocula instituerat, reservaret, unum tantum poculum exhibebat in honorem Alexandri Magni.' Numerus poculorum deest, et video quosdam legisse, *usque ad quinque pocula*. Si e libris, bene est: si a sese, malim ego, *usque ad pocula III.* qui numerus ex initialibus litteris vocis sequentis. Vinosus igitur aliquantulum Trajanus: sed et viri alii magni, cum excusatione justissima, ad diluendas curas. De quo Seneca in extremo de Tranquill. videndus. Eutropius et cautionem ejus in vino suggerit: 'Vinolentiam, quo vitio, ut Nerva, tangebatur, prudentia molliverat, curari vetans jussa post longiores epulas.' *Lips.*

Studiorum] De quibus sermo. Nec enim librum lectum super mensam arbitror: etsi id quoque viri magni, et in dignitate, tunc faciebant. Alii comœdum, aut lyristen, audiebant, jucundo fructu. Plin. lib. III. de Spurinna: 'Frequenter comœdis cœna distinguitur, ut voluptates quoque studiis condiantur.' At Trajani sermones philosophici fuerunt, aut politici, nec ambigo. *Idem.*

Studiorum honor] 'Nero sapientiæ doctoribus tempus impartiebat post epulas: utque contraria asseverantium, discordiæ eruebantur, nec deerant, qui voce vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent.' Tacit. Ann. XIV. 16.

Studiorum honor] Ita nimirum, si liberalis ingenii homines convivarentur, potissimum jucundiorum studiorum genera locum habebant; v. g. ut brevia et amœna carmina legerentur, audirentur comœdi, et sermones eruditi haberentur. Plin. de ejusmodi cœnis Trajani, Epist. VI. 31. 'Adhibebamur quotidie cœnæ. Erat modica, si principem cogites. Interdum ἀκροάματα audiebamus; interdum jucundissimis sermonibus nox ducebatur.' Martialis de hora versibus suis Domitiano legendis apta, IV. 8. 'Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum, Temperat ambrosias cum tua cura dapes; Et bonus ætherio laxatur nectare Cæsar;. . . Tunc admitte jocos.' Plin. de Spurinnæ cœna, Epist. III. 1. 'Frequenter comœdis cœna distinguitur, ut voluptates quoque studiis condiantur.' Plinius de sua cœna, Epist. I. 15. 'Audisses comœdos, vel lectorem, vel lyristen, vel, quæ mea liberalitas, omnes.' Alio tempore, Epist. IX. 40. 'Non jam comœdo, vel lyristæ, post cœnam locus.' Aliis vero convivantibus ista studiorum ratio minus grata fuit; unde Plin. Epist. IX. 17. 'Quam multi, cum lector, aut lyristes, aut comœdus inductus est, calceos poscunt, aut magno cum tædio recubant!' *Schwarz.*

Brevis somnus] Ex Homerico præcepto: Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. *Dedecus est totam rectorem stertere noctem.* Lips.

Tempus angustius] I. e. brevius. Behrius, Gedanensis, maluit hæc interpretari, aut pro his reponere, *tempus magis anxium;* forte, uti alii auctores dicunt, *res angustas, animum angustum, in angustiis versari.* Cic. de Orat. I. 1. 'In his vel asperitatibus rerum, vel angustiis temporis, obsequar studiis nostris.' Sed propria significatio vocis *angustius,* pro *brevius,* magis hic locum habet. Ex consensu omnium codicum Mss. et antiquiorum quarundam editionum, transposui has voces, quæ inverso ordine vulgo leguntur, *angustius tempus.* Schwarz.

CAP. L. *Ut participes*] I. e. tanquam consortes et συνδεσπόται, qui in partem juris rerum tuarum veniamus, veluti liberi habentur participes parentum. Sic Menedemus Terentianus, Heaut. I. 1. 98. filium vocat

'participem suum.' 'Nec fas est,' inquit, 'ulla me voluptate hic frui, nisi ubi ille huc salvus redierit meus particeps.' More enim Romano, filius 'particeps patris' dicebatur, quia, patre vivo, existimabatur habere jus bonorum; sed, eo mortuo, demum possessionem. Quo respexit et Cic. Verr. I. 44. 'Quibus cum (liberis) vivi bona nostra partimur, iis prætor adimere, nobis mortuis, bona fortunasque poterit?' Justinian. Instit. de Heredum Qual. et Diff. § 2. 'Sui heredes, qui vivo quoque patre quodammodo domini existimantur.' Cf. Excurs. XLII. *Schwarz.*

Quam propria] In libro Vossiano annotatum est, *quasi propria, quasi nostra sunt.* Sed hæc inanis est variatio; nec pluris facio scripturam codicis Guelpherbytani, *quam propria, tam nostra sunt.* Idem.

Omne stagnum] Loquitur de villis priorum principum, qui ea specie immensum agrorum tractum occupabant. *Lips.*

Immensa possessione] Noti in Neronem versus, 'Roma domus fiet, Veios migrate Quirites, Si non et Veios occupat ista domus.' *Livin.*

Immensa possessione] Allusum ad eos, qui sibi omnia volebant, et super civium ruinas magnifica sibi opera construebant; et maxime ad Neronis tempora, de quo vulgata illa carmina, apud Sueton. cap. 29. 'Roma domus fiet: Veios migrate, Quirites; Si non et Veios occupat ista domus.' Quamvis Lipsius nolit eis assentiri, qui hæc de Neronis domo dicta intelligunt. *Patarol.*

Possessione circumvenis] I. e. immensa possessione circumdas et concludis; metaphora vel ab indagine venantium, et silvas quasi vallantium; vel ab exercitu hostes circumcludente et urgente, desumta. Plin. Hist. Nat. VIII. 3. ubi de elephantibus agit, 'Circumventi a venantibus, primos constituunt minimi.' Quæ verba sic reddit Solinus cap. 25. 'Cum venatu premuntur, pariter affligunt utrosque,' &c. Sallust. Jugurth. cap. 57. 'Mœnia exercitu circumvenit.' Idem cap. 76. 'Vallo fossaque mœnia circumvenit.' Cæsar B. G. v. 35. 'Et ab iis qui cesserant, et ab iis qui proximi steterant, circumveniebantur.' Cic. de Offic. II. 14. 'Ei subveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri urgerique videtur.' Tacit. Annal. I. 25. 'Ceteri tribunal ingenti agmine circumveniunt.' *Schwarz.*

Flumina] Quid mirum? cum tunc opes privatæ ita magnæ, ut flumina haberent in suo orientia et cadentia. Seneca Epist. 89. 'Illustrium fluminum per privatum decursus, et amnes magni, magnarumque gentium termini, usque ad ostium a fonte, vestri sunt:' et plura huic rei vix credendæ et admirandæ, quæ subjungit. Ideoque et in Admirandis dixi lib. II. cap. ult. Non audio, qui hæc ad Neronis domum referunt: planissime contra Plinii verba et mentem. *Lips.*

Fontes] *Fontes* arbitror verum, non *montes*, quod in C. editur. Ac mihi commodum veniunt in mentem et Propertii mei versus, quos adscribam, et non uno loco medicinam eis faciam. 'Ne tibi sit durum montes, et frigida saxa, Galle, neque expertos semper adire lacus, Quæ miser ignotis,' &c. Moneo primum, *fontes* legendum, non *montes*: dehortatur enim Gallum a fontibus ac fluminibus, et omnino ab aquis, non montibus. Probant aperte, quæ præcedunt, sive leges 'umbrosæ flumina silvæ,' &c. Tum 'durum' interpretor 'calamitosum et infelix,' quod χαλεπὸν Græci dicerent. Callimachus Lavacro Palladis: Τίς σε τὸν ὀφθαλμοῖς οὐκετ' ἀποισόμενον Ὦ Εὐηρεΐδα χαλεπὴν ὁδὸν ἄγαγε δαίμων; id est, ut nos olim vertebamus, *Quis te, non oculis salve abiture tuis, Durum iter, huc,*

miserande Deus, Deus intulit hostis? Proxime quoque germanum est *experto*, non *expertos*. Patet de sententia. Ne durum et infelix tibi sit fontes semper et lacus adire, haud dum experto, 'quæ miser ignotis,' &c. *Livin.*

Fontes, maria, deserviunt] Solus Cuspinianus pro voce *fontes*, edidit *montes*. Pro verbo *deserviunt*, Vossius annotavit *destruuntur*. Sed verbum *deserviunt*, i. e. omnino serviunt, optime huc quadrat, quo etiam Cicero, et alibi Plinius, aliquoties usi sunt. Ceterum, de immensis principum quorundam possessionibus non pauca memorant scriptores. Apud Petron. c. 48. Trimalcio, sub quo, aut Tiberium, aut Caligulam, aut Neronem latere, non nulli putant, jactabundus ait, 'Suburbanum meum dicitur confine esse Taracinensibus et Tarentinis (locis plurimum a se disjunctis). Nunc conjungere agellis Siciliam volo, ut, cum Africam libuerit ire, per meos fines navigem.' Quibus verbis a Satyrico perstringitur 'ingens illa cupido, et insana libido agros continuandi,' ut Livius vocat, XXXIV. 4. Plinius Major XXXVI. 15. 'Bis vidimus urbem totam cingi domibus principum, Caii, et Neronis, et hujus quidem, ne quid deesset, aurea.' Cf. Sueton. Ner. cap. 31. et Senec. Epist. 89. *Schwarz.*

Est, quod Cæsar] Variant hic libri. Cod. Vaticanus 1475. Venetus 1. Salisburgensis, Guelpherbytanus, et meus, habent *Et quod Cæsar suum non videat?* At codex Parisiensis, Venetus 2. et, in impressis libris, Puteolanus, et Beroaldus, *Et quid Cæsar non suum videat?* Optima lectio est vulgata, quæ apte congruit cum sequentibus verbis, et quam tres ceteri codices Vaticani confirmant. *Idem.*

Est, quod Cæsar] *Ecquid Cæsar* Livin. in textu. Sed in margine, *Est, quod Cæsar* G. recte. *Rittersh.*

Est, quod Cæsar] *Ecquid Cæsar.* Postulat fere sententiæ nexus, *Est, quod Cæsar*, uti adscriptum erat ad oram editionis Livineianæ, et reperit in editione Viennensi Bongarsius. *Gruter.*

Est, quod Cæsar] *Ecquid Cæsar.* 'Universa in imperio ejus sunt, in patrimonio propria.' Sen. B. VII. 6. *Bern.*

Tandemque imperium] Quasi olim principum possessiones per totum imperium sparsæ, et illi pæne æquales. Nam errant, qui in alium hæc sensum trahunt, quasi ideo 'majus imperium, quia cives dicto audientes sunt.' Nugæ. *Lips.*

Tandemque imperium] Hocne insolitum? Omnino. Aliorum principum patrimonium fere æquabat imperium, cum pæne omnes imperii agros soli possiderent; Trajani vero secus. *Bern.*

Imperium principis] Pertinet huc, quod Seneca de Benef. VII. 5. scribit: 'Enimvero, sic omnia sapientis esse dico, ut nihilo minus proprium quisque in rebus suis dominium habeat: quemadmodum sub optimo rege, omnia rex imperio possidet, singuli dominio.' Et cap. 6. 'Cæsar omnia habet; fiscus ejus privata tantum, ac sua; et universa in imperio ejus sunt, in patrimonio propria.' Equidem *imperium* late sic dictum complectitur summam potestatem imperantium, non solum civium sibi subjectorum actiones dirigendi, sed etiam de ipsorum bonis ad salutem reipublicæ disponendi. Quo referimus id, quod Plinius supra, XXVII. 4. dixit, 'Cujus est, quidquid est omnium, tantum ipse, quantum omnes, habet.' Sed pertinet huc etiam 'jus eminens,' sive 'supereminens,' quod vocant juris naturæ scriptores; quo boni principes non, nisi urgente necessitate, et boni publici caussa, utuntur; mali vero sæpe, pro animi sui libidine, et tanquam patrimonio suo, abutuntur. Qua mente Cæsar

Caligula, referente Sueton. cap. 47. procuratoribus suis scripsit, 'triumphum appararent, quantus nunquam alius fuisset: quando in omnium hominum bona jus haberet.' Ad patrimonium autem principis pertinebant ejus res privatæ et propriæ. De 'jure supereminente' vide Grot. de Jure Bell. et Pac. II. 14. 7. et III. 19. 7. *Schwarz.*

Majus est] Plus est, quod publico usui abundat, quam quod sibi Cæsar congerit; majus ærarium publicum patrimonio Cæsaris. *Patarol.*

Refert in imperium] Behrius pro *refert*, mavult *refers;* quæ lectio, si veterum librorum suffragio juvaretur, nec mihi displiceret; cum eadem persona non longe præcesserit in verbo 'circumvenis.' Adhæc mox sequitur, 'magnum hoc tuum meritum.' Nihil tamen est mutandum, cum jam proxime antecesserit verbum tertiæ personæ, 'Est, quod Cæsar non suum videat.' Acutius vero in libro Vossiano punctis subnotatur præpositio *in*, quasi, ea omissa, legi debeat: *multæ enim ex patrimonio refert* (i. e. recuperat) *imperium, quæ priores principes occupabant.* Nolim tamen hanc præpositionem de sua possessione dejicere. *Schwarz.*

Pares domini] I. e. æque digni ac nobiles, ut priores; non minores, neque impares, domini. Secundum enim Cic. de Offic. I. 39. odiosum est, cum a præter euntibus dicitur, 'O domus antiqua, heu, quam dispari dominare domino!' Contra Plin. Epist. VII. 24. 'Lætor,' inquit, 'quod domus aliquando C. Cassii ... serviet domino non minori.' Ceterum bene quidem recteque se habet lectio vulgata: non possum tamen silentio præterire, in codice Ms. Guelpherbytano vocabulum *nobiles*, his verbis ita inseri, *immigrant pares nobiles domini.* Eandem vocem etiam Gudius offendit in quodam codice Ms. sed quæ punctis fuit subnotata, tanquam supervacanea. Est enim hæc intercalatio omnino nihili: volui tamen eam annotare, ut manifestum proferrem exemplum, quomodo per glossas, ut vocant critici, intempestive intercalatas, non pauca veterum scriptorum loca potuerint corrumpi. Scilicet postquam librarius vel invenerat in codice antiquo, quem describebat, hoc nomen, *nobiles*, supra vocabulum, *pares*, interpretationis caussa scriptum, vel ipse hanc interpretationem habuerat in animo; eam, sive imprudens, sive ineptus, in ipsum contextum orationis intulit: unde ista corruptela ex verbo supervacuo. Lubet huc transferre, quæ Casp. Scioppius in Commentario de Arte Critica, p. 81. de hoc genere corruptelæ observavit. 'De glossis,' inquit, 'hoc tenendum: bellos illos librarios superiorum sæculorum, quæcunque vel ad oram, vel in margine libri alicujus, vel supra lineam, explicationis loco, adscripta, (hæ enim dicuntur glossæ, vel glossemata,) repererunt, simul in contextum recepisse; sæpe etiam, quod glossemata illa melius intelligerent, veteri et genuina scriptura expulsa. Et hæ cum cura legentibus hominibus ingeniosis facile se prodere consueverunt.' *Schwarzius.*

Pares domini] Item nobiles. *Lips.*

Receptacula] Villæ et prætoria olim illustrium. *Idem.*

Servo] Qui villicus ibi vel actor sit. *Idem.*

Servo teruntur] Significantius utitur Plinius verbo *teruntur;* cum, Arntzenio bene explicante, *teri* dicantur, quæ corrumpuntur et absumuntur; sequioris Latinitatis auctores dicerent 'deteriorantur,' i. e. deteriora fiunt, aut detrimentum capiunt. Sed potest verbum 'terere' etiam simpliciter per 'frequentare' exponi; uti infra, LXV. 3. 'Inadscensum illum superbiæ principum locum terere.' *Schwarz.*

Servo teruntur] Sublatis optimis ci-

vibus, mali principes eorundem bona ad fiscum devolvebant; eadem delatoribus, adulatoribus, libertis, aliisque coinquinatis aulicis, dono dabant. *Patarol.*

Vastitate] Desolatione, solitudine; ereptis eorundem dominis, seu ferro, seu exilio. *Idem.*

Vastitate] Desolata, nec culta. Sed unde, inquies, tam multa hæc ad principem? ex iniquis damnationibus cædibusque nobilium, quorum bona ad fiscum. *Lips.*

Deterso situ] In codice Guelpherbytano legitur *detruso situ;* cui autem variationi præferenda est lectio vulgata. *Schwarz.*

Auctas ac vigentes] Mirum est, in codice Vaticano 1475. in Salisburgensi, et libro Vossiano, pro his vocibus legi *avectas et ingentes.* Putes, ædes dici *evectas,* quasi in altum sublatas. Sed nihil mutandum censeo. Sic etiam in sequentibus verbis, in Pataroli editione legimus *sistere minas;* ubi in omnibus aliis libris extat *sistere ruinas.* Adhæc codex Vaticanus 3461. et Guelpherbytanus, inutilem exhibent variationem, pro *exstructa* prodentes *instructa.* Idem.

Auctas] Restitutas, nisi cui arridet *lautas.* Lips.

Erga tecta ipsa, meritum] Constantinus quidem Imperator Trajanum herbam parietariam, ob titulos multos ædibus inscriptos, appellare solitus. Epitoma Sex. Victoris. Adscribam et Ammiani verba e lib. XXVII. de Lampadio quodam: 'Per omnia civitatis membra, quæ diversorum principum exornarant impensæ, nomen proprium inscribebat, non ut veterum instaurator, sed conditor. Quo vitio laborasse Trajanus dicitur princeps. Unde eum herbam parietinam jocando cognominarunt.' *Livin.*

Eodem] Magno, et locorum amante. *Lips.*

Domini scientis] *Donum scientis* Livin. in textu; sed in margine, *domini non servientis* C. G. Optime. *Rittersh.*

Domini scientis] *Donum scientis.* Proba lectio, *domini non servientis,* maxime auctoribus libris, et supra dixerat, 'nec jam clarissimorum virorum receptacula habitatore servo teruntur,' sed hæreo, quid exsculpam e *scientis,* quod cum hoc nostro V. R. præferunt; nam ex *donum* haud gravatim *domini* feceris, quæ in V. liquida scriptura est. *Livin.*

Domini scientis] Libris aliis, *domini non servientis;* id esset, quod supra dixit, 'non habitatore servo teruntur.' Ego negationem rejecerim, scribamque *domini fruentis.* Lips.

Domini scientis] Non una varietas in his verbis occurrit. Plurimi codices Mss. comprobant hanc ipsam lectionem. Excusi antiquiores habent *donum scientis;* ubi tamen non obscure apparet, quam facile nomen *domini,* in *donum,* transire potuerit. Ex Lipsii conjectura in paucis exemplaribus natum est *domini fruentis.* In plurimis ceteris excusis libris legitur *domini non servientis.* Ultima quidem hæc lectio præ ceteris videtur planior; unde et hanc retinuit Arntzenius, eamque e contrario, quam nunc recepi, *quæsitam* vocat, neque quemquam putat Romanum sic loqui potuisse: hanc ipsam tamen, quam jam egregie vindicavit Gronovius, ego utique Plinianæ sententiæ duco convenientiorem esse, et significantiorem, quam quæ ex solo ingenio librariorum nata videatur. Loquitur enim Plinius de ejusmodi domino, qui sua prædia, suasque domus, *frequentat;* is non est talis, qui immensas possessiones habet, quas ipse non habitat, ac ne novit quidem; qualis erat Trimalcio Petronianus, per quem Caium, aliumve insatiabilem principem, designari dixi; qui, c. 48. jactabundus, 'Vinum,' inquit, 'si non placet, mutabo. Deorum beneficio non emo; sed nunc, quidquid ad salivam facit, in suburbano nascitur meo, quod ego adhuc non novi,' &c. (Ubi vides exemplum domini sua bona nescientis.)

Sed hic denotatur talis dominus, qui, exemplo Trajani, modicus est in acquirendis retinendisque possessionibus, ac qui novit et scit sua bona, iisque utitur. Ita Plinius de domino mediocris possessionis, Epist. I. 24. ait, 'Eum omnes viticulas suas nosse, et numerare arbusculas posse.' Certe, quamvis verba, *domini non servientis*, per se sint perspicua, vix tamen locum hic habere possunt; cum paullo ante jam idem dixerit Plinius, ubi dixit, 'nec jam clarissimorum virorum receptacula habitatore servo teruntur.' Sed copiosius hunc locum illustravi in Excurs. XLVI. *Schwarz.*

Cæsaris tabula] Equidem et boni principes aliquando ex inopia pecuniæ auctionem fecerunt rerum supervacuarum, ut succurrerent publicæ necessitati. Sic Dio, lib. LXVIII. p. 770. narrat, Nervam imperatorem, cum egeret pecunia, magnum numerum vestium, multaque vasa argentea atque aurea, et reliquam supellectilem, non modo de privatis suis, sed etiam de principalibus rebus, multa etiam prædia, multasque domos, atque in summa omnia, præter ea, quæ necessaria erant, vendidisse. Etiam Capitolinus in Antonino Pio, cap. 7. 'Species,' inquit, 'imperatorias superfluas, et prædia, vendidit.' Idem Capitolinus in Antonino Philos. cap. 17. 'Cum ad hoc bellum,' inquit, 'omne ærarium exhausisset suum, neque in animum induceret, ut extra ordinem provincialibus aliquid imperaret, in foro divi Trajani auctionem ornamentorum imperialium fecit, vendiditque aurea pocula, et crystallina, et myrrhina, vasa etiam regia, et vestem uxoriam sericam et auratam, gemmas etiam, quas multas in repositorio sanctiore Hadriani repererat.' Sed auctiones rerum superfluarum aliquando etiam habuere principes perversi, vel jactantiæ caussa, ut ostentarent, se opibus et supellectile ita abundare, ut ex iis multa superflua dimittere possent; vel ex avaritia insatiabili, ut ex ejusmodi nundinatione lucrum caperent. Cujus rei insigne exemplum præbet Cæsar Caligula. Referente enim Sueton. cap. 38. et 39. hic, 'auctione proposita, reliquias omnium spectaculorum hastæ subjecit, et venditavit, exquirens per se pretia, et usque eo extendens, ut quidam immenso coacti quædam emere, ac bonis exuti, venas sibi inciderint. . . . In Gallia quoque, cum damnatarum sororum ornamenta immensis pretiis vendidisset; invitatus lucro, quidquid instrumenti veteris aulæ erat, ab urbe repetiit.' Hunc pessimum morem perstrinxit etiam Petron. Sat. c. 39. cum locupletis liberti proscriptionem commemorat. 'Inclinatis,' inquit, 'rebus suis, hoc titulo auctionem proscripsit: IVLIVS PROCVLVS. AVCTIONEM. FACIET. RERVM. SVPERFLVARVM.' Ad quem locum Burmannus, de re literaria meritissimus, ὡς ἐν παρόδῳ annotavit, in hoc Plinii nostri loco, se per Cæsaris auctionem intelligere auctionem Cæsaris Caligulæ, non Nervæ, uti Lipsius et Casaubonus sint interpretati. Cui sententiæ Burmannianæ et ego lubens accedo. Certe enim 'avaritia illius' respicere videtur ad eum ipsum Cæsarem, cujus 'tabula ingens rerum venalium,' quasi in memoriam detestandæ ejus avaritiæ, adhuc Trajani tempore 'circumferri' dicitur. Caligula autem indefinite hic vocatur 'Cæsar;' uti mox 'princeps,' in his verbis: 'cum exitialis apud principem,' &c. atque uti Plinius etiam alibi, si de malis Cæsaribus loquitur, indefinite nomine Cæsaris utitur; v. g. mox in hoc ipso capite: 'Illud nunquam nisi Cæsaris suburbanum;' et LXX. 6. 'Vides enim: si quid bene fecero, nesciet Cæsar,' &c. Si Plinius hic Nervæ auctionem indicare, ac laudare, voluisset, significantius scripsisset, *sub nomine patris tui tabula, &c.* Tabula vero rerum venalium etiam 'titulus' Petronio aliisque ap-

pellatur. Pro verbo *circumfertur*, in codice Vaticano 3461. scriptum est *confertur*. Idem.

Tabula] Villarum fundorumque venalium, qui principis fuissent. Nam Nerva jam ante vendiderat (in Dione) ' pecuniæ egens, vestes, vasa, supellectilem, et quidquid non necessarium in aula esset.' At Trajanus igitur ex ipso patrimonio principali imminuit: quod immensum creverat. *Lips.*

Tabula] ' Antoninus Philosophus, ne in bello Marcomannico, quod omne ærarium exhausisset, extra ordinem provincialibus aliquid imperaret, in foro Divi Trajani auctionem ornamentorum imperialium fecit.' Capitol. c. 16. Quid nostri? nostra *ἄγειν καὶ φέρειν*. *Bern.*

Quod sit detestanda] Forte *Quo sit*. Livin.

Quod sit] *Quo sit*. Odoror hiatum aliquem, sed levem. *Lips.*

Quod sit] Valde dubito, an hujus loci integritatem præstare possim. Lipsius, ' Odoror,' inquit, ' hiatum aliquem, sed levem.' Behrius, Gedanensis, hunc hiatum expleturus rescribendum putavit *tabula ingens rerum venalium; quæ testis est, quam sit detestanda avaritia, &c.* Sed hujusmodi intercalationes, antiquitatis testimonio destitutas, non facile admittit critica moderatior; quamvis alioquin earum sententia nihil *σόλοικον*, nihil absurdum, contineat. Animadverto autem in libris tres varias lectiones. Boxhornius, Kirchmaierus, et Cellarius, qui vero nullo codicum Mss. subsidio usi sunt, edidere *Quod fit*. Ubi opinor, sequentes voces, *detestanda avaritia*, casu sexto accipi debere; prout dicitur, *fit fato*, *fit tua culpa*, *&c.* quasi dicere voluerit Plin. *Quod* (nempe, ut circumferatur tabula illa) *fit detestanda avaritia*, i. e. propter detestandam avaritiam illius. Alii habent *Quo sit*. Quam lectionem hunc in modum *παραφράζει* Baunius: ' ut proponatur omnibus execranda Domitiani avaritia, qui,' &c. Hanc ipsam lectionem primus e conjectura in margine editionis suæ annotaverat Livineius, atque ita probavit aliis viris eruditis, ut eandem interim in contextum receperint Lipsius, Bernegger, Grævius, Baunius, Patarol, Ceva, Gesnerus. At omnes codices Mss. communi consensu, et omnes ceteri libri impressi, produnt *Quod sit*. Quam lectionem sine difficultate recte posse exponi, professus quidem est; sed, quod cum Gesnero ægre fero, non ipse exposuit Arntzenius. Interim particulam *quod*, per ' quia,' vel ' eo quod,' explicandam puto, quasi dicat Plinius, ' Circumfertur sub nomine Cæsaris tabula ingens rerum venalium, eo quod sit detestanda avaritia,' &c. Quod si vero contra communia tot librorum antiquorum suffragia conjecturæ locum concedere liceat, ipse quoque conjecturæ Livineii locum indulgerem. *Schwarz.*

Illius] Domitiani palam; male, qui ad Neronem trahunt. *Lips.*

Tum exitialis] *Tamen exitialis* Livin. in textu, sed in marg. *Tum exitialis* V.

Tum exitialis erat] Codices Mss. Vaticani, Parisiensis, Veneti, Guelpherbytanus, meus, recte habent *tum*; pro qua particula non pauci editores evulgarunt *tamen*. Verum rectius sibi respondent *tum* et *nunc*. Sic et Cicero has particulas inter se confert; v. g. Fam. IX. 16. ' Tum enim, cum rem habebas, quæsticulis te faciebam attentiorem: nunc, cum tam æquo animo bona perdas, non eo sis consilio,' &c. Idem ad Attic. IX. 19. ' Tum eramus in maxima spe; nunc ego quidem in nulla.' Equidem eodem prorsus modo etiam particulis *tunc* et *nunc* utuntur optimi auctores Latini, easque etiam in hoc Plinii loco evulgarunt non nulli; sed non est, cur ab auctoritate codicum Mss. recedamus. Præterea, in codice Salisburgensi, et

Guelpherbytano, genere neutro positum est, *Tum erat exitiale*, i. e. res exitialis. Non quidem ab hac Græca loquendi ratione abhorret usus linguæ Latinæ; v. g. apud Virgil. Ecl. III. 80. 82. 'Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,' &c. et apud Ovid. Amor. I. 9. 4. 'Turpe senex miles, turpe senilis amor:' malo tamen sequi lectionem vulgatam. Nescio vero, cur Arntzenius prætermiserit verbum *erat*. Schwarz.

Amœnior villa] Simile in triumvirali proscriptione Appianus notat, et 'quendam conspecto nomine suo in tabula, exclamasse, Heu, villa Albana me perdidit.' *Lips.*

Quærit] Publica venditione. *Idem.*

Magni aliquando imperatoris] Neronis expositum Raiano, falso, et indocte; quid enim minus est verisimile, quam ut magnum imperatorem vocet, cujus panegyricus hic perpetua quædam satira est? Ait κατὰ εἰρωνείαν. Nugæ. Equidem Lucullum ceperim. Plutarchus in ejus Vita, Καὶ νῦν ἐπίδοσιν τοιαύτην τῆς τρυφῆς ἐχούσης, οἱ Λουκουλλιανοὶ κῆποι τῶν βασιλικῶν ἐν τοῖς πολυτελεστάτοις ἀριθμοῦνται. *Nunc quoque, in tam effuso et exundante luxu, hortorum principalium sumtuosissimi Luculliani censentur.* Adscripsi, quæ huc potissimum faciunt, reliqua inibi proclive petere. *Livin.*

Magni] Veteris alicujus Luculli, Pompeii, aut similis. *Lips.*

Magni aliquando imperatoris] Neronis, cujus hortos et domum Trajanus communes fecit; seu etiam Domitiani, qui Albanum sibi secessum constituerat, mox fortasse a Trajano publici juris factum. Livineius ad Luculli hortos Nostrum respexisse contendit; irasciturque Rayano, quod de Nerone agi censeat, tanquam de eodem nomen *Magni* dici non potuerit. At quis Romanorum principum 'Magnus' dici non possit; si non virtutibus ac meritis, at potestate sane ac divitiis? Non negaverim, et ad Lucullum respicere Plinium potuisse; at cur non etiam, et potius, ad Neronem? *Patarol.*

Magni aliquando imperatoris hortos] In codice Salisburgensi et meo desideratur adverbium *aliquando*; quod, si ex suffragio reliquorum librorum retineatur, eo clariori est indicio, Plinium loqui de hortis alicujus veteris imperatoris tempore reipublicæ liberæ. 'Horti' autem vocabantur villæ, cum hortis, nemoribus, fontibus, piscinis, magno quidem apparatu ad quodvis deliciarum genus instructæ. Cujusmodi horti passim ab antiquis scriptoribus commemorantur, Luculliani, Pompeiani, Mæcenatiani, Sallustiani, Serviliani, Lamiani, Lauriani, Neronis, horti Cæsaris ad Tiberim, et alii. Potissimum hic designari puto hortos Luculli vel Pompeii, qui 'magni imperatores' celebrabantur. Vid. Cic. pro lege Manil. c. 8. et pro Archia c. 10. Lucullus Mithridatem vicerat; cujus hortorum meminit Plutarch. in Vita ejus, pag. 518. Καὶ νῦν, ἐπίδοσιν τοιαύτην τῆς τρυφῆς ἐχούσης, οἱ Λουκουλλιανοὶ κῆποι τῶν βασιλικῶν ἐν τοῖς πολυτελεστάτοις ἀριθμοῦνται, h. e. Etiam hac ætate, ubi maxime gliscit luxus, horti Luculliani inter principales hortos sumtuosissimi habentur. 'Hortorum Pompeianorum' mentionem facit Vell. II. 60. Et Cic. Philipp. II. 42. 'Signa, tabulas, quas populo Cæsar una cum hortis legavit, eas hic partim in hortos Pompeii deportavit, partim in villam Scipionis.' Idem Philipp. XIII. 5. 'Redimet Pompeius hortos, ædes, urbana quædam, quæ possidet Antonius.' *Schwarz.*

Nunquam nisi] Assidue possessum Cæsaribus. Talia autem multa, nec opus ad unum Albanum Domitiani confugere. *Lips.*

Cæsaris suburbanum] Suburbanum dicitur prædium, vel fundus, extra quidem, sed ordinarie prope urbem; aliquando tamen etiam, si longius ab-

esset. Sic Florus I. 11. Tibur, quod ad vicesimum ab urbe lapidem abesset, vocat 'suburbanum.' Trimalcio apud Petron. c. 48. 'Nunc, quidquid ad salivam facit, in suburbano nascitur meo, quod ego adhuc non novi. Dicitur confine esse Taracinensibus et Tarentinis: nunc conjungere agellis Siciliam volo.' Ipse Cic. Verr. II. 3. de Sicilia, 'Populo Romano jucunda suburbanitas est hujusce provinciæ.' Ita nempe et ipsa Sicilia dicebatur Romanis 'suburbana,' quia proxima omnium provinciarum, et prope in conspectu urbis erat. Hoc loco Plinius indefinite vocat 'Cæsaris suburbanum,' non unum et certum intelligens; cum Cæsaris, aliorumque opulentorum Romanorum, multo plura essent prædia. Per enallagen vero adverbii pro adjectivo dicit, *illud nunquam nisi Cæsaris suburbanum*, pro *illud nullius, nisi Cæsaris, suburbanum*, aut, *illud semper Cæsaris suburbanum*, i. e. illud suburbanum, a nullo adhuc, nisi a Cæsaribus, possessum. Simili fere ratione dixit Terent. Andr. I. 2. 4. 'Heri semper lenitas, verebar, quorsum evaderet.' Et Virgil. Æn. I. 198. 'Neque enim ignari sumus ante malorum.' *Schwarz.*

Emimus, implemus] Lipsius addit explicandi caussa, 'Implemus nostris rebus, servis, nobis ipsis.' Bene; nam quod Cicero de Offic. I. 39. ait, 'in domo clari hominis, in quam et hospites multi recipiendi, et admittenda hominum cujusque modi multitudo, adhibenda est cura laxitatis: aliter ampla domus dedecori domino sæpe fit, si est in ea solitudo; et maxime, si aliquando alio domino solita est frequentari.' Atque hoc sensu explicamus verbum 'implere' apud Tacit. de Germ. c. 35. 'Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed et implent.' Hoc tamen loco verbum istud aliquid amplius significare videtur, quam solummodo loca frequentibus incolis et supellectile complere: notat enim præterea, dignitate æquare suburbanum, aliaque ejus generis loca, iisque dignum haberi. In hanc sententiam Plinius hoc verbo usus est Epist. VII. 24. 'Lætor, quod domus aliquando Cassii, hujus, qui Cassianæ scholæ princeps et parens fuit, serviet domino non minori. Implebit enim illam Quadratus meus, et decebit, rursusque ei pristinam dignitatem, celebritatem, gloriamque reddet.' Ad quem locum Cortius hæc annotavit: 'Implere domum,' est, parem illi esse, neque majus decus a domo accipere, quam ipsi afferre. Ita et Plinius supra 15. de Trajano: 'Posteri visere gestient, quod tectum magnus hospes impleveris.' Neque solum de æquanda habitationis, sed et aliarum rerum dignitate, idem verbum usurpatur; v. g. Plin. Epist. II. 1. Verginius Rufus 'summum fastigium privati hominis implevit, cum principis nollet.' Ovid. ex Pont. I. 2. 'Maxime, qui tanti mensuram nominis imples.' Flor. II. 14. 'Regiam formam, regium nomen, animo quoque regio implevit.' *Idem.*

Implemus] Nostris rebus, servis, nobis ipsis. *Lips.*

Principalibus rebus] Intelligit eundem conviviorum cultum ipsis privatis ac imperatoribus exhibitum, ut sunt vestimenta, vasa argentea, et aurea, alia supellex. Caligula pœnitentiam simulabat, quod 'principalium rerum privatis copiam faceret.' Suet. 'Principale' id omne, quod 'amplissimum.' Sic Apuleio VIII. 'Vir principalis est optimus et amplissimus' in civitate; 'principalis porta,' qua principes ordinis tendunt. Eadem notione sæpissime apud jurisconsultos. *Bern.*

Nec vero emendi] *Nunc vero emendi* Livin. in textu; sed in margine *Nec vero emendi* V. C. G. R. Recte. *Rittersh.*

Copiam præbes] Cæsar Caligula pœnitentiam simulabat, 'quod principalium,' i. e. Cæsarianarum, 'rerum privatis copiam faceret.' Sueton. Calig. c. 39. In aliquot editionibus antiquis hic locus a principio mendose excusus legitur, *Nunc vero emendi tantum, &c.* sed hæ particulæ *nec*, *nunc*, etiam alibi sæpe confunduntur. *Schwarz.*

Ita, inquam, donas] Conjecit Lipsius, pro *ita*, legendum esse *ista*. Amplecterer hoc pronomen, si id repræsentassent codices Mss. aut libri excusi spectatæ auctoritatis; sine his non requiro: cum etiam ex vulgari usu subaudiri possit *ea*. Idem.

Ita, inquam] Forte, *Ista, inquam*. Livin.

Ita, inquam] Fortasse, *Ista;* tua nempe propria, et in quæ, ut heres, Nervæ successisti. *Lips.*

Judicio accepisti] *Judicio*, i. e. jure tuo, ac merito, nempe per adoptionem, successionem, hereditatem, aliosque legitimos modos; secundum judicii normam; non injuria, non vi, nec scelere. Ita hæc sibi invicem opponit Plin. Epist. III. 14. 'Non enim judicio domini, sed scelere, perimuntur.' Cic. pro A. Cæcina, c. 1. 'Hoc constantis hominis esse putavit, qui cum vi et armis certare noluisset, eum jure judicioque superare.' Idem Famil. v. 2. 'Neque illi quidquam deliberatius fuit, quam me, quacunque ratione posset, non judicio, et disceptatione, sed vi atque impressione, evertere.' An vero putemus, Plinium his verbis id respicere, quod supra VIII. 1. dixit, 'Nec (Nerva in adoptando Trajano) judicium hominum, sed Deorum etiam, in consilium assumsit?' *Schwarz.*

Amicos] Regis illius nota vox, 'Ubi thesauri?' amicos ostendentis. *Lips.*

CAP. LI. *Parcus in ædificando*] Adjectivum *parcus* Plinius alibi, haud secus, ac alia nomina, quæ copiam aut inopiam significant, conjungit cum casu gignendi; v. g. Epist. x. 25. 'Quamquam ejusmodi honorum parcissimus.' Nunc, addita præpositione, connectit cum casu sexto; uti supra, c. 3. 'Non tam vereor, ne me in laudibus suis parcum, quam, ne nimium, putet.' Sic et Epist. I. 22. 'Quam parcus in victu, quam modicus in cultu!' Epist. x. 11. 'Parciorem me in laudande facit, quod spero,' &c. Intelligit autem duntaxat privatam Trajani parsimoniam in ædificiis ad usum suum parandis; de publicis enim paullo inferius dicit, 'At quam magnificus in publicum es!' *Schwarz.*

Ædificando] Privatim scilicet, et in tuos usus; nam publice contra, ut subdet. *Lips.*

In tuendo] I. e. in conservando. Sic et Varro hæc conjungit, de Re Rust. I. 11. 'Majora tecta, et ædificamus pluris, et tuemur,' i. e. sarta tecta conservamus, 'sumtu majore.' *Schwarz.*

Ut ante] Puta sub Nerone, aut Claudio, quorum uterque opera maxima excitavit, sed non sano judicio. Alludit ad moles immodicas, quæ subvehebantur ad ædificia. Juvenal. Sat. III. 'Longa coruscat Sarræo veniente abies, atque altera pinum Plaustra vehunt; nutant alte, populoque minantur,' &c. *Patarol.*

Non, ut ante] Insanum Domitiani studium ædificiorum notat, quod irrisum serio et Plutarcho in Poplicola: Ὁ μέν τοι θαυμάσας τοῦ καπιτωλίου τὴν πολυτέλειαν, εἰ μίαν εἶδεν ἐν οἰκίᾳ Δομιτιανοῦ στοὰν, ἢ βασιλικὴν, ἢ βαλανεῖον, ἢ παλλακίδων δίαιταν, οἷόν ἐστι τὸ λεγόμενον Ἐπιχάρμου πρὸς τὸν ἄσωτον· οὐ φιλάνθρωπος τύγ' ἐστὶ, νόσον ἔχεις, χαίρεις διδοὺς, τοιοῦτο ἄντι πρὸς Δομιτιανὸν εἰπεῖν προήχθη· Οὐκ εὐσεβὴς, οὐδὲ φιλότιμος τύγ' ἐστὶ, νόσον ἔχεις, χαίρεις κατοικοδομῶν, ὥσπερ ὁ Μίδας ἐκεῖνος, ἅπαντά σοι χρυσᾶ καὶ λίθινα βουλόμενος γενέσθαι. *Enimvero qui capitolii splendorem admiretur, næ illi visa in Domi-*

tiani ædibus una porticu, aut basilica, aut balneo, aut pellicum diæta, cujusmodi est Epicharmi in prodigum dictum, Non ego humanum vocem te, morbum habes, gestis donare; tale quiddam et in Domitianum dicere incessat animus: Non ego pium te, neque magnificum vocem, morbum habes, ædificaturus, quasi Midas ille, cupidus omnia tibi aurea atque gemmea reddi. Lege Statii Epulum Domitiani Silv. IV. *Livin.*

Non, ut ante] Sub Domitiano, aulam illam suam Parrhasiam ædificante. *Lips.*

Saxorum] Columnarum, obeliscorum. Juvenal. Sat. III. 'Nam si procubuit qui saxa Ligustica portat Axis, et eversum fudit super agmina montem, Quid superest de corporibus?' Seneca in Epistolis: 'In hunc usum pinus aut abies deferebatur, longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus.' *Idem.*

Quatiuntur] Pius Aurelius apud Tacit. Annal. I. 75. 'questus, mole publicæ viæ, ductuque aquarum, labefactas ædes suas.' *Bern.*

Templa nutantia] I. e. vacillantia, trementia, et minitantia ruinam. De verbo 'nutare,' vide supra ad v. 6. Nec est, quod putes, Plinium scribere debuisse *nec jam templa nutant.* Nam *templa nutantia*, vel adhuc referuntur ad præcedens verbum *stant;* vel Græco more dicitur, *templa* sunt *nutantia,* pro 'nutant;' uti apud Ovid. ex Pont. IV. 3. 'Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,' i. e. pendent. Apud Cic. Fam. XIII. 12. 'Est præterea a nostris studiis non abhorrens,' i. e. non abhorret. Pro *nutantia*, vitiose scriptum est in codice Parisiensi *mutantia.* Quod mendum etiam primam Catanæi editionem invaserat, sed ex errore typographi. Ita vero etiam alibi hæc verba commisceri, observavit doctissimus Drakenborch. ad Silium, VI. 234. *Schwarz.*

Mavis magnum] In omnibus libris excusis editores, si forte tres exceperis, hanc lectionem antehac evulgarunt, *Satis est tibi, nimiumque, cum successeris frugalissimo principi, magis rejicere aliquid et amputare.* Sed hæc lectio semper mihi visa est minus cohærere. Unde enim dependeant infinitivi, 'rejicere' et 'amputare?' cum neutiquam apte referri queant ad prima verba, *Satis est tibi, nimiumque.* Quomodo enim recte dici possit, *nimium esse* Trajano, rejicere aliquid et amputare ex patrimonio suo? At omnes, quos consului, codices Mss. in excusis autem libris soli, Cuspinianus et Arntzenius, loco particulæ *magis*, ponunt adjectivum *magnum,* hunc in modum: *Satis est tibi, nimiumque, cum successeris frugalissimo principi; magnum, rejicere aliquid et amputare.* Sed, si *magnum* a ceteris verbis sejungas, ut quasi per se subsistat, et dicatur *magnum est*, tunc nimis abrupta existit sententia; ubi post priora verba, *satis est tibi, nimiumque,* potius *majus est*, quam *magnum*, expectares. Bongarsius, decus quondam eruditæ Galliæ, huic vulneri attulit medelam; cum, quod Gruterus et Gronovius tradunt, pro *magis*, aut *magnum*, reponendum censuerit verbum *mavis.* Est hæc quidem conjectura, sed et necessaria, et felicissima; quæ tandem sententiam Plinio dignam constituit, et cui saltem omnes libri, qui particulam *magis* prodidere, ad recuperandum locum suum præmunivere viam. Quam facile enim fieri potuit, ut a rudibus librariis *mavis* corrumperetur, transmutareturque in *magis?* Jam, si quæras, quid futurum sit de voce *magnum*, cui tot codices Mss. locum concedunt? ego eam, ob hunc ipsum codicum consensum, nihilo minus etiam admitto, at connecto cum sequenti voce, *aliquid: mavis magnum rejicere aliquid et amputare ex iis, &c.* Nec putes, sic vocabulum hoc superfluum fore; cum omnino ad augen-

dam frugalitatis laudem faciat, si Trajanus non simpliciter *aliquid*, sed *aliquid magnum*, ex rebus principalibus sibi relictis, tanquam superfluum resecare, et moderationem Nervæ, frugalissimi principis, tam luculento exemplo superare potuerit. Sic vero et ipse Plin. Epist. VII. 29. 'Ne se magnum aliquid adeptos putent.' et Epist. IX. 19. 'Qui magnum aliquod memorandumque fecerunt.' Juvenal. Sat. VIII. 263. 'Et quos Magnum aliquid dubia pro libertate deceret.' Ex una vero corruptela nata fuerat et altera. Corrupta particula *magis* suppresserat verbum *mavis*; eademque occasionem dederat expellendi epitheti *magnum*, tanquam supervacanei; cum inprimis insolenter diceretur *magis magnum aliquid*. At nunc, cum ex particula *magis*, quasi ad vitam revocatur verbum *mavis*, etiam epitheton *magnum* locum suum recuperare potest. *Idem.*

Rejicere aliquid] J. F. Gronovius Observ. IV. 16. non solum Bongarsii conjecturam de verbo *mavis* restituendo comprobavit, sed etiam pro verbo *rejicere*, reponendum censuit *recidere*. 'Recte,' inquit, 'Bongarsius restituendum duxit *mavis*; sed et pro *rejicere*, reponendum est *recidere*; quod solenne verbum in hac re, et similiter Latino Pacato restituimus. Plutarch. Catone Maj. καὶ περιέκοπτε τὴν πολυτέλειαν. Frontin. Strateg. lib. IV. 'recidendorum impedimentorum gratia.' Seneca Nat. Quæst. l. III. 'Occupationes recidantur; patrimonii longe a domino jacentis cura solvatur.'' Hactenus Gronovius. At largior quidem, verbum *recidere*, pro *rejicere*, videri elegantius poni; cum in id sæpius inciderit Gronovius; hujus etiam exquisitissimo alioquin et moderatissimo judicio plurimum tribuo: nunc tamen induci non possum, ut ei subscribam. Neque enim necessitatem quandam video verbi *rejicere* ex perpetua possessione depellendi; neque calculum alicujus libri pro adsciscendo verbo *recidere* deprehendo; nisi quod solus Gesnerus, Gronovianam conjecturam secutus, in recentiore editione ei locum dederit. Nescio certe, cur ille non recte dicatur aliquid magnum ex suis facultatibus *rejicere*, qui in seligendis secernendisque rebus suis partem retinet, partem inutilem, aut non necessariam, dimittit, et alienat. Cic. de Leg. I. 23. 'Animus exacuit illam, ut oculorum, sic ingenii, aciem, ad bona deligenda, et rejicienda contraria.' Quinctil. Instit. Orat. VI. 3. 'Facilius quid rejici, quam quid adjici, potest.' Hinc Varro etiam 'pecudes rejiculas' a 'rejiciendo' denominavit, quæ a cetero grege tanquam non necessariæ et inutiles segregantur, et alienantur, de Re Rust. II. 1. 'Præterea scire oportet, in grege quot feminas habeat, . . . quot rejiculæ sint alienandæ.' Et II. 5. 'Ut in reliquis gregibus pecuariis delectus quotannis habendus, et rejiculæ rejiciundæ.' Ego puto, in oratione panegyrica gravius dici, ex patrimonio aliquid magnum *rejicere*, quam *recidere*: at pone, melius videri verbum *recidere*; nescies, an et antiquis scriptoribus ea semper meliora sint visa, quæ nobis hodie videntur; ac, si re vera sint meliora, an iis etiam semper meliora in mentem calamumque venerint. *Idem.*

Mavis magnum rejicere] *Magis rejicere* Livin. in text. sed in margine, *Magnum rejicere* V. C.

Mavis magnum rejicere] *Magis rejicere aliquid.* Haud absurda est conjectura Bongarsiana, *Satis est tibi nimiumque, cum successeris principi frugalissimo; mavis rejicere, &c.* Grut.

Tu tuis, quæ pater] *Tutius quod pater.* Ita est in omnibus nostris, excepto C, in quo editur *ded.*, *potius quæ pater*, longius a vero; nam dubium non est, quin aperte rectum *ded.*, *tu tuis quod pater*. Clarum ex antithesi. Et

cum ait *quod pater*, subaudi *dederat*, id est, patrimonium. Supra, 'multa enim ex patrimonio refert in imperium,' &c. Rursum, 'ista inquam donas, in quæ electus, in quæ adoptatus es.' *Livin.*

Tu tuis, quæ pater] *Tutius quod.* Olim emendavimus et scripto communicavimus cum amico, *tu tuis, quod pater.* Ille detraxit sibi ab imperio relicta; tu magis proprie tua, quæ a patre, id est, Nerva. *Lips.*

Tu tuis, quæ pater] I. e. tu tuis bonis detrahis ea, quæ pater, Nerva, tibi dederat; qua re patrem tuum superas, cum hic tantum de iis bonis aliquid subtraxerit, quæ, favente fortuna, cum imperio obtinuerat: tu autem adhuc aliquid amplius subtrahis iis, quæ magis sunt tua, utpote per adoptionem et hereditatem a patre accepta. Locus hic, quod mirum est, perquam diu mendosus prodiit. Cuspinianus edidit *potius, quæ pater.* Puteolanus et Beroaldus, *tutiusque pater.* Codex meus habet *tutius, quæ pater:* cui lectioni similem existimo, quæ in codicibus Vaticanis et Veneto 2. extat, *tutius que pater;* cum in non nullis codicibus diphthongus *æ* per *e* simplex scribatur. At codex Salisburgensis exhibet *tutius hoc pater.* Ceva rescribendum putavit *tu jus, quod pater*, i. e. tu donas, quæ non fortuito, sed jure adoptionis, accepisti. Omnes vulgati libri antehac prodidere *tutius, quod pater.* Livineius et Lipsius primi ex ingenio conjecere, legendum esse *tu tuis, quod pater;* neque tamen adhuc conjecturæ huic locum indulsere in contextu orationis. Primus hanc emendationem recepit Berneggerus; quem demum secuti sunt Grævius, Jac. De la Baune, Cellarius, Cellariani, Th. Hearne, et nunc Arntzenius atque Gesnerus. Cui lectioni favet liber Vossianus; quamquam in eodem etiam annotatum est, 'Alii, *tu tuis, que pater.*' Quæ ipsa lectio extat quoque in codice Parisiensi, et luculentior exprimitur in codice Guelpherbytano. Proinde sine hæsitatione hanc posteriorem, tanquam genuinam, amplexus sum. Nemo enim non intelligit, quam facile ex vocibus *tu tuis* in ea scriptura, qua literæ *i* nulla puncta imponuntur, per inertes librarios, aut per eos qui hanc scripturam legere nescierunt, effingi potuerit vocabulum *tutius.* Adhæc non solum ex antithesi, sed etiam ex scriptura *que*, liquet, non *quod pater*, sed *quæ pater*, legendum esse. *Schwarz.*

Tu tuis] Sic reposui pro *tutius*, quod in plerisque legitur, ex auctoritate Livineii, Lipsii, et editionis Lipsiensis. *Paterol.*

Magnificus] De Trajano Dio Cassius, lib. LXVIII. p. 772. 'Magnificus natura et magnanimus erat.' Et paullo ante dixerat, 'multa, eaque apprime necessaria ædificavit, cujus generis sunt viæ, portus, ædificia publica; quorum tamen caussa nullius unquam sanguinem effudit.' *Idem.*

At quam magnificus in publicum es] I. e. quam magnifice opera publica construis; uti Victor in Cæsar. c. 40. loquitur de Maxentio. Recensent quædam Trajani opera Catanæus et Lipsius; sed in his non pauca sunt demum post hunc Panegyricum ædificata. Qua in re Trajanus privatam veterum Romanorum frugalitatem, at publicum ornandi imperii studium, imitatus est; de quo studio Cic. pro Flacco, c. 12. 'Hæc ratio et magnitudo animorum in majoribus nostris fuit, ut, cum in privatis rebus, suisque sumtibus, minimo contenti, tenuissimo cultu viverent; in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent.' Idem pro Muræna, c. 36. 'Odit populus Romanus privatam luxuriam; publicam magnificentiam diligit.' Similiter Sallust. Catil. c. 9. de antiquis

Romanis: 'In suppliciis Deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles.' *Schwarz.*

In publicum] Multa enim publice ædificavit aut reparavit. Eutropius magnifice de illo, 'Orbem terrarum ædificasse.' Victor, 'Castra suspectioribus atque opportunis locis exstructa, ponsque Danubio impositus, ac deductæ coloniarum pleræque. Adhoc, Romæ a Domitiano cœpta fora, atque alia multa, plusquam magnifice coluit ornavitque.' Sed et Dio Cassius, 'exstruxisse plurima, et maxime necessaria in viis, portibus, publicis ædificiis.' Exstant hodieque aliqua, in primis vestigia admirandi illius in Danubio pontis, super humana ingenia atque opes: item alter egregius in Hispania, quem 'Alcantaræ' vocant, Tago impositus: et plura monimenta veræ laudis. Quam dicterio tamen carpsit et libavit, qui 'herbam parietariam' Trajanum dixit; quod nomen ubique inscriberet operibus vel novis, vel novatis. Quid mali? faciant alii principes; faciant, et inscribant. *Lips.*

In publicum] Non absque cavillo. Ammianus Marcell. l. XXVII. c. 5. de Lampadio urbis præfecto, qui 'per omnia civitatis membra, quæ diversorum principum exornarunt impensæ, nomen proprium inscribebat, non ut veterum instaurator, sed conditor,' addit, 'Quo vitio laborasse dicitur princeps Trajanus, unde eum herbam parietinam jocando cognominarunt.' *Bern.*

Porticus] Quæ, nescio, nec tamen suspicioni Catanæi accedo *portus* suggerenti; nam hæc de ipsa urbe. *Lips.*

Hinc porticus] Catanæus optavit legere *Hinc portus*, quia nesciit quas *porticus* exstruxerit Trajanus; nesciit et Lipsius. Publ. tamen Victor de Regionibus Urbis, l. I. de regione nona annotavit 'Trajani porticum in Campo Martio.' *Schwarz.*

Occulta celeritate] I. e. celeritate tanta, ut vix sentiri potuerint, quæ agerentur. Justin. XI. 2. 'Tanta celeritate Græciam oppressit, ut, quem venire non senserant, videre se vix crederent.' Sallust. in Fragm. aliquantum alio sensu vocat 'furtivam celeritatem.' *Idem.*

Consummata] Nova structione. *Lips.*

Consummata, sed tantum commutata] Hæreas, an hæc commutatio loci fuerit, an formæ. Et quamvis legamus apud Spartianum in Hadriano, 'Constituit inter cetera, ut in nulla civitate domus aliquæ transferendæ ad aliam urbem ullius materiæ caussa diruerentur;' constetque ex non uno Plinii loco, hac in tralatione, venisse integras columnas, integros parietes; potius tamen est, ut isthæc accipiamus de mutatione formæ, ut ostendi ad Tacit. Annal. I. 74. Addit Hispo, statuam Marcelli altius quam Cæsarum sitam, et alia in statua, amputato capite Augusti, effigiem Tiberii inditam. *Grut.*

Commutata] Reparatione. *Lips.*

Tantum commutata] Catanæus, Lipsius, et alii, hæc de reparatione et refectione ædificiorum interpretantur, quasi Plinius dixerit *tantum instaurata*. Sed hic videtur aliquid amplius significare, et quasi ὑπερβολικῶς dicere voluisse, ut non a fundamentis et per partes sensim constructa atque perfecta; sed veluti loco commutata, et ex improviso aliunde translata, videantur. Certe veteres, etsi non integra ædificia transferre potuerint, horum tamen partes aliquando transtulere, ut locum commutasse viderentur. Apud Spartian. in Adriano, c. 18. legimus, Adrianum imperatorem constituisse inter cetera, ut in nulla civitate domus aliquæ transferendæ ad aliam urbem ullius materiæ caussa diruerentur. Ad quem locum adire licet Casaubonum. In li-

bro Vossiano, pro *tantum*, annotatum est *tamen;* quæ variatio non de nihilo esse videtur. *Schwarz.*

Immensum latus circi] Quod deustum e naumachiæ Domitianæ lapide instauratum Suetonius refert Domit. c. 5. *Livin.*

Immensum] Sane immensum, et 'longitudine stadiorum trium,' ut Plinius XXXVI. 15. scribit, 'latitudine unius.' *Lips.*

Immensum latus circi] Intelligit 'maximum illum circum,' qui ex Domitiani naumachiæ lapide exstructus a Trajano. Suet. Domit. c. 5. Dio in Trajano. Aliqua tamen illius naumachiæ vestigia extare creduntur post Sylvestri fanum, inter Flaminiam viam, et Pincianum collem vinetis cooperta. M. Ant. Sabell. in Domit. *Bern.*

Latus circi] De eodem Circo Dio Cass. lib. LXVIII. 'Postquam circum collapsum restituit, majoremque reddidit, atque pulchriorem, inscripsit in eo, perfecisse se, ut populo Romano sufficeret.' Circum vero restituit e lapide naumachiæ, quam Domitianus extruxerat, innuente Sueton. Domit. cap. 5. Circi hujus memoria nummis etiam edita. Post hunc aliorum etiam a Trajano extructorum operum nummos exhibemus; nimirum Portum Anconitanum, cujus nummo quidam ex antiquariis olim Danubii pontem repræsentari crediderunt: 'Templa gemina,' 'Aquam' et 'Viam Trajanam,' atque 'Columnam;' quamvis iidem nummi percussi fuerint post tertium Trajani consulatum, hoc est, post hanc orationem dictam. *Patarol.*

Pulchritudinem provocat] Duo codices Vaticani pro voce *pulchritudinem*, habent *magnitudinem;* cui variationi præfero lectionem vulgatam. *Provocat*, quasi ad certamen vocat, ita, ut vincat. Quinctil. Instit. Orat. X. 1. 'Elegia Græcos quoque provocamus;' scilicet quasi certi fore, ut vincamus. Plin. Epist. II. 7. 'Tanta ei sanctitas, . . . ut posset senes illos provocare virtute, quibus nunc honore adæquatus est.' *Schwarz.*

Spectabuntur] Circenses sive curules ludi imprimis; sed etiam gladiatores, venationes, et omne genus solet interim hic dari. *Lips.*

Æquatus] Imus locus, pro digniore habitus, senatoribus dari solebat, dicebaturque 'podium.' Quare Juvenal. Sat. II. 145. seqq. 'Et Capitolinis generosior et Marcellis, Et Catulis, Paullique minoribus, et Fabiis, et Omnibus ad podium spectantibus.' Reliquis juxta singulorum gradum locus in theatro dabatur. Vide Sueton. Aug. c. 44. 'Spectandi confusissimum atque solutissimum morem correxit, ordinavitque,' &c. In circo sedes separatas, neque senatus ante Claudium, neque equites ante Neronem, habuerunt. Interim, sicut in theatro honestissimus locus erat ad podium; sic in circo ad euripum, qui medium stadium cingebat. Vide Casaubonum ad Sueton. l. c. *Patarol.*

Spectanti Cæsari suggestus] Vulgo in omnibus scriptis impressisque libris legimus *spectandi Cæsaris*. Jamdudum mirifice gestii legere *spectanti Cæsari;* quod etiam Christophoro Behrio venit in mentem; item et nuper Gesnero, qui tamen utrique in ipso contextu retinuere vulgatam lectionem; quam Gesnerus ita explicat: 'Suggestus, in quo Cæsar spectandus proponeretur. Erat nempe locus, cubiculi instar clausus, loco senatorum. Vide Lipsium de Amphitheatro, c. 11. ex Suetonio Cæs. c. 76. et Ner. c. 12. Hic suggestus, hoc cubiculum, intercipiebat proximis ab utraque spectatoribus prospectum, ne se invicem contueri possent. Putabam aliquando legendum, *spectanti Cæsari*.' Hactenus Gesnerus. Si vero, quod idem ait, quodque ipse ego sentio, *suggestus* hoc loco dicitur pro 'cubiculo principis,'

cujus statim meminit Plinius, non dici potest *proprius spectandi Cæsaris suggestus;* sed dici debet *proprius spectantis Cæsaris*, vel, *spectanti Cæsari, suggestus:* propterea, quod Cæsar in cubiculo sedens, accubansve, magis spectare, quam spectari, aut spectandus aliis proponi, potuit; maxime, si is, exemplo Neronis, quem Plinius sigillatim tangere videtur, non nisi per parva cubiculi foramina spectavit; de quo Sueton. c. 12. 'Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipsumque cruore respersit. Nam perraro præsidere, ceterum accubans primum parvis foraminibus spectare, consueverat.' Hinc Plinius ipse innuit, si utatur princeps cubiculo in spectaculis, tunc non ipsum principem, sed cubiculum principis, cerni posse; ideoque Trajanum, sine omni suggestu et cubiculo, in populo sedisse, et locum plebi æquatum paremque tenuisse, ut invicem cerni potuerit a populo. Ubi tamen facile credo, Trajanum primo quidem, sed tamen non editiore, nec clauso tectoque loco, sedisse. Vides ergo, si accuratius rem expendamus, ad veram et congruentem sententiam Plinio asserendam, necesse esse, ut, etiam sine suffragio librorum, in ipsa scriptura corrupta remedia mendi quæramus, amplectamurque lectionem propositam. Neque vereor, ne audaciæ notam incurram, si unicam literam muto, et pro *d* repono *t;* in quibus literis commutandis quam proclive fuit rudibus librariis hallucinari! Ceterum mos ille cœpit cum ipso principatu, ut plurimi principes Romani, ludos spectaturi, sibi ejusmodi suggestum, vel cubiculum, exstruerent in orchestra. Jam de Julio Cæsare, c. 76. hoc refert Suetonius: 'Recepit suggestum in orchestra.' Ubi Casaubonus monet, 'suggestum' vocari, quia hoc pegma instar tribunalis sublime fuerit; 'cubiculum' vero a forma; quia solitum extrui in modum parvi cubiculi. Formam tamen hujusmodi sedis principalis, pro diversitate temporum, et pro lubitu Cæsarum, aliquando variasse, credo. Bandurius in Commentar. ad Antiquit. Constantinop. lib. I. p. 489. annotavit, illam sedem, in qua imperator sederit, cum ederentur ludi Circenses, appellatam esse *στάμα*, item *τὸ κάθισμα τοῦ βασιλέως*, *κάθισμα βασιλικὸν*, *κάθισμα θεωρίου*, *θρόνον βασιλέως*. Casaubonus huc etiam trahit nomen *οὐρανίσκου*, quia aliquando cameratum, et testudinis specie fornicatum ipsum solium obtexerit, uti cœlum terram tegit. Anno 1665. prodiit Arelate liber Gallicus, sub hoc titulo: *Description des arènes, ou de l'Amphithéâtre d'Arles;* ubi in tabula adjuncta, et ære exscripta, pulchre exprimitur *κάθισμα τοῦ βασιλέως*, sive *thronus*, e quo spectabat imperator; qualis etiam in circo. *Schwarz.*

Suggestus] Editior locus, in quo ipse spectet. Cui honori origo a Julio Cæsare, quem Suetonius notat, inter nimios honores, recepisse 'suggestum in orchestra.' Vide me de Amphitheatro cap. 2. *Lips.*

Licebit ergo civibus] *Licebit ergo te civibus* V. C. G. *Livin.*

Ergo civibus] In codicibus Mss. Vaticanis, Parisiensi, Veneto utroque, Salisburgensi, meo, et libro Vossiano, scriptum est *Licebit ergo te civibus tuis.* In Guelpherbytano, pro *te*, extat *et*. Vocula *te* non est de nihilo, quam etiam Cuspinianus et Livineius edidere; nisi quod non satis apto loco collocata videatur. *Schwartzius.*

Non cubiculum principis] Neronem indicat, quem e cubiculo spectare solitum idem auctor est, Ner. c. 12. *Livin.*

Non cubiculum principis] Ubi velut clausus, tutusque ab injuria cœli, sedebat. Populariter Trajanus hoc sprevit, et spectavit ipse, spectatusque est. *Lips.*

Cubiculum] Quale Neronis illud, e quo spectabat. De ipso Sueton. cap. 12. Julius quoque Cæsar speciali suggestu usus, eodem teste, cap. 76. Mos hic et Asiaticis principibus, unde luxus Romam advectus, solennis fuit. Tradunt Athenæus lib. XIII. et Plutarch. in Phocione. *Patarol.*

Quinque millia] Conjectat Lipsius, legendum *quinquaginta millium*. Id.

Quinque millia] Merito suspectus, nimisque minutus, hic numerus visus est Lipsio, quem adire licet. Equidem Cellarius existimavit, Plinium numerum sedium in circo auctarum ad numerum ingenuorum restrinxisse, quos alendos susceperat Trajanus; prout Plinius supra XXVIII. 4. tradidit. Sed mihi videtur potius librarius quidam jam olim istum numerum, quemcunque demum expresserit Plinius, ex cap. XXVIII. intempestive temereque correxisse. Plinius autem potius innuit, numerum ingenuorum, quos liberaliter alendos susceperat Plinius, et spem plurium in posterum suscipiendorum, circo ampliando occasionem dedisse. *Schwarzius.*

Quinque millia] Supra, 'Paullo minus P. C. quinque millia ingenuorum fuerunt, quæ liberalitas principis nostri conquisivit, invenit, ascivit.' Itaque circo inscripsit, capacem se eum populi Romani statuisse, cum alicubi corruptum qua majorem, qua pulchriorem, exædificasset. Xiphilinus. *Livin.*

Quinque millia] Hic numerus mihi suspectus, et minutus est. Quid magni, ubi tot millia, *quinque* duntaxat adjecisse? At enim supra XXVIII. 3. dixit 'quinque millia ingenuorum conquisita.' Ita, sed ad alendum, (quod aliud valde est,) non ad spectandum. Denique illi 'ingenui,' spectant vero et libertini. Moveor etiam, quod in Plinio legam, 'Circum a Cæsare dictatore structum, ad sedem CCLX. millium.' Ac postea, in Victore, 'cepisse' scribitur 'loca CCCLXXXV. millia;' sive, ut verius in Notitia Imperii, et integris vocibus perscriptum, 'quadringenta octoginta quinque.' Igitur post Cæsarem largiter sane ei adjectum, et pæne duplum. Ac fateor, alios principes potuisse augere, sed publica testimonia inclinant, eximium aliquid Trajanum patrasse. Basis Romæ exstat huic inscripta: TRIBVS. XXXV. QVOD LIBERALITATE. OPTIMI. PRINCIPIS. COMMODA. EARVM. ETIAM. LOCORVM ADIECTIONE. AMPLIATA. SINT. Etsi ea posita in consulatu ejus V. diutule post ipsum factum, dum decernitur, dum paratur statua, ut solet. In Dionis etiam compendio: Οὕτω γάρ που καὶ μεγαλόφρων καὶ μεγαλογνώμων ἔφυ, ὥστε καὶ τῷ ἱπποδρόμῳ ἐπιγράψαι, ὅτι ἐξαρκοῦντα αὐτὸν τῷ τῶν Ῥωμαίων δήμῳ ἐποίησεν, ἐπειδὴ διαφθαρέντα πη καὶ μείζω καὶ περικαλλέστερον ἐξειργάσατο. *Adeo autem et magni animi et conceptus erat, ut circo inscripserit, quod capacem populi Romani struxisset: quia scilicet corruptum, et majorem, et elegantiorem fecerat.* Ex his talibusque inclino legere *quinquaginta millium*, aut ultra, si quis φιλορωμαῖος velit. Ad hanc autem circi reparationem Suetonii illa spectant, Domitiani cap. 5. 'Fecit odeum, et naumachiam, e cujus postea lapide maximus circus, deustis utrimque lateribus, exstructus est.' Postea, nempe a Trajano. *Lips.*

Majoremque] Ergo non ad solum illud augmentum 'quinque millium' amplitudo accommodata. *Idem.*

CAP. LII. *Illi jamdudum*] Pro voce *illi*, Beroaldus vitiose edidit *idem;* aliquantum speciosius Catanæus *eidem;* at omnes reliqui libri bene recteque habent *illi.* Adhæc in omnibus codicibus Mss. hæc vocabula non male sic transposita legimus, *jamdudum illi;* ne duo ejusdem terminationis, *jamdudum radiatum*, sono parum grato concurrant. Postquam vero Plinius

proxime commemoraverat, quam parcus Trajanus privatim in ædificando, diligens in tuendo, at magnificus in publicum fuerit; nunc, ut ad alias laudis partes progrediatur, per hoc caput eleganti transitione de honoribus titulisque utitur, quos inde meruerit admiseritque Trajanus, quosque alii olim sine hujusmodi meritis recepissent. Fere simili transitione usus est supra xxi. 1. 'Nonne his tot tantisque meritis novos aliquos honores, novos titulos, merebare?' *Schwarz.*

Radiatum caput] I. e. caput quasi radiis solaribus cinctum; quemadmodum Apollinis, sive Solis, caput repræsentari solitum est in antiquis nummis aliisque monimentis. Qua de re vide Hier. Alexandri Explicationem Tabulæ Heliacæ. Nihil autem aliud 'radius' est, quam imago lucis, seu species a corpore lucido producta. Ad quos radios exprimendos veluti spicula emicabant ex aurea lamina, quæ instar fasciæ complectebatur capita Deorum et principum. Et sigillatim coronæ solari duodecim tribuebantur radii; quo numero menses duodecim designabantur, quibus annuus solis cursus perficitur. Hinc Virgil. Æn. xii. 161. seqq. de Latino rege originem a Sole ducente, cecinit, 'Ingenti mole Latinus Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum Aurati bis sex radii fulgentia cingunt, Solis avi specimen.' Haud tamen semper hic radiorum numerus in vetustis monimentis observatur. Neque vero Soli tantum, sed et identidem aliis Diis, immo et, Deorum imitatione, priscis regibus, item et principibus Romanis, quibus tribuebatur divinitas, radiorum corona, ceu fulgens quoddam lumen, dari appingique consuevit. Hi enim, cum non possent cœlesti luce se insignire, insigniebant tamen caput suum quodam ejus lucis simulacro, et effigie radiorum, ut se facerent augustiores. Inter Romanos, jam Julio Cæsari, præter alia insignia, etiam hunc honorem tribuit populus, teste Floro iv. 2. 'Circa templa imagines, in theatro distincta radiis corona, suggestus in curia, fastigium in domo, mensis in cœlo.' Sueton. Aug. cap. 94. refert, Octavium, patrem Augusti, somniasse, 'filium mortali specie ampliorem, cum fulmine et sceptro, exuviisque Jovis opt. max. ac radiata corona, super laureatum currum bis senis equis candore eximio trahentibus.' Augustus vero, quod Tacitus testatur, Ann. i. 10. se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes colui voluit. Sicuti vero corona radiata in Augusto fuit consecrationis ac divinitatis indicium; ita deinceps, procedente tempore, in reliquis imperatoribus commune imperialis fastigii regalisque dignitatis ornamentum evasit, eademque ornatus Nero primus in Latinis nummis vivus occurrit, observante Jo. Vignolio, in Dissertat. de columna Antonini Pii, pag. 127. Cum istis vero radiatis coronis etiam convenit 'nimbus,' qui est splendor circa divina capita et corpora. De quo Servius ad Virgil. Æn. ii. 616. ubi de Pallade, 'Nimbo effulgens, et Gorgone sæva:' 'Nimbo,' inquit, 'i. e. nube divina. Est enim fulgidum lumen, quo Deorum capita cinguntur; sic etiam pingi solet.' Et hoc modo imagines quoque Servatoris nostri et sanctorum, cum nimbo aurato, hoc est, cum circulo, tanquam sanctitatis indice, pinguntur. De quibus Honorius Augustodunensis, i. 133. 'Lumina, quæ circa capita sanctorum in modum circuli depinguntur, designant, quod lumine æterni splendoris coronati fruuntur.' Sic etiam imperatorum quorundam capita, hujusmodi nimbo, tanquam divinitatis ac sanctitatis insigni, circumdata videas, v. g. Constantii, Constantis, Theodosii junioris, ac

Placidii Valentiniani, aliorumque, in nummis consularibus, quorum meminit Cangius in Dissert. de Inferioris Ævi Numismatibus, sect. xv. pag. 12. Huc referendum est, quod Mamert. in Paneg. Maximiano dicto, c. 3. habet: 'Trabeæ vestræ triumphales, et sellæ curules, et hæc obsequiorum stipatio, et fulgor, et illa lux divinum verticem claro orbe complectens, vestrorum sunt ornamenta meritorum pulcherrima et augustissima.' Etsi vero capita radiata in vetustis nummis lapidibusque satis sint obvia; juvat tamen nunc potissimum ex nummo exhibere caput Trajani corona radiata ornatum, cum hac epigraphe: 'IMPeratori CAEsari NERVAE TRAIANO AVGusto, GERmanico, DACico, Pontifici Maximo, TRIbunitiæ Potestatis, consuli VI. Patri Patriæ;' quem nummum prodidit Begerus, T. II. Thesauri Brandenburg. p. 645. et 647. Quamvis enim Trajanus tunc, cum hæc oratio habita est, nondum admiserit coronam radiatam; eam tamen postea admisisse, aut certe post mortem a senatu populoque Romano hujusmodi corona insignitus fuisse, videtur. *Idem.*



Radiatum] Qui habitus Deorum, aut Divorum. Lucanus, 'Fulminibus manes, radiis ornabit, et astris.' Nam hæc insignia principibus consecratis apposita, ut nummi etiam docent. *Lips.*

Radiatum caput] Pingebantur enim cum fulmine, radiata corona, cum astro in vertice. 'Imperatores cum fulmine picti,' Plin. III. 8. et Apelles pinxit Alexandrum fulmen tenentem in templo Ephesiæ Dianæ. Martial. IX. 21. 'et tibi Cæsar Pro jaculo et parma fulmen et Ægis erit.' Quæ pingendi ratio videtur nata ex Octavii somno. Sueton. Aug. c. 49. *Bern.*

Et media] Honoris [illegible]ssa, vel mixtus Diis; vel etiam inter duos medius. Ut Caligula 'inter fratres Deos (Castores) medium se adorandum adeuntibus exhibuit.' Sueton. c. 27. *Lips.*

Media inter Deos sedes] Notat Lipsius, his verbis respici ad exemplum Jovis, aliorumque Deorum majorum gentium, qui sedentes sæpe pingi fingique sint soliti. In qua explicatione non acquiescit Baudius, opinatus 'sedem mediam' hic generatim pro 'loco medio' dici. Non nego 'sedem' interdum sic generatim pro 'loco' accipi; uti, v. g. Tacito Hist. III. 32. 'sedes belli' dicitur: verum, cum Plinius subjiciat, 'auro staret, aut ebore,' nescio an recte dicatur 'locus stare.' Interim certum est, statuas Deorum, pariter ac principum, habitu sedentium plerumque fingi solitas; prout, docente Figrelio de Statuis Illustrium Romanorum, c. 32. inprimis consecratorum, nummi complures, Julii, Augusti, Liviæ, et aliorum, apud Golzium, p. 23. et 32. ostendunt. Etiam, referente Tacito Ann. XV. 29. in medio exercitu Romano et Parthico, 'tribunal sedem curulem, et sedes effigiem Neronis, sustinebat.' Sic, cum Macrinus imperator Bassianum inter Divos referri curaret, duas etiam statuas sedentes ipsi decrevit, ut tradit Capitolinus in Macrino, cap. 6. Medius autem locus pro honoratiore et præcipuo Romanis habebatur. Hinc Virgil. de Augusto, Georg. III. 13.

'Et viridi in campo templum de marmore ponam, ... In medio mihi Cæsar erit, templumque tenebit.' Ad quem locum Servius hæc commentatur: 'Nam semper ei sacratus Numini locus est, cujus simulacrum in medio collocatur: alia enim ad ornatum tantum pertinent.' Aliquando tamen Augustus, mortalitatis suæ conscius, noluit statuam suam in templo Deorum, nedum in medio, poni. Dio e[illegible], lib. LIII. refert, voluisse Agrippam in Pantheo statuam Augusti collocare, nomenque operis ei adscribere; neutrum autem Augusto admittente, in Pantheo ipso Cæsaris superioris statuam, in vestibulo autem suam et Augusti, posuisse. *Schwarz.*

Sedes] Nam Jupiter, et isti majorum gentium, sedentes sæpe pingebantur. *Lips.*

Augustioribusque aris] Facili et fere vulgari errore, pro *augustioribus*, scriptum est *angustioribus*, in codicibus Parisiensi, utroque Veneto, et Salisburgensi; immo et sic editum ab Aldo, Navio, Elzeviriis, Kirchmaiero, et Cellario. Similem commutationem harum vocum notavimus supra, XXIII. 5. Sed aræ, altaria, et templa, recte dicuntur 'augusta; uti Ovid. Fast. I. 609. cecinit, 'Sancta vocant augusta patres; augusta vocantur Templa sacerdotum rite dicata manu.' *Schwarz.*

Grandioribus victimis] Ad publica et solennia sacrificia, quæ cum primis majorum gentium Diis fiebant, omnino majores victimæ adhibebantur. Gell. IV. 6. affert vetustum quoddam senatusconsultum, in quo hæc legimus: DE. EA. RE. ITA. CENSVERVNT. VTI. M. ANTONIVS. CONSVL. HOSTIIS. MAIORIBVS. IOVI. MARTI. ET. CETERIS. DIS. QVIBVS. VIDERETVR. PLACANDIS. VTI. PROCVRASSET. SATIS. HABENDVM. Neque enim omnibus Diis eadem sacrificia æque convenire putabant. Unde Cic. de Leg. II. 8. 'Quæ cuique Divo decoræ gratæque sint hostiæ, providento.' Et c. 12. 'Jam illud ex institutis pontificum et haruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique Deo; cui majoribus, cui lactentibus; cui maribus, cui feminis.' In quibus verbis 'majores hostiæ' opponuntur lactentibus. Idem Cic. de Lege Agrar. II. 34. 'Erant hostiæ majores in foro constitutæ, quæ ab his prætoribus de tribunali, sicut a nobis consulibus de consilii sententia probatæ, ad præconem et ad tibicinem immolabantur.' Reprehendit adeo Plinius arrogantiam superiorum quorundam principum, qui sibi, tanquam Diis majorum gentium, grandioribus victimis litari passi sint. Ceterum inter 'hostiam' et 'victimam' alii alia constituunt discrimina. Isidor. Orig. VI. 19. 'Hostiæ,' inquit, 'apud veteres dicebantur sacrificia, quæ fiebant ante quam ad hostem pergerent; Victimæ vero sacrificia, quæ post victoriam, devictis hostibus, immolabantur. Et erant victimæ majora sacrificia quam hostiæ.' Verum, neutrum discrimen comprobat usus et auctoritas veterum. Plinius quidem hic victimas vocat 'grandiores;' nec minus Virgil. Georg. II. 146. canit, 'Hinc albi, Clitumne, greges, et maxima taurus Victima.' At in vetusto senatusconsulto, et a Cicerone, etiam hostiæ appellantur 'majores.' *Id.*

Grandioribus] Nam hostiæ duplices, majores minoresque: atque illæ Diis majoribus. *Lips.*

Adoraturus] Non adorandus ibi in statua. *Idem.*

Excubare pro templis] Nempe, simulacro posito, non intra templum, sed extra pro foribus; ut statuæ Trajani quasi custodes templorum essent. De excubiis habitis in vestibulo, Pignorius de Servis, p. 446. *Patarol.*

Excubare] Cum vice custodis, aut satellitis, statuæ tuæ ponuntur in vestibulis templorum; at non in ip-

sis. *Lips.*

Postibusque prætexi] Rudis librarius in codice Salisburgensi scripsit *postilibusque protegi;* quæ scriptura nihili est. Sunt vero *postes* latera, quibus januæ utrinque fulciuntur et injunguntur. Alter enim postis fores sustinet cardinibus affixas; alter serram recipit et repagulum, cum ostium clauditur. Græcis dicuntur *παραστάδες*. Pro structura et pompa ipsarum ædium variabat, uti et hodie, postium materia. Uti enim in vulgaribus domibus lignei, ita in publicis et sacris, splendidisque privatorum ædificiis, ærei, et lapidei, maximeque marmorei, fuere. Vide Casp. Sagittarium de Januis Veterum, cap. 6. Hic 'postes' *συνεκδοχικῶς* pro januis, immo et pro ipsis templis. Statuæ enim Trajani 'postibus prætexi' dicebantur, quæ ante templa, sive ante fores templorum, collocabantur. 'Prætexere' proprie est anteriore parte texere; et generatim, adjungere, circumdare; metaphora a textoribus ducta, qui vestes prætexunt limbo; unde et dicta est 'toga prætexta,' cujus exteriorem oram ambit limbus purpureus. Deinde etiam ad alias res transfertur. Tacitus de Germ. cap. 34. 'Utræque nationes usque ad oceanum Rheno prætexuntur,' i. e. prætenduntur. Virgil. Æn. VI. 5. 'Litora curvæ Prætexunt puppes.' Ubi Cerda ait, 'Ut vestis, quæ ad oras aurum habet, dicitur auro prætexta; ita littus quoque dicitur prætextum puppibus.' Seneca Epist. 89. 'Nullum flumen, cujus non ripas ædificia nostra prætexant.' Sicuti ergo purpura togæ prætexta fuit vesti ornamento; ita Plinius innuere voluit, etiam Trajani statuas postibus prætextas, h. e. ante fores templorum collocatas, templis quasi ornamento fuisse. *Schwarz.*

Prætexi] Apponi, vel opponi januarum postibus: quod decore solet. *Lips.*

Dei summum] Sententia est: ita efficitur, ut Dii colantur, ut decet, ab hominibus, summumque sibi honorem vindicent: quia ipse non te iis misces, et sacros sanctosque profanas. Hæc, inquam, e verbis istis sententia, sed quæ ego leviter refingam, *serves, cum Deorum ipse non adoptes.* Eo ipso, quod fugis Deus haberi, pro Deo te habemus, aut certe, vices ejus in terris gerente. Tertullianus pro hac sententia, ad Scapulam: 'Sic enim omnibus major est (imperator), dum solo vero Deo minor est.' Idem in Apologetico: 'Ideo imperator magnus est, quia cœlo minor est.' Pulchre etiam Athenienses, inter monosticha, quæ adventanti Pompeio gratabundi scripserant: Ἐφ' ὅσον ἂν ἄνθρωπος οἶδας, ἐπὶ τοσοῦτον εἶ θεός. *Quatenus te censes hominem, eatenus nobis es Deus.* Idem.

Dei summum] Horat. Od. III. 6. 'Dis te minorem quod geris, imperas.' *Bern.*

Fastigium servent] Verbum *servent* omnes libri manu typisque exscripti habent, præter editiones Lipsii, Berneggeri, Grævii, Cevæ, in quibus exprimitur *serves*. Lipsius autem primus ex conjectura hanc variationem promulgaverat. *Schwarz.*

Non sis adeptus] I. e. *non capessieris.* Hanc lectionem restitui ex codicibus Mss. Vaticanis, Guelpherbytano, et meo; item et ex libro Vossiano. At codices Parisiensis, uterque Venetus, et Salisburgensis; præterea libri typis excusi Puteolani, Beroaldi, Aldi, Catanæi, Cuspiniani, Juntæ, Rhenani, Philomusi, Cratandri, R. H. et P. Stephanorum, Gryphii, Sichardi, Navii, Livineii, Elzeviriorum, Gruteri, Puteani, Boxhornii, Rivini, Baunii, Pataroli, omisso verbo substantivo *sis*, simpliciter exhibent *non adeptus.* Lipsius ex ingenio reponendum censuerat *non adoptes;* quam lectionem admiserunt Bernegger, Grævius, Cellarius. At

Livineius conjecerat, rescribendum esse *non appetas*, vel *non affectes*. Illud *non appetas* recepit Gesnerus. Copiosius hunc locum illustravi in Excurs. XLVII. *Idem.*

Deorum ipse non sis adeptus] *Deorum ipse non adeptus*. Contra ac Domitianus, qui cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: ‘ Dominus et Deus noster sic fieri jubet.’ Verba sunt Suetonii cap. 13. In extrema quoque voce peccatum omnibus libris, quod demirere. Equidem literas ac vestigia secutus *appetas* reposuerim; nam *adpetas* scriptura princeps, et antiquaria. *Adoptes* etiam haud damnaverim, ut Cicero dixit Divinat. in Verr. ‘ Cum auctoritas et dignitas Pisonis valebat plurimum, tum illa erat caussa justissima, quod eum sibi Achæi patronum adoptarant.’ Poterat et *adfectes* placere, sed longiuscule id abit a scriptura. Itaque primum illud retineo. *Livin.*

In vestibulo] Nempe in vestibulo templi Capitolini; in quo templo præcipue colebatur Jupiter Capitolinus, quem, XCIV. 1. comprecatur Plinius, et qui κατ᾽ ἐξοχὴν dictus est ‘ Jupiter optimus maximus.’ Unde Liv. III. 17. ‘ Capitolium vocat angustissimam illam domum Jovis optimi maximi.’ Jam A. Gellii tempore ipsi homines eruditi vix adhuc scivisse videntur, quid ‘ vestibulum ’ antehac, et unde dictum sit. Libro enim XVI. Noct. Attic. c. 5. ‘ Animadverti,’ inquit, ‘ quosdam haudquaquam indoctos viros opinari, ‘ vestibulum ’ esse partem domus primorem, quam vulgus ‘ atrium ’ vocat:’ quia nempe in atrio focus, Vestæ sacer, exstructus erat, unde idem locus ‘ vestibulum ’ dictus, innuente Ovid. Fast. VI. 301. seq. ‘ At focus a flammis, et quod fovet omnia, dictus; Qui tamen in primis ædibus ante fuit. Hinc quoque vestibulum dici reor.’ Est autem alias ‘ atrium ’ prima, eaque tecta, ædificii pars, quæ anteriori janua introëuntibus occurrit. Verumtamen Vitruvius omnino ‘ atrium ’ a ‘ vestibulo ’ distinguit, VI. 8. ‘ His, qui communi sunt fortuna, non necessaria magnifica vestibula, nec tablina, neque atria; quod hi aliis officia præstant ambiundo, quæ ab aliis ambiuntur.’ Et paullo inferius, ‘ Nobilibus vero, qui honores magistratusque gerendo præstare debent officia civibus, [quæ verba sic restituenda puto, ‘ Nobilibus vero, quibus honores magistratusque gerentibus præstari debent officia a civibus,’] facienda sunt vestibula regalia, alta atria, et peristylia amplissima,’ &c. At C. Æl. Gallus de Signif. Verb. lib. II. apud Gell. l. c. ‘ Vestibulum ’ esse dixit, ‘ non in ipsis ædibus, neque partem ædium; sed locum ante januam domus vacuum, per quem a via aditus accessusque ad ædes est, cum dextra sinistraque inter januam tectaque, quæ sunt viæ juncta, spatium relinquitur; atque ipsa janua procul a via est, area vacanti intersita.’ Sic ergo ibi pergit Gellius: ‘ Qui domus amplius antiquitus faciebant, locum ante januam vacuum relinquebant, qui inter fores domus et viam medius esset: in eo loco, qui dominum ejus domus salutatum venerant, priusquam admitterentur, consistebant, et neque in via stabant, neque inter ædes erant. Ab illa ergo grandis loci constitione, et quasi quadam stabulatione, vestibula appellata sunt; spatia, sicut diximus, grandia ante fores ædium relicta, in quibus starent, qui venissent, priusquam in domum admitterentur.’ Sed sic fateor, me non videre quomodo ‘ vestibulum ’ ab ‘ area ’ apte distinguatur; maxime si expendo quomodo Sueton. Nerv. cap. 31. ‘ vestibulum ’ domus aureæ Neronis descripserit: ‘ Domum,’ inquit, ‘ a Palatio Esquilias usque fecit. . . . Vestibulum ejus fuit, in quo colossus centum viginti pedum staret

ipsius effigie: tanta laxitas, ut porticus triplices miliarias haberet,' &c. Adeo suspicor cum Vossio in Etymologico, primis Romanorum temporibus 'atrium,' et 'vestibulum' idem fuisse; crescente autem luxu, homines, priusquam admitterentur, non in 'atrio' sed in 'area,' inter viam et domum interjecta, ceu in 'vestibulo,' constitisse; inde vocabulum 'vestibuli' priorem significationem mutasse. Sed de 'areis' mox paullo plura. *Schwarz.*

Aditus omnes] Codex meus habet, nec id male, in numero singulari, *aditus omnis, omnis gradus.* Plures omnino ad capitolium erant 'aditus,' teste Tacito, loco mox citando. 'Gradus' autem h. l. sunt partes scalarum per quas fit scansio. Hujusmodi gradus templo capitolino fuisse, constat. Apud Gell. II. 10. legimus, 'Q. Catulum voluisse aream capitolinam deprimere, ut pluribus gradibus in ædem conscenderetur.' Liv. VIII. 6. 'Cum Annius commotus ira se ab vestibulo templi citato gradu proriperet, lapsus per gradus, capite graviter offenso, impactus imo ita est saxo, ut sopiretur.' Ubi 'vestibulum' pro 'atrio' dici puto. Lipsius existimavit, centum quidem gradibus e foro in capitolium adscendi oportuisse; usus hoc Taciti testimonio, ex Hist. III. 71. 'Tum diversos capitolii aditus invadunt, juxta lucum asyli, et qua Tarpeia rupes centum gradibus aditur.' Sed Tacitus aliis non videtur ibi loqui de gradibus templi capitolini, quibus ab area capitolina in ipsum templum adscensum est, qui utique pauciores fuere; sed de iis quibus adiretur rupes Tarpeia, prope veterem Carmentalem portam. Totam 'aream' ait Plinius auro argentoque reluxisse; quia in area templorum non solum hostiæ venales exponebantur, et alia, quæ ad sacrificia pertinebant, habebantur; sed etiam, quia is locus maxime aureis argenteisque statuis ornabatur. Vitruv. I. 7. auctor est, 'areas' potissimum ædibus sacris, foro, reliquisque locis communibus, proprias fuisse. Sed, ut supra dixi, difficile est aliquando areas a vestibulis distinguere. Nardinus in Roma Vetere, III. 4. tradit, Jo. Savaronem, in notis ad Sidon. Apollinarem (cujus vero locum invenire non potui) hoc discrimen inter 'aream' et 'vestibulum' statuisse, quod 'area' spatium sit ante ædes Deorum, 'vestibulum' ante domos privatorum. Verum, non solum Plinius, in hoc capite, sed etiam alii veteres scriptores, templo capitolino æque 'vestibulum' ac 'aream' assignant. Livius, l. III. c. 18. 'Jam in vestibulum proruperant templi [capitolini] cum P. Valerius inter primores pugnam ciens interficitur.' Idem XXV. 3. 'Concilium tam frequens plebis aderat, ut multitudinem area capitolii non caperet.' Tacit. Hist. I. 86. 'In vestibulo capitolii omissas habenas bigæ, cui Victoria institerat.' Idem Hist. IV. 53. 'Curam restituendi capitolii in L. Vestinum confert... Tum Helvidius Priscus lustravit Suovetaurilibus aream.' Sueton. Calig. c. 22. 'In area capitolina novæ domus fundamenta jecit.' Et c. 34. 'Statuas virorum illustrium, ab Augusto ex capitolina area propter angustias in Martium campum collatas, subvertit atque disjecit.' Sed nullus antiquitatum Rom. interpres, quantum scio, satis adhuc explicavit, an et quomodo ista vestibuli et areæ capitolii loca fuerint distincta. Nec indignum hoc argumentum foret, quod ex instituto discuteretur. *Idem.*

Omnes gradus] Hui! atqui centum gradibus adibatur. *Lips.*

Hinc auro, hinc argento] Nam Domitianus statuas sibi in capitolio non nisi aureas et argenteas poni permisit, ac ponderis certi. Auctor Suetonius ibidem. *Livin.*

Hinc auro] Sueton. Domit. cap. 13. 'Statuas sibi in capitolio, non nisi aureas et argenteas, poni permisit, easque ponderis certi;' ut ne parvas scilicet, tam magno Deo. Eutropius idem. *Lips.*

Auro] Domitianum innuit, qui, teste Sueton. cap. 13. statuas sibi in capitolio non nisi aureas et argenteas poni permisit, ac ponderis certi. Statius Silv. v. 1. 189. 'Da capitolinis æternum sedibus aurum, Quo niteant sacri centeno pondere vultus Cæsaris.' *Patarol.*

Incesti principis] Domitiani, qui Juliam Titi, fratris sui, filiam corrupit. Vide Sueton. Domit. c. 22. et Plin. Epist. IV. 11. 6. 'absentem inauditamque damnavit incesti, cum ipse [Domitianus] fratris filiam incesto non polluisset solum, verum etiam occidisset.' *Idem.*

Incesti principis] Julia, Titi fratris filia, compressa. Suet. Domit. c. 22. Juvenalis, 'Cum tot abortivis fecundam Julia vulvam Solveret, et patruo similes effunderet offas.' *Livin.*

Permixta Deorum simulacra sorderent] In codice Parisiensi, et Veneto 1. item in editione Aldi, Juntæ, R. Stephani, et Navii, legimus *permista*. In Orthographia Schurzfleischii hæc traduntur: ''Mixtus' ex veteri emendataque scriptura in Tullii Liviique codicibus legitur. Sic 'commixtus,' 'permixtus;' nunquam 'commistus' et 'permistus,' legamus. . . Nec tantum usus posteriorum temporum, sed auctoritas veterum codicum inspicienda est, quæ lectionem, 'mixtus,' tuetur.' Manutius, Aldi nepos, probat quidem 'mistus,' ex analogia; fatetur tamen, in veteribus libris, Virgilio Carpensi, et antiquis lapidibus, 'mixtus' cum *x* legi. *Schwarz.*

Sorderent] I. e. evilescerent, ac contemtui essent. Virgil. Ecl. II. 44. 'Sordent tibi munera nostra.' Quinctil. Instit. Orat. VIII. procem. 'Nos melius, quibus sordent omnia, quæ natura dictavit; qui non ornamenta quærimus, sed lenocinia.' In Dial. de Orator. c. 23. 'Quibus eloquentia tui Aufidii Bassi, . . . ex comparatione Sisennæ, aut Varronis, sordet: qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, oderunt; Calvi mirantur.' *Idem.*

Sorderent] Aliquid faciat pro lectione vulgata supra, 'Dei summum inter homines fastigium servent;' sed leviter et aliquid. *Lips.*

Aureæ et innumerabiles] Vocabulum *aureæ* desideratur in codicibus Mss. Vatican. Parisiensi, utroque Veneto, Salisburgensi, Guelpherb. et meo, atque in Puteolani et Beroaldi libris impressis. Id factum fortasse, ut recte animadvertit Arntzenius, quod proxime *æreæ* præcesserat, pro quo *aureæ* reposuerant inertes librarii. *Innumerabiles* autem dicuntur, quia, Lipsio ex Dione probante, non Roma tantum, sed totus fere orbis statuis Domitiani impletus erat. *Schwarz.*

Illæ autem aureæ] Gravioris damnati criminis, et ipsi afflicti, et nomen, et memoria eorum. Unde dicebant, 'Nomen deleri, tolli effigies, dejici statuas ac proteri, ludibrio exponi.' Id vero fiebat vel modeste per decretum a quæstoribus XXX. præsentibus senatoribus cum scalis, Sueton. Domit. c. 23. vel impetuose per furorem quendam plebeium, cum injectis laqueis statuas detraherent, ut hoc loco, quo de Juvenalis, 'descendunt statuæ, restemque sequuntur.' Hæc Lips. in Excurs. ad Annal. VI. *Bern.*

Innumerabiles] Nec enim in urbe tantum, sed 'totus orbis,' ait Dio, 'statuis ejus post victos, ut aiebat, Dacos impletus est.' *Lips.*

Strage et ruina] Initio a senatu ipso facto; qui 'audita morte ejus adeo lætatus est, ut scalas etiam inferri, clypeosque et imagines ejus coram detrahi, et ibidem solo affligi

juberet.' Ita Suetonius. Dio hoc amplius, in Nerva: *Μίσει δὲ τοῦ Δομετιανοῦ αἱ εἴκονες αὐτοῦ, πολλαὶ μὲν ἀργυραῖ, πολλαὶ δὲ καὶ χρυσαῖ οὖσαι συνεχωνεύθησαν, καὶ ἐξ αὐτῶν μεγάλα χρήματα συνελέγη. Odio Domitiani, statuæ ejus multæ argenteæ, multæ et aureæ conflatæ sunt, atque ingens pecunia ex iis facta.* Lips.

Gaudio litaverunt] I. e. illæ Domitiani statuæ, postquam dejectæ sunt, strage sua et ruina, tanquam grato quodam sacrificio facto, satisfecerunt gaudio publico, idque quasi satiarunt. 'Litare' non generatim significat, sacrificare; sed speciatim, sacrificando Deos placare, eosque, voto soluto, propitiare. Festus ait, '*Litatum*, alii solutum, deditum Deo, quasi luitatum. Alii ex Græco a precibus, quas illi *λιτὰς* dicunt.' Nonius Marcellus, '*Litare*, est propitiare, et votum impetrare. Virgil. Æn. IV. 50. Plautus in Pœnulo, II. 42. 'Jupiter faciat, ut semper sacrificem, neque unquam litem.' Sueton. in Nerone, cap. 56. 'Attendit et extispicio, nec unquam litavit.' Aurel. Victor de Viris Illustr. c. 4. 'Tullus Hostilius Jovi Elicio litare non potuit.'' Varie hoc verbum construitur. Aliquando simpliciter ponitur, uti in locis Plauti et Suetonii modo citatis. Sic et Seneca in Agamem. vs. 577. 'Postquam litatum est, Ilio Phœbus redit,' i. e. postquam Diis grato sacrificio satisfactum est, et solutum, quod illi deberi sibi voluere, &c. Aliquando dicuntur homines 'litare,' aut 'perlitare victimis' vel 'hostiis.' Tacit. de Germ. c. 9. 'Mercurio humanis quoque hostiis litare fas habent.' Florus IV. 2. 'Nec perlitare centum victimis poterat.' Apul. lib. III. pag. 137. 'Litat vario latice, nunc rore fontano, nunc lacte vaccino,' &c. Aliquando casu quarto adduntur voces, 'sacra,' 'exta,' &c. Ovid. Fast. IV. 630. 'Pontifices forda [gravida] sacra litate bove.' Et Met. XIV. 156. 'Sacrisque e more litatis Littora adit.' Fallit enim Servius ad Virgilium, negans, dici posse, 'sacra litari,' aut, 'nos sacra litare.' Porro Propert. IV. 1. 'Pastor et ad calamos exta litabat ovis.' Aliquando ipsa 'victima,' et 'sacrificium,' item et 'ara,' litare dicitur. Ovid. Met. XV. 794. 'Victima nulla litat.' Martial. X. 73. 'Non quacunque manu victima cæsa litat.' Idem VIII. 15. 'Omnis et ad reducem dum litat ara ducem.' Sueton. Aug. c. 96. 'Circa Perusiam, sacrificio non litante, augeri hostias imperavit.' Plin. Hist. Nat. VIII. 45. 'Hoc quoque notatum, vitulos ad aras humeris hominis allatos non fere litare; sicut nec claudicante, nec aliena hostia, Deos placari.' Ubi inanis est hariolatio Harduini, forte apud Plinium legendum esse *litari*, ut mox *placari*. Sicuti autem, si Diis litabatur gratis hostiis, dicebatur iis solvi, quod deberetur, iisdemque satisfieri, ut placati acquiescerent: ita verbum *litare μεταφορικῶς* dicitur pro, satisfacere alicui, explere atque saturare alicujus voluntatem ac cupiditatem. Apud Cic. hæc legimus, pro Flacco, cap. 38. 'Quam potestis P. Lentulo ... mactare victimam gratiorem, quam si L. Flacci sanguine illius nefarium in nos omnes odium saturaveritis? Litemus igitur Lentulo; parentemus Cethego.' Apuleius crebro metaphoricis ejusmodi formulis usus est; v. g. Met. III. 131. 'Parvuli hujus fortunis succurrite, et de latronis hujus sanguine legibus vestris et disciplinæ publicæ litate;' i. e. satisfacite. Idem lib. V. pag. 172. 'Tunc injuriæ meæ litatum crediderim, cum ejus comas deraserim.' Lib. VI. pag. 185. 'Et tu, Fortuna durior, jam sævire desiste! Sat tibi miseris istis cruciatibus meis litatum est.' Lib. VIII. pag. 203. 'Nec suæ sævitiæ litatum saltem tanto periculo cernens, potuit expleri.' Seneca in Medea, vs. 1019.

'Misereri jubes. Bene est; peractum est: plura non habui, dolor, quæ tibi litarem!' *Schwarz.*

Juvabat illidere] Animadvertimus denuo eximium ὑποτυπώσεως exemplum. Bene Bannius: 'Quis hæc legens sibi non videtur coram intueri senatorum populique alacritatem Domitiani statuas certatim disturbantium?' Particulæ sequentes, *ut si*, explicandæ sunt per, 'quasi,' 'tanquam,' 'ac si;' quasi ex singulis ictibus dolorem sentirent statuæ, et sanguis inde manaret. Nepos Dione, c. 9. 'Triremem in portu agitari jussit, ut si exercere remiges vellet.' Idem Ages. c. 6. 'Ut si de exitu divinaret, exire noluit.' In codice Salisburgensi, pro *ut si*, simplex *ut* perperam positum est. *Idem.*

Illidere] Referunt Sueton. in Domit. c. 23. et Dio in Nerva, l. LXVIII. p. 769. Ille, 'Senatus adeo lætatus est, [ob cædem Domitiani,] ut, repleta certatim curia, non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceraret; scalas etiam inferri, clypeosque, et imagines ejus, coram detrahi, et ibidem solo affligi, juberet; novissime eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam, decerneret.' Hic, 'Pleræque statuæ Domitiani, argenteæ atque aureæ, quippe odio apud omnes erat, sublatæ ac dissipatæ sunt, ex quibus grandis pecunia redacta est. Fuere quoque arcus trimphales, quos ei plurimos fecerant, disturbati.' *Patarol.*

Securibus] Ita statuas frangebant. Juvenalis, 'rotas bigarum impacta securis Cædit, et immeritis franguntur crura caballis.' *Lips.*

Seræque lætitiæ] Quæ etsi sero, et diu optata, tamen venit. *Idem.*

Seræque lætitiæ] Codex Salisburgensis pro *seræ*, a prima manu habuit *veræ;* sed ab alia demum manu superscriptum est *seræ*. Ista varians lectio *veræ*, mirifice placet; dummodo ne omnes reliquos libros habeat sibi refragantes. Ante hanc autem variationem observatam mihi venerat in mentem, annon pro voce *seræ*, legendum sit *seriæ;* ut fere eadem notione 'lætitia seria' pro 'vera,' et minime simulata, dicatur? Sic Plinius infra, LXXXII. 9. vocat, 'serias intentasque voluptates,' quæ ex studiis negotiisque capiuntur. Et Plautus conjungit, 'serio ac vero,' in Amphitr. III. 3. 9. Interim 'sera lætitia' dici potest, quæ diu exoptata 'longo post tempore venit.' Utcunque est, nihil contra consensum tot librorum mutare audeo. Pro voce *temperans*, mendose edidit Beroaldus *temperatus*. Dicitur vero 'temperans lætitiæ,' uti apud Terent. Phorm. II. 1. 41. 'Minus rei aut famæ temperans:' et apud Tacit. Annal. XIII. 46. 'procax otii, et potestatis temperantior.' *Schwarz.*

Postremo] Si plures res enumerantur, plerumque scriptores utuntur hujus generis particulis, 'primum,' 'deinde,' 'tum,' 'postremo,' &c. Aliquando prioribus particulis omissis, ultimæ saltem rei recensendæ præmittitur 'postremo,' v. g. in hoc Paneg. IV. 5. VI. 2. XXXIX. 3. LXXX. 3. et 4. apud Terent. Eunuch. I. 2. 112. ad 116. apud Cic. de Offic. III. 8. Non solet autem particula 'postremo' locum habere, nisi minimum tria membra, aut tres res, enumerentur, sive expressis prioribus particulis; uti in Paneg. LXXV. 3. et apud Cic. Verr. III. 5. 'Primum, de decumano; deinde de emto dicemus frumento; postremo de æstimato:' sive suppressis prioribus particulis, uti in aliquot locis jam excitatis. Ergo et in hoc loco latentes istæ particulæ sic quasi animo sunt supplendæ, *cernere*, primum *laceros artus*, deinde *truncata membra*, *postremo truces horrendasque imagines*, *&c.* Idem.

Truces] An quia 'superbia in vul-

tu, ira in oculis,' ut supra XLVIII. 4. prædixit? an et in habitum militarem ac minantem, ut triumphales illæ, formatæ? *Lips.*

Objectas] *Abjectas*, sive *objectas*. Idem.

Objectas excoctasque flammis] Omnes libri impressi hucusque pro participio *objectas*, habuere *abjectas*; etsi jam Lipsius conjecerit, legi posse *objectas*. Sed vulgatam lectionem, *abjectas*, primum ægre dimisi. Nam et hoc verbo apte exprimitur ultio e statuis Domitiani petita, dum ex contemtu et indignatione vel simpliciter, vel in profluentem, cœnumve, abjectæ dicantur. Adhæc non satis commode conjungi mihi videbantur istæ voces, *objectas excoctasque flammis*: cum *objectas* casum tertium, *excoctas* casum sextum in voce *flammis*, postulent. Et satis esse videbatur, *excoctas flammis*; cum jam dum præsumatur, flammis statuas excoqui non potuisse, nisi iis fuerint objectæ. Nihilo minus tamen, mutato consilio, recepi *objectas*; quia hanc vocem non solum dudum protuli ex codicibus Mss. Parisiensi, Guelpherbytano, Vossiano, et meo; sed postea etiam deprehendi, eandem a codicibus Vaticanis, Venetis, et Salisburgensi, confirmari; atque præterea ab Arntzenio approbari. Sic vero et Cic. pro Sexto Roscio, cap. 26. dixit, 'corpus objicere feris;' et Val. Max. III. 3. ext. 6. 'corpora sua flammis sine ullo gemitu objicientes.' Silius Ital. III. 641. 'Rapidisque accensus in orbem Excoquitur flammis scopulus.' Sed et fieri aliquando solet, ut verba diversæ structuræ copulentur; v. g. Sallust. Catil. cap. 33. 'Plerique patriæ, sed omnes fama atque fortunis, expertes sumus.' Idem Jug. cap. 84. 'Plerosque militiæ, paucos fama, cognitos accire.' Cic. Fam. XV. 4. 'Huic meæ voluntati . . . ut faveas, adjutorque sis, vehementer te rogo.' Alias enim dicitur, 'adjutor consiliorum,' &c. Denique in sequentibus verbis, quæ Plinius quasi explicationis caussa addit, nihil de abjectis, sed tantum de imaginibus igne in usum hominum mutatis, loquitur. *Schwarz.*

Ex illo terrore et minis] Quem nempe spirabant statuæ, sive truces horrendæque imagines Domitiani, occursu visuque terribilis; cui 'superbia in fronte, ira in oculis;' prout supra, XLVIII. 4. describitur. Sicut vero vulgo in proximis verbis legimus, *truces horrendasque imagines;* ita codex meus, pro *horrendasque*, substituit *horribilesque*. Idem.

In usum hominum ac voluptates] Nempe illæ aureæ et argenteæ statuæ Domitiani, post ejus mortem, igne conflabantur in nummos, ut Dio, refert; item et in vasa atque instrumenta ad usum et voluptatem hominum. Similem vindictam in statuas Sejani eleganter describit Juvenalis Sat. X. 58. seqq. 'Descendunt statuæ, restemque sequuntur. Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis Cædit, et immeritis franguntur crura caballis. Jam strident ignes, jam follibus atque caminis Ardet adoratum populo caput, et crepat ingens Sejanus; deinde ex facie toto orbe secunda Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ. Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum Cretatumque bovem: Sejanus ducitur unco Spectandus; gaudent omnes: Quæ labra? quis illi Vultus erat?' &c. Et auctor Octaviæ, vs. 794. seqq. de dirutis statuis Poppææ, uxoris Neronis: 'Quæcunque claro marmore effigies stetit, Aut ære fulgens ora Poppææ gerens, Afflicta vulgi manibus, et sævo jacet Eversa ferro: membra per partes trahunt Deducta laqueis, obruunt turpi diu Calcata cœno.' Ceterum omnes scripti excusique libri habent, *in usum hominum, ac voluptates*. In solo libro Vossiano annotatum est, *ac voluptatibus*. Arntzenius notat, hanc lectionem non statim es-

se improbandam; cum multis, quæ affert, exemplis constet, conjunctivas particulas sic solere diversos casus connectere. Non jam disputo de illis exemplis; attamen hanc ipsam lectionem in Plinio statim improbare haud vereor. Primum enim hæc varietas, quæ nihil elegantiæ habet, adversatur omnibus reliquis libris; deinde saltem Plinio insolens loquendi ratio est; ac denique, quod caput rei est, hoc in loco, propter sequens vocabulum, insuavem et ingratam pronuntiationem, sive *κακοφωνίαν*, efficit, *voluptatibus ignibus*. Plinius autem ideo addidit, statuas Domitiani *in voluptates* hominum, v. g. in pocula, variosque ornatus, ignibus esse mutatas, ut hanc mutationem opponeret pristino terrori et minis earundem statuarum. *Idem.*

Simili reverentia] Quæ scilicet similis sit illi reverentiæ, modestiæ, qua recusasti, statuam tuam in Capitolio collocari. *Idem.*

Simili reverentia] Ei scilicet, qua Deorum fastigium recusasti. Sequitur, *apud Genium tuum*, id est, domi tuæ. Mox, *apud Numen Jovis*, hoc est, in Capitolio. *Livin.*

Simili reverentia] Illi, qua stare inter Deos recusas. *Lips.*

Apud Genium] Singulis hominibus Genium assignavit antiquitas: atque is majus et sanctius aliquid ipso homine. Itaque vulgo 'per Genium alicujus' soleat orare, obtestari, jurare. Sed quanto magis principis! quibus etiam modestis, passim statuæ, aræ, templa, cum inscriptione, GENIO. CAESARIS: quod lapides nummique docent, et Suetonius in Aug. cap. 60. Hunc ergo colebant, si non ipsum principem: et Caligula ap. Sueton. XXVII. 6. 'quosdam interfecit quod nunquam per Genium ejus dejerassent.' Minutius Felix, 'Cæsarum numen invocant, ad imagines supplicant, Genium, hoc est dæmonem, implorant: et est eis tutius per Jovis Genium pejerare, quam regis.' Adde Tertull. Apolog. c. 28. *Idem.*

Genium tuum] Tradente Censorino de Die Natali, cap. 3. 'Genius' dicitur 'Deus, cujus in tutela, ut quisque natus est, vivit. Hic, sive quod, ut genamur, curat; sive quod una genitur nobiscum; sive etiam, quod nos genitos suscipit ac tuetur; certe a genendo [i. e. gignendo] appellatur.' Sicuti ergo suum cuique homini, loco, aliisque rebus, genium adesse; ita potentiorem augustioremque principibus ac viris illustribus præsidere, creditum est. Inde per 'Genium Principis' jurabant; huic litabant, eaque præstabant, quæ Diis præstari fas erat. Vocabant hunc Genium etiam Τύχην Καίσαρος. Multa vetusta monimenta et numismata extant, in quibus memoria 'Genii Principum,' sive Augustorum, servatur; v. g. apud Grut. pag. CVII. n. 9.

GENIO. CÆSARVM
DIOGENETVS. VILIC. FEC

Apud eundem, pag. MLXXXV. 6.

GENIO. AC. MAIESTATI
IMP. ANTONINI. PII. FELICIS. AVGVST
M. AVRELIVS. AVRELIANVS. DEVOTISSIMVS
NVMINI. EIVS

Et pag. CXIX. in monimento fratrum Arvalium:

... IN. CAPITOLIO. OB. NATALEM. NERONIS. AVG. GERMANICI. IOVI. B. M. [i. e. Bovem marem,] IVNONI. VACCAM. MINERVÆ. VACCAM. CONCORDIÆ VACCAM. GENIO. IPSIVS. TAVRVM, &c. Etiam inter Caroli, Ducis Arschotani, numismata Imperatorum Romanorum, Tab. XX. n. 8. in nummo repræsentatur Genius Neronis, seminudus, modo juvenili, stans ante aram, dextra pateram, læva cornu copiæ, tenens, cum inscriptione, GENIO. AVGVSTI. S. C. Simili figura etiam Genius Populi Romani sæpe in nummis occurrit: nisi credas, figura ista non designari ipsum Genium Principis, aut Populi Romani; sed potius Se-

natum, aut Rempublicam isti Genio sacrificantem. *Schwarz.*

Apud numen] In Capitolio. *Lips.*

Illi debere nos] Behrius Gedanensis his verbis præponendum censuit *Fateris enim.* Heuman. Pœc. T. III. lib. IV. sic scribendum arbitratus est, *Illi debere nos vis.* Sed non opus est hac insitione verbi alieni. Dependet infinitivus *debere* a proximo verbo *pateris ;* quod ἀπὸ κοινοῦ repetendum. *Schwarz.*

Quidquid tibi debeamus] Pronomen *tibi* hucusque ex plurimis libris exulaverat, præter Gryphii, Sichardi, et Cevæ editiones; idque duntaxat in margine inter varias lectiones annotaverant H. Stephanus et Rivinus. Sed omnes codices Mss. idem diserte exprimunt. Viri doctiss. Gesnerus et Arntzenius, id ipsum quoque ex nostro indicio admiserunt; quamvis posterior monuerit, si a Mss. reliquis abesset, (cum tunc unico codice meo uterer,) se non magnopere desideraturum; quoniam sententia sic satis appareat. Apparet quidem, sed ita, ut verbum *debeamus* magis referatur ad Jovem, cui debeatur, quam ad Trajanum. Ad majorem vero Trajani laudem facit, si hic non tantum dicatur passus esse, ut Romani Jovi deberent, quod re vera deberent ; sed etiam, ut id quoque Jovi deberent, quod ἀμέσως potius deberent ipsi Trajano. Hoc autem volunt sequentia verba, ' quod bene facias.' *Idem.*

Muneris] Pie, sicut Homerus Odyss. Υ. Ζεὺς δ' ἀρετὴν ἄνδρεσσιν ὀφέλλει τε μινύθει τε, Ὅππως κεν ἐθέλῃσιν. *Virtutem Deus in nobis auget minuitque, Ut voluit.* Lips.

Per Capitolinum iter] *Per Capitolium iter* Livin. in textu; sed in margine, *per Capitolinum iter* C.

Per Capitolinum iter] Cum per forum in Capitolium irent. *Lips.*

Per Capitolinum iter] *Per Capitolium inter* edit. Rhen. sed *per Capitolium iter.* Faber.

Capitolinum iter] Vitiose hæc edidit Rhenanus, *per capitolium inter magna sui, &c.* Etiam Puteolanus, Beroaldus, Aldus, Gryphius, Cratander, Sichardus, Navius, Livineius, quamvis vocem *iter* recte expresserint, mendose tamen retinuere *capitolium.* Immo, in eodem vitio hærent codices Mss. Vatican. Venet. 1. et 2. Salisburgensis, Guelpherbytanus, et meus. *Capitolinum* autem veriore scriptura exhibet codex Parisiensis, et jam publicarunt Catanæus in altera et tertia editione, et Cuspinianus, pluresque alii. Quod Capitolinum iter ita describendum censuit Behrius: ' Intelligit Plinius greges hostiarum per vicum Jugarium a porta Carmentali versus clivum Capitolinum actos, quorum aliqui, ut ad statuam Domitiani mactarentur, divertere cogebantur ab itinere solito, cum ex vico Jugario ad ædem Saturni, ubi patebat aditus in forum, versus statuam principis abigerentur.' *Schwarz.*

Iter magna] In libro altero Gudiano inter has duas voces ex quodam codice annotata fuit vox *gentes.* Pro qua punctis subnotata, rescriptum est *agentes.* Quod ipsum participium legitur in codicibus Mss. Vatican. Guelpherbytano, meo, et libro Vossiano. Sed hoc vocabulum prorsus hic supervacaneum et inutile est. Suspicor enim, imprudentem quendam librarium, ex antecedente voce *ingentes,* duas adhuc posteriores syllabas in animo habuisse, adeoque præpostero loco, *gentes* infarsisse : alios autem librarios magis nasutos, cum in ejusmodi librum inciderint, ex voce *gentes* procudisse *agentes,* quasi hoc aptius cum voce *iter* stare possit. Sed bene Arntzenius : ' Novimus,' inquit, ' *agere* proprium esse pastorum propellentium pecus; verum non ita ipsi greges possunt dici ' agere iter :' præter quod non *per* ipsum Capitolium ducerentur, sed *ad* Capitolium. Adeoque in recepta lectione acquies-

cimus,' &c. *Idem.*

Intercepti] Abducti, priusquam venirent quo destinati erant. *Lips.*

Divertere] Deflectere: quo? sive ad Domitiani statuam, quæ in foro equestris stabat, Statio curiose descripta; sive etiam ad alias. *Idem.*

CAP. LIII. *Depravatosque mores*] In codicibus Vaticanis, Guelpherbytano, et meo, atque in libro Vossiano, legimus *damnatosque mores;* quæ varietas nata mihi videtur ex compendio scripturæ *dpuatos*, cui lineola imposita fuit: unde inertes librarii, qui literam *u* pro *n* habuere, effinxere *dampnatos*, quomodo hæc vox in medio ævo scribi solita est. Vulgata autem lectio bene recteque se habet. Cic. de Leg. II. 15. 'Mores lapsi ad mollitiem, pariter sunt immutati cum cantibus, aut hac dulcedine corruptelaque depravati.' Idem de Offic. II. 20. 'Sed corrupti mores depravatique sunt admiratione divitiarum.' Sallust. Jug. c. 29. dicitur 'a bono honestoque in pravum abstractus.' *Schwarz.*

Reformet et corrigat] I. e. Parens noster, scilicet Trajanus, mores in meliorem formam redigat et emendet. 'Corrigi' proprie dicuntur curva et tortuosa. Plin. Epist. v. 21. 'Invenimus, qui curva corrigeret.' Seneca de Morte Claudii cap. 9. 'Hic nobis curva corrigit.' Deinde frequenter μεταφορικῶς ponitur pro 'emendare.' Cic. de Leg. III. 13. 'Tota civitas .. emendari et corrigi solet continentia principum.' Verbum 'reformare' habet etiam Ovid. Met. XI. 254. 'Sed preme, quidquid erit; dum, quod fuit ante, reformet.' Et Met. IX. 399. 'Ora reformatus primos Iolaus in annos.' Eumenius in Paneg. Constantino Aug. dicto, c. 2. 'Qui Romani imperii solutam et perditam disciplinam primus reformavit.' Idem in Orat. pro Restaur. Schol. c. 14. 'Civitatem ad pristinam gloriam reformare.' Nomen inde deductum habet Plin. Epist. VIII. 12. 'Literarum jam senescentium reductor et reformator;' et a verbo 'corrigere' supra in hoc Paneg. VI. 2. 'Ut tu corrector emendatorque corrigeres.' *Id.*

Corrigat. Et alioquin nihil] *Corrigat: alioqui nihil.* Arbitror verum, *corrigat: et alioqui, &c.* Infra, 'Et alioqui cum sint odium amorque contraria,' &c. Rursum, 'Et alioqui nihil magis prodesse candidato ad sequentes honores quam peractos optime magistratus.' *Livin.*

Et alioquin] I. e. Et insuper nulla laus satis grata et illustris apparet sine comparatione contrariorum. Opposita enim juxta se posita magis elucent. Suavior videtur post nubila Phœbus, serenitas post tempestatem. Si demas panegyrico Plinii comparationes, plurima ornamenta et lumina ei demseris. Fateor quidem, in omnibus, quæ hucusque innotuerunt, exemplaribus copulam *et* desiderari; sed ea, forte a festinante librario dudum neglecta, cujus defectus nec ab aliis postea, nisi primum a Livineio, attentus est, ad sententiam Plinii perspicuam reddendam nunc quasi postliminio debet restitui; cum maxime perpetuus ipsius Plinii usus eam suggerat: utpote qui, quoties in exponendis et connectendis rationibus utitur particula 'alioquin,' ut significet Germanorum particulas, *und ueber diss, und zu dem*, ei præmittit copulam *et;* v. g. Plin. Epist. x. 42. 'Est autem [incendium] latius sparsum: primum violentia venti, deinde inertia hominum; quod satis constat, otiosos et immobiles tanti mali spectatores perstitisse. Et alioqui [i. e. et præter istas caussas,] nullus usquam in publico sipho, nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda.' Vides, hic Plinium, per formulam, 'et alioqui,' novam quandam rationem, eamque generalem, proximis annectere. At, ubi sine copula *et*, ponitur *alioqui*, tunc plerumque Germanice reddi potest, *wi-*

drigen falls; item, *sonst, ausser dem, ohne dem;* v. g. Plin. Epist. I. 20. 'Brevitatem ego custodiendam esse confiteor, si caussa permittat; alioquin prævaricatio est, transire dicenda.' Idem Epist. VI. 31. 'Cæsar jussit denuntiari heredibus omnibus, ut agerent, aut singuli approbarent caussas non agendi; alioqui se vel de calumnia pronuntiaturum.' Idem Epist. IX. 35. 1. 'Nondum librum legi, cum alioqui validissime cupiam.' Epist. X. 7. 'Ad quam spem alioqui quietissimum hortatur et natalium splendor, et summa integritas in paupertate.' Liv. VII. 19. 'Triumphatum de Tiburtibus; alioqui mitis victoria fuit.' Plura de particula 'alioqui' exposui in Excurs. XLVIII. *Schwarz.*

Sine comparatione] Quæ, ut Fabius in hac ipsa re laudationum ait, 'duplicat materiam, et virtutum vitiorumque non tantum naturam, sed etiam modum tractat.' *Lips.*

Sine comparatione] Laus ex comparatione collecta major, quam quæ trahitur in comparationem. *Bern.*

Erga optimum] Codices quidam Vaticani, et Salisburgensis, pro *erga*, habent *apud.* Sed retinenda est lectio vulgata. Ita et in verbis insequentibus, a Cuspiniano et Rhenano, atque, teste Th. Hearne, in libro Scaligeri, pro *piorum civium*, inquinate proditur *priorum civium.* Schwarz.

Piorum civium] *Priorum civium* edit. Rhen. sed *piorum civium.* Faber.

Insequi dissimiles] Nota, *insequi* positum pro 'insectari.' *Rittersh.*

Insequi dissimiles] Rittershusius noster notat *insequi* positum esse pro 'insectari.' De qua annotatione Arntzenius: 'Quasi hoc novum foret?' At vero ipse Burmannus ab eo citatus ad Ovid. Met. VIII. 130. fatetur, non obviam verbi hujus significationem esse pro 'insectari;' et ita sumi apud Historiæ Augustæ scriptores, docuisse Salmasium ad Spartian. Hadrian. c. 4. et Lamprid. Elegab. c. 8. Jam si quis de viri optimi annotationibus sic judicium censuramque facere velit; quoties non eadem censoriæ severitatis formula uti liceret? Ego sciens prudensque aliquando ad leviora descendo; quia scio, non omnia, quæ doctissimo Arntzenio leviora videntur, talia etiam hominibus doctrinæ cupidis videri. *Insequi* autem proprie est subsequi, vel proxime sequi. Cic. Orat. cap. 48. 'Quin etiam . . . postremam literam detrahebant, nisi vocalis insequebatur.' Sueton. Aug. c. 53. 'insequenti die.' Sed et pro 'persequi' dicitur apud Cic. pro C. Rabir. c. 7. 'Cum ingredi vix posset, non ad insequendum sibi tarditatem pedum, sed ad fugiendum, impedimento fore, putabat.' Et apud Nepotem in Attico, c. 9. 'Ejus familiares insequebantur.' Deinde, *insequi*, pro insectari, castigare, traducere, ponitur; idque vel absolute, ut hoc loco, item Epist. VII. 12. 'Cur enim non usquequaque tenuitatem vestram insequar et exagitem?' vel adjunctis contumeliosis signis; v. g. *insequi* aliquem 'contumelia,' 'minis,' 'irridendo,' 'convicio,' 'verbis contumeliosis,' 'clamore;' ut apud Cic. aliosque bonos auctores, identidem. Verbum autem 'insectari,' quod Plinius paullo inferius, loco verbi *insequi*, sive exagitare, posuit, etiamsi non raro absolute ponatur, nunquam tamen facile reperias sine notione odii et cupiditatis ulciscendi positum pro simplici verbo 'sectari.' Atque adeo hoc etiam loco 'insectari malos principes,' est, eos exagitare et vituperare. *Schwarz.*

Satis amarint] Non tantum Puteolanus, Aldus, Junta, Rhenanus, Philomusus, Cratander, Sichardus, Navius, Livineius, hæc edidere in numero singulari, *neque enim satis amarit bonos principes, qui malos satis non oderit;* sed et eodem modo scripta leguntur in codicibus Vaticanis, Parisiensi, utroque Veneto, Salisburgen-

si, et meo. Immo codex Parisiensis etiam omittit vocabulum *principes;* unde generalis existit sententia, quæ mihi non displiceret. Interim secutus sum vulgatam lectionem, maxime, cum in numero multitudinis antecesserit nomen *civium bonorum*. Idem.

Satis amarint] *Satis amarit* Livin. in textu; sed in margine, *Satis amarint* C. G.

Satis non oderint] *Satis non oderit* Livin. in textu; sed in margine, *Satis non oderint* C. G.

Adjice, quod] In codice Salisburgensi scriptum est *Addite, quod*. Sed et vox *imperatoris* in Parisiensi, et meo codice, corrupta est; ibi enim legitur *imperatores*, hic *imperator*. Schwarzius.

Tutum est] Noster jam supra, XVIII. 2. 'Tutum est reverentiam, tutum charitatem mereri,' &c. *Idem.*

Excidit dolori nostro] I. e. an excidit dolentibus nobis? prout Lipsius et Baudius recte explicarunt. Ponitur enim abstractum pro concreto; de qua loquendi ratione jam supra dixi. Inde nec opus est, ut pro casu tertio *dolori*, substituatur sextus *dolore;* id quod Lipsio venerat in mentem, ut esset, *An excidit cum dolore nostro modo vindicatus Nero?* Nam verbum 'excidere,' et tertium, maxime si de persona sermo est, admittit; v. g. apud Cic. Attic. IX. 5. 'Sed ea jam mihi exciderunt.' Ovid. Fast. V. 315. 'Excidit officium tristi mihi.' Alioqui dicit, 'excidere animo,' et 'excidere ex animo,' aut 'e memoria.' Virgil. Æn. I. 25. 'Nec dum etiam caussæ irarum, sævique dolores, Exciderant animo.' Et ipse Plinius infra, c. 87. 'Facilius est, ut oculis ejus vultus absentis, quam ut animo charitas, excidat.' Sed et absolute ponitur hoc verbum apud Tacit. Hist. II. 76. 'An excidit trucidatus Corbulo?' *Idem.*

Dolori nostro] Dolentibus nobis: quid si tamen *dolore* scribas? esset, cum dolore nostro vindicatus. *Lips.*

Vindicatus Nero] Nam Domitianus Epaphroditum occidit, adjutorem illi in adipiscenda nece. Adi Sueton. Domit. c. 14. *Idem.*

Modo vindicatus Nero] Morte Epaphroditi a Domitiano sublati, quod Nero in adipiscenda morte manu ejus adjutus existimabatur. Sueton. Domit. c. 14. Vindicant nempe successores mortem prædecessoris, 'in sui munimentum ad præsens, et in posterum ultionem,' ut Tacitus loquitur, Hist. I. 44. *Patarol.*

Vindicatus Nero] Vindicant successores prædecessoris mortem 'in sui,' ut Tacitus alibi loquitur, 'munimentum.' *Bern.*

Permitteret, credo] I. e. minime permitteret. Plinius enim κατ' εἰρωνείαν per id, quod dicit, oppositum designat. Sicuti autem εἰρωνεία vel pronuntiatione, vel rei natura; ita aliquando etiam quibusdam particulis et verbis quasi characteristicis, non solum augetur, sed et cognoscitur. Cujusmodi particulæ sunt, 'scilicet,' 'vero,' 'quippe,' 'quasi,' 'nimirum,' 'sane,' 'profecto.' Verba autem hujus generis sunt, 'credo,' ut hoc loco, 'at credo;' 'puto,' 'at puto;' 'censeo,' et forte alia. Terent. in Eunuch. I. 2. 18. 'Credo, ut fit, misera præ amore exclusisti hunc foras.' Ibid. III. 2. 15. 'Perpulchra, credo, dona, haud nostris similia.' Ibid. V. 2. 23. 'Debeam, credo, isti quidquam furcifero, si id fecerim.' Cic. Verr. I. 24. 'At credo, in hisce solis rebus indomitas cupiditates atque effrenatas habebat?' Ovid. ex Pont. I. 2. 'At puto, cum requies, medicinaque publica, curæ Somnus adest, solitis nox venit orba malis.' Sallust. Catil. LII. 26. 'Misereamini, censeo: deliquere homines adolescentuli per ambitionem; atque etiam armatos dimittatis.' *Schwarz.*

Qui mortem ulciscebatur] Damnato Epaphrodito, qui a libellis Neronis

fuerat. Suetonium lege Domitiano c. 14. *Livin.*

Ut in se dicta] I. e. tanquam in se dicta. Codex Venetus 2. pro voce *dicta*, male habet *ducta*. Sed verba *dicere* et *ducere* etiam alibi confundi, observavit Burman. ad Nemes. Bucol. Ecl. I. 63. Præterea, in libro Vossiano legitur *de se dicta;* et in meo codice, *dein se dicta.* Non dubito, quin illud *de* fluxerit ex glossa, rejecta veriore vocula *in:* rudis autem librarius codicis mei glossam cum vera lectione conjunxerit; unde natum *ut dein se dicta.* Nihil facilius est, quam *dicta* in unum, etiam in alios trahi posse. Quinctil. Instit. Orat. v. 3. ubi de dicteriis agit; 'Solet accidere, ut id, quod in adversarium dicimus, aut in judicem conveniat, aut in nostrum quoque litigatorem,' &c. Julius Cæsar, pro animi sui magnitudine, leniter tulit in se dicta. Sueton. Cæs. c. 75. 'Si qua aut cogitarentur gravius adversus se, aut dicerentur, inhibere maluit, quam vindicare.' Sic et Sueton. Vesp. c. 13. Vespasianus dicitur 'caussidicorum figuras' lenissime tulisse. Cujusmodi figuras Macrob. Saturn. VII. 7. 3. vocat 'morsus figuratos;' Quinctil. IV. 2. 'schemata.' At gravius ista ultus est Domitianus, teste Sueton. Domit. c. 10. 'Hermogenem Tarsensem, propter quasdam in historia figuras, occidit, librariis etiam, qui eam descripserant, cruci adfixis . . . Ælium Lamiam interemit ob suspiciosos quidem, verum et veteres et noxios jocos. . . . Occidit et Helvidium filium, quod, quasi scenico exodio, [ubi malim legere 'episodio,'] sub persona Paridis et Œnones, divortium suum cum uxore taxasset.' Ceterum, in proximis verbis, Codex Salisburgensis pro *ulciscebatur*, habet *ulcisceretur*. Schwarz.

Quare ego, Cæsar] In Codice Parisiensi, Veneto 2. Guelpherbytano, et libro Vossiano, pro *ego*, legitur *ergo*. Scio, a quibusdam auctoribus, et inprimis ab Apuleio, istas particulas, *quare ergo*, identidem conjungi; sed scio etiam, *ergo* et *ego* frequenter a librariis commisceri temere. Retineo ergo pronomen *ego*, utpote huic loco satis commodum, et a ceteris libris omnibus confirmatum. Cum autem locus hic antehac sic vulgo ederetur, *Quare ego te, Cæsar, muneribus omnibus tuis, omnibus comparo, multis antepono;* jam dudum quidem animadvertit Lipsius, in his verbis pronomen *te* abundare, tanquam ex glossa, sive nota *Tr.* i. e. Trajane, ortum; sed non animadvertit, pariter vocabulum *omnibus* semel supervacaneum videri. Certe hoc omittunt codices Manuscripti Vaticani, Guelpherbytanus, et noster, in quibus legimus, *Cæsar muneribus tuis omnibus comparo.* Idem etiam expunxit Gudius in altero libro; sed forte ex lectione codicis Guelpherbytani. Livineius jam e conjectura adscripserat editionis suæ margini *dele.* Solus Ceva adhuc pronomen *te* in sua editione prætermisit. Equidem Catanæus, et alii quidam interpretes, illud *omnibus*, et *multis*, interpretantur de imperatoribus superioribus; quasi Plinius his verbis Trajanum cum imperatoribus superioribus compararit, eumque multis antepesuerit: verum unius Trajani munera, i. e. beneficia et merita, inter se comparat et contendit, ita, ut omnibus aliis ejus beneficiis ac muneribus hæc duo æquet, multisque anteponat, *quod liceat* Romanis *et in præteritum de malis imperatoribus quotidie vindicari*, sive vindicta frui; *et futuros sub exemplo præmonere, quod, &c. Munera* enim hic pro beneficiis et meritis dici, quis dubitet? Plinius ipse supra, IV. 3. 'Nec nobis munera tua prædicare, sed audire tibi necesse est.' Idem, XXXVI. 5. 'Neque enim ullam necessitatem muneribus tuis addis; ut qui scias, hanc esse beneficiorum princi-

palium summam, si illis et non uti liceat.' Ubi etiam merita quædam Trajani sic inter se comparat, 'Ingens hoc meritum; majus illud, quod eos procuratores habes,' &c. Idem, LXXXVI. 3. 'Quibus enim muneribus æquari hæc cura principis, hæc patientia, potest?' Equidem sensus horum verborum facilius videtur in oculos lectorum incursurus fuisse, si Plinius priori membro addidisset pronomen *hoc*, vel *illud*, hunc in modum, *Quare ego, Cæsar, illud muneribus tuis omnibus comparo, multis antepono, quod licet nobis, &c.* prout infra, LIV. 1. scribit, 'Illud indignum, quod eodem tempore,' &c. Verum ea ipsa pronomina etiam alibi frequenter omittuntur, et tanquam per ἔλλειψιν intelliguntur; v. g. Plin. Epist. III. 5. 'Pergratum est mihi, quod tam diligenter libros avunculi mei lectitas.' Cic. Attic. I. 3. 'Quod ad me scribis de Hermathena, mihi gratissimum est.' Idem de Divin. II. 24. 'Cato mirari se aiebat, quod non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset.' Non obscure autem apparet, unde vox *omnibus* a quibusdam librariis bis posita sit; nempe, quia in aliis libris scriptum invenerant, *muneribus omnibus tuis comparo;* in aliis, *muneribus tuis omnibus comparo.* Inde procusum, *muneribus omnibus tuis omnibus comparo.* Gesnerus nunc, et pronomine *te*, et superfluo nomine, *omnibus*, omisso, nostræ lectioni accedit, hac addita annotatione: 'Importunum *te* quod editiones adhuc omnes prope fœdavit, moniti a Schwarzio, ejicimus. Originem ejus arcessendam cum Lipsio putamus e literis, Tr. h. e. Trajane. Alterum *omnibus* omitti, Schwarzianus atque Guelph. libri, ipsaque adeo sententia, jubent. Vulgatam sic interpretabar, Te, in muneribus tuis omnibus, principibus omnibus comparo, multis tuis muneribus antepono, quod, &c. Sed altera lectio haud dubie melior.' Arntzenius autem tuetur utramque lectionem vulgatam; utpote cui ordo sententiæ videtur postulare pronomen *te*, neque quidquam minus, quam superfluere. 'Τῷ *omnibus*,' inquit, 'non difficulter carerem; sed cum tantum per conjecturam deleverit Livineius; duorum codicum auctoritas nondum subvertit reliquorum omnium consensum, ubi utraque lectio haud incommode feratur.' Sed aliorum judicio rem committo. *Idem.*

Quare ego, Cæsar] *Quare ego te Cæsar.* Livin.

Ego te] Illud *te* mihi superfluit: et estne e notis natum *Tr?* quod interpretere *Trajane.* Lips.

Sub exemplo præmonere] Verbum *præmonere* optimæ Latinitatis est, ipsi etiam Ciceroni usitatum. At, 'sub exemplo,' i. e. per exemplum, 'aliquem præmonere,' dictionem esse præcipue Plinio adamatam, jam annotavit Arntzenius. Sic enim ille, Epist. II. 6. 'Convenit,... quoties tale aliquid inciderit, sub exemplo præmonere, quid debeas fugere.' Epist. III. 18. 'Ut futuri principes non quasi a magistro, sed tamen sub exemplo, præmonerentur.' Sed et sine verbo *præmonere*, ad hunc modum loquitur, Paneg. IV. 'Placuit, ut consulis voce, sub titulo gratiarum agendarum, boni principes, quæ facerent, recognoscerent.' Epist. I. 18. 'Proinde dispice, an tu quoque sub hoc exemplo somnium istud in bonum vertas.' Epist. VI. 5. 'Ut referrent sub exemplo legis ambitus de lege repetundarum.' Aliter Epist. VII. 1. 'Ut te non sine exemplo monerem.' *Schwarz.*

Funestorum principum] In libro Vossiano annotatum est, *functorum.* Quam variationem a librario sciolo profectam esse puto, qui, cum animadverteret, de manibus principum sermonem esse, principum *functorum*, sive mortuorum, dici debere opinatus est. 'Funestum,' alioqui dicitur fu-

nere inquinatum et pollutum; vel quod funeri operam dat; ut apud Liv. II. 8. 'funesta familia,' quæ funus et exequias celebrat. Item, 'funestum,' quod mortem funusque affert; ut, 'securis funesta,' 'ensis funestus;' et apud Ovid. Met. VII. 575. 'domus funesta.' Deinde et generatim pro pestifero ac pernicioso ponitur; apud Cic. Catil. I. 9. 'Aquilam illam tibi ac tuis omnibus perniciosam esse confido, et funestam futuram.' Idem, pro Domo sua, c. 1. 'pestiferum ac funestum' vocat Clodii tribunatum. Eutropio VII. 12. Caligula dicitur 'sceleratissimus et funestissimus.' Atque hac notione etiam quidam principes hoc loco a Plinio appellantur 'funesti.' Manes enim principum, non qua defunctorum, sed qua sceleratorum et perniciosorum, perpetuis exsecrationibus inquietari dicuntur. *Idem.*

Gaudia proferamus] Plantiniana, aliæque Lipsii editiones, item et Bernegger, Grævius, ac Ceva, pro *proferamus*, habent *perferamus;* at contra codicum Mss. reliquorumque librorum typis excusorum consensum. Quæ mutatio ex compendio scripturæ profluxit. Verior est vulgata lectio; et ipse Lipsius jam ex conjectura scripserat in notis, 'An *proferamus?*' quamquam jam ante Lipsium hanc ipsam lectionem promulgarant Puteolanus, Beroaldus, Cuspinianus, Gryphius, et alii. 'Proferre,' est 'patefacere,' seu, ut ipse Plinius, supra, XLIV. 2. plenius explicatiusque loquitur, 'in lucem ac diem proferre;' item, 'promere in medium,' uti ait, LXVI. 4. 'Jubes, quæ sentimus, promere in medium? proferemus.' Item, 'in publicum proferre,' LXXXIII. 2. Tacit. Annal. II. 12. 'Penitus noscendas mentes, cum secreti et incustoditi, inter militares cibos, spem, aut metum, proferrent.' *Idem.*

Gaudia proferamus. Lætemur his, quibus fruimur; ingemiscamus] *Gaudia preferamus, ingemiscamus*, Livin. in textu; sed in margine, *Gaudia proferamus. Lætemur his, quibus fruimur; ingemiscamus*, C. G. optime. *Rittersh.*

Gaudia proferamus] *Perferamus.* An, *proferamus?* Lips.

Lætemur his, quibus fruimur] I. e. nunc aperte lætemur bonis nostris, et ingemiscamus malis; neque tum gaudium nostrum, tum dolores, quod aliquando sub malis principibus facere necesse habebamus, jam premamus, ac dissimulemus. Noster infra LXII. 5. 'Proinde favete aperte, diligite constanter: non jam dissimulandus est amor, ne noceat; non premendum odium, ne prosit.' Verba ista, quæ nunc explicanda, et Plinio vindicanda, mihi sumsi, nullus quidem, quod mirum est, codex Ms. superstes ex iis quos conferre mihi contigit, agnoscit, eademque plurimi omiserunt editores; at primus in lucem protulit, recteque mancum hunc locum supplevit Cuspinianus; et post hunc Gryphius, Sichardus, Gruterus, Puteanus, De la Baune, Patarol. Livineius quidem supplementum hoc in margine notavit; sed tantum ex Cuspiniani et Gryphii editione. Idem H. Stephanus, et Rivinus, inter lectiones variantes margini addidere. Nunc etiam receperunt Arntzenius et Gesnerus; locumque hunc recte a me ex Cuspiniano expletum esse, agnovit Heuman. Pœcil. tom. III. lib. IV. Etsi adeo nullus e tot reliquis codicibus Mss. nobis in hoc defectu supplendo opem tulerit; unde hos omnes ex uno quodam jam antiquitus hac ex parte corrupto codice dimanasse, putamus; convenientia tamen stilo Pliniano, ac digna omnino sunt hæc verba, quæ in posterum in omnia exempla hujus Panegyrici recipiantur; propterea, quod alias hiat illa oratio, nec subsequens vocabulum *utrumque* habet, quo apte refera-

tur. *Schwarz.*

Sub bono principe] In codicibus quibusdam Vaticanis, Veneto 2. Guelpherbytano, Salisburgensi, et meo, legitur *sub uno principe*; quamquam in Salisburgensi voci, *uno*, superscriptum sit, ab alia manu, *bono*. Opinor, argutulum quendam librarium argutias in eo captare voluisse, ut *utrumque* conjungeret cum *uno*. Idem.

Secreta nostra] Recte Baudius *secreta* cum domesticis et familiaribus colloquia, ubi vultu vero solemus explicare notiones animi, et interiores affectus. Sermones autem sunt inter cives, in communi vita, et consuetudine publica, ubi nulla necessitas gaudendi. Cf. supra XXIII. 6. Gratiarum actiones, quæ vel officio privato suscipiebantur, vel senatus consulto indicebantur. Codices Vaticani in sequentibus habent *hoc sermones nostri*. Idem.

Agant, meminerintque] Codex Salisburgensis habet a prima manu, *agunt*; cui autem voci ab alia manu superscriptum est *agant*. Sic etiam Puteolanus, Beroaldus, Aldus, Rhenanus, R. Stephanus, et Sichardus edidere *agunt*; sed *agant* melius convenit cum antecedentibus, *proferamus, lætemur, ingemiscamus, faciendum est*, et cum sequente, *meminerintque*. Mendose autem habet codex meus *memineritque*. Plinius proprie dicere potuisset: hoc in secretis nostris, hoc in sermonibus, hoc in ipsis gratiarum actionibus, agamus, meminerimusque; verum, ut orationi majorem conciliaret dignitatem, ipsa dicit secreta, et sermones, gratiarumque actiones, tanquam personas, agere, et meminisse. Quæ loquendi ratio est metaphora cum prosopopœia conjuncta; de qua Quinctil. Instit. Orat. VIII. 6. 'Præcipue,' inquit, 'ex his oritur mira sublimitas, cum rebus sensu carentibus actum quendam et animos damus, qualis est, 'Pontem indignatus Araxes.' Et illa Ciceronis pro Ligar. c. 3. 'Quid enim tuus ille, Tubero, districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Cujus latus ille mucro petebat? Qui sensus erat armorum tuorum?'' Sed et alibi res inanimæ dicuntur 'agere;' v. g. Plin. Epist. I. 3. 'Quid,' inquit, 'agit Comum, tuæ meæque deliciæ?' Et Epist. II. 11. 'Scribe, quid arbusculæ tuæ, quid vineæ, quid segetes, agant.' Cic. Acad. Quæst. IV. 3. 'Neque nostræ disputationes quidquam aliud agunt, nisi ut in utramque partem dicendo et audiendo eliciant,' &c. *Idem.*

Secus meriti] Pertinace librariorum consensu, pro particula *secus*, scriptum est *secum* in codicibus Mss. Vatican. Parisiensi, utroque Veneto, Salisburgensi, Guelpherb. meo, et in libro Vossiano. An putes, veteres aliquando utrâvis terminatione, at sub eadem significatione, *secus* et *secum* dixisse, uti dixerunt *rursus* et *rursum*, *prorsus* et *prorsum*, *versus* et *versum*, *adversus* et *adversum*, *deorsus* et *deorsum*, *introrsus* et *introrsum*, *retrorsus* et *retrorsum*? Immo multo plura sunt adverbia diversæ terminationis sub eadem significatione; de quibus Vossius agit in Art. Gram. VI. 19. Verum Plinius non facile amat voces insolentes. Et in libris impressis jam a Puteolano, Beroaldo, Catanæo, et ceteris, recte editum est *secus*. Hæc particula significat 'aliter,' et sæpe per ἀντίθεσιν cum particulis, 'bene,' 'recte,' conjuncta, quasi per εὐφημισμὸν ponitur pro 'male,' vel 'contra.' Plinius supra, XLIV. 8. 'Prout bene, ac secus, cessit.' Idem, Epist. VII. 17. 'Recte, an secus, nihil ad me.' Cic. Fin. III. 13. 'Nobis aliter videtur: recte, secusne, postea.' Idem ibid. IV. 21. 'In his pars maxima posita est, aut beate, aut secus, vivendi.' Verum, illud *secus* etiam absolute, et sine particulis, 'bene,' 'recte,' positum,

uti hoc in loco, in malam partem accipitur, ita, ut significet, 'non bene,' 'male.' Cic. Fam. III. 6. 'De tuo in me animo iniquis secus existimandi videris non nihil loci dedisse.' Idem Attic. I. 19. 'Quinctus frater affirmat, nihil a se cuiquam de te secus esse dictum.' Tacit. Annal. XIII. 6. 'Daturum plane documentum, honestis, an secus amicis, uteretur.' Symmachus Epist. X. 56. 'Macedonius secus de republica meritus.' Rittershusius noster voluit, ut non solum apud Plinium, sed alios etiam scriptores, pro *secus*, scriberetur *sequius*; sed optime J. F. Gronovius ad Liv. VII. 6. censuit, etsi alicubi scripti libri habeant *sequius*, ubi vulgo *secus*, non ideo tamen hoc passim esse exterminandum. *Idem*.

Secus meriti] Forte, *sequius meriti*. Symmach. X. 49. 'Secus meritus de republica.' Ubi similiter malim *sequius*. Sic olim in opt. Camerarii membranis Plauti Aulular. III. 2. ubi vulgo vulgatur, 'Quid diximus tibi secus, quam velles,' reperi vestigia veteris et veræ scripturæ, *sequi usquam velles*, ex quo cuivis in promtu est facere *sequius quam velles*; non ut quidam fingit, *secius quam velles*. Placet impense, quod in posthumis Var. Lect. libris nuper Augustæ editis, scripsit Muretus: 'Ita ubique librarios τὸ *sequius* expunxisse, et aliud pro eo substituisse, quasi in ejus necem conjurassent.' *Rittersh.*

CAP. LIV. *Et quis*] *Ecquis* V. C. *Livin.*

Et quis] In excusis libris, Cuspinianus, Junta, et Arntzenius edidere *Ecquis*. Annotaverat jam Livineius in margine editionis suæ hanc lectionem e suo codice. At omnes, quos evolvi, ceteri libri scripti impressique, distinctis voculis, exhibent *Et quis*. Nemo nescit, ita hæc a librariis sæpissime confundi, et aliquando parum interesse, utram lectionem recipias: malui tamen hoc loco retinere scripturam, tot librorum auctoritate confirmatam, maxime, cum sic particula *et*, seorsum scripta, vim admirandi augere videatur; id quod supra, ad XXVIII. 6. et in Excurs. XXXII. ostendi. *Schwarz.*

Et quis jam locus] Nec mirum, cum ubique jam imperatorum, ut Synesius in orat. de regno loquitur, ὑπ' ἐπαίνων τὰ ὦτα διεφθάρται, *aures laudationibus depravatæ erant*, ad quas tales confluere solent οἱ ἀγῶνες τῶν ῥητόρων, *commissiones rhetorculorum*. Thucyd. III. 6. 35. *Bern.*

Miseræ adulationis] Fœdissimæ quoque, sub Nerone præsertim, et Domitiano. Non unum specimen habemus in Lucano, Statio in Sylvis, Martiale passim, et Juvenale Sat. III. *Paterol.*

Manebat ignarus] E plurimis libris hujus Panegyrici, usque ad hæc nostra tempora, exulavit vox *ignarus*; et mirum est, inter tot editores ac philologos, nemini, ac ne acutissimo quidem Lipsio, qui alioqui levissimum quemque hiatum odoratus est, defectum hunc suboluisse. Vestigia verioris lectionis indagandæ quasi eminus indicarunt Puteolanus, Beroaldus, et Philomusus, qui excudi curarunt *manebat gnarus*. Quæ scriptura etiam reperitur in codice Parisiensi, et utroque Veneto; quam vero alii, tanquam inutilem, penitus rejecere; nisi, quod Cuspinianus etiam ediderit *manebat gnarus*; at inter errata typographica suæ editionis primus monuerit, legendum esse *manebat ignarus*. Hinc forte Rhenanus quoque hanc lectionem recepit. Et recte: nam eam confirmant diserta suffragia codicum Vaticanorum, Salisburgensis, Guelpherbytani, et mei. Interim inde usque a Cuspiniani et Rhenani temporibus neminem scio, qui hunc locum non prodiderit mancum. Postquam vero eum in integrum restituere conatus sum, editis

Observationibus meis Plinianis, jam viri etiam doctissimi, Arntzenius et Gesnerus, supplementum hoc adscivere. Placuit idem celeberr. Heumanno; nisi quod hic, contra omnium librorum auctoritatem, secundum casum, *adulationis*, jubet mutari in tertium, sibique persuasum habet, *ignarum* pro 'ignoto' dici. Ac nescio, an ea opinio etiam teneat Arntzenium; utpote qui ad hunc locum permulta cumulavit testimonia, ut demonstraret, *ignarum* aliquando poni pro 'ignoto.' Quæ autem passiva significatio hic locum non habet; sed significatio activa, ut 'nescius,' 'inscius,' 'non conscius.' Ita etiam, *ignarus* μεταφορικῶς transfertur ad res inanimas; uti illa ipsa vocabula cognata; v. g. Sic Ovid. Heroid. Epist. xx. 180. 'templa' vocat 'conscia polliciti.' Idem Epist. xv. 137. 'Antra nemusque peto. ... Conscia deliciis illa fuere tuis.' Claud. Rutil. Itin. I. 499. 'Conscius Oceanus virtutum, conscia Thule.' Ovid. Epist. Her. XII. 49. 'Lumina custodis succumbere nescia somno.' Similiter Val. Flacc. Argon. I. 69. 'terras' dixit 'ignaras:' 'Ignaras Cereris qui vomere terras Imbuit.' Catullus LXI. 164. 'auras' vocat 'ignaras:' 'Sed quid ego ignaris nequidquam conqueror auris.' Et Ovid. 'manum' vocat 'ignaram,' Epist. Heroid. VIII. 112. 'Ignara tetigi Scyria membra manu.' Val. Max. II. 10. 4. 'Carthago' dicitur 'ignara fatorum suorum.' Atque adeo Plinius ποιητικώτερον dicit, nullum locum, sive publicum, sive privatum, esse 'ignarum,' sive non conscium et testem, 'adulationis;' quam 'miseram' appellat, quia hujusmodi servilis adulatio evidens argumentum erat oppressæ libertatis. *Schwarz.*

Manebat ignarus; cum] *Manebat cum* Livin. in text. sed in margine, *Manebat gnarus* V. Lege *ignarus* ex G. R.

Imperatorum] Neronis et Domitiani. Tamen de uno isto hic agi, verius est, atque ita, singularie *imperatoris* scribendum. *Lips.*

Ludis etiam et comissationibus] Hæc consensu librorum lectio est, sed pro qua arbitrum non adigam quasi dubia caussa, nam profecto *commissionibus* legendum. Suetonius Augusto, 'Componi aliquid de se, nisi et serio, et a præstantissimis, offendebatur, admonebatque prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri.' Apud Senecam quoque Epist. LXXXV. ubi vulgatur, 'In comessationibus nostris plus cantorum est, quam in theatro olim spectatorum fuit,' in Leodiensi quodam Ms. quod tractavi, bene est *commissionibus*. Livin.

Imperatorum ludis] Opinatus est Lipsius, hic verius de uno agi imperatore, qui nimiis captus fuerit adulationibus, et ita singularie scribendum esse, *imperatoris;* cui conjecturæ videtur subvenire codex meus, et Salisburgensis. Sed nolo rejicere lectionem vulgatam; cum utique plures fuerint inter imperatores, qui apertis propitiisque auribus recepere adulationem; utpote quæ semper magnæ fortunæ comes est, ut Velleius ait, II. 104. In meo codice librarius vitiose ineptequè scripsit *cum ludis;* cum præpositio *cum* neutiquam huc quadret. *Schwarz.*

Et comissationibus] Hæc constans lectio in omnibus scriptis excusisque exemplaribus locum habuit; etsi jam Livineius censuerit, pro *comissationibus*, legendum esse *commissionibus*, i. e. certaminibus poëtarum et oratorum; quia jam Augustus, teste Sueton. Aug. c. 89. offensus sit 'componi aliquid de se, nisi et serio, et a præstantissimis; admonueritque prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri.' Lipsius etiam professus est, se jam olim monuisse, *commissionibus* legi posse; nam

eo nomine ludos, et ubicunque certamen, intelligi; quod etiam monuit, Quæst. Epist. v. 15. et Elect. II. 10. Præterea et Casaubonus ad Sueton. l. c. tradidit, apud Plinium rescribendum esse *commissionibus*. Dubites, utram amplectaris vocem; cum utralibet locum habere possit. Sed posteriorem lectionem, *commissionibus*, demum Cellarius, Patarol, et nuper Arntzenius atque Gesnerus receperunt, solam secuti conjecturam Livineii, Lipsii, et Casauboni, nullo prorsus adstipulante vel codice scripto, vel antiqua editione. At cum ego sic induxerim animum, ut, quoad ex vulgata, et omnium librorum consensu confirmata lectione, apta et Plinio digna prodeat sententia, nullam facile ex solo ingenio profectam admittam mutationem; omnino etiam hoc in loco vulgatam lectionem ideo tuendam duco. Ipse Lipsius jam agnovit, 'posse quidem sic legi, sed non debere;' h. e. nullam esse necessitatem hujus antiquæ lectionis commutandæ cum alia; nam licere etiam *comissationibus* retinere et tueri; 'quia comœdi, citharœdi, lyristæ, et id genus, etiam mensis oberrarint.' Nulla ergo vera caussa apparet, cur vox *comissationibus* de antiqua et perpetua possessione sit dejicienda. Hæc convenientissime cohæret cum antecedentibus et subsequentibus verbis Plinii. Postquam enim hic dixerat, nullum antehac locum misera adulatione mansisse vacuum; sine dubio, et publica, et privata, intellexit loca. Ad publica loca referre licet 'ludos,' (sub quibus etiam comprehendi possunt 'commissiones,') 'histriones' in scena, et 'laudes a consule' in curia dictas: ad privata, 'comissationes, et pocula;' ad utrumque locorum genus, 'effeminatas voces, modos, gestus;' quia citharœdi, lyristæ, mimi, et id genus, etiam in triclinia admissi sunt, prout demonstravi in Excurs. XLV. 'Commissiones' autem ad 'ludos' pertinuisse, et sub his comprehendi potuisse, nemo jure negaverit: quia certamina non tantum gladiatorum et athletarum, sed etiam poëtarum et oratorum, publice quoque in theatro et amphitheatro instituebantur. Id ipse indicat Plin. Epist. VII. 24. 'Proximis sacerdotalibus ludis, productis in commissione pantomimis, cum simul theatro ego, et Quadratus, egrederemur, ait mihi, Scis, me hodie primum vidisse saltantem aviæ meæ libertum?' Sicuti ergo vocabulum *commissionibus*, si recipiatur, fere superfluum foret; cum 'commissiones' jam nomine 'ludorum' et 'ludicrarum artium' satis designentur; ita vocabulo *comissationibus*, peculiare genus adulationis, quod potissimum in privatis locis frequentatum fuit, denotatur, atque lectoribus revocatur in mentem. 'Comissari' enim proprie dicebatur, post cœnam epulari et potare. Nam, secundum Festum, hoc verbum dicitur a *vicis*, quos Græci *κώμους* dicunt. 'In his enim,' inquit, 'habitabant prius, quam opida conderentur: quibus in locis alii alios convivii caussa invitabant.' Unde ab iis grammaticis, qui Festum sequuntur, scribitur 'comissatio;' quæ vox alias in scriptis excusisque libris sæpe etiam exprimitur 'comessatio,' quasi a 'comesum,' et a verbo 'comedo.' Sigillatim autem 'comissationem' dictam esse compotationem a cœna, ex veterum testimoniis liquet. Sueton. Vitel. c. 13. 'Sed vel præcipue luxuriæ sævitiæque deditus, epulas trifariam semper, interdum quadrifariam, dispertiebat: in jentacula, et prandia, et cœnas, comissationesque.' Cf. idem in Domit. c. 21. Ad hujusmodi compotationem a cœna etiam respexisse videtur Virgilius, ubi Didonis convivium describit, Æn. I. 724. 'Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ; Crateras magnos statuunt, et vina coronant.' Ad quæ verba Servius hæc

commentatur: 'Poëta, licet sub extranea persona, Romanorum tamen exequitur morem, apud quos duæ mensæ erant; una epularum, altera poculorum; nam ideo sequitur, *Crateras*.' A convivantibus vero, et comissantibus, præter alia, Diis etiam singularem honorem habitum esse, cognoscimus. Unde Liv. XXXIX. 43. 'Inter pocula atque epulas, ubi libare Diis dapes, ubi bene precari, mos esset.' Deos enim suos tunc invocabant, ut propitii adessent; ut apud Virgilium, in convivio Didonis, Æn. I. 734. 'Adsis, lætitiæ Bacchus dator, et bona Juno!' Deinde, in honorem Deorum aliquid vini de patera in mensam, quæ etiam loco aræ fuit, defuderunt; quod 'libare' dictum est. Virgil. l. c. vs. 740. 'Dixit, et in mensam laticum libavit honorem.' Aut etiam ea, quæ de cœna libata erant, ad focum ferri, et in ignem dari, jubebant. Quod Servius testatur ad citatum Virgilii locum: 'Apud Romanos,' inquit, 'etiam cœna edita, sublatisque mensis primis, silentium fieri solebat, quoad ea, quæ de cœna libata fuerant, ad focum ferrentur, et in ignem darentur, ac puer Deos propitios nuntiasset, ut Diis honos haberetur.' Præterea Deorum quoque beneficia laudesque cantu et instrumentis celebrabant; uti ex eodem exemplo convivii Didonis intelligere licet. Qua de re fusius egit Gisb. Cuper. Obs. II. 3. Inter ista igitur convivia, et comissationes, annon potuerunt etiam laudes principis recitari, decantari, a pantomimis saltari, gestibusque exprimi? Immo, quod summum adulationis specimen est, cui incredibile sit, aliquando etiam eos potissimum principes, qui divinitatem affectabant, ab adulantibus Romanis, tunc inter convivia et comissationes, talem honorem, qui Diis haberi consueverat, admisisse? Huc facit, quod Horatius cecinit, Od. IV. 5. ubi Augustum hortatur, ut tandem in urbem redeat, atque inter cetera narrat, quomodo cives Romani eum haud secus, ac Deum, libationibus colerent: 'Condit quisque diem collibus in suis, Et vitem viduas ducit ad arbores: Hinc ad vina venit lætus, et alteris Te mensis [i. e. comissationibus] adhibet Deum. Te multa prece, te prosequitur mero, Defuso pateris; et Laribus tuum Miscet numen, uti Græcia Castoris Et magni memor Herculis.' Quod nihil est aliud, inquit Cuperus, quam, te invocant, ut conviviis, tanquam numen, adesse velis, ac tibi, sublatis mensis primis, libamina fundunt. Et Torrentius ad hunc Horatii locum: 'Posset et hoc,' inquit, 'ad publicam religionem referri; . . . mallem tamen de privato civium cultu intelligi, quod Augustum passim omnes in suo quoque Larario venerarentur.' Noluit ergo Trajanus, pro sua modestia, hoc modo nomen suum laudesque a convivantibus comissantibusque Romanis celebrari, et multo magis cultum divinum inter pocula a sui cultu removerat. Quare constet per me orationi Plinianæ vox *comissationibus*, quam adhuc magis illustrat, confirmatque, subsequens lectio, quam eidem Plinio paullo inferius vindicabo: 'Tu pocula a tui cultu . . . removisti.' Quæ si quis expendet, facile, credo, dimittet rejicietque Arntzenii ratiocinia, adversus vulgatam lectionem allata. *Schwarz*.

Comissationibus] Olim monui *commissionibus* legi posse. Nam eo nomine ludi, et ubicunque certamen de palma. Tamen posse, non debere: nam 'comessationes' retinere licet et tueri, quia comœdi, citharœdi, et id genus in mensa etiam dabatur. Et quidni carmina ibi in laudem principis, cui hæc placerent? *Lips*.

Comissationibus] Legendum esse *commissionibus* ostendit Casaubonus Commentar. in Sueton. p. 115. Quam lectionem allegat et Clariss. Berneg-

gerus in notis suis ad Justin. XII. 6. quem vide. *Frischm.*

Commissionibus] Sic reposui pro *comessationibus*, quæ vulgatior olim lectio fuit. Et 'commissiones' intelligo certamina, tum athletarum, tum poëtarum, aliorumque hujusce generis, scenica præsertim. Jubent me ita legere, Lipsius, Casaubonus, Cellarius. *Patarol.*

Celebrarentur, saltarentur] Sicut munera et laudes Deorum, quod supra dixi, celebrabantur in conviviis; ita ibidem etiam principum, tanquam Deorum, laudes celebrari solebant. Equidem in libris impressis verbo *saltarentur* vulgo adjicitur particula ἐγκλιτική, *que*; sed eam omnes codices Mss. nesciunt, ac, mea quidem opinione, tempestive recteque omittunt, haud secus, ac paullo post, 'vocibus, modis, gestibus,' ἀσυνδέτως dicuntur. Ad fractam enim adulationem exprimendam, oratione etiam fracta solutaque, opus esse videbatur. Adulatio autem per saltationem poterat, et in ludis, publicisque locis, et in comissationibus, ac locis privatis, locum habere; dum laudes principis, vel carmina, quæ ejusmodi laudes complectebantur, a musicis mimisque, cantarentur et saltarentur. Ovid. Trist. II. 519. 'Et mea sunt populo saltata poëmata sæpe.' Idem Art. Am. I. 501. 'Et plaudas, aliquam mimo saltante puellam.' Et quis nescit, mimos et pantomimos ad convivia etiam aliquando introductos fuisse; et ipsos quoque convivas identidem saltasse; quamvis id in republica libera fere probrosum esset viris feminisque honestis; quod ex Cic. pro Murena, c. 6. et ex Sallust. Catil. c. 25. intelligimus? Vell. II. 18. de Planco: 'Plancus, cum fuisset humillimus assentator reginæ, et infra servos cliens, . . . genibus innixus, Glaucum saltavit in convivio.' *Schwarz.*

Vocibus, modis, gestibus, frangerentur] *Vocibus*, i. e. clamoribus et acclamationibus. 'Modi' proprie sunt musicorum in canticis; unde et Apuleio in Flor. pag. 342. 'modificator' appellatur cantor; Græcis dicuntur νόμοι. Quidam veteres ipsam musicam definierunt 'peritiam faciendorum et canendorum modorum.' Cujus generis varii 'modi' enumerantur, qui a provinciis, ubi reperti sunt, denominari consueverunt; v. g. Dorius, Phrygius, Æolius, Tastius, Lydius. Vide Apuleium, l. c. et Cassiodor. Epist. II. 40. ubi tradit, artificialem musicam 'modis quindecim contineri,' quos et 'tonos' vocat. *Frangerentur*, i. e. molliter enervarentur, et attenuarentur. Auctor Dialogi de Caussis Corrupt. Eloq. c. 27. 'Quo appareat, quibus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia.' Laudationem autem fractam, theatris quoque indecoram, et inter privatorum recitationes (quidni et inter comissationes?) tunc usitatam, reprehendit Plin. Epist. II. 14. 'Pudet referre, quæ quam fracta pronuntiatione dicantur; quibus quam teneris clamoribus excipiantur. Plausus tantum, ac potius sola cymbala et tympana illis canticis desunt. Ululatus quidem, (neque enim alio vocabulo potest exprimi theatris quoque indecora laudatio,) large supersunt.' Sed et in effeminatam pronuntiationem oratorum sui temporis invehitur Quinctil. Instit. Orat. XI. 3. 'Sed quodcunque ex his vitium magis tulerim, quam, quo nunc maxime laboratur in caussis omnibus, scholisque, cantandi: quod inutiliusve sit, an fœdius, nescio. Quid enim minus oratori convenit, quam modulatio scenica, et non nunquam ebriorum, aut comissantium, licentiæ similis?' Pertinent huc etiam, quæ hanc in rem disserit auctor Dialogi de Caussis Corruptæ Eloq. c. 26. 'Neque enim oratorius iste, immo hercule ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur,

ut lascivia verborum, et levitate sententiarum, et licentia compositionis, histrionales modos exprimant. Quodque vix auditu fas esse debeat, laudis et gloriæ et ingenii loco plerique jactant, cantari saltarique commentarios suos,' &c. *Idem.*

Saltarentur] A pantomimis. *Lips.*

Effeminatis] Sunt sane, et quidquid ad histriones; quos ideo 'molles viros' Livius alibi appellat. *Idem.*

In senatu et scena] Celeb. Heumannus, in annotationibus Mss. voluit ut ista verba hunc in modum transponantur, *eodem tempore, et in scena ab histrione, et in senatu a consule, laudabantur.* Sed elegans et Plinianæ concinnitati congruens est vulgata horum verborum collocatio, cui et similis in hoc ipso capite occurrit: 'Incipimus inde, desinimus ibi; a quo incipi, in quo desini, sub alio principe non posset.' Quod si transponas ista verba, non parum venustatis adimes orationi Plinianæ. *Schwarz.*

A consule] Ipsa gratiarum sollenni actione, qualem Plinius nunc habet. *Lips.*

Tu pocula a tui cultu, tu ludicras] Cum ad hunc usque diem in omnibus libris impressis hujus Paneg. legerimus *Tu procul a tui cultu ludicras artes removisti*, ego primus hanc novam lectionem e codicibus Mss. et quidem non tantum meo, sed etiam Vat. 3461. atque Guelpherbytano, in lucem profero, dignamque habeo, quæ Plinio restituatur. Convenit enim omnino sententiæ oratoris, laudantis modestiam Trajani, qui noluit nomen suum laudesque inter comissationes ab adulatoribus celebrari; aut certe recusavit, sibi divinum honorem, inter pocula, libando haberi; qualis honor aliis principibus, tanquam Diis, ante haberi consueverat. Quid enim aliud significat illud Horat. Od. IV. 5. quod modo ad § 1. annotavi 'Quisque...hinc ad vina redit lætus, et alteris te mensis adhibet Deum,' &c.? Trajanus noluit, cives Romanos sibi usquam ut Deo, usquam ut numini, blandiri. Aliud ergo est, poculis libatis colere principem, ut Deum; aliud, hodierno, eoque civili ritu, inter lætiora pocula, libare honori principis; aut etiam, inter comissationes, amicis occinere illud Plautinum ex Persa, v. 1. 20. 'Bene mihi! Bene vobis!' &c. item e Sticho, v. 4. 27. 'Bene vos! Bene nos! Bene te! Bene me! Bene nostram Stephanium!' Aut illud, quod moderatius Horatio proponit Ovid. Fast. II. 636. 'Larga precatura sumite vina manu: Et, bene nos; Patriæ, bene te, Pater, optime Cæsar, Dicite; suffuso sint rata verba mero!' Quibus verbis Ovidianis Cæsar non, ut Deus, colendus; sed Dii, quibus suffuso mero libandum, pro salute Cæsaris et populi rogandi, dicuntur. Quod si igitur recipias hanc lectionem, a me e tribus codicibus Mss. productam, videbis, sic *pocula* apte referri posse ad 'comissationes;' at *artes ludicras* ad 'ludos,' quibus laudes alius imperatoris ex adulatione celebratas fractasque paullo ante dixerat Plinius. Sic etiam per ἀναφορὰν pronominis, *tu, tu*, plenior et vividior redditur oratio. Immo, multo ingeniosior, et contextui orationis congruentior est hæc tota varietas, quam ut vel errori vel libidini alicujus librarii, accepta referri possit. Ego hac reperta fruge me oblecto, glande aliis pro lubitu relicta. *Schwarz.*

Æternus] Ita est, scitote hoc principes. Quos Annalium ille honor honestavit, jam ab orbe condito honesti sunt, et ad desinentem erunt. *Lips.*

Brevis] Quæ cum voce et plausu perit, et tamen talem, sunt qui hodie etiam (o veræ famæ imperitia!) præ magna et diuturna petant. *Idem.*

Pudenda] Ab illis propudiis. *Idem.*

Prædicatio colit] *Prædicatio colet* C. *Livin.*

Theatra] Theatrici spectatores. *Lips.*

Theatra] Theatrum pro spectatori-

bus ponit, et Plutarchus in Flaminio p. 374. f. ἀνειστήκει τὸ θέατρον, *consurrexit consessus*. Bern.

Theatra ipsa] Μετωνυμικῶς *theatra* dicuntur pro ipsis spectatoribus, qui in gradibus theatri, spectandi caussa, sedebant; haud secus, ac mox 'scenæ,' pro histrionibus, mimis, ceterisque ludiis, qui in scena recitabant, suasque agebant partes. Scena fuit locus theatri, in quo stabant histriones, partes suas agentes. Tritum vocabulum, inquit Bernaldinus Baldus in Lexico Vitruviano, idque Græcum. Si vocis proprietatem spectes, tabernaculum denotat, sive domicilium temporarium, ex frondibus, pellibus, aliisque, constructum; qualis scena ab initio sine arte fuisse dicitur. Deinde ad eam theatri partem trahitur, quæ e theatri ipsius regione extenditur. Vitruv. v. 8. tria scenarum genera recenset: 'tragicum,' 'comicum,' et 'satyricum.' 'Horum ornatus,' inquit, 'sunt inter se dissimiles, disparique ratione: quod tragicæ deformantur columnis, fastigiis, et signis, reliquisque regalibus rebus: comicæ autem ædificiorum privatorum, et mænianorum, habent speciem, perfectusque fenestris dispositos imitatione communium ædificiorum rationibus. Satyricæ vero ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus.' Ornatus scenæ fuit varius; quod exemplis docet Val. Max. II. 4. 6. Sicuti vero jam in republica libera inferiores et juniores, superioribus et natu majoribus, honoris testandi caussa, 'assurgere' solebant, quod ex Cic. patet, de Invent. I. 30. et de Senect. c. 18. et sigillatim in more erat, ei, qui ob civem servatum meruerat coronam civicam, ludos ineunti semper 'assurgi,' etiam a senatu, teste Plinio Majore, XVI. 4. ita deinceps ejus generis honor maxime debebatur vindicabaturque principi, aut ex principali domo ortis, ut his advenientibus tota consurgerent theatra; uti Sueton. Claud. c. 6. refert, 'spectaculis advenienti Claudio,' nondum imperatori, 'assurgere' solitos esse equites. Augustus vero, teste eodem Sueton. Aug. cap. 56. questus est, nepotibus suis, 'prætextatis adhuc,' nimis mature, 'assurrectum ab universis in theatro, et a stantibus plausum esse.' Et auctor Dial. de Caussis Corrupt. Eloq. commemorat, 'populum, auditis in theatro versibus Virgilii, surrexisse universum, et forte præsentem spectantemque Virgilium sic veneratum esse, quasi Augustum.' Cf. Lips. Elect. I. 10. et II. 3. *Schwarz.*

Consurgent] De more. Tacitus, aut Fabius in Dialogo c. 13. 'Populus, auditis in theatro Virgilii versibus, surrexit universus, et forte præsentem spectantemque Virgilium veneratus est, sic quasi Augustum.' Nota, honor inquam iste (illo ævo) fere principum, ideoque Augustus, Caio et Lucio, 'adhuc prætextatis, assurrectum ab universis in theatro, et astantibus plausum, gravissime questus est:' quia juvenes, et quia nimius honos. *Lips.*

Istud admiror] In codice Veneto 1. legitur *istud miror;* in Salisburgensi, *istud admirer*. Sed nulla opus est mutatione, similiterque pro mendo habendum, quod in codice Guelpherb. pro *offeruntur*, scriptum est *efferuntur*. Schwarz.

A nobis] Senatoribus, decreto vel acclamatione. *Lips.*

Delibare] Quosdam ex iis decerpere. *Idem.*

Immorarentur] In antiquioribus editionibus, et adhuc in editione Cellariana, excusum est in numero singulari, *immoraretur*. Quæ lectio nimis placuit Arntzenio. Ego, etsi non nego, posse aliquando verbum singulare cum nomine plurali conjungi; si qua tamen antiqua vestigia ordinariæ et planæ dictionis video,

malo hanc Plinio, quam extraordinariam et insolentiorem dictionem, sub quacunque excusatione adscribere. Alibi etiam oscitantes librarii, modo singularem numerum verbi in numerum multitudinis mutant; prout mox videbimus, quosdam scripsisse *consumunt*, ubi scribere debuerant *consumit;* modo vicissim numerum pluralem in singularem convertunt. Gaudent non nulli commentatores, si quando menda ejusmodi quomodocunque palliare possint. Ego vero, cum in codicibus Vaticanis, Parisiensi, utroque Veneto, et Salisburgensi, invenerim numerum multitudinis verbi *immorarentur*, qui naturali dicendi ratione planius, quam numerus singularis *immoraretur*, convenit cum sequenti pronomine plurali *quibuscunque;* nescio sane, cur hanc dicendi rationem, quæ a negligentia librariorum, aut omisso compendiosæ scripturæ signo, facillime existere potuit, et quæ Plinio saltem insolens, et jam dubia est, tueri, et quasi pro elegantia Pliniana habere, debeam. Livineius, fateor, primus verbum plurale *immorarentur* evulgavit; sed is alioquin non nimis audax est in mutanda scriptura vetere; adhæc idem etiam evulgavere Gruterus, Lipsius, Puteanus; ut nihil jam dicam de Berneggero, Grævio, Bannio, Hearnio, Ceva, Gesnero. Utroque autem modo dicitur, 'immorari alicui rei,' et 'immorari in aliqua re.' Quinctil. Instit. Orat. II. 16. 'Ne terrenis immorer.' Et II. 11. 'Non arbitror mihi in hoc immorandum.' Plin. Epist. V. 6. 42. 'Si materiæ immoratur.' *Schwarz.*

Censendi necessitas] 'Censere' est verbum solenne curiæ, propriumque fuit senatorum, qui interrogati de rebus ad deliberandum propositis sententiam suam exponebant. Cum autem alii pluribus verbis suam explicarent sententiam, alii pro suo arbitrio, hujus, vel illius, partibus accederent; ii præcipue 'censere' dicebantur, iisdemque 'censendi necessitas accidebat,' qui vel primi interrogati, ubi surrexerant, dixere sententiam, vel attulere novam: ceterorum, cum alterius consentis sententiam sequerentur, proprium erat 'assentiri;' sive pedibus ad eum, cui assentirentur, accederent; unde dicti sunt 'accedere' alteri, vel 'ire,' seu 'pedibus ire,' in alterius sententiam; sive sedentes nutu, vel manu, vel brevi acclamatione, assensum suum declararent: quamobrem Plinius infra, lib. LXXVI. c. 8. 'mutam ac sedentariam assentiendi necessitatem' vocat. Quis ordo sententiam interrogandi dicendique fuerit in republica libera, ostendit Gell. IV. 10. 'Alias,' inquit, 'primus rogabatur, qui a censoribus princeps in senatum lectus fuerat; alias, qui designati consules erant: quidam e consulibus, studio, aut necessitudine aliqua adducti, quem iis visum erat, honoris gratia extra ordinem sententiam primum rogabant. Observatum autem est, cum extra ordinem fieret, ne quis quemquam ex alio, quam ex consulari loco, sententiam primum rogaret.' Cf. idem Gell. XIV. 7. Etsi vero Augustus, teste Sueton. in ejus Vita, c. 35. 'sententias de majore negotio, non more atque ordine, sed prout libuisset, prærogaret; ut perinde quisque animum intenderet, ac si censendum magis, quam assentiendum, esset;' is tamen honos etiam sub imperatoribus plerumque 'consuli designato' relictus fuisse videtur, ut hic primus interrogatus primam dixerit sententiam. Hinc Plin. Epist. XIX. 13. 'Jam censendi tempus. Dicit Domitius Apollinaris, consul designatus.' Idem Epist. IV. 9. 'Censuit Bæbius Macer, consul designatus.' Consuli igitur designato præ ceteris 'necessitas censendi' ordinarie imposita esse videtur. Quæ vero sententiæ dicendæ consuetudo sub malis principibus ob-

tinnerit, Plinius noster infra, LXXVI. 3. et 4. commemorat. *Idem.*

Necessitas] Quos ordo prime loco sententiam dicere juberet: nam alii manu, aut pedibus, assentiebantur. *Lips.*

De ampliando numero gladiatorum] 'Edixisse Augustum, neque sæpius quam bis in anno gladiatores dari, neque ultra paria sexaginta,' Dio Cassius auctor lib. LIV. *Livin.*

De ampliando] Ut plures habere et dare liceret, quam senatusconsultis ante cautum. Nam principes, coërcendo luxui et sævitiæ, certo numero paria incluserant, et ipsas editiones. Vide Saturnal. I. 12. *Lips.*

De ampliando numero gladiatorum, aut de instituendo collegio fabrorum consulebamur] Non præfracte damnaverim lectionem receptam; fuit tamen, cum conjicerem, *collegio fautorum*, quod non longe abit a literis. De Nerone certe, refert Tranquillus c. 20. 'Captus modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de novo commeatu Neapolim confluxerant, plures Alexandria evocavit: neque eo segnius adolescentes equestris ordinis, et quinque amplius millia e plebe robustissimæ juventutis undique elegit, qui divisi in factiones, plausuum genera condiscerent,' &c. *Grut.*

De ampliando numero] Gladiatorum numerus certus erat. Constat ex Dione Aug. ex Sueton. Cæs. c. 10. et Tib. c. 34. *Patarol.*

Collegio fabrorum] Apud Romanos, jam Numa, teste Plutarcho, in Vita ejus, pag. 71. dicitur civitatem divisisse per artes tibicinum, aurificum, fabrum, tinctorum, sutorum, coriariorum, ærariorum, figulorum, et aliorum, in certas sodalitates, sive collegia, et cuicunque generi suos conventus et religiones præscripsisse. Crescente reipublicæ Romanæ potentia, crevere et illa artificum opificumque corpora. Cum vero ejusmodi coitiones hominum humilium aliquando non satis tutæ viderentur, identidem de iis coërcendis, aut ex parte tollendis, aut aliquando novis instituendis, deliberatum decretumque est. Ita Julius Cæsar, teste Sueton. in Vita ejus, c. 42. istiusmodi collegia, præter antiquitus constituta, distraxit. Similiter Augustus, quod idem Sueton. in ejus Vita, cap. 32. commemorat, collegia, præter antiqua et legitima, dissolvit. Neque enim omnibus artificibus, opificibusque, promiscue collegium habere concedebatur; sed legibus, et senatusconsultis, et principalibus constitutionibus, ea res dirigebatur, Digest. l. I. 'Quod cujusque universitatis nomine, vel contra eam, agatur.' Vide, in Miscellaneis nostris, dissertationem de collegio utricnlariorum. Nomen *fabrorum* alias generale est, ita, ut quemlibet opificem et artificem significet. Symmachus Epist. x. 27. videtur eos κατ' ἐξοχὴν 'fabros' designare, 'qui fabriles manus augustis operibus accommodarent,' De collegio fabrorum Nicomediæ instituendorum Plinius consuluit Trajanum, Epist. x. 42. *Schwarz.*

Fabrorum] Jam olim hæc collegia et corpora artificum; sed sæpe abolita, et restituta. Tale sub Domitiano fortasse; aut novum aliquod etiam adjectum. Nam plura erant, cognominibus distincta; ut fabri ferrarii, argentarii, automatarii, tignarii, in lapidibus priscis reperiendi. *Lips.*

Arcus] Fornices triumphales, quos per omnes regiones urbis sibi struxit. Suetonius Domit. cap. 13. *Idem.*

Ingentes arcus] Triumphales intelligit, qui imperatoribus extruebantur. *Bern.*

Arcus] De Domitiano Sueton. cap. 13. 'Arcus cum quadrigis, et insignibus triumphorum, per regiones urbis tantos ac tot exstruxit, ut cuidam Græce inscriptum arcui sit, ἀρκεῖ.' Speciem hanc præferunt etiam nummi. *Patarol.*

Excessurosque] Altitudine super ipsa templa. Nam hoc est, quod 'ingentes' præmisit: et in Suetonio, 'arcus tantos ac tot struxit:' tantos, ad magnitudinem. Describitur unus talis Martiali, VIII. 65. *Lips.*

Excessurosque templorum fastigium titulos] Quamvis *fastigium* generatim significet summitatem; sigillatim tamen eam potissimum templorum notat partem, quæ in aciem desinens, tympano, corona, et acroateriis, constabat. Dehinc etiam domus Cæsarum, et procerum, cum fastigio ædificatæ sunt. Primus Julius Cæsar fastigium habere cœpit in domo sua, inter alia divinitatis insignia, quæ illi attributa fuere; quod et sequentes principes imitati sunt, et postea alii etiam proceres usurparunt. Privatorum autem domus tecta plana habuerunt, neque in altum surgentia. Quod docet Bernaldinus Baldus ad Vitruv. p. 51. 'Tituli' hoc loco sunt inscriptiones et elogia meritorum honorumque, quæ statuis, arcubus, aris, templis, palatiis, domibus, sepulcris, tabulis, aliisque monimentis, insculpebantur et inscribebantur; v. g. Liv. XXVIII. 46. 'Propter Junonis Laciniæ templum æstatem Annibal egit; ibique aram condidit, dedicavitque cum ingenti rerum ab se gestarum titulo, Punicis Græcisque literis inscripto.' Tacit. Annal. II. 64. de morte Germanici: 'Arcus additi Romæ, et apud ripam Rheni, et in monte Syriæ Amano, cum inscriptione rerum gestarum.' Sueton. Domit. cap. 15. 'Atque etiam e basi statuæ triumphalis titulus excussus vi procellæ in monimentum proximum decidit,' &c. Sicuti vero fastigiis templorum palatiorumque addebantur varia ornamenta, ut statuæ, Victoriæ, et alia Deorum simulacra; quod Plinius Major passim testatur; v. g. XXXVI. 5. 'Romæ signa eorum [sculptorum] sunt in Palatina æde Apollinis in fastigio, et in omnibus fere, quæ divus Augustus fecit;' ita credibile est, ibidem etiam elogia honorum et laudum posita fuisse. Idem Plin. XXXV. 3. testis est, 'Appio Claudio, qui consul cum Servilio fuit A. U. CCLIX. placuisse, clypeos suorum in excelso spectari, et titulos honorum legi.' Et, quem locum jam Arntzenius notavit, Val. Max. VI. 9. 5. de Q. Catulo: 'nomen ejus in Capitolino fastigio fulgeret.' Noster Plinius ait, quibusdam principibus ambitiosis, ob vanas, et levis momenti res gestas, quasi ob prolatos imperii fines, ingentes arcus, titulosque templorum fastigium excessuros, decretos dicatosque fuisse; i. e. titulos tam amplos cumulatosque, ut vix a fastigiis templorum capi potuerint. Equidem pro participio *excessuros*, codex Vaticanus 3461. vitiose habet *necessarios;* codex Salisburgensis *accersuros;* quamquam ab alia manu superscriptum sit *excessuros*. Nec satis placent Boxhornii, Kirchmaieri, et Cellarii editiones, in quibus legitur *accessuros*. Vulgatam lectionem confirmant ceteri codices Mss. Hujusmodi autem inanium titulorum non pauca exempla adhuc occurrunt in Operibus Inscriptionum. Talem titulum, eumque superbissimum, privati hominis, liberti Cæsaris, Pallantis, refert Plinius noster, Epist. VIII. 6. *Schwarz.*

Menses etiam] Suetonius Domit. c. 13. 'Septembrem mensem, et Octobrem ex appellationibus suis Germanicum Domitianumque transnominavit, quod altero suscepisset imperium, altero natus esset.' Meminit et Plutarchus Numa. Statius Sil. IV. in XVII. Consulatum Domitiani, 'Nondum omnis honorem Annus habet, capiuntque decem tua nomina menses.' Adi eundem Sueton. Tib. cap. 26. *Livin.*

Menses] Duos, Septembrem et Octobrem a se transnominavit Germanicum et Domitianum: Sueton. c. 13. Martialis: 'Dum Janus hiemes, Do-

mitianus autumnos, Augustus annis commodabit æstates, Dum grande famuli nomen asseret Rheni Germanicarum magna lux Kalendarum.' Adde Macrob. Saturn. I. 12. *Lips.*

Nec hos singulos] Domitianus enim 'Septembrem mensem, et Octobrem, ex appellationibus suis, Germanicum Domitianumque transnominavit.' Sueton. c. 13. *Patarol.*

Nomini Cæsarum dicabamus] In codicibus Mss. Vatican. Parisiensi, Guelpherbytano, meo, et libro Vossiano, item et in editionibus Juntæ, Livineii, Gruteri, Puteani, Cevæ, legimus *dicebamus.* In Salisburgensi similiter hoc verbum exstat; at ab alia vetere manu superscriptum est *dicabamus.* Hoc autem ipsum verbum *dicabamus,* jam Puteolanus ceterique editores omnes, præter citatos, evulgarunt. Verbum quidem, 'dicere' non absolute rejiciendum videatur, cum aliquando notet, dicendo promittere aut destinare; v.g. apud Terent. Heaut. v. 1. 69. 'Me mea omnia bona doti dixisse illi,' i. e. destinasse et decrevisse dare: attamen negari non potest, in monimentis inscribendis solenne verbum fuisse, 'dicare,' et 'dedicare;' quod in sexcentis lapidibus antiquis occurrit. Cf. Brisson. de Formul. lib. I. pag. 125. *Schwarz.*

Dicabamus] *Dicebamus.* Non dubito, quin verum sit, *dicabamus.* Rittersh.

At nunc quis nostrum] *At non quis nostrum* Livin. in textu; sed in margine, *At nunc quis nostrum* V. C. optime. *Idem.*

De quo refertur] Etiam hoc verbum est solenne; quoniam ii qui proponebant aliquod negotium senatui ad deliberandum, id, vel de eo, 'referre' ad senatum dicebantur. Placet hic summatim repetere, quæ Casaubonus de jure referendi ad senatum commentatus est ad Sueton. Jul. cap. 20. 'Consularis potestatis,' inquit, 'pars haud minima in relationis jure olim posita:' non enim poterat senatus consultum sine relatione fieri; referendi autem jus ordinarie consulum fuit, et ejus quidem e consulibus relatio fuit, cujus et fasces. Sæpe autem factum, ut, consulibus absentibus, vel prævaricantibus, ac mussitantibus, referrent alii e principibus amplissimi ordinis; puta, consules designati, aut prætorum, vel tribunorum, aliquis. Cujus rei multa extant apud Cic. aliosque testimonia. Porro jus relationis, sublata libertate, etsi consulibus ademtum non est, tamen et potestatis imperatoriæ pars fuit: paullatim enim principes id sibi vindicarunt. Exemplum est ab Augusto primo; in cujus honorem decretum refert Dio in actis anni DCCXXXI. ut, assumta in perpetuum tribunitia potestate, liceret ei, quoque senatu, unam, de quacunque re vellet, relationem facere, etsi consul non esset. Postea ampliato honore principum, inventa sunt ad similitudinem decreti hujus jura secundæ, tertiæ, quartæ, quinctæ, relationis, hoc est, ut quoque senatu possent de duabus, tribus, quinque rebus, quas vellent cunque, etiam non consules, facere relationem: exempla apud Capitolinum et Vopiscum, &c. *Schwarzius.*

Principis honore consumit] H. e. Quis nostrum . . . abutitur officio censendi in honore principis assentatorie decernendo? Non paucæ editiones, puta Beroaldi, Catanæi, Aldi, Juntæ, Philomusi, Cratandri, Stephanorum, Gryphii, Ascensii, Sichardi, Navii, Elzevirii, habent in numero multitudinis, *consumunt.* Quam lectionem tuendam suscepit Catanæus. 'Vetus,' inquit, 'dicendi modus, pro, qui senatores censendi officium . . . conterunt? Proprie namque veteres, 'quis,' et 'aliquis,' et 'quisquam,' et 'quisquis,' non observabant, quo genere, aut quo numero, declinarent. Quare Plautus in Cistell. 'mulier,'

inquit, 'quisquis es medioxima.' Et Terent. Adelphis dixit, 'Aperite aliquis actutum ostium.' Et Paullus de Verborum Significatione: 'Verbum hoc, *si quis*, tam masculos, quam feminas, complectitur.' Tacit. Annal. XIX. 'eo suffragio turbidissimus quisque delecti.' Et statim, 'Optimi quisque adsciti.' Cujus observationis quidam rudes lectionem pervertunt scribendo apud Secundum, *consumit*.' Hæc Catanæus. Sed ego nihilominus præfero numerum singularem *consumit*; quem exprimunt omnes, qui mihi innotuere codices Mss. et quem ceteri quoque libri typis exscripti prodidere. Quæ affert Catanæus, non ex omni parte huc quadrant. Insolentior adeo foret, quam quæ stilo Pliniano conveniat, hæc dictio, *Quis nostrum, tanquam oblitus, . . . consumunt*. Idem.

Tuæ moderationis laus] Vulgo in scriptis excusisque libris legitur, *Tuæ moderationis hæc laus, constantia nostra*. In quibusdam Catanæi editionibus ita expressa et interpuncta sunt hæc verba, *Tuæ moderationis hæc laus: constantiæ nostræ, et tibi, obsequimur*. Lipsius, cum in hujusmodi libris gignendi casum invenisset, *constantiæ nostræ*, putavit, ex hoc aliquem, negatione addita, fortasse lecturum esse *Tuæ moderationis hæc laus, non constantiæ nostræ*. Sed leviore remedio, et sine aliqua particula aliunde adscita, pulcherrima et luculentissima evadit sententia, dummodo duas has voculas, *hæc laus*, eo modo et ordine, prout in contextu orationis expressi, transponas. Quæ transpositio jam Christophoro Behrio in mentem venit; venit et in mentem doctissimo Gesnero. Ita vero hæc verba facile recteque interpretari possumus: *Hæc constantia nostra*, per quam libertate aperte censendi utimur, neque inter censendum indulgemus adulationi, est *laus moderationis tuæ*, i. e. facit ad laudem moderationis et modestiæ tuæ, cum renuis recusasque omnem nimiam et adulatoriam laudationem. *Idem.*

Tuæ moderationis] Quam et in Theodosio Pacatus laudat: 'Non enim jam coacta laudatio, et expressæ metu voces, periculum silentii redimunt. Fuerit abieritque illa tristis facundiæ ancillantis necessitas, cum trucem dominum, auras omnes plausuum publicorum ventosa popularitate captantem mendax assentatio titillabat.' *Lips.*

Constantia] Id est, quod nos constantes simus, tuæ præcognitæ modestiæ debetur. Nisi hoc esset, iremus (ut olim) in laudes. Quidam tamen libri, *constantiæ nostræ*: ex quo aliquis, negatione addita, *non constantiæ* fortasse legerit. Tuæ, inquit, modestiæ hæc laus est, qui renuis; non nostræ constantiæ, aut gravitatis, qui et ante fecimus, et faciamus, nisi nolles. *Idem.*

Justitiæ] Ut justa illic decreta, et usui publico, faciamus. *Idem.*

Justitiæ, simplicitati] Justitiæ gratissimus comes simplicitas. Plutarch. πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδευτον, ἡ παρθένος (δίκη) ἀφελείας ἔνοικος· uti legit hunc locum Pet. Fab. ex Mss. ad Tit. de Instit. et Jur. cap. 1. p. 16. Ea vero qui præditus, simplex, apertus est, 'nihilque ex occulto, nihil ex insidiis agendum putat: veritatis cultor et amicus, fraudis inimicus, quem quæ vult, velle, quæ non vult, nolle credimus.' Qualis Trajanum habitabat, de quo Dio apud Xiphil. in Vita ejus: Πλεῖστον ἐπί τε δικαιότητι, καὶ ἐπ' ἀνδρίᾳ, τῇ τε ἁπλότητι τῶν ἠθῶν διέπρεψε. *Multum in justitia, fortitudine, et morum simplicitate excellebat.* Sic ille duorum consularium pater apud Vell. II. 43. 'vir in tantum bonus, in quantum humana simplicitas intelligi potest.' Apud eund. II. 25. 'Dolabella vir simplicitatis generosissimæ, Cn. Domitius nobilissimæ simplicitatis juvenis. Caligula incipiens impe-

rator nihil duplex proferre aut cogitare potuit per ætatem, sed verax fore credebatur.' Dio lib. LVIII. In sacris Jobus 'vir simplex et rectus' laudatur. His opponuntur vafri, versuti, duplices. *Bern.*

Simplicitati tuæ] I. e. candori tuo. Bene Buchnerus ad Plin. Epist. VI. 31. 'Est et appellatur simplicitas, cum aperte, candide, libere, et agimus omnia et loquimur: nihil malignitati, fucis, adulationi, relinquimus loci, cum nec insidiamur aliis, et de aliis pariter sumus securi.' Sic et Plinius alibi, et Seneca, et Tacitus, hac voce passim utuntur. *Schwarzius.*

Veritatique] Toti huic rei Epigramma Martial. lib. X. 'Frustra blanditiæ venitis ad me, Attritis miserabiles labellis. Dicturus dominum Deumque non sum, Jam non est locus hac in urbe vobis. Non est hic dominus, sed imperator, Sed justissimus omnium senator, Per quem de Stygia domo reducta est Siccis rustica veritas capillis.' *Lips.*

Non posset] Quia semper aliquid, extra ordinem, ad honores eorum in sententia addendum: vel in fine, inquam, vel in capite. *Idem.*

Et alii non receperunt] Ut Tiberius, qui ex plurimis maximisque honoribus præter paucos et modicos non recepit. Verba sunt Suetonii loco proxime citato. Dio Cassius l. LVIII. de Caligula, *μοναρχικώτατος ἐγένετο, ὥστε πάντα, ὅσα ὁ Αὔγουστος ἐν τοσούτῳ τῆς ἀρχῆς χρόνῳ μόλις καὶ καθ' ἓν ἕκαστον ψηφισθέντα οἱ ἐδέξατο, ὧν ἔνια ὁ Τιβέριος οὐδ' ὅλως ἐδέξατο, ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ λαβεῖν. Regnantissimus evasit, ut cuncta nomina quæ Augustus tanto imperii spatio ægre, ac seorsim singula sibi decreta susceperat, quorum pleraque omnino abnuit Tiberius, uno die arripuerit.* Livin.

Et alii non receperunt] Ut Tiberius, de quo Sueton. c. 26. et Dio in Caio. Ille tamen non ex moderatione, sed ex simulatione, cujus erat versutissimus artifex. *Patarol.*

Nemo ante tantus] Forte, *Nemo ante te tantus.* Livin.

Tantus] Tam magni animi firmique. *Lips.*

Noluisse] Ut non putarent saltem delectari eum et titillari oblatione. *Id.*

CAP. LV. *Quod ergo*] In solo codice Parisiensi, et in sola Cuspiniani editione, hæc lectio extat; ceteri libri omnes habent *Quod ego.* Sed potuit verior lectio etiam in paucis exemplaribus servari: neque enim, quod jam alibi observavi, quidquam frequentius fieri consuevit, quam ut hæ voces, *ergo*, et *ego*, a librariis inter se confunderentur. Postquam nimirum Plinius singularem Trajani modestiam in honoribus sibi oblatis, aut parcissime delibandis, aut omnino recusandis, hucusque collaudaverat, et cum insana priorum aliquot principum ambitione contenderat; nunc, quasi conclusurus hoc argumentum, ostendit, quis fructus, quantusque gloriæ cumulus, ex ista moderatione ad Trajanum sit redundaturus. Cohærent ergo cum antecedentibus verba sequentia, 'Ibit in sæcula, fuisse principem, &c.' nec ea, perfecta interpunctione, multo minus novi capitis, sive sectionis, divisione, a se invicem sunt sejungenda. Qua in re secutus sum eam interpunctionem, quam quidem jam in notis commendavit, sed in editione sua ipse non expressit, Gruterus. Grammatica igitur et naturalis horum verborum structura est, Quando (i. e. quoniam) ergo nomen tuum non inciditur trabibus, aut saxis, sed monimentis laudis æternæ; quod reor speciosius titulis omnibus: ibit in sæcula, fuisse principem,' &c. Si quis vero pronomen *ego* nihilominus retinere, et cum verbo *reor* conjungere malit; ei haud pertinaciter refragabor: nihilo enim minus cohærebunt istæ sententiæ. *Schwarz.*

Quod ergo titulis] *Quod ego titulis.* Cum extet in editione Cuspiniani *ergo*, posset totus locus sic interpungi: *Quod ergo titulis omnibus speciosius reor: quando non trabibus aut saxis nomen tuum, sed monimentis æternæ laudis inciditur; ibit in sæcula, &c.* Grut.

Speciosius reor] I. e. existimo pulchrius præstantiusque. De voce *speciosus* jam supra non nihil dixi ad XVIII. 1. Perperam excusum est in Catanæi editione, *spatiosius.* Schwarzius.

Quando non trabibus] *Quando* ponitur pro 'quandoquidem,' sive 'quoniam;' uti passim; v. g. supra, XLIX. 7. 'quibus nulla satietas adest; quando sincera omnia, et vera, et ornata gravitate.' Cic. Fam. v. 20. 'Ego tamen adscripsisse mallem; quando te video id desiderare.' 'Trabes' vero, aut συνεκδοχικῶς, quod vult Lipsius, pro ædificiis, quæ trabibus saxisque constant; aut, quod placet Gesnero, pro epistyliis tectorum, et molibus transversis, quæ columnis impositæ, et præsertim excipiendis inscriptionibus ac titulis aptæ sunt, dicuntur, et ab alio genere saxorum, in basibus columnarum, et altaribus, distinguuntur. Etsi vero Plinius hic dicit, Trajanum non trabibus, aut saxis, nomen suum, sed monimentis æternæ laudis, sive annalibus ac libris, voluisse incidi; nihilominus Constantinus Cæsar, teste Aurelio Victore, Epitom. cap. 41. Trajanum 'herbam parietariam, ob titulos multos ædibus inscriptos,' appellare solitus est; quod, ut herba ista parietibus adhæret, sic Trajani nomen ubique ædificiis inscriptum viseretur. Pro verbo *inciditur*, codex Vat. 3461. male refert *exciditur.* Et æque vitiose librarius in meo codice scripsit, *sed monumentum æternæ laudis incidere.* Idem.

Trabibus] Ædificiis, quæ trabibus saxisque constant. Possit et divisim capi, de tabulis et lapidibus, in quibus etiam tituli incisi; etsi tabulæ istæ magis æreæ. *Lips.*

Trabibus] Monimentis e ligno aut saxo; sed annalibus, qui monimenta sunt æternæ laudis. Supra LIV. 2. 'Honor æternus annalium.' Et Horat. de suis carminibus, Od. III. 33. 'Exegi monimentum ære perennius, Regalique situ Pyramidum altius; Quod non imber edax, non Aquilo impotens, Possit diruere, aut innumerabilis Annorum series, et fuga temporum.' Et Ovid. de Metamorphoseon libris, in eorum fine, 'Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes, Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.' *Patarol.*

Monimentis] Annalibus et libris. *Lips.*

Ibit in sæcula] I. e. commemorabitur sæculis futuris. Alias Fama dicitur 'ire.' Virgil. Æn. IV. 173. 'Extemplo Libyæ magnas it Fama per urbes.' Sed loquendi formulas Plinianæ similes jam annotavit Cellarius; v. g. ex Silio XII. 311. 'Factoque in sæcula ituro.' Et ex Claudiani Panegyr. in Mallium Theod. vs. 115. 'Nascentes ibant in sæcula libri.' Plura exempla ad citatum Silii locum attulit doctiss. Drakenborch. v. g. ex Lucano X. 533. 'Potuit discrimine nullo Cæsaris illa dies in famam et sæcula mitti.' Alia Barthius Advers. XXII. 14. et ad Claudiani Panegyr. Mallii Theod. vs. 115. Cf. et Arntzen. ad h. l. *Schwarz.*

Florenti] Gratia et fortuna. *Lips.*

Incolumi] Vivo; nam mortuos negligere, facile et tutum est. *Idem.*

Sæpius nulli] Cuspinianus pro voce *nulli*, edidit *nudi;* nescio, an sphalma sit; quanquam in indice sphalmatum typographicorum illius editionis non animadvertatur. Eadem lectio, teste Thoma Hearne, etiam annotata fuit in Scaligeri libro; sed incertum est, utrum ex Cuspiniano, an aliunde. In codice Guelpherbytano pro sequenti verbo, *decernerentur*, scriptum est *de-*

cernentur. Schwarz.

Si velimus] In Paulli Stephani et Petri Chouet editione, illa quidem an. 1601. hac an. 1643. pro *velimus*, legitur *vellemus:* sed puto, istam variationem deberi ingenio editoris; quia mox etiam pro verbo *vincemur*, positum est *vinceremur*. Idem.

Certare, vincemur] Loquitur Plinius de 'certamine adulationum' in excogitandis novis titulis et honoribus principis, de quo dixerat LIV. 5. Pro *vincemur*, non tantum Paull. Stephanus, et Petrus Chouet, sed ante hos etiam Puteolanus, Beroaldus, et Catanæus, ediderunt *vinceremur*. Sed retinenda est lectio a reliquis libris scriptis excusisque confirmata. In meo codice mendose scriptum est *vincemus*. Pertinet huc locus ex Senecæ Epist. 45. jam a Catanæo et Lipsio præoccupatus: 'Adulatio amicitiam non imitatur tantum, sed vincit, et præterit.' Item ex Horatii Arte Poët. vs. 431. 'Ut qui conducti plorant in funere, dicunt Ac faciunt prope plura dolentibus ex animo; sic Derisor [assentator] vero plus laudatore movetur.' Ita plerumque nimium esse solet, quod est simulatum. Exemplum capimus a senatu Romano, gratulante Othoni de victoria et cæde Galbæ, quod refert Tacit. Hist. I. 45. 'Ruere cuncti in castra, anteire proximis, certare cum præcurrentibus, increpare Galbam, laudare militum judicium, exosculari Othonis manum; quantoque magis falsa erant quæ fiebant, tanto plura facere.' *Id.*

Certare] Titulis et laudibus. *Lips.*

Vincemur] Nam ut Seneca Epist. 45. 'adulatio amicitiam non imitatur tantum, sed vincit et præterit.' *Idem.*

Ingeniosior] Vera caussa, qui simulant, magis connituntur et ingenium intendunt. Ideo delectant nos simulata ira, tristitia, et similia; quæ tamen in re spectata, angunt. Vide Plutarchum Quæst. Convival. v. 1. *Idem.*

Ingeniosior] 'Adulatio quam similis amicitiæ, non imitatur tantum illam, sed vincit.' Senec. Epist. 45. Horat. 'Ut qui conducti plorant in funere, dicunt Ac faciunt prope plura dolentibus ex animo.' *Bern.*

Ad excogitandum] Plinius infra, c. LXXII. 7. 'Nosti necessitatem servitutis; quando simile aliquid audisti, et quando dixisti? Multa quidem excogitat metus, sed quæ appareant quæsita ab invitis.' Nec mirum est, cur ii, qui vel sponte simulant, vel simulare necesse habent, ingeniosiores esse soleant ad excogitandos honores, laudesque, in gratiam eorum, quibus adulantur; veriti enim, ut ex animo loqui et agere videantur, si intra mediocritatem subsistant, ingenium animumque magis intendunt, ut ad tegendam velandamque simulationem insigniora quædam honoris laudisque documenta promant; quanquam eo ipso excessu sagacioribus sæpe magis prodant simulationem suam. Itaque Plutarch. in libello, in quo exponit, quomodo possit adulator ab amico internosci, pag. 63. ostendit, adulationem veritate esse ingeniosiorem et operosiorem; adulatoris facta nihil verum, nihil simplex, nihil liberale, habere; eum sudare, discurrere, clamare, vultum contrahere, ut ministerio speciem laboriosæ ac difficilis operæ conciliet. Idem Plutarch. in Vita Demetrii, p. 903. monet, inconstantissimum benevolentiæ multitudinis regibus et dynastis esse indicium, effusos honores; eosdem enim sæpe et a timentibus decerni, et ab amantibus; at unum argumentum esse veræ benevolentiæ, si ii, quibus deferuntur honores, conscii sibi sint, se factis et virtute meruisse. *Schwarz.*

Simul] Hanc particulam pro 'et,' vel 'etiam,' poni, jam Catanæus et Arntzenius annotarunt. Ita orator noster etiam infra loquitur, LXXXII. 8. 'Simul cogito.' Sic et Cic. pro

Balbo, cap. 25. 'Simul illud nesciebat.' Idem pro Cluentio, cap. 57. 'Simul et illud, quam sit indignum, cogitemus.' Eadem particula aliquando etiam pro 'deinde,' et 'secundo,' ponitur. Cæs. B. Civ. III. 43. 'Simul, ut pabulatione Pompeium prohiberet, equitatumque ejus ad rem gerendam inutilem efficeret; tertio, ut auctoritatem, qua ille maxime apud exteras nationes niti videbatur, minueret.' Cf. Cort. ad Sallust. Catil. xx. 3. et in Jug. IV. 2. Sic ergo Catanæus non satis habuit caussæ, cur mallet pro *simul*, legere *sed*. Adhæc pro mendis librariorum habeo, quod in libro Vossiano, pro *jampridem*, legitur *jam primum*, et *veritas*, in codice Guelpherbytano, pro voce *novitas*. Idem.

Jam pridem] Tot novis principibus, novisque honoribus. *Lips.*

Novitas] Quidquid novi honoris excogitari aut præstari potest. *Patarol.*

Consumta sit] I. e. novitas omnis honorum et titulorum, quibus ornentur principes, jam exhausta sit. Verbum enim, 'consumere,' pleniorem et vehementiorem significationem habet, quam 'insumere.' Inde et cum verbis, 'effundere,' et 'exhaurire,' conjungitur; v. g. Cic. pro Roscio Amer. c. 2. 'Sperat, se posse, quod adeptus est per scelus, id per luxuriam effundere atque consumere.' Idem de Orat. III. 26. 'In quo tanta commoveri actio non posset, si esset consumta superiore motu et exhausta.' In meo codice scriptum est, *novitas omnis adulationis consumta sit;* quæ lectio mihi non displiceret, nisi vulgata omnium reliquorum librorum auctoritate firmetur. *Schwarz.*

Tacere] Pacatus de Theodosio, 'Quam promtum laudare principem, tam tutum siluisse de principe.' *Lips.*

Age] Est particula transeuntis ad alia. Cic. pro Cluent. cap. 30. 'Age, quoniam corrumpendi judicii caussas ille multas et graves habuit, hic nullam; profectio ipsius pecuniæ requiratur.' Et pro lege Manil. cap. 14. 'Age vero, ceteris in rebus, quali Pompeius sit temperantia, considerate!' Optassem autem, ut etiam in hoc loco Pliniano particulam *vero* cum *age* conjunctam reperissem. *Schwarz.*

Verecundiam] Quæ dedignatur laudes, præsertim nimias. Euripides, Αἰνούμενοι γὰρ οἱ ἀγαθοὶ, τρόπον τινὰ Μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἐὰν αἰνῶσ' ἄγαν. *Laudati enim viri boni, quodammodo Laudantem odio habent, laudet ille si nimis.* Lips.

Quæ qualiaque decernimus nos, tu non recusas] *Quæ qualiaque aut decernimus nos, aut tu non recusas* V. Livin. recte. *Rittersh.*

Quæ qualiaque] I. e. Quæ et qualiacunque honoris genera, quamlibet tenuia, nos tibi decernimus, tu tamen non recusas. Lectionem, quæ in plurimis libris impressis evulgata est, dedimus. At in codicibus Mss. paullo aliter ista verba leguntur. In Veneto 1. *Quæ qualia quidem, aut decernimus nos, aut tu non recusas.* In codicibus Vaticanis, Parisiensi, Veneto 2. Salisburgensi, Guelpherbytano, et meo, item in editione Sichardi, et Gryphii an. 1531. extat, *Quæ qualiaque aut decernimus nos, aut tu non recusas.* Gryphius vero in editione an. 1542. particulam *aut* utroque loco sustulit. Quam tamen probavit et retinuit Arntzenius, addito simul signo interrogationis, *quæ qualiaque aut decernimus nos, aut tu non recusas?* Assecutus quidem est vir doctissimus veram Plinii sententiam, quando eam ita interpretatur, *quam minuta aut nos non dubitamus decernere, aut tu tibi non permittis recusare;* sed hæc sententia non fluit ex ista emendatione, et interrogatione. Quod si enim per interrogationem hæc verba enuntientur, *aut tu non recusas?* sequeretur, ut Trajanus in-

telligatur minuta honoris genera omnino recusasse; cum tamen contrarium ex sequentibus verbis appareat. Ego utraque manu amplecterer lectionem in tot codicibus Mss. adhuc obviam; sed tunc particulam negandi, *non*, hunc in modum, rejiciendam judicarem, *Quæ qualiaque aut decernimus nos, aut tu recusas?* Sic demum locum habitura videtur explicatio Arntzeniana. Quia vero particula *non* in omnibus omnino libris constanter legitur, ego eam exturbare non ausus sum, vulgata lectione, sine quidem interrogationis signo, retenta; in qua locum suum omnino tueri potest particula negandi. Interim fateor ingenue, nullam ex omnibus hujus loci lectionibus, quæ adhuc innotuere, mihi ex asse satisfacere. Malim enim legere, *Age, . . . quæ qualiaque decernimus nos, tu ne recuses, ut appareat, &c.* Sic quasi oratio foret adhortantis vel dehortantis Plinii. Ad quam conjecturam me deducit particula *Age*, quæ et alias ordinarie verbum vel imperativi, vel conjunctivi modi, requirit. Tunc vero omnia mihi videntur planiora; et tunc etiam verba interjecta, 'si quando pietas nostra silentium rupit, et verecundiam tuam vicit,' videntur ad excusationem adhortationis facere. *Schwarz.*

Et fastidio] I. e. dedignatione. Vulgaria enim et minuta facile fastidimus et dedignamur. Erratum ergo est librarii, qui in codice Vaticano 8461. scripsit *fastigio*. Neque necesse est, ut in sequentibus *dedignaris*, quod in meo codice legitur, pro *dedigneris*, recipiamus. *Idem.*

Ambitionis] Præposteræ, et quæ fuga famæ, famam captat. *Lips.*

Nobis] Vel quia veros esse pateris liberosque; vel quia non periclitamur accusari aut confiscari. *Idem.*

Ærario] Quia e publico statuæ, arcus, et talia. *Idem.*

Ærario consulis] Hucusque locus hic in omnibus omnino exemplaribus excusis sic mancus exhibitus est, *Quo temperamento et nobis et ærario prodes; quod sumtibus ejus adhibes modum, et qui exhaustum non sis innocentium bonis repleturus.* Ego primus egregium supplementum ex codice meo, et altero libro Gudiano, in lucem protuli; quod deinceps deprehendi etiam a codicibus Vaticanis et Guelpherbytano, atque a libro Vossiano, confirmari. Expendant, quæso, alii, annon supplementum hoc stilo Pliniano sit dignum, congruatque sententiæ propositæ? Sic vero Trajanus, cum non omnes honores sibi publice decretos recusarit, liberasse dicitur senatum Romanum suspicione, quasi hic principem suum plane nullo honore dignum haberet. Sic etiam idem Trajanus, cum honores saltem parcissimos admiserit, nec voluerit arcus ingentes, templa, et statuas aureas de pecunia publica sibi exstrui, recte dicitur adhibuisse sumtibus modum, ne ærarium alioquin amplioribus honoribus exhaustum necesse haberet innocentium bonis replere. Ceterum, etsi supplementum hoc omnes libri impressi et commentatores adhuc ignorarunt; attamen, cum vocabulum *ærario* in eodem verborum ambitu bis occurrat, haud ægre intelligimus, quomodo fieri potuerit, ut librarii prono lapsu ab uno ad alterum oculis transiluerint, iis quidem verbis, quæ interjecta erant, oscitanter neglectis, et aliis ad constituendam sententiam leviter immutatis. Hunc saltum et defectum autem, etsi quidam libri magis occultarint, haud obscure tamen indicant codices Mss. Parisiensis, et uterque Venetus; in quibus particula *autem*, statim primo nomini, *ærario*, sic subjicitur, *Quo temperamento, et nobis, et ærario autem, quod sumtibus ejus adhibes modum.* Qua scriptura saltem facilior aditus ad animadvertendum quendam defec-

tum relictus est. At in codice Salisburgensi primum pro particula *autem*, substitutum est verbum *prodes*. Qua qualicunque medela, (quam postea secuti sunt editores omnes,) sententia quidem Plinii utcunque sanata, sed tamen nondum in integrum restituta; e contrario autem via ad defectum suspicandum reddita fuit difficilior. Cum adeo primum bonis auspiciis hoc supplementum indicassem, id quidem sine hæsitatione admissum est a Gesnero, et ab Arntzenio, qui et ipse illud in excerptis, quibus usus est, invenire potuit; at nullo modo probari potuit Heumanno; utpote cui vulgata scriptura nihil visum est dici potuisse pulchrius, et qui, tom. III. Pœcil. lib. IV. p. 528. hoc ipsum supplementum adscripsit temerario ausui librarii scioli, et ea adjicientis, quæ putarit excidisse. Sed illi fortiter contradixit Arntzenius: 'Qui diligentius,' inquit, 'ad vulgatam lectionem attendit, non difficulter hic hiatum agnoscit. Et multo elegantiora sunt, quæ supplentur, quam ut a librariis possent expectari, qui raro talium rerum sibi habebant copiam: unde tutissimam semper viam eligimus, si ex priscis codicibus aliquid quasi postliminio reducimus, quam si reducta abjiciamus. Nihil sane magis excogitari posset Plinianum, si vel ipse orator ab Acheronte esset redimendus.' *Schwarzius.*

Quos omni liberas suspicione] Equidem codices ii, e quibus hoc eximium supplementum erui, loco pronominis *quos*, habent conjunctionem *quod*. Sed quis non videt, oportere hæc verba vel sic scribi, *quod omni liberas nos suspicione;* vel sic exprimi, prout ea in contextu exhibeo. Ego malui lenissima medela uti. Quid autem lenius, quam, unica literula mutata, pro *quod*, cujus scriptura in omnibus reliquis libris extat, reponere *quos?* Monet quidem Arntzenius, prius *quod*, cum respondeat eidem voci mox sequenti, nullo modo mutari deberi in *quos;* sed vir doctissimus nescire non potest, etiam in pronomine *quos*, simul contineri et conjunctionem *quod*, et pronomen *nos*. Sic Plinius infra LXVII. 3. loquitur: 'Nec verendum est, ne incautos putet, si fidelitate temporum constanter utamur; quos meminit sub malo principe aliter vixisse.' Annon Plinius etiam dicere potuisset, *quod nos meminit sub malo principe aliter vixisse?* Neque insolens est, pronomen relativum *qui* etiam alibi sæpe pro *quod* poni; v. g. apud Cic. Fam. XVI. 1. 'Peccasse mihi videor, qui a te discesserim,' &c. Deinde, si vel maxime plures ætiologiæ subjiciantur sententiæ, non tamen necesse est, ut semper per unam eandemque particulam caussalem conjungantur; v. g. apud Phædr. I. 2. 7. 'Cum tristem servitutem flerent Attici, non, quia crudelis ille, sed quoniam grave omne insuetis onus,' &c. Immo ipse Plinius infra LXXXIV. 6. suggerit fere simile exemplum, ubi particulæ sequenti, *quod*, non ab initio respondet eadem particula: 'Obtulerat,' inquit, 'illis senatus cognomen Augustarum; quod [cognomen] certatim deprecatæ sunt, quamdiu appellationem patris patriæ tu recusasses; [i. e. quod appellationem patris patriæ nondum admiseras;] seu, quod plus esse in eo judicabant, si uxor, et soror tua, quam si Augustæ, dicerentur.' Ceterum, jam aliunde constat, nomen 'suspicionis' sustinere et passivam et activam significationem: passivam; e. g. apud Vell. II. 45. 'Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Cæsar et Pompeius;' i. e. C. et P. suspecti fuere, quod oppresserint Ciceronem: activam; v. g. apud Cic. Fam. XIII. 24. 'Ut omnem suspicionem, quam habueras de Lysone, deponeres.' Itaque ex activa significatione hæc verba, *quos omni liberas*

suspicione, sic explicabis, Nobis omnem adimes suspicionem, ne scilicet suspicemur, si nullum prorsus honorem a nobis recipias, te id ex superbia et quodam fastidio facere. Quo tendit etiam Gesneri explicatio. Sin passive accipias vocabulum 'suspicio,' tunc locum habebit interpretatio jamdudum a me tradita, et supra repetita, *nos omni liberas suspicione*, ne scilicet negligentiæ et cujusdam pervicaciæ nomine tibi suspecti simus, quasi te parum reverenter habeamus, neque honore dignum existimemus. Utram quisque velit, per me eligat explicationem; quamquam mihi ipsi significatio passiva sit verisimilior; quam in simili formula etiam adhibet Cicero, sed ita, ut is simul materiam suspicionis designet, Fam. I. 2. 'Prorsus eum libero omni suspicione cupiditatis.' *Idem.*

Sumtibus ejus] In solo codice meo legitur *sumtibus tuis*. Cic. Q. Frat. I. 1. 2. dixit 'sumtu exhauriri homines.' *Idem.*

Ut qui exhaustum] *Et qui exhaustum* Livin. in textu; sed in margine, *ut qui exhaustum* V. C. R. recte. *Rittersh.*

Ut qui] Hæc lectio a pluribus, et codicibus scriptis, et libris excusis, confirmatur. Non paucæ autem editiones, pro *ut*, habent *et;* immo Catanæus, et quidam alii editores, utraque particula omissa, solum pronomen *qui* prodiderunt. *Schwarz.*

Innocentium bonis] Similiter Xiphilinus de Trajani operibus et sumtibus: 'Quorum tamen caussa nullius sanguinem fudit.' *Patarol.*

Privatis dicabantur] Privatis, i. e. iis qui subsunt legibus. Omnes enim tunc privati dicebantur, qui non princeps, et solus ille ab hoc nomine exceptus. Vide Lipsium ad VII. 2. et notam nostram ad XXI. 4. In codicibus quibusdam Mss. ut Parisiensi, Guelpherbytano, et meo, pro *dicabantur*, scriptum est *dicebantur;* sed pari errore librariorum, quo in capite proximo LIV. 4. scriptum erat, 'nomini Cæsarum dicebamus.' Plinius infra, LIX. 2. 'Cum arcus, cum tropæa, cum statuas, deprecaris, tribuenda est verecundiæ tuæ venia: illa enim sane tibi dicantur.' *Schwarz.*

Materia] Non auro aut argento, sed ære. *Lips.*

Brutorum] M. Junius Brutus, qui reges ejecit, inter illos medios positus in capitolio fuit, dextra gladium tenens. Plutarchus in Bruto. *Lips.*

Brutorum] Brutorum dicit, non, quod de pluribus Brutis, quos ex historiis quidem novimus, ut plerique interpretantur, intelligat; sed schemate oratoribus usitato ad sententiam amplificandam: de uno enim Lucio Bruto, Tarquiniorum expulsore, Nostrum loqui, satis constat. Simili modo subdit et Camillorum; cum tamen de uno Furio Camillo mentionem fieri consentiant omnes. *Patarol.*

Camillorum] M. Furium Camillum inprimis respexit, inquit Catanæus; qui Camillus urbem captam a Gallis servavit, et servatam in bello patriam iterum in pace haud dubie protexit, prohibens migrare Veios. *Idem.*

Camillorum] Camilli, qui Gallos Roma expulit, 'statua sine tunica in rostris.' Plinius. *Lips.*

Regnum] Ut Brutus. *Idem.*

Reges] Tarquinios, Superbum nempe, septimum Romæ regem, et filium ejus, Lucretiæ corruptorem, a Bruto pariter exactos. *Patarol.*

Hostemque] Gallos Senones, urbe jam potitos, quos M. Furius Camillus profligavit. *Idem.*

Hic regnum ipsum . . . arcet] Notare licebit, cum Plinius hactenus Trajanum, tamquam præsentem, sicut erat præsens, allocutus, modo dixisset, 'Stant igitur effigies tuæ,' &c. nunc ipsum de eodem Trajano, tamquam absente, in persona tertia loqui, 'Hic regnum ipsum . . . arcet, ac submovet, sedemque obtinet principis;' postea

mox ad usum secundæ personæ redire, 'Ac mihi intuenti sapientiam tuam,' &c. Uno ergo tenore nexuque dicere potuisset, *tu regnum ipsum, quæque alia captivitas gignit, arces ac submoves, sedemque obtines principis, ne sit domino locus.* Suspicabar aliquando, hujusmodi variationem personæ, quæ aliquoties in hoc Panegyrico occurrit, accidisse ex crebra emendatione et intercalatione sententiarum, qua usus est ipse Plinius in hoc Panegyrico concinnando. Conferantur ea quæ supra ad XXXIX. annotavi. Ceterum, tralititium est, 'reges' hic pro tyrannis, et 'regnum' ipsum pro tyrannide poni. Cf. ad XLIII. 5. *Schwarz.*

Captivitas] Quam Camillus depulit. *Lips.*

Sedemque obtinet principis] Sic Plinius etiam supra, VII. 6. 'principem' distinguit a 'domino.' 'Non enim servulis tuis,' inquit, 'dominum, ut possis esse contentus quasi necessario herede, sed principem civibus, daturus es imperator.' Et XLV. 3. dixit, 'Sunt diversa natura dominatio et principatus.' Scilicet 'princeps' proprie est rector civium liberorum; 'dominus' verò servorum. Ita, teste Dione, lib. LVI. p. 607. etiam Tiberius præ se tulit, dominum se servorum, imperatorem militum, principem ceterorum esse. Augustus vero titulum hunc ex usu liberæ reipublicæ, in qua jam nomen 'principis senatus' obtinuerat, invidiæ leniendæ caussa, ad supremam imperii dignitatem transtulit; quod testatus Tacit. Annal. I. 1. 'Augustus,' inquit, 'cuncta discordiis civilibus fessa, nomine principis, sub imperium accepit.' Et c. 9. 'Non regno tamen, neque dictatura, sed principis nomine, constituit rempublicam.' 'Principis' igitur nomine contentus, non domini, non regis, nec dictatoris, titulum adscivit; quia in illo nihil superbum, nihil tyrannicum esset. Sigillatim appellationem 'domini,' ut maledictum et opprobrium, semper exhorruisse Augustus dicitur Suetonio Aug. cap. 53. Sed ab ista moderatione jam recessit Caius, qui, secundum Victor. Cæs. c. 3. 'dominus' appellari voluit. Adhuc magis hunc titulum ambiit Domitianus, qui, teste Suet. Dom. c. 13. epistolam his verbis exorsus est: 'Dominus et Deus noster sic fieri jubet.' Eadem tamen appellatione non delectatus fuisse videtur Trajanus; de quo Martial. X. 72. scribit, 'Frustra blanditiæ venitis ad me . . . Dicturus dominum Deumque non sum: Jam non est locus hac in urbe vobis. . . Non est hic dominus, sed imperator, Sed justissimus omnium senator.' Cur vero Trajanus nihilo minus in epistolis Plinii 'dominus' appellatus sit, ejus rei caussam attigi ad II. 2. Labentibus autem imperii Romani sæculis, appellatio 'domini,' vice prænominis, et pro supremi fastigii vocabulo, passim in monimentis imperatorum recepta est. *Schwarz.*

Ac mihi intuenti sapientiam] Pro *Ac,* liber primus Gudianus habet *At.* Participio *intuenti,* Ascensius, H. Stephanus, Rivinus, Boxhornius, Cellarius, præpositionem *in* sic adjungunt, *intuenti in sapientiam tuam.* Utrumque recte dicitur; sed sequor lectionem codicum Mss. et plurimarum editionum, in quibus hoc loco istam præpositionem animadvertere non licuit. Cic. ad Q. Frat. I. 1. 2. 'Nam Græci quidem sic te ita viventem intuebuntur, ut quendam ex annalium memoria . . . putent.' *Idem.*

Depreceris] Prece amoliaris. *Lips.*

Temperes] Modicos recipiendo. *Id.*

Ubi] In animis hominum, in monimentis et prædicatione posterorum. *Idem.*

Scis ubi] Tiberius præclare de se 'Mihi in animis vestris templa, pulcherrimæ effigies et mansuræ.' Tacit. Annal. IV. 33. Adde Mæcen. in

Dion. lib. LII. *Bern.*

Scis enim, ubi vera principis] In codice Vaticano 3461. et meo, lego *Scis enim, quod, ubi vera, &c.* quasi particula *quod* referatur ad sequentia verba, *hi sunt honores, &c.* Vox *principis* omissa est in codice Vaticano, et Veneto 2. sed, meo judicio, male. Omissa eadem erat in codice Salisburgensi; cui vero postliminio est adscripta. *Schwarz.*

Ubi sint honores] Codex Parisiensis et meus habent *Hi sunt honores.* Codex Vaticanus, Venetus 2. et Salisburgensis, *Ii sunt honores.* Venetus *Hi sint honores.* Sichardus edidit *ibi sint honores.* Quam variationem etiam H. Stephanus in margine annotavit. Verum nulla est necessitas cur lectionem vulgatam deseramus. *Idem.*

Nihil flammis] Ovid. in fine transformationum: 'Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes, Nec poterit ferrum, nec edax violare vetustas.' *Bern.*

Successoribus] Nam et alii principes aliorum honores aut tollunt aut minuunt. *Lips.*

Successoribus] Idem Tiberius ibidem, 'Nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur.' *Bern.*

Statuas] Agesilaus apud Xenophontem, 'vetuit statuas sibi poni; cum hoc quidam honoris caussa facerent; sed animi dotes nunquam elaborare destitit: putabat enim statuariorum illud, hoc suum opus esse.' *Idem.*

Demolitur] Improprie, nec recte, oblivio dicatur 'demoliri.' Tabescere patitur, et ignorantia sepeliri. Itaque legam, et membrum expleam, *demolitur ætas, obscurat oblivio.* Lips.

Demolitur et obscurat oblivio] Recte quidem *oblivio* dicitur aliquid obscurare; v. g. apud Cic. pro M. Marcello, cap. 9. 'Ut tuas laudes obscuratura nulla unquam sit oblivio.' Verum insolentius dicitur 'oblivio demoliri' arcus, aras, templa. Inde haud præter caussam Lipsius: 'Improprie,' inquit, 'nec recte oblivio dicitur demoliri. Tabescere patitur, et ignorantia sepeliri. Itaque legam, et membrum expleam, *demolitur ætas, obscurat oblivio.*' Et certe facile fieri potuit, ut ipsa particula *et* relicta sit ex nomine *ætas;* cum medio ævo non per *æ*, sed per *e* simplex, scribi soleret *etas.* Deinde, *vetustas* et *ætas* etiam alibi dicuntur 'demoliri,' et 'delere;' v. g. apud Senec. de Brev. Vitæ, cap. 15. 'Honores, monimenta, quidquid aut decretis ambitio jussit, aut operibus exstruxit, cito subruitur. Nihil non longa demolitur vetustas, et movet ocyus, quod consecravit. Sapientiæ noceri non potest; nulla delebit ætas præsens, nulla diminuet sequens, ac deinde semper ulterior aliquid ad venerationem conferet.' Quamvis vero hæc conjectura satis probabilitatis præ se ferat, neque quidquam complectatur stilo Pliniano indignum; nondum tamen ausus sum eam recipere, cum nullus codex scriptus, neque liber impressus, ei subveniat, et cum nullam vulgatæ lectionis mutandæ necessitatem adhuc videam. Neque enim metaphoræ aliquantum audaciores a poëtis panegyristisque sunt alienæ. Observavit et Arntzenius ad h. l. aliquando alios etiam scriptores uni vocabulo plura addere, vel substantiva, vel verba, quæ omnia significatione propria ad illud referri nequeant, sed commoda interpretatione sint mollienda; quamquam exempla hujus observationis ab eo allata mihi minus satisfaciant. *Schwarz.*

Carpitque posteritas] Verbum 'carpere' generatim significat, sensim et leniter auferre; adeoque proprie dicimur, flores, fructus, et poma 'carpere,' si ea decerpimus, sive avellimus, colligimusque. A qua significatione multæ aliæ dimanant; sed ad

duas potissimum hoc loco attendimus. Nempe aliquando 'carpi' dicuntur, quæ sensim consumuntur, attenuantur, et perduntur. Virgil. Æn. IV. 2. 'Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni;' i. e. interprete Servio, 'paullatim consumitur,' ut, 'Carpit enim vires paullatim,' e Georg. III. 215. Colum. VII. 12. 'Si teneris canibus conceditur Venus, carpit et corpus et vires, animosque degenerat.' Seneca in Herc. Fur. vs. 874. 'Prima, quæ vitam dedit, hora carpit.' Deinde et 'carpere' dicuntur, qui taxant, reprehendunt, et vituperant, quia tunc detrahunt et quasi aliquid decerpunt alterius existimationi et laudi. Sic sæpius loquitur ipse Plinius noster; v. g. supra, LIII. 4. 'Permitteret, credo, famam vitamque ejus carpi.' Epist. I. 9. 'Nemo apud me quemquam sinistris sermonibus carpit; neminem ipse reprehendo.' Epist. VII. 28. 'Non sunt parum multi, qui carpere amicos suos judicium vocant.' Quæritur ergo, utra significatio hic locum habeat? Tollius, in omissis ad Epigr. XXXV. Ausonii, verbo 'carpit,' in hoc loco Pliniano, tribuit priorem significationem, et illustrat ex Petronii Pisauriensis versibus, ubi de pyramidibus sermo est: 'Concutiet, sternetque dies: quoque altius extat Quodque opus, hoc illud carpet edetque magis.' At Lipsius 'carpere' hic videtur per 'vituperare' interpretari, quia addit, posteritatem dici carpere statuas et alia monimenta principum, si hi non meriti fuerint. Ego Lipsianæ interpretationi lubens subscribo. *Idem.*

Carpitque] Si non meriti. *Lips.*

Contemtor ambitionis] Per elegantem enallagen substantivi pro adjectivo, animus dicitur 'contemtor ambitionis, domitor ac frenator infinitæ potestatis.' Ejus generis plura exempla, ubi optimi quique scriptores non aliter interdum de animo, quam de persona quadam, locuti sunt, jam annotarunt viri docti, Bentleius ad Horat. Od. IV. 9. 39. et Corte ad Sallust. Jug. LXIV. 1. e quibus non nisi pauca repetere libet; v. g. Sallust. l. c. 'Tamen inerat [Mario] contemtor animus, et superbia.' Virgil. Æn. IX. 205. 'Est hic, est animus lucis contemtor.' Seneca Epist. 24. 'Cato generosum illum contemtoremque omnis potentiæ spiritum non emisit, sed ejecit.' Idem Seneca Cons. ad Helviam, cap. 11. 'animum' vocat 'misoriarum victorem;' et ad Marciam, cap. 23. 'victorem omnium voluptatum;' Epist. 114. 'regem;' et, Nat. Quæst. VII. 24. 'rectorem dominumque nostri.' *Schwarz.*

Necesse est] Alius Panegyristes imitatur: 'Neminem magis laudari imperatorem decet, quam quem minus necesse est.' *Lips.*

Necesse est] Post hæc C. G. inserunt, *Præterea ut quisque factus est princeps, extemplo fama ejus incertum bona, an mala, ceterum æterna est:* recte. *Rittersh.*

Præterea, ut quisque factus est princeps, extemplo fama ejus, incertum bona, an mala, ceterum æterna est] Hanc sententiam Livineius in textu omisit, sed notavit in margine ex C. G.

Præterea, ut quisque] Pulchra hæc, et Plinio digna, est sententia, quam et sequentium verborum nexus non admittit tantum, sed et exigit. Quomodo enim potuisset Plinius per modum consectarii subjungere subsequentem sententiam, 'Non ergo perpetua principi fama,' &c. nisi famæ perpetuæ, aut æternæ, mentio antecessisset? Interim abest ea ex omnibus, quos consulere nobis contigit, codicibus Mss. nisi quod Is. Vossius in suo libro non annotarit, se eam haud offendisse in suis, quibus usus est, codicibus. Abest vero eadem sententia etiam ex pluribus libris excusis. Primus bona fortuna in meliorem, et ex hac parte integriorem

quendam codicem, incidit, hancque sententiam evulgavit Cuspinianus; deinde Gryphius et Sichardus; tum H. Stephanus; postea Gruterus, Claudius Minoë, Elzevirii, Puteanus, Rivinus, Boxhornius, Kirchmaierus, Baunius, Cellarius, Patarol, Quartius, Th. Hearne, Weinrichius, et Gotschlingius: ex his autem, vix pluribus, quam tribus, contigit evolvere veteres hujus Panegyrici membranas. Nunc autem etiam Gesnerus et Arntzenius hoc supplementum habuere dignum quod reciperent. Sine dubio autem huic defectui occasionem dederat verbum substantivum *est*, in fine duarum periodorum vicinarum repetitum. Cum enim oscitans quidam librarius jam olim, inter describendum, ab exitu prioris sententiæ, *necesse est*, ad similem exitum posterioris sententiæ, *æterna est*, oculis transiliisset, hujus ipsius sententiæ posterioris verba interjecta negligenter prætermisit. E cujus codice cum deinceps alii, et ab his rursus alii, Panegyricum hunc descripserint; accidit, ut tam insignis defectus in tot alia exemplaria sensim dimanarit. Ceterum, quamvis Cuspinianus de hac sententia restituenda optime sit meritus; non bene tamen vocem *exemplo* prodidit, pro *extemplo*, i. e. confestim, illico. Hanc autem particulam ab auspiciis originem habuisse, Servius ad Virgil. Æn. II. 699. aliique, dudum docuerunt. Et fieri potuit, ut Plinius, cum de fama loqueretur, in mente habuerit illud Virgilianum, Æn. IV. 173. 'Extemplo Libyæ magnas it Fama per urbes.' *Schwarz.*

Fama] Congruit hic locus cum illo Senecæ, de Clementia, cap. 5. 'Vestra facta dictaque rumor excipit; et ideo nullis magis cavendum est, qualem famam habeant, quam qui, qualemcunque habuerint, magnam habituri sunt.' *Patarol.*

Perpetua] Nam eunt statim in annales, et capita hæc mundi mundo ostenduntur. *Lips.*

Imaginibus] In clypeis, ex auro, argento, ære: quos solent celeberrimis locis suspendere. *Idem.*

Cum etiam leviora hæc] In solo codice Vaticano 3461. legitur *cum*, pro *quin*; quæ particula *quin* in ceteris libris omnibus deprehenditur; sed male cohæret cum verbis conjunctivi modi, 'exprimat, teneatque.' Neque enim ullum exemplum mihi succurrit, ubi particula *quin*, pro *immo* posita, cum conjunctivo construatur. Sed et illi, quibus contigit antiquos codices manibus versare, haud ægre intelligent, quam proclivi lapsu librarii, pro *quum* vel *cum*, scribere potuerint *quin*. Miror vero, ne ullum quidem commentatorem in hoc loco recensendo adhuc hæsitasse. Codex Venetus 1. pro voce *leviora*, ex facili errore exhibet *leniora*. Schwarz.

Exprimat] In alio Panegyrico: 'Hic vultus universorum pectoribus infixus est, nec commendatione ceræ aut pigmentorum fucis renitet, sed desiderio efflorescit animorum.' *Lips.*

Animo sedet] Verbum *sedet* in Beroaldi et Catanæi editionibus prioribus, in particulam *sed*, atque in alia Veneta editione an. 1519. in *sed et*, mutatum corruptumque, ac cum sequenti sententia sic conjunctum invenitur, *Sed annotasse*; item, *Sed et annotasse, &c.* quasi sine expresso verbo subsistat ultima hujus capitis sententia, *cujus lætissima facies, et amabilis vultus, in omnium ore, oculis, animo.* Sed verbum *sedet* in ceteris libris omnibus salvum integrumque existit; idque non solum a Plinio, sed etiam ab aliis bonis scriptoribus, sæpe ponitur pro 'hærere.' Plinius Epist. II. 3. 'Altius in animo sedent, quæ pronunciatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis, affigit.' Quinctil. Declam. 305. 'Hæc odia altissime sedent.' Idem Declam. 321. 'Quæ penitus in cogitationibus sedeat.'

Virgil. Æn. IV. 15. ' Si mihi non animo fixum immotumque sederet.' Ovid. Epist. Heroid. II. 76. ' Sedit in ingenio Cressa relicta tuo.' Ceterum, in sequentibus, Puteolanus et Beroaldus pro *cumulateque* mendose ediderant *æmulateque*. Nec alicujus momenti varietas est, quam Is. Vossius annotavit, cum legit *lectissima facies*, ubi constanter evulgatum est *lætissima facies*. Bene Arntzen. huc attulit illud Virgilii Æn. I. 591. ' Lætos oculis afflarat honores.' Est vero ' læta facies,' gratia plena. Vell. II. 127. descripsit Sejanum, tamquam ' virum severitatis lætissimæ, hilaritatis priscæ, vultu vitaque tranquillum.' *Schwarz.*

CAP. LVI. *Annotasse vos*] In solo codice Salisburgensi scriptum est *Id notasse vos*. ' Annotare ' alias dicitur judex, cum aliquid decernit, quod scribi et in acta referri jubet; item, quod exequendum ducit. Plinius Epist. X. 97. ' quos, quia cives Romani erant, annotavi in urbem remittendos.' Sueton. Calig. cap. 27. ' Ex noxiis laniandos annotavit.' Quo fere sensu Plinius supra, XLIX. 6. dixit, ' Non enim ... spectator annotatorque convivis tuis immines.' Sed hoc loco ' annotare ' generatim dici videtur pro ' animadvertere.' Sic idem Plin. Epist. III. 16. ' annotasse videor, facta dictaque virorum feminarumque illustrium, alia clariora esse, alia majora.' *Idem.*

Non eligere] Cum omnia laudanda sint in nostro. *Lips.*

Mihi, principem laudare] Pronomen *mihi*, male omissum in codice Vaticano 3461. pejus a Beroald. in *nihil* mutatum est. *Laudare principem*, est laudare non solum facta quædam, sed ipsam personam principis, qui, quantus quantus est, laudabilis est. Alii aliquando tantummodo quasdam res gestas principis ad laudandum seligunt; jam autem hoc etiam in malo principe fieri potest, cum nemo sit tam malus, qui non interdum aliquid laude dignum facere videatur. ' Eligunt,' inquit interpres Ceva, qui aliqua laudant, cetera tacent. Ego principem, atque adeo omnia, laudo. *Schwarz.*

Principem] Ipsum hominem undique bonum. *Lips.*

Mali] Ecquem sine aliquo laudabili facto præteriit Tranquillus in Vitis Cæsarum? *Bern.*

Optimus] Adspicit ad cognomen Trajani. *Lips.*

Nihil velandum est] I. e. nullum tuum factum, nullum vitium, dissimulandum, aut fuco quodam inducendum et tegendum est. ' Velare,' Germani dicerent, *bemænteln*. Cic. in Pison. cap. 24. ' Triumphi nomine tegere atque velare cupiditatem suam.' Sueton. Tib. cap. 12. ' Vix per matrem consecutus, ut, ad velandam ignominiam, quasi legatus ab Augusto abesset.' Quinctil. Declam. XII. 11. ' Infamatæ civitati quæro velamentum :' et ibid. cap. 20. ' mendacii velamenta ' nominat. Post *omittendum*, in codice Veneto 1. et Salisburgensi, omissum est verbum substantivum *est*. Nec male illud, vel hoc loco, vel post *velandum*, omitti posse videtur; cum intra breve spatium ter occurrat. *Schwarz.*

Quod cujusquam] Sic rescribendum est ex fide codicum Mss. meliorumque exemplarium typis expressorum; cum vulgo in quibusdam legatur, *quod cujusque*. Lectionem nostram etiam Gesnerus et Arntzenius retinuere. *Idem.*

Transilire, vel prætervehi] In Paulli Stephani editione, pro *transilire*, excusum est *transire;* quæ quidem varietas non est incongruens; nam eadem in re verbum ' transire ' locum habet; est tamen non necessaria mutatio, immo potius omnibus ceteris libris adversa. Eodem modo verbo *transilire* utitur Cic. v. g. in Philipp. II. 33. ' Ne forte ex multis rebus gestis M. Antonii rem unam pulcher-

rimam transiliat oratio, ad Lupercalia veniamus.' Et ipse Plin. infra LXVI. 1. 'Non transilivi, P. C. principis nostri consulatum.' Ita verbum *prætervehi* proprie quidem significat 'ultra vehi;' ut apud Cic. Verr. v. 38. 'Insulam totam prætervectus est.' Deinde translate etiam dicitur pro, prætermittere, præterire, reticere; uti idem Cic. pro Cœlio, c. 21. ἀλληγορικῶς dicit, 'Emersisse jam e vadis, et scopulos prætervecta videtur oratio mea.' Et Philipp. VII. 3. 'Magna spe ingredior in reliquam orationem; quoniam periculosissimum locum silentio sum prætervectus.' Inutilem ergo mutationem orationi Plinianæ inferre ausus est librarius codicis Veneti, qui reposuit *quod cujusque prædicatione, vel transiliri, vel prætervehi, debeat.* Et nihili est, quod paullo post, in verbis, *quod immo temporis punctum*, in libro Vossiano, pro *immo*, annotatum legimus *modo.* Id.

Beneficio sterile] Quæ præcipua laus et materies virtutis in principe. Titi illud innotuit, recordati, se nihil eo die benigne fecisse, 'amici, diem perdidi:' Suet. Tit. cap. 8. Trajani quæ non major gloria, nec momentum vacuum a beneficio habentis? Ausonius hunc locum æmulatus est, de Gratiano: 'Neque vero unum aliquod bonum uno die præstas, sed indulgentias sæculares per singula horarum momenta multiplicas.' *Lips.*

Non omnia] Sensus postulat, ut pro *Nam*, quod Aldus, Junta, Stephanus, Boxhornius, Kirchmaierus, Cellarius, et forte alii evulgarunt, reponatur *Nonne*, vel *Non*, ἐρωτηματικῶς· suffragantibus mihi nunc codicibus Mss. Vaticanis, Parisiensi, Veneto utroque, Salisburgensi, Guelpherbytano, et meo, itemque pluribus libris excusis. Conferatur Plinius noster supra XIV. 1. XLIX. 4. et passim. *Schwarz.*

De biennio loquor] I. e. necdum loquor de iis omnibus, quæ intra biennium imperii tui, a tempore mortis Nervæ, qui d. 27. Jan. A. C. 98. obierat, a te gesta sunt. Illud vero biennium demum d. 27. Jan. A. C. 100. completum erat. Panegyricus autem hic, eodem anno post Christum natum centesimo, mense Septembri, habitus est. Observavit Lipsius, ex his verbis liquere tempus consulatus Pliniani, et dictæ orationis. Quod biennium intellexerit doctissimus Massonius in Vita C. Plinii Secundi Junioris, nunc ejus verbis exponam, utpote qui ad annum Christi XCIX. n. 3. et 4. hæc commentatur: Trajanus adhuc dum in Germania, seu ad Danubii ripam, degerat, anno Christi 99. ineunte; maxime cum ille noluerit tertium in hunc annum recipere consulatum, quod eum absens gerere nolebat. Paneg. cap. LX. Unde patefit, Trajanum per duos saltem priores hujus anni menses, quibus, pro illius temporis more, consulatum gessisset, nisi recusasset, Roma abfuisse. An paullo post, vernoque tempore, urbem petierit, haud omnino compertum. Eum tamen, anno haud multum adulto, jam rediisse, ex eo intelligere licet, quod, cum Noster ea recitasset, quæ Trajanus post adoptionem peregerat, antequam tertium susciperet consulatum, quem constat anno Christi centesimo, Kal. Januar. subiisse, dicat cap. LVI. Panegyrici, 'necdum de biennio esse locutum.' Illud enim biennium, si ab 'adoptionis tempore,' i. e. anno Christi 97. exeunte Octobri, ut non nulli volunt, vel potius ineunte Novembri, ut rectius probat Emin. Noris de Epoch. Syromaced. p. 559. deducatur, completum Novembri anno Chr. 99. fuerit, ac proinde Trajanus aliquot ante mensibus redierit; quoniam post reditum quamplurima peregit, ad quæ necessarii fuerunt aliquot menses. Etenim congiarium populo distribuit; alimenta liberis pauperibus educandis concessit; tantam annonæ

affluentiam procuravit, ut annus exuberarit; Ægypto, quæ inopinata siccitate usque ad injuriam sterilitatis exaruerat, opem, misso ab urbe frumento, tulit; spectacula edidit; plurimas leges de ærario, de fisco, de hereditatum vicesimis, de majestate, de testamentis, sanxit; comitia consulum habuit, quibus ipse interfuit candidatus, tertiumque recepit consulatum, et collegas elegit, &c. Vid. Paneg. cap. XX.–LVI. LX.–LXVI. Hactenus Massonius. *Idem.*

De biennio] Tempus vel hinc liquet consulatus Pliniani, et dictæ orationis. *Lips.*

De moderatione] Scil. in optandis accipiendisque honoribus, cap. super. *Patarol.*

Ut illud] Pronomen *illud* desideratur in codicibus Vaticanis 1776. et 3461. at in ceteris omnibus præsto est. Mox etiam in codice Salisburgensi vitiose scriptum est *differebat*, pro *deferebat*. Nempe Nerva princeps, idem et pater adoptivus, in senatu de Trajano iterum in consulem eligendo retulerat. *Schwarz.*

Secundum consulatum] Primum jam gesserat sub Domitiano, una cum Acilio Glabrione, anno urbis 844. Christi 91. secundum computum Fastorum Auctoris anonymi, quos e Ms. codice Bibliothecæ Cæsareæ protulit Eminentiss. dignitate pariter ac doctrina Henricus Cardinalis de Noris in præclaro opere de Anno et Epochis Syromaced. Secundum consulatum gessit una cum imperatore Nerva, anno conditæ urbis 851. Christi 98. secundum computum dictum, a quo distant anno minus Fasti Græci et Capitolini, quos Sylburgius exhibuit. Annotandum quoque, in Fastis illis Græcis secundum consulatum sine collega poni; in Capitolinis vero Nervam IV. non III. in collegam assignari. *Patarol.*

Secundum] Nam primum consulatum sub Domitiano gessit, collega M. Acilio Glabrione, anno urbis 848. et hunc secundum, adoptatus a Nerva, 850. Itaque bene Tacit. de Morib. Germ. 'Cimbrorum arma audita sunt, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Coss. Ex quo si ad alterum imp. Trajani consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur.' Nam illi consules, anno urbis 640. *Lips.*

Tui potestatem] Qui jam sub patre et principe Nerva non esses. *Idem.*

Tui potestatem] Cum scilicet, Nerva jam mortuo, legibus haud subjaceres, ac ne a patris quidem adoptivi, et Augusti, voluntate amplius dependeres. Nerva vero d. 27. Januarii A. C. 98. mortuo, Trajanus imperium ex omni parte suscepit. *Schwarz.*

Transtulerunt] *Transtulerint* Livin. in textu; sed in margine *transtulerunt* R.

Tertium consulatum recusasti] Antonius Pagi, in Dissert. Hypatica, P. II. c. 1. recte docet, eos principes, qui in consortium imperii a patribus vocati fuerant, non tantum anno sequente consules ordinarios processisse; sed, patribus etiam e vita abeuntibus, quasi novum imperium inchoarint, proximo post eorum mortem anno consulatum denuo suscepisse, quod Fastorum dispositio manifestum faciat. Cum ergo Trajanus d. 18. Septembr. uti alibi ostendemus, anno Christi 97. a Nerva adoptatus, Cæsarque declaratus esset, et, secundum istam regulam, mox Calendis Januariis anni sequentis 98. consulatum secundum a patre et principe Nerva sibi delatum iniisset, gessissetque; atque interim, Nerva d. 27. Januarii illius ipsius anni 98. mortuo, solus et ex omni parte summam imperii potestatem suscepisset, adeoque, secundum eandem regulam, Calendis Januariis A. C. 99. denuo, ac tertium quidem, consulatum adire potuisset; hunc tamen, ex singulari moderatione, et contra morem aliorum antecedentium impera-

torum, recusavit, eoque interim cessit privatis. *Schwarz.*

Recusasti] Tunc quidem; sed recepit postea, et quidem usque ad sextum, ut ex Fastis patet. *Patarol.*

Cum agere] Melius, me judice, hæc cum sequenti periodo continuari, *recusasti. Cum agere tam bonum consulem posses, magnum est.* Nam hoc laudat, Jam experimentum tui ceperas et dederas, in duplici consulatu: cum ergo sic pro spe, aut supra spem fuerit, quid renuis tertium, parata nova segete gloriæ? *Lips.*

Consulem posses] Librarius codicis Parisiensis his vocibus particulam *non* imprudenter infarsit, ut legamus *consulem non posses.* Lipsius hæc verba cum sequenti periodo continuanda, et sic interpungenda, censuit, *tertium consulatum recusasti. Cum agere tam bonum consulem posses, magnum est, differre honorem, &c.* Sed non video, quid inde vel accedat, vel decedat, sententiæ Plinianæ; sive ista verba ad anteriorem, sive ad posteriorem periodum referantur. Præterea puto, si cum posteriore periodo essent conjungenda, tunc Plinium scripturum fuisse *Cum agere tam bonum consulem posses; magnum erat, &c.* Conferatur et Arntzenius ad h. l. *Schwarz.*

Magnum est, differre] Christophorus Behrius hæc verba non male ita explicat; Magnæ laudis est, quod honori tertii consulatus usque adeo non inhiasti, ut eum differri volueris. Majoris istud, quod, cum tertio illo consulatu gloriam magnam tibi certo comparaturus esses; tamen, quia credidisti, et alios, præter te, bonos, et rebus gerendis aptos esse, illos passus es e republica gloriam istam reportare, quam tu posses. Breviter: nec rerum gerendarum laudem, cum invidia erga alios, affectas. *Idem.*

Gestum] Secundum. *Lips.*

Gestus] Exactis regibus, cum in eorum locum successissent consules, sicut a regibus olim bella, ita et post a consulibus administrabantur, qui mos a Bruto ad Marium, qui quinctum et sextum consul in bello fuit, duravit. Tempore vero Syllæ obtinuit, ut consules Romæ magistratum gererent, quo respiciens Libanius consulatum sub imperatoribus vocavit γέρας ἄοπλον, *honorem belli immunem* in Panegyr. Julian. August. Postea tamen imperatores consulatum et in exercitu inter arma egerunt. *Bern.*

Gestus] Casus quartus *gestum* ex proximis verbis repetitur in codicibus Vaticanis, Guelpherbytano, et meo. Ex nostro indicio eum etiam admisit Gesnerus. Et fateor, hunc casum accusandi mihi quoque placere, præ casu primo *gestus*, qui in omnibus aliis libris locum obtinuit. Neque tamen video necessarium esse, ut vulgata lectio de possessione dejiciatur. *Schwarz.*

Barbaras] Germanas. *Lips.*

Barbaras gentes] In Germania, ubi Romanis copiis præerat. *Patarol.*

Illi] Veteres consules. *Lips.*

Paludamento] Qui prætextam consularem ponebant, et votis nuncupatis, paludati proficiscebantur ad bellum. 'Paludamentum' autem, chlamys (in statuis nummisque imperatorum apparet) ab humeris dependens, colore cocci, id est, sanguinis bellique nota. Ego de Militia lib. II. Dial. ultimo. *Idem.*

Paludamento] Paludamentum, inquit Lipsius, 'erat chlamys,' ut in statuis nummisque imperatorum apparet, 'ab humeris dependens, colore cocci, id est, sanguinis, bellique nota.' Colorem cocci paludamento datum innuit Plin. XXII. 2. *Patarol.*

Paludamento mutare prætextam] Hoc μετωνυμικῶς dicitur, pro 'bello pacem mutare.' Nam, quod jam alii annotarunt, duces exercituum, consules, et ipsi imperatores, ituri in bellum, votis nuncupatis, positaque prætexta, induebant paludamentum, vestem castrensem, et quidem imperatoriam. Quem morem respexit Ma-

mert. Paneg. Max. Aug. dicto, c. 6. 'Vidimus te, Cæsar, eodem die [quo consulatum inieras,] pro republica, et vota suscipere, et convicta dolere. [ita enim hunc locum alibi emendavi.] ... Vidimus te, Cæsar, eodem die, et in clarissimo pacis habitu, [nempe in toga prætexta, aliisque insignibus consulatus,] et in pulcherrimo virtutis ornatu. [scilicet in ornatu virtutis bellicæ, nempe in paludamento et thorace.] ... quam facile tu, imperator, togam prætextam sumto thorace mutasti; hastam, posito scipione, rapuisti; a tribunali temet in campum, a curuli in equum, transtulisti.' De colore paludamenti dicit Val. Max. I. 6. 11. 'M. Crassus ducturus erat a Carrhis adversus Parthos exercitum: ei pullum traditum est paludamentum; cum in prælium exeuntibus album, aut purpureum, dari soleret.' *Schwarz.*

Prætextam] Non illam puerorum, qua ad decimum quartum usque annum utebantur; sed prætextam togam, quæ et senatorum erat; interque senatoria ornamenta ipsam enumerat Cic. pro Cluentio. Vide Bayfium de Re Vest. c. 9. *Patarol.*

Terras victoria sequi] I. e. terras ignotas inter perpetuas victorias petere et adire. Virgil. Æn. v. 629. 'Italiam sequimur fugientem, et volvimur undis.' Ovid. Fast. IV. 109. 'Rura sequi, jaculisque feras agitare solebat.' Propert. II. 27. 'Seu pedibus Parthos sequimur, seu classe Britannos.' Cic. ad Attic. x. 18. 'Formias nunc sequimur.' Mamert. cit. Paneg. c. 9. 'Jam milites vestri ad oceanum pervenere victoria;' ubi vero quidam codices Mss. pro *victoria* habent *victores*. Schwarz.

Sua in patria] In finibus Germaniæ. Intelligit Ubios, Batavos, et limitaneas eas gentes, quæ sociæ potius quam subditæ erant, aut dubiæ adhuc fidei. *Lips.*

In rura sua] Vide Val. Max. IV. 4. 5. 6. *Bern.*

Decora facies] Librarii, in codicibus Vatt. 3461. 1475. et 1776. item in Venet. 2. in Guelpherbytano, et meo, inepte scripserunt *De quo facies*. Eadem lectio etiam in codice Salisburgensi a prima manu scripta erat; cui deinde ab alia manu appositum est, 'al. *Decora facies*.' In quibusdam codicibus hæ voces, *Decora facies consulis*, ita interpunguntur, ut nomen *consulis* ad antecedens nomen, *facies*, referatur. Immo Cuspinianus illud nomen *consulis*, hoc loco omissum, reposuit ante vocabulum *tribunal*; quæ collocatio mire placet. Ceterum, sic Tacit. Hist. II. 89. ubi describit introitum Vitellii in urbem: 'Decora facies, et non Vitellio principe dignus exercitus!' *Schwarz.*

Post sæcula] Vix in principatu visum. *Lips.*

Tribunal] In quo consul sederet, querelas audiret, aut preces. *Idem.*

Cespite] Plane pro more prisco. Nec enim e lapide aut ligno suggestum hunc in castris struebant, sed militari et rudi opere, e terra. Notavi et firmavi satis, ad Taciti Annal. I. verbis, 'Simul aggerunt cespites, construunt tribunal.' *Idem.*

Viridi cespite] Statius in Silv. 'Hic suetus dare jura parens, hoc cespite turmas Adfari.' Notat autem tribunal imperatorium in castris, quod erat cespiticum. *Bern.*

Cespite] Non enim e lapide aut ligno suggestum hunc in castris struebant, sed militari et rudi opere, e terra, ut ait Lipsius. Annotare licet hoc ex Tacito, Annal. I. 18. cujus verba de militibus in Pannonia tumultum agentibus: 'Simul congerunt cespites, exstruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret.' Et paullo post, 'Aggerebatur nihilo minus cespes, jamque pectori usque accreverat.' E cespite pariter imperatores milites suos alloquebantur, quo magis conspicui essent omnibus, et au-

direntur. Quare Lucan. v. 316. de Cæsare: 'Stetit aggere fultus Cespitis, intrepidus vultu, meruitque timeri Non metuens, atque hæc, ira dictante, profatur.' *Patarol.*

Tribunal viridi cespite exstructum] Bene Lipsius: 'Tribunal, in quo consul sederet, jus diceret, querelas audiret, aut preces.' Erat illud tribunal a sella curuli distinctum, prout ex loco Mamertini citato intelligitur; item et ex Martiale xi. 98. 'Sedeas in alto tu licet tribunali, Et e curuli jura gentibus reddas.' Etenim aliquando tribunal etiam sellam curulem sustinebat; quod Tacitus testatur, Annal. xv. 29. 'Medio tribunal sedem curulem, et sedes effigiem Neronis, sustinebat.' Tribunalis usus et in urbe et in castris erat; de quo jam supra ad xxviii. 2. non nihil annotavi. Sæpe vero imperatores, inprimis exercitum allocuturi, non sedebant; sed in solo tribunali stabant; quod haud pauci nummi veterum testantur. 'Tribunal' autem 'castrense,' tradente Hygino de castrametatione, adjunctum erat prætorio, sive tabernaculo castrensi. Auguratorium, inquit, parte dextra prætorii ad viam principalem apponemus, ut in eo augurium recte capere possit; parte læva tribunal statuitur, ut, augurio accepto, insuper adscendat, et exercitum felici auspicio alloquatur. Hactenus Hyginus. Haud eo minus tamen factum, ut, omisso deinceps illo ad prætorium tribunali, vetusto more, aliud e cespite tumultuaria opera, et loco ad ejusmodi allocutiones opportuno, exstrueretur. Quale 'cespititium tribunal' a Vopisco dicitur in Probo, c. 10. et 'agger glebalis' ab Ammiano Marcell. l. xxiii. c. 5. Vide Spanhem. in Observationibus ad Juliani Imp. Orat. i. p. 214. *Schwarz.*

Fascium] Ut in pace, cum lictores apparitoresque tantum circumstabant. *Lips.*

Fascium] Lictorum insignia notissima fasces erant, quibus consulem anteibant. *Patarol.*

Pilorum] Genus quoddam armorum missilium erant, usui peditum Romanorum, ferro subtili trigono munitum. Describit Vegetius l. i. et ii. *Idem.*

Pilorum] Hastarum. Claudianus: 'Dictis ante tamen princeps confirmat ituros, Aggere conspicuus. Stat circumfusa juventus, Nixa hastis, pronasque ferox accommodat aures.' *Lips.*

Signorumque] Ammianus, 'Tribunal insistens, signisque ambitus et aquilis.' Nummi sæpe hoc exprimunt cum verbo ALLOCVTIO. *Idem.*

Signorum] Aquilarum, quæ Romani populi stemma erant. *Patarol.*

Sed pilorum signorumque honore] Cum antecesserit, *nec fascium tantum*, nunc forte expectares in altero membro particulam *etiam*, ita positam, *sed pilorum etiam signorumque, &c.* Nihil enim tritius est, quam ut particulis 'non solum,' 'non tantum,' 'nec tantum,' 'non modo,' respondeant, 'sed etiam,' 'verum etiam,' 'sed quoque,' 'sed et,' et similes. Verum in nullo libro apparet vestigium alicujus particulæ generis ejusdem. Neque necesse est, ut talem aliunde adsciscamus; cum alii quoque boni auctores Latinitatis hujusmodi particulas in hac formula prætermittant; v. g. Cic. de Orat. ii. 89. 'Non modo tibi ignoscimus, sed te diligimus, magnamque tibi habemus gratiam.' Idem de Nat. Deor. i. 43. 'Ita fit, ut non modo homines a Diis, sed ipsi Dii inter se, ab aliis alii, negligantur.' Idem ad Fam. i. 6. 'Is omnibus negotiis non interfuit solum, sed præfuit.' Tacit. Annal. iii. 33. 'Non imbecillus tantum et impar laboribus sexus, sed, si licentia adsit, sævus, ambitiosus.' Sine caussa autem idonea Lipsius, pro *honore*, (quod vocabulum tamen sine omni mutatione in

omnibus libris extat,) maluit *horrere*. Fasces enim, aquilæ, et ipsa arma, quibus circumdabatur tribunal, non solum erant præsidia, sed et decora militaria, et honoris insignia. *Schwarz.*

Honore] Vellem *horrore*. Lips.

Honore] Omnino. Nam horror parum facit ad id quod præcessit, 'Decora facies consulis.' Non enim 'horror' decorum, sed 'honor' facit. Adde quod auctori alibi quoque vox 'honor' sic usurpata; supra IV. 7. 'honor capitis,' id est canities; 'honor studiorum' c. XL. Sic tamen Cassiodorus Epist. VII. 1. 'tua dignitas a terroribus (id est armis) ornatur.' Imperator Justin. 'civitas armis decorata.' *Bern.*

Postulantium] *Populantium* Livin. in textu; sed in margine, *postulantium* V. C. G. R. recte. *Rittersh.*

Postulantium habitus] 'Postulare,' est verbum forense, et notat, suum, vel alterius, desiderium pro tribunali, i. e. apud eum qui præest jurisdictioni, allegare et exponere. Inde, 'postulationibus vacare' dicebantur, qui expedirent supplicantium et jus petentium desideria, apud Plin. Epist. VII. 33. Sigillatim autem erat alia 'postulatio actionis;' alia 'postulatio judicis:' de quibus jureconsulti adeundi, nominatim Heinecc. Antiquit. Juris Rom. IV. 6. 9. et 29. Nihili ergo facimus variam lectionem *populantium*, quæ a Livineio contra consensum ceterorum librorum prodita est. *Diversi* autem *postulantium habitus, ac dissonæ voces*, h. e. diversi vestitus, diversæque linguæ, postulantium, indicium erant, gentium etiam remotissimarum et antea Romanis vestitu linguarumque usu incognitarum legatos, aliosque homines, adiisse tribunal Trajani, tantique principis et imperii majestatem reverenter habuisse. Inde enim augeri et declarari auctoritatem imperatoris, jam indicavit Cic. pro Lege Manil. cap. 16. 'Age vero, illa res quantum declarat ejusdem hominis apud hostes populi Romani auctoritatem, quod ex locis tam longinquis, tamque diversis, tam brevi tempore, omnes huic uni se dediderunt? quod Cretensium legati ad Cn. Pompeium in ultimas prope terras venerunt, eique se omnes Cretensium civitates dedere velle dixerunt?' *Schwarz.*

Habitus] In veste varia. *Lips.*

Voces] In lingua varia. *Idem.*

Interprete] Qui Latine explicaret. *Idem.*

Quid? hostibus] 'Hostes' hoc loco aut dicuntur peregrini, ut in vetusta lege duodecim tabularum. Teste enim Cic. de Offic. I. 12. 'Hostis apud majores Romanorum is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant duodecim tabulæ: 'aut status dies cum hoste.' ... Quanquam id nomen durius jam effecit vetustas; a peregrino enim recessit, et proprie in eo, qui arma contra ferret, remansit.' Aut 'hostes,' interprete Lipsio, dicuntur ii, qui antehac fuissent hostes, et recenter, Trajani metu, compositi ad obsequium essent. *Schwarzius.*

Hostibus] Qui fuissent, et recenter tui metu compositi ad obsequium essent. *Lips.*

Fori partem] *Fori pacem.* Aperte sana lectio, et habere sibi res suas sine invidia jubeo qui *partem* emendabat. Adeo subinde et in perspicuis offendimus. *Livin.*

Fori partem] *Fori pacem* edit. Rhenan. sed *Fori partem.* Faber.

Certam fori partem] Pro voce *partem*, omnes codices scripti, quos scrutari mihi licuit, habent *pacem;* habent et plurimi libri impressi. Petrus Faber Saniorianus primus annotavit *partem;* nescio autem, num sui codicis Ms. quo usus est, auctoritatem, an ingenii conjecturam, secutus. Hanc lectionem in contextum editionum suarum Lipsius recepit, atque ejus tuendæ caussa hanc sub-

jecit notam: 'Alii libri, *pacem*. Ego, cum verba video, *partem* verius pronuntiabo. Nam exigua fori parte jus dicere, confert cum magnis vastisque illis campis, qui pro foro. Si *pacem* tamen vis, tum sententia, Pulchrum est in toga Romæ, et togatis jus dicere; quid inter ipsa arma et hostes?' Hæc Lipsius. Pulchra omnino hæc sententia; sed nexum verborum, quibus ea exprimi creditur, ego concoquere non possum. Quis enim æquis auribus animoque ferat, *certam fori pacem sella curuli premere;* pro eo, quod proprie dixeris, *in pace jus dicere?* At Latinius dixeris, *certam fori partem sella curuli premere?* Et tunc multo facilius eadem illa sententia, quam Lipsius ex vulgata lectione elicuit, fluit ex lectione emendata. 'Forum' enim et 'forensia negotia,' tanquam negotia togata pacis, opponuntur 'campis' et 'negotiis castrensibus' atque 'militaribus.' Lipsii lectionem deinceps secuti sunt Berneggerus, Hackius, Kirchmaierus, Ceva, et Gesnerus; quamquam Gesnerus non sine hæsitatione vestigiis Lipsii institit. *Certam fori partem*, inquit: ne totum quidem forum; sic opponitur 'campis immanibus,' i. e. latissimis. Sed libri fere omnes, *pacem:* sic opponitur 'campis immanibus,' h. e. infestis, et hoste oppletis. Et hoc prope malim. Hactenus Gesnerus. At Arntzenius majore contentione lectionem vulgatam tueri conatus est, cujus integram commentationem ad Excurs. XLIX. referam, et, quæ in ea mihi dubia visa sunt, pluribus exponam. *Schwarz.*

Sella curuli] Quæ majorum magistratuum erat, seu a Curibus Sabinorum dicta, unde et plura alia magistratuum ornamenta Romam delata; seu a curru, quod in currus modum constructa esset, cum rotis, quo facilius magistratus ipsi per urbem veherentur. Hujus sententiæ videtur Gellius III. 18. *Patarol.*

Vestigio] Pede tuo, victoris. *Lipsius.*

Ripis] Rheni, vel Danubii. *Idem.*

Quid? spernere] Pronomen interrogativum *Quid* desideratur in omnibus nostris codicibus Mss. quod vero jam in editionibus primis, subsecutisque, recte editum est. Per 'barbaros fremitus,' notarunt jam alii, significari fractum murmur Germanorum, de quibus Tacit. Germ. c. 3. 'Terrent enim, trepidantve, prout sonuit acies. Nec tam voces illæ, quam virtutis concentus, videntur. Affectatur præcipue asperitas soni, et fractum murmur, objectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat.' Ammianus Marcell. XXXI. 7. 'Barbari majorum laudes clamoribus stridebant inconditis; interque varios sermones dissoni strepitus prælia tentabantur.' Sed omnes fere nationes pugnas a clamore auspicatæ dicuntur. Cæsar B. C. III. 92. 'Neque frustra antiquitus institutum est, ut signa undique concinerent, clamoremque universi tollerent: quibus rebus, et hostes terreri, et suos incitari, existimaverunt.' Vide Grut. in discursibus politicis ad Tacitum, c. 12. ubi docet, sæpe etiam debellatum hostem solo clamore. *Schwarz.*

Togarum ostentatione] Putavit Lipsius, significari 'togas,' quas in jurisdictione, etiam inter castra, sumserint saltem advocati, caussidici, et id genus. Sed existimo, Plinium generatim indicare voluisse, non armis opus esse Trajano ad hostes compescendos; sed etiam sine armis, ac si in pace viveret, sola auctoritate, et fama ipsius Romanique nominis, terreri hostes. Toga enim vestis erat Romanis, in urbe et pace viventibus, propria. Similiter fere legati Campanorum apud Liv. VII. 30. senatui populoque Romano dixere, 'Si

ostenderitis auxilia vestra, ne bello quidem arbitror vobis opus fore. . . . Umbra vestri auxilii, Romani, tegi possumus.' Supra Plinius de Trajano, XVII. 3. 'Nec modo telorum tuorum, sed oculorum etiam minarumque conjectum, toto campo, totoque exercitu opposito, non perhorrescat.' Pro verbo *compescere*, solus codex Salisburgensis habet *comprimere;* quamquam in margine adscriptum sit, 'al. *compescere*.' Et sic loquitur Cic. Q. Fr. I. 1. 2. 'Erit, credo, periculum, ne improbum negotiatorem, paullo cupidiorem publicanum, comprimere non possis.' Sed salva per nos maneat vulgata lectio. Noster infra LXXX. 3. 'Tumentesque populos, non imperio magis, quam ratione, compescere.' *Id.*

Togarum] Quas in jurisdictione sumebant, saltem advocati, caussidici, et id genus. Florus de Germanis, quibus Quinctilius Varus jus dicere tentabat: 'At illi, ut primum togas, et sæviora armis jura viderunt.' *Lipsius.*

Imagines] Nam principum imagines in signis, et effigies etiam in castris. Atque ad eas exteri ducebantur, et obsequii signum venerabantur vel adorabant. Tacitus Annal. XV. 'Medio tribunal, et tribunal effigiem Neronis sustinebat; ad quam progressus Teridates, cæsis de more victimis, sublatum capite diadema imagini subjecit.' Itaque nota, velut præsentem imperatorem, in tribunali cultum per imaginem fuisse. *Idem.*

Imagines] Imperatorum imago deferri atque exponi per castra solebat, ipsis inde absentibus. Tacit. Annal. XV. 'Tribunal effigiem Neronis sustinebat,' &c. *Patarol.*

Consalutabant imperatorem] In meo codice, item in libro Vossiano, similiterque in Puteolani, Rhenani, et Plantini editt. pro *consalutabant*, legitur *consultabant*. Sed præstat vulgata lectio. Simili errore, etiam supra, v. 4. in Vossiano libro scriptum est, 'Omnis turba, ut tunc arbitrabatur, Deum; ceterum, ut docuit eventus, te consultavit imperatorem;' ubi ceteri libri rectius habent *te consalutavit imperatorem*. Nomen 'imperatoris,' in præsenti Plinii loco, ut ex subsequentibus verbis liquet, sumitur pro 'victore hostium,' quod Trajanus non tam domitis hostibus, quam contemtis, meruisse dicitur; nam Trajanus jam ante a Nerva, tanquam collega et consors imperii, declaratus erat imperator. Vide supra ad VIII. 6. Nomen vero titulumque 'imperatoris,' tanquam 'victoris hostium,' jam in republica libera, duces exercituum, victis domitisque hostibus, merebantur. Qui honor deinceps, aut solis principibus vindicatus, pluribusque reportatis victoriis, pluries repetitus, et in monimentis numero suo designatus est; aut sub his perquam raro, neque nisi decem millibus hostium cæsis, privatis ducibus concessus est. Quo de titulo Spanhem. de Usu et Præst. Numism. Dissert. 12. plura tradidit. Tunc vero victores hostium acclamatione exercitus 'imperatores salutari,' sive 'consalutari,' dicebantur. Quæ salutatio habebat aliquid simile venerationi Diis præstari solitæ, quod, uti jam aliunde constat, ita colligitur ex citato cap. v. 4. hujus Panegyrici. Nam et Dii, quos venerabantur et adorabant, 'salutari' dicebantur. Vide Brouerii de Niedeck. dissert. de Adorationibus, c. 6. *Schwarz.*

Nomenque] Imperatorium. *Lips.*

Contemtis] Vincere enim poteras, noluisti. *Idem.*

CAP. LVII. *Acti*] Secundi. *Idem.*

Dilati] Tertii. *Idem.*

Initio] Nam hæc designatio, et recusatio facta anno superiore. *Idem.*

Initio principatus] Intelligendum est initium summi et pleni principatus, quem Trajanus demum post mortem Nervæ, tanquam Augustus suscepit. Pagius in Dissert. Hypatica tradit, Claudium, qui anno Christi quadragesimo primo præesse rei Romanæ cœpit, primum ex Augustis hunc morem invexisse, ut Augusti mox sub initium suscepti principatus, proximis Calendis Januariis, consules ordinarii processerint, sicque, assumto consulatu, quasi possessionem imperii firmarint. At, Casp. Barthio annotante ad Claudianum, in Cons. Honor. III. p. 477. mos ille, summos rerum principes consulare munus simul gerere voluisse, ducem habuit L. Sullam, qui dictator secundum consul esse voluit, ut notat Appianus B. C. lib. I. ubi narrat, insequenti anno Sullam, dictatorem quamvis, tamen ad repræsentandam aliquam reipublicæ formam, consulatum alterum recepisse, collega Metello Pio; et hinc forte morem invaluisse, ut postea Romani quoque Cæsares, penes quos erat creatio consulum, ipsimet eum honorem assumserint, rem pulchram ducentes, summo imperio consulatum adjungere. Hic autem Plinius laudat singularem moderationem Trajani, quod, sub initium imperii, noluerit recipere consulatum, qui sibi pro Augusti jure debitus fuisset, sed eum permiserit privatis gerendum. Vide ad LVI. 3. *Schwarz.*

Ut jam excusatus] *Ut jam exsatiatus* C. G. egregie. *Livin.*

Ut jam excusatus] Tamquam multos, aut diu gessisses; ideoque vacatio tibi ab honoribus et muniis danda. *Lips.*

Excusatus honoribus] Constat sibi hæc lectio in omnibus libris, præter Cuspiniani editionem, in qua, pro *excusatus*, legitur *exsatiatus*. Nominat quidem Arntzenius etiam editionem Lugdunensem, in qua similiter *exsatiatus* inveniatur; sed ea editio mihi haud cognita est. Certe Seb. Gryph. in edit. 1531. et 1542. vulgatam lectionem sequitur. Barthius ad Claud. in III. Cons. Honor. vs. 1. pag. 477. ubi excitavit hunc Plinii locum, etiam expressit *exsatiatus*; sed incertum est, annon is Cuspiniani exemplar habuerit ante oculos. Fallit et Jac. De la Baune, qui in notis suis tradit, Gruterum monuisse, aliquos libros habere *exsatiatus*. Id unum ergo certum est, adhuc solum Cuspinianum evulgasse *exsatiatus*; quem nunc etiam in sua editione secutus est Arntzenius; qui, aliquot exemplis allatis, probat, nullas voces potuisse convenientius jungi, quam *exsatiatus* et *expletus*. Ita loqui Cic. Part. Orat. c. 27. 'Aut ad explendas cupiditates, aut odium satiandum.' Item de Senectute, cap. 14. 'Satiatis vero et expletis jucundius est carere.' Et Paradox. I. 'neque enim expletur unquam, nec satiatur cupiditatis sitis.' Nemo aliquid desideraverit in ista Cuspiniani lectione; dummodo certi essemus, Plinium etiam hoc in loco istas duas voces conjunxisse. Exempla Ciceroniana probant quidem, Plinium voces istas conjungere, et ita scribere potuisse; sed non evincunt, eum re vera ita scripsisse. Ego sane nondum audeo vocabulum *excusatus*, tot scriptis impressisque libris confirmatum, rejicere, cum neque in structura, neque in sensu, aliquid incommodum et incongruens, aut Pliniano stilo indignum, deprehendam. Plinius enim Trajanum dicit excusatum honoribus; quia hic se excusatum voluerit, quod non receperit novos, denuoque sibi decretos, consulatus honores; cum eos iterum absens gerere nolit; cumque jam sit cumulatus expletusque honoribus, utpote non solum jam Cæsar et imperator, et consors tribunitiæ potestatis; sed etiam nunc Pontifex Maximus, et Augustus, summum im-

perii fastigium post mortem Nervæ adeptus, præterea jam bis consulatu defunctus. Notanda autem est singularis, at Pliniano ævo usitata, loquendi formula, 'excusare se,' aut 'excusari honoribus.' Simili formula usus est Tacit. Annal. I. 12. ubi de Tiberio loquitur, qui etiam honoribus imperii excusari voluit: 'Nequaquam decorum pudori suo, legere aliquid, aut evitare, ex eo, cui in universum excusari mallet,' i. e. cujus nihil in se suscipere vellet. Libens hunc etiam refero locum auctoris Dialogi de Caussis Corruptæ Eloquentiæ, v. 1. a celeberr. Heumanno feliciter emendatum: 'Faciam, quod probi et modesti judices solent, ut his cognitionibus se excusent, in quibus manifestum est, alteram apud eos partem gratia prævalere.' Nimirum, 'excusare se cognitioni' dicuntur, inquit, qui delatum ad se judicium suscipere nolunt, caussasque, cur judices esse recusent, afferunt. Vid. Brisson. de Formulis, lib. v. p. 409. et 460. Jam videmus, quam bene hæc ad Plinii nostri locum applicari possint, ubi scripsit, Trajanum etiam consulatum tertium sibi decretum tunc suscipere noluisse, caussasque, cur eum recusarit, attulisse: quare dicitur *excusatus honoribus*. Nihil proinde est, quod Arntzenius commentationi suæ hæc adjecit: 'Si Plinius hic *excusatus*, voluisset adhibere, cur non scripsit *ab honoribus*, et cur non mox disjunctiva particula *aut expletus?*' Certe non opus erat præpositione *ab*, cum vox *honoribus* casum tertium, non sextum, referat. Neque obstat, quod tamen sequens participium *expletus* casum sextum requirat. Id enim certe præpositionem *ab* similiter respuisset. Adhæc non insolens esse, aliquando verba et nomina diversæ constructionis conjungi, jam supra ad LII. 5. ostendi. Pulchrior omnino, et acutioris sententiæ est hæc lectio vulgata, quam ut Plinio abrogari, et librarii alicujus errori tribui, debeat; longeque facilius contigisse credo, ut formula *excusatus honoribus*, quia difficilior visa librariis, propter sequens synonymum *expletusque*, in alteram, *exsatiatus honoribus*, mutari potuerit, quam ut ex voce *exsatiatus*, formata sit vox *excusatus*. Schwarz.

Novi imperatores] An Vitellium sentit? de quo hæc Suetonii sunt c. 11. 'Magis deinde ac magis omni divino humanoque jure neglecto, Alliensi die pontificatum maximum cepit, comitia in decem annos ordinavit, seque in perpetuum consulem.' *Livin.*

Destinatum aliis] Quod Otho imp. fecit, quem Tacitus scribit, 'cum Titiano fratre consulem in Kal. Martias se fecisse; ceteros autem consulatus ex destinatione Neronis aut Galbæ mansisse.' Ergo in prioribus mutavit, et designatos loco movit. *Lips.*

Destinatum aliis] Scilicet, quod Onuphrius Panvinius Fast. lib. I. pag. 61. et Pagius in Dissert. Hypat. P. I. c. 8. pluribus exposuerunt, post constitutum imperium Romanum, tria consulum genera fuere, distinctis nominibus appellata; nempe consules 'ordinarii,' 'suffecti,' et 'honorarii,' sive 'codicillares.' Qui Calendis Januariis consulatum inibant, et quorum nomina fastis præscribebantur, 'consules ordinarii' audiebant. Qui ordinariis abdicantibus in aliquot menses subrogabantur, dicebantur 'consules suffecti;' et tales, e. g. Calendis Martiis ad Maias, item a Maiis ad Julias, a Juliis ad Septembres, a Septembribus ad Novembres, a Novembribus ad Januarias, ordinabantur; quamvis modum hunc ordinandorum consulum nonnulli imperatores pro suo arbitrio mutarint. 'Consules' autem 'honorarii,' etsi non ipsum consulatum essent adepti, ex imperatorum tamen indulgentia

utebantur ornamentis et prærogativis quibusdam consularibus, et habebantur viri consulares. Consulibus ordinariis et suffectis jam ante tempus destinabatur consulatus in sequentem annum; unde 'consules designati' vocabantur. Quæ designatio plerumque initio anni magistratum præcedentis, aut certe aliquot mensibus ante novum annum, fieri solebat, designatisque jam certas afferebat prærogativas. 'Consules' enim 'designati' sententiam primi in senatu rogabantur, et spem habebant consulatum sibi destinatum suo tempore ineundi. Neque enim ista designatio facile rescindebatur, nisi quidam imperatores ex ambitione invaderent consulatum aliis jam destinatum; aut ex more eum reciperent novi imperatores, interea imperii fastigium adepti. Hi enim vel unum ex suffectis consulatibus, jam eo anno privatis destinatum, in se transferebant, quod quidem rarius contigit; vel consulatum ordinarium sequentis anni, quantumvis etiam aliis destinatum, adventantibus Calendis Januariis inibant; aut saltem in aliquot menses se consules dicebant; ceteri autem consulatus ex antecessoris destinatione manebant; prout Tacit. Hist. I. 77. commemorat, Othonem, ubi ad imperium pervenerat, consulem se cum Titiano fratre in Calendas Martias dixisse, et proximos menses Verginio et Poppæo Vopisco destinasse; ceteros vero consulatus ex destinatione Neronis, aut Galbæ, mansisse. *Schwarz.*

In se transferebant] Domitianus eripuit Acilio Glabrioni consulatum, et eum interfecit. *Bern.*

In se transferebant] Alludit fortasse ad Neronem et Vitellium. De illo Sueton. c. 43. 'Consules ante tempus privavit honore, atque in utriusque locum solus iniit consulatum.' De hoc idem in Vitell. c. 11. 'Alliensi die pontificatum maximum cepit, comitia in decem annos ordinavit, seque perpetuum consulem.' Hinc vetus inscriptio:

A. VITELLIVS. L. F.
IMPERATOR
COS. PERP. *Patarol.*

Qui in principatus sui fine] Hæc dubio procul de Nerone. *Idem.*

Fuit etiam, qui in principatus sui fine] Idem Nerone c. 43. 'Consules ante tempus privavit honore, atque in utriusque locum solus iniit consulatum, quasi fatale esset, non posse Gallias debellari, nisi a consule, ac susceptis fascibus.' *Livin.*

Fuit etiam, qui in principatus sui fine] An Nero? de quo Sueton. c. 43. 'Consules ante tempus,' &c. *Lips.*

Incipientes] Ut Vitellius. *Patarol.*

Desinentes] Ut Nero. *Idem.*

Otioso ac vacante] H. e. interprete Cellario, 'cum otiosus consulatus vacaret, extincto Nerva;' aut cum tunc nondum alius consul in istum annum designatus esset. Notanda est junioribus loquendi formula, 'cedere privatis honore vacante;' quod, ex vulgari usu, nec id tamen sine exemplis veterum, dicitur, 'cedere privatis honorem vacantem.' Sic vero noster etiam infra XCIV. 4. 'Cum proficiscenti ad exercitum tuo nomine, tuo honore, cessisti.' Cic. ad Attic. XIII. 41. 'Cum ille quereretur, filio cum matre bellum, et se ob eam caussam domo cessurum filio diceret.' Idem pro Milone, c. 27. 'Utrique mortem est minitatus, nisi sibi hortorum possessione cessisset.' Vell. II. 63. 'Antonius titulo imperii cedebat Lepido.' Hanc formulam Livio et Martiali non semel restituit Gronovius; nec pauca exempla ad Vell. II. 87. annotavit Heinsius. *Schwarz.*

Invidiosusne erat] I. e. an invidiam tibi excitare poterat tertius consulatus? Jam Gell. Noct. Attic. IX. 11. hoc nomen retulit inter verba, quæ

in utramque partem reciproca et adversa dicuntur. 'Invidiosus,' inquit, 'et qui invidet, et cui invidetur.' Utriusque notionis exempla apud probatos scriptores occurrunt. Passiva tamen significatio, quæ et hic locum habet, est frequentior. Cic. de Invent. II. 45. 'Hoc ipsis judicibus invidiosissimum futurum.' *Idem.*

Tibi] Ut Trajano, ut optimo senatori. Sic supra, II. 8. 'Sentit, sibi, non principi, dici.' Et infra LXXXIII. 6. 'Quam constanter non potentiam tuam, sed ipsum te, reveretur.' *Patarol.*

Principi] Facto imperatori; nam duos consulatus gesserat adhuc privatus, et ante quam princeps esset. *Idem.*

Imperator quidem] Conferas supra ad pp. 471. 473. 478. Proximo loco, nempe X. 4. hujus Panegyr. 'Jam te providentia Deorum primum in locum provexerat; tu ... privatus tibi videbaris, quamdiu imperator et alius esset.' *Schwarz.*

Tamen iniisti] Perperam particula *tamen* omissa est, aut, ex compendiosa scribendi ratione, *tn* coaluit cum verbo *iniisti*, ita ut pro utraque ista voce, in tribus codicibus Vaticanis, item in Guelpherbytano, et meo, legamus, *imperator quidem sub imperatore tenuisti.* Nec minus vitiose hæc verba scripta sunt in codice Veneto 2. *sub imperatore cum inisti.* Integrum vero locum codex Vatic. 1475. ceterique libri exhibent. *Idem.*

Nihil imputari] I. e. quod consulatum secundum adhuc sub imperatore Nerva recepisti, ex hoc nihil aliud, quam obsequium, (quod scilicet recipiendo isto consulatu obsecutus es voluntati Nervæ imperatoris,) potest referri ad honorem tuum, aut quasi exemplum singulare tibi adscribi; cum jam tum, tanquam Cæsar, et imperator, eximio, immo majore, honore fruereris, et cum multi alii ante te consulatum secundum gesserint. Sive, ut brevius dicam: solum obsequium, quod in suscipiendo consulatu secundo patri Nervæ præstitisti, tibi cedit honori, et singularis est exempli. Verbum 'imputare' aliquoties in hoc Panegyrico occurrit; de quo jam supra, ad pag. 515. non nihil annotavi. *Idem.*

Imputari] Adscribi, et poni in rationibus honoris gesti. *Lips.*

Exemplo] Quod iterasses consulatum; quia non sponte. *Idem.*

Quinquies, atque etiam sexies] Non sum nescius, posse hoc de Q. Fabio Maximo et M. Valerio Corvino accipi; sed mihi placet ad Papirios et Quinctios referri, de quibus infra; nam L. Papirium Cursorem quinquies, T. Quinctium Barbatum Capitolinum sexies, consulatum gessisse, Fasti suggerunt. *Livin.*

Non illos] Ut C. Marium, qui septies, C. Cæsarem, qui quinquies consules. *Lips.*

Non illos, qui] Marium innuit, qui septem gessit consulatus; nisi velimus dicere, nostrum de ipso Jul. Cæsare intelligere, qui consul fuit quincto. *Patarol.*

Exspirante] Temporibus enim Marii et Sullæ libertas reipublicæ Romanæ primo nutavit; et ex tunc tamdiu postea contremuit, donec post non longum temporis intervallum penitus corrueret, rerum potiente C. Jul. Cæsare. *Idem.*

Exspirante jam libertate] I. e. proxime interituro statu liberæ reipublicæ. Elegans hæc metaphora, ab iis desumta, qui sub transitum, ad mortem agunt animam. Sueton. Claud. c. 34. propria notione utitur: 'Forte prolapsos jugulari jubebat, maxime retiarios, ut exspirantium faciem videret.' At similem metaphoram adhibuit Tacit. Annal. I. 74. 'Manebant etiam tum vestigia morientis libertatis.' *Schwarz.*

Quibus sepositis] 'Seponi' homines dicuntur, qui vel sponte ad tempus se a certis negotiis sejungunt, et quasi abdicant, aliasque res curant; v. g. apud Tacit. Hist. II. 33. 'Interesse pugnæ imperatorem, an seponi, melius foret, dubitavere:' vel qui ab aliorum conspectu, tanquam odiosi, in alia loca removentur; v. g. apud Tacit. Annal. IV. 44. 'Sororis nepotem seposuit Augustus in civitatem Massiliensem, ubi specie studiorum nomen exilii tegeretur.' Apud eund. Hist. I. 88. 'Sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem.' Apud Sueton. Tib. cap. 15. 'Agrippa abdicato atque seposito, certum erat, uni spem successionis incumbere.' Etiam 'sepositus' generatim dicitur remotus; v. g. apud Martial. Spectac. epigr. 3. 'Quæ tam seposita est, quæ gens tam barbara, Cæsar, Ex qua spectator non sit in urbe tua?' Hic 'sepositi' dicuntur ii qui, post exantlatos magistratus, sponte secesserant in sua prædia, ut privati, ac veluti sejuncti ab urbanis negotiis, viverent. *Idem.*

In rura] Sic Atilio Regulo contigit; sic Quinctio Cincinnato aliisque. Vide Val. Max. IV. 4. *Patarol.*

In rura] C. Atilium Regulum intelligit, illius Reguli filium, qui captus occisusque a Pœnis fuit. Huic cognomen Serrano alii faciunt, et Plinius XVIII. 3. 'quod serentem invenerunt dati honores.' Alii tamen Sarranum scribunt, quasi Tyrium vel Pœnum, quia pater apud eos mortuus. Adde L. Quinctium Cincinnatum, cui aranti dictatura delata. Sed tamen hi non toties consules: itaque dictum est oratorie et ἐν πλάτει, de aliis ejusdem ævi et paupertatis. *Lips.*

Prægravem] *Pergravem* Livin. in text. sed in margine, 'forte *prægravem.*'

Ut prægravem] Jam Livineius conjecerat, *prægravem* esse legendum, ubi vulgo legimus *pergravem.* Atque en! istam conjecturam firmant codices Mss. Parisiensis, Venetus uterque, Guelpherbytanus, et meus. Sic vero etiam Lipsius, et quidam alii, hanc lectionem ediderunt. Equidem præpositiones, *præ* et *per*, ex compendio scripturæ in codicibus antiquis sæpe confundi, animadvertas; placet tamen, hic magis, *prægravem*, utpote distinctis literis expressum, quam *pergravem*, legi; cum illius vocis usus ævo Pliniano fuerit familiarissimus. Uti vero nomen simplex *grave,* ita etiam compositum *prægrave*, proprie non solum notat idem, quod habet pondus, aut quod ponderosum est, et onerat, cujus notionis exempla passim occurrunt; sed etiam, quod molestum, et aliis invisum, atque odiosum, ac minus tolerabile est. Sic Plinius Major, VII. 6. ubi de Vipsanio Agrippa sermo est, 'Soceri prægrave servitium.' Sic et Tacit. sæpius; v. g. Hist. I. 21. 'Otho fingebat,...prægravem se Neroni fuisse.' Idem Annal. XI. 19. 'Sin prospere egisset, formidolosum paci virum insignem, et ignavo principi prægravem.' Recte monet Arntzenius, hanc vocem, *prægravem,* non hic referendam esse ad onus ipsius consulatus, quia nulla inde gloria Trajano acquiri potuisset, si fuga laboris et molestiarum curam reipublicæ, tanquam sibi onerosam, suscipere detrectasset. Atque adeo *prægravem* exponit per id, quod Plinius paullo ante dixerat, 'invidiosum,' item, quod durum et intolerabile liberæ civitati, quasi continuum consulatum principis pati. Credo, hanc explicationem facile multis satis verisimilem visum iri; a qua nec ego in universum sum alienus: puto tamen, Germanicum interpretem, Dammium, acutius sententiam Plinii inspexisse et expressisse, quando hæc verba reddidit, *als eine zu wichtige und übermässige ehre.* Scilicet 'prægravis honor' dicitur hoc loco præponderans, eximius, præcipuus, ampliorque ho-

nor præ aliis. Sic Plinius Major, ubi de Augusti rebus adversis agit, VII. 45. 'Collegium in triumviratu pessimorum civium, nec æqua saltem portione, sed prægravi Antonio.' Quam rem paullo planius eloquitur Solin. c. 3. 'Mox triumviratus collegium, prægravi potestate Antonii.' Quibus verbis nihil aliud significatur, quam inter res adversas Augusti etiam numerari collegium triumviratus, in quo Antonii potestas gravior et ponderosior fuerit potestate Augusti, sive nimis præponderaverit auctoritatem Augusti. Ita Heinsius ad Horat. Epist. II. 1. 13. etiam verbum 'prægravare' explicat per 'præponderare,' et 'antecedere;' quemadmodum in lancibus, quæ graviora sunt; ut, cum Seneca, 'deteriorem partem civitatis prægravare,' id est, prævalere, præeminere, dixit. *Schwarz.*

Papiriis etiam et Quinctiis] In antiquioribus editionibus Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Aldi, Cuspiniani, Rhenani, Stephani, Gryphii, Sichardi, et adhuc Boxhornii, legitur in primo casu numeri singularis, *Papyrius etiam et Quinctius;* quæ scriptura quoque in codice Vaticano 1475. in Parisiensi, in utroque Veneto, et in Salisburgensi, animadvertitur. At jam Lipsius Epist. Quæst. v. 15. hoc mendum corrigendum ostendit. Atque ita non solum in Juntæ et Lipsii, sed etiam in Livineii, Gruteri, aliisque editionibus, emendatum exhibetur; cui emendationi præterea auctoritatem conciliant tres ceteri codices Vaticani, atque meus. Quamvis vero in historia Romana plures Papyrii et Quinctii occurrant; dubium tamen non est, per enallagen non designari, nisi L. Papyrium Cursorem, et T. Quinctium Barbatum Capitolinum, quos jam Livineius, Patarol, et alii, nominarunt. *Idem.*

Papiriis] L. Papirium Cursorem, et T. Quinctium Barbatum Capitolinum a nostro hic intelligi, recte monet Livineius. Ille quinquies, hic sexies consul fuit, ut liquet ex Fastis. *Patarol.*

Papiriis] L. Papirius Cursor v. consul fuit: T. autem Quinctius Capitolinus VI. *Lips.*

At illos respublica ciebat] Hiatum in his verbis fecit librarius in codice Vaticano 1776. cum a priore nomine, *respublica*, ad subsequens idem nomen ex oscitantia transiliit, et, mediis verbis omissis, reposuit, *At illos respublica, non senatus, non consulatus ipse, &c.* Eandem oscitantiam admisit etiam librarius codicis Veneti 1. Neque minus locum hunc mendo inquinavit librarius codicis Veneti 2. dum particulam *at* in præpositionem *ad* mutavit, et ex *resp. ciebat*, effinxit *respiciebat*, hunc in modum, *Augustus, et Cæsar, et pater patriæ, ad illos respiciebat. Quid? te non eadem respublica, &c.* Ceteri vero libri locum hunc accuratius exscriptum produnt. Et ita Tacitus loquitur sæpius; v. g. Annal. XI. 30. Claudius 'cieri Narcissum postulat.' Idem Hist. II. 29. 'Omisso tubæ sono, quo miles ad belli munia cietur.' Annal. XV. 33. 'Quos e proximis coloniis et municipiis ejus rei fama civerat.' Utitur vero orator in his verbis προλήψει, per quam quasi objectionem fingit: Dicet aliquis, Papyrium et Quinctium ad capessendos plures consulatus ab ipsa republica vocatos fuisse. Ipse sibi respondet Plinius, per ἀνθυποφορὰν etiam Trajanum ab eadem republica, a senatu, et quasi ab ipso consulatu, vocatum esse ad hunc honorem capessendum. *Schwarz.*

Eadem] Nam ut libera nunc, et olim sic erat. *Bern.*

Tuis humeris] Altior digniorque fieri. *Lips.*

Attolli et augescere videtur] I. e. videtur dignior, et amplior, altiorque, per te effici. Tacit. Hist. IV. 52. 'Bono esse animo jubet, belloque et armis rempublicam attollere.' Idem

ibid. c. 53. 'Deos precatus, uti cœpta prosperarent, sedesque suas pietate hominum inchoatas divina ope attollerent.' Et Liv. XXVII. 17. 'Asdrubal cum hostium res tacitis augescere incrementis cerneret, suas imminui,' &c. Pro verbo *videtur*, codex Vaticanus 3461. et Guelpherbytanus habent *videretur*. Schwarz.

CAP. LVIII. *Non te*] Cod. Vaticanus 1776. habet *Nunc te;* quod adverbium minime huc quadrat. Magis tolerari possit *Num*, quod scriptum est in codice Vaticano 1475. item in Parisiensi, et utroque Veneto; verum, in ceteris scriptis impressisque libris rectius proditur particula negandi, *Non*, sine interrogandi signo. Ita vero istæ particulæ, *non*, *num*, *nunc*, perquam frequenter a rudibus librariis confunduntur. Etiam aliquantum inferius in verbis hujus ipsius cap. § 3. 'Non debitum hoc illi? Non vel sola,' &c. pro particula interrogandi, *non* quidam codices scripti vitiose exhibent *num*. Schwarzius.

Ejus] Utique Domitiani, de quo Sueton. c. 13. 'Consulatus XVII. cepit, quot ante eum nemo. Ex quibus septem medios continuavit: omnes autem pæne titulo tenus gessit; nec quemquam ultra Calendas Maii, plures ad Idus usque Januarias.' *Paterol.*

Ejus] Domitiani, de quo Sueton. cap. 14. 'Consulatus 17. cepit, quot ante eum nemo.' *Lips.*

Qui continuis consulatibus] Ausonius Gratiarum actione ad Gratianum: 'Scis decem ac septem Domitiani consulatus, quos ille invidia alteros provehendi continuando conseruit, ita in ejus aviditate derisos, ut hoc eum pagina Fastorum (immo fastidiorum) fecerit insolentem.' Adi et Sueton. Domit. cap. 13. *Livin.*

Continuis] Continuum sibi a populo decretum recusavit Africanus superior. Val. Max. IV. 1. admisit ad decennium Cæsar. Dio lib. XLI. Multi perpetuum. Vetus lapis: 'Aulus Vitellius, Imperator, Consul perpetuus.' Plerique annum aperiebant, alios deinde sufficiebant. Fuit autem hæc dignitas sub ipsis etiam imperatoribus adeo ampla, ut in imperio nihil esset amplius, et majus: nempe ordinariorum, non suffectorum, ut docet Jornandes in Chronico de Rebus Gott. et Procopius lib. I. Pers. 'Eratque honos,' ut Mamertinus in Panegyr. loquitur, 'sine labore susceptus.' Hinc imperatores illius adeo fuere avidi, ut aliis subtractum cuperent, et nomine suo omnes annos insigniri vellent. 'Nempe ambitio magni animi non est contenta honoribus annuis; si fieri potest, uno nomine occupare fastos vult.' Senec. de Ira, I. 16. *Bern.*

Longum] Nam anni per consules distingui soliti: cum autem ille unus semper, videbatur et unus annus. *Lips.*

Longum quendam] *Novum quemdam*. Faber.

Sine discrimine] Alias anni nominibus consulum variantium facile inter se discernebantur. Ita e. g. anno urbis conditæ 754. vel post natum Christum, 2. Fastis nomina dederunt, P. Vinitius, et P. Alfenius Varius; sequenti anno, L. Ælius Lamia, et M. Servilius, &c. Quoniam vero Domitianus imperator per tot annos consulatum continuaverat, omne discrimen annorum sustulisse dicitur. Sed dicitur per exaggerationem oratoriam. Omnino enim superfuit discrimen; dum non solum collega semper Domitiano consuli fuit adjunctus; sed etiam singulis ejus consulatibus numerus additus, unde discrimina annorum constarent. Sic enim annus urbis conditæ 835. sive post natum Christum 82. in Fastis designabatur nominibus Domitiani Augusti VIII. et T. Flavii Sabini, consulum; A. U. C. 836. Domitiani Augusti IX. et Q. Petilii Rufi II. atque sic in reliquis. *Schwarz.*

His] In codicibus Vaticanis, Guel-

pherbytano, et meo, item in margine edit. H. Stephani, legimus *iis;* sed hæc fere vulgaris est horum pronominum mixtio. *Idem.*

His te confero] *Iis te confero* Livin. in text. sed in marg. *his te confero* V. C. R.

His te] Antiquis. *Lips.*

Consules fuerunt] Codices Vaticani, Guelpherbytanus, et meus, pro *fuerunt,* habent *fuerint.* In meo codice præterea vox proxima, *quoties,* omissa, ejusque loco brevis lacuna a librario relicta est; unde colligas, eum, in locum vocabuli, quod in vetustiore codice forte evanuerat, non ausum esse ex suo ingenio aliud substituere. *Schwarz.*

Non sibi præstitisse] I. e. quoties consulatum susceperunt, eo ipso non suo honori commodoque, sed publicæ utilitati, inserviisse. Id enim innuit formula, 'sibi præstare.' Conferatur Plinius noster supra XXXVIII. 2. 'Scis enim, sibi quemque præstare, quod te videat.' Infra LXVIII. 5. 'Nemo hoc sibi non præstat.' Epist. II. 10. 'Dispice, ne sit parum providum, sperare ex aliis, quod tibi ipse non præstes.' *Idem.*

Non sibi] Sed reipublicæ. Ejus caussa, non honoris sui suscepisse. *Lips.*

Erat in senatu ter consul] Raianus T. Verginium Rufum nominat, parum circumspecte; nam is tertium consul, imperatori Nervæ collega, in magistratu decessit, Trajano nec dum consule secundum. Itaque potius sit (opinor) ut C. Silium Italicum capiamus, qui tertium consul ex Cal. Juliis suffectus cum Statilio Laterano. Adi Fastos. *Livin.*

Erat in senatu] Quis tunc in senatu Romano tertium consul fuerit, disquirunt viri docti. Rayanus T. Verginium Rufum nominat; sed, docente Livineio, parum circumspecte. Rufus enim ille, testibus Fastis, jam quidem A. U. C. 850. sive A. C. 97. tertium consul fuerat cum Nerva Augusto, pariter consule III. verum, quod luculenter demonstravit Masson in Vita Plinii, ad hunc annum, eo adhuc ipso anno Christi 97. mox post bimestrem consulatum, vita defunctus est Rufus, Trajano necdum consule secundum; tantum abest, ut hic tertium consulatum jam tum recusare potuerit. Nominat ergo Livineius potius C. Silium Italicum, quem tradit fuisse tertium consulem ex Calendis Juliis suffectum cum Statilio Laterano. Sed et ipse Livineius non ex vetustis, sed recentioribus Onuphrii Fastis, parum circumspecte nominat Silium. Verum quidem est, Onuphrium Panvinium, Fast. lib. II. ad A. U. C. 847. adscripsisse consules suffectos ex Calendis Juliis, Sextilium Lateranum, et C. Silium Italicum III. et, in commentario ad hos Fastos, ad Plinii Epistolas provocantem affirmasse, Silium hunc ter consulem fuisse extremis Domitiani annis. Quod si autem epistolam septimam lib. III. Plinii evolvas, deprehendes quidem, Silium Italicum novissimum a Nerone factum esse consulem; quo consule Nero periit; cognosces etiam, eundem Silium se tenuisse in Campania, ac ne adventu quidem novi principis (nempe Trajani, e Germanico bello post mortem Nervæ in urbem redeuntis,) commotum esse, et demum anno ætatis quincto et septuagesimo ultimum ex Neronianis consularibus obiisse; quod haud ante annum Christi 99. accidisse, probavit Massonius: nihil tamen de tertio quodam consulatu Silii ibi invenies. Videbar quidem mihi aliquando vestigia tertii consulatus Silii deprehendisse apud Martial. VIII. 66. ubi agitur de consulatu Silii, hæcque verba inter alia leguntur: 'Gaudenti (Silio) superest adhuc, quod optet, Felix purpura, tertiusque consul.' Sed, re diligentius considerata, animadverto, ibi non de patris, sed filii Silii, consulatu agi;

agnoscoque, nec ibi scriptum esse 'tertiumque consul,' sed 'tertiusque consul.' Nempe in eo carmine Martialis Domitiano Augusto gratias egit, quod hic nato, sive filio natu majori, Silii, consulatum detulerit. Porro vero ait, 'gaudenti' patri Silio 'adhuc superesse, quod optet,' nempe 'felicem purpuram,' sive felicem progressum consulatus filii majoris, et, post consulatum patris, filiique majoris, ex Siliana domo 'consulem tertium,' scilicet filium juniorem. In hanc sententiam epigramma Martialis jamdudum acute interpretatus est Matthæus Raderus; quem deinde secutus est Vincent. Collessus, et Collessum Cellarius in Dissert. de Silio Italico § 13. et 14. Ex horum igitur interpretatione, et ex epistola Plinii supra citata, liquet, Silium Italicum, patrem, non duos gessisse consulatus, quod Arntzenius scripsit, nedum tres; sed tantummodo unum, eumque ordinarium, et novissimum sub Nerone: contra, filium majorem sub Domitiano consulem suffectum esse declaratum; filium autem juniorem ante excessisse vita, quam ex patris Martialisque voto 'tertius consul' ex ista domo prodierit. Id unum ergo certum est, nihil certi adhuc a viris doctis afferri potuisse, quis eo tempore, quo Trajanus imperator consulatum tertium sibi oblatum recusavit, in senatu Romano fuerit tertium consul. Sic et ipse Lipsius, acutissimus alioquin antiquitatum indagator, cum etiam suspicatus esset, hunc Plinii locum capiendum esse de Silio Italico; postremo tamen ingenue fatetur, re vera partem hanc Fastorum in suffectis consulibus esse tenebrosam, nec acie ingenii facile illustrandam. *Schwarz.*

Ter consul] Virginius Rufus fuerat, sed obiit in consulatu, principe Nerva. Non ergo de illo: an forte de C. Silio capiendum, qui toties item consul, et tunc vivus? At enim sistit aliquid, quod in Plinii Epist. III. 7. legitur, ubi mortem hujus Silii narrat, et breviter vitam: 'Novissime,' inquit, 'ita suadentibus annis ab urbe secessit, seque in Campania tenuit; ac ne adventu quidem novi principis inde commovit. Magna Cæsaris laus, sub quo hoc liberum fuit; magna illius, qui hac libertate ausus est uti.' Enimvero si ille se non commovit, nec in urbem venit, quomodo 'erat in senatu,' quod Plinius hic affirmat? Dici possit, aliud 'in senatu,' aliud 'in curia esse.' In senatu etiam absens censetur, in curia non nisi præsens. Sed re vera pars hæc Fastorum in suffectis consulibus tenebrosa, nec acie ingenii (absque monumentis sit) facile illustranda. *Lips.*

Consulatum recusabas] Claudianus de Stilicone, qui 'consulatus honorem,' quem defenderet, fugeret, ac sperneret, 'tanta quem mole tueris, Respuis oblatum, pro quo labente resistis.' *Bern.*

Onerosum] Ironia. *Lips.*

Quoties senator tuus nimia modestia] *Quum nimia modestia.* Faber.

Nimia modestia] Recte notat Cellarius, hæc casu sexto dicta esse; cum Plinius dicere voluerit, Trajanum nimis modestum futurum fuisse, si etiam privatus recusasset tertium consulatum; quanto magis princeps? Ceterum, ante vocabulum *nimia*, excidisse particulam *cum*, vel *quum*, observavit P. Faber; idemque, teste Th. Hearne, in suo libro annotavit Jos. Scaliger; neque nego, hic perquam commodum locum isti particulæ esse videri. At silent hucusque omnes codices Mss. librique impressi; neque omnino hic necessariam esse illam particulam censeo. In antecedentibus verbis, pro *indixerat*, Philomusus vitiose edidit *induxerat*. Schwarz.

Etiam privatus] Si nempe senatus petiisset. *Lips.*

An consularis viri triumphalisque fili-

us] Ita Plinius supra IX. 2. Trajanum dixit, 'patricio, et consulari, et triumphali patre genitum.' Et XVI. 1. ait, 'Quia patert ibi triumphalis.' Sed neque ex fastis, neque ex historiis, liquet, quando Trajani pater consulatum gesserit, (quia 'perobscura res in consulibus tanto numero suffectis;') vel quando meruerit triumphum, aut saltem ornamenta triumphalia; quamvis post mortem a filio imperatore statua triumphali fuerit honoratus. Non nulli referunt triumphum ad Parthicam laurum, cujus mentio fit XIV. 1. quæ bella ductu Corbulonis gesta in tempus Neronis incidisse perhibentur: alii referunt ad bella Judaica, in quibus Trajanum legionis decimæ legatum fuisse, narrat Joseph. Bell. Jud. III. 7. et 9. nos ampliamus. *Schwarz.*

Adscendit] I. e. an augetur dignitate, et fit major? Bene se habet vulgata lectio; quamvis in codice Parisiensi legatur *adscendat?* Sed tunc, pro antecedente particula *An*, rescribendum esset *Annon*, vel *Non?* quasi diceretur, Annon mereatur, dignusque sit, ut adscendat? Ita et in sequentibus verbis, pro voce *promeritum*, codices Mss. Veneti, Livineii, liber Vossianus, item editio Puteolani, et Cuspiniani, inutiliter exhibent *præmeritum*. Tritum vero est *promeritum*, cum activam, tum passivam significationem, pro re nata, habere posse. *Idem.*

Promeritum] *Præmeritum* V. C. *Livin.*

Contigit ergo privatis] C. Sosio Senecioni, et A. Cornelio Palmæ. *Id.*

Privatis] C. Sosio, et A. Cornelio. *Lips.*

Privatis] Quos ad consulatum provexisti; cum antea soli fere imperatores annos inchoarent, assumto, immo aliis rapto, consulatu. *Paterol.*

Aperire annum] Primo anni die consules magistratum inibant; ideo annum 'inchoare' dicebantur, sive 'aperire.' Sic et 'reserare fastos,' hoc est, pontificum libros, in quibus acta annua sub consulibus scribi solebant. Statius Silv. IV. 1. de Domitiano: 'Læta bis octonis accedit purpura fastis Cæsaris, insignemque aperit Germanicus annum.' Tunc vero novis Fastis non suffectorum, sed ordinariorum consulum nomina præscribebantur, et ab his numerabantur anni; quamquam in quibusdam monimentis antiquis aliquando etiam consulum suffectorum nomina, temporis designandi caussa, sint notata. *Idem.*

Aperire annum] Hoc dicitur, quia novo anno isti inibant, et nomina præscribebantur. Cassiodorus, 'Felix a consule sumat annus auspicium, portamque dierum tali nomine dicatum tempus introëat.' Itaque alibi consules dicuntur 'inchoare et pandere annum;' scilicet una cum Jano, de quo Ovidius, 'Ergo ubi, Jane biceps, longum reseraveris annum.' *Lips.*

Aperire annum] Item sub Juliano. Ammianus lib. XXIV. Sed 'Constantius, Diocletianus et Aristobulus, cum aperirent annum, neminem privatum sibi collegam adsciscebant: quia ea dignitas numini quoque augusto quoddam decus videbatur acquirere, et, (ut loquitur Novell. Theodosii et Valentiniani,) quia est præcipuus honor, potissimus magistratus; et consulis fasces sunt auspicatissimi,' ait Symmach. X. 34. *Bern.*

Fastosque reserare] Caussa eadem, quia novis Fastis præscribuntur. Ausonius de Jano: 'Roma illa, domusque Quirini, Hoc capite æternis signat sua nomina Fastis.' Hæc autem omnia ad primos et ordinarios consules spectant, (in quo major honos) non ad illos suffectos, a quibus anni auspicium non erat. Seneca de Ira, 'Dedit duodecim fasces, sed non fecit ordinarium consulem. A me numerari voluit annum, sed deest mihi ad sacerdotium.' *Lips.*

Libertatis indicium] Codex Parisiensis, et Venetus 1. item et editiones Puteolani, Beroaldi, Cuspiniani, et Philomusi, pro voce *indicium*, proferunt *judicium*; sed nihil vulgarius in antiquis libris accidit, quam ut literæ, *n*, et *u*, inter se permutentur. Exponit vero Anton. Pagi Dissert. Hypatic. P. II. c. 1. n. 2. cur id *libertatis redditæ indicium* fuerit, quod, loco Trajani imperatoris, privati viri e senatu, nempe C. Sosius Senecio II. et A. Cornelius Palma, consulatum acceperint. 'Consulatus,' inquit, 'assumtione possessionem inibant imperatores;' ideoque sub Trajano, qui illum recusavit, visa fuit restituta respublica, quæ nata erat, quando privatis mandatus consulatus fuit. Pertinet ergo huc annotatio Berneggeri ex Mamert. in Paneg. Julian. c. 30. 'Credet aliquis tanto post veterem illam priscorum temporum libertatem reipublicæ redditam? Neque enim ego Lucii Bruti, et Publ. Valerii, qui primi, exactis regibus, potestate annua civibus præfuerunt, consulatum nostro anteponendum puto.... Illorum anno libertas orta; nostro restituta.' Ex Tacito Annal. I. 1. 'Urbem Romam a principio reges habuere; libertatem et consulatum L. Brutus instituit.' Et ex Boëthio Consol. Philos. lib. III. 'Consulare imperium, quod libertatis principium fuerat, ob superbiam consulum vestri veteres abolere cupierunt.' *Schwarz.*

Liber annus] Mamertin. in Panegyr. Julian. 'Illorum (Lucii Bruti, P. Valerii) anno nata libertas, nostro restituta.' Tacit. Annal. I. 1. 'Urbem Romam a principio reges habuere, libertatem et consulatum L. Brutus instituit.' Noster, 'exactis regibus, et servitute pulsa, libertas cœpit.' Et Boët. de Consolat. Philosoph. lib. III. 'Consulare imperium, quod libertatis principium fuerat, ob superbiam consulum vestri veteres abolere cupierunt.' *Bern.*

Privata] Creatis consulibus primis, Bruto et Collatino. *Patarol.*

Nomina induxit] Non bene in codice meo scriptum est *nomina indixit*. Schwarz.

Miseros ambitionis] Adjectiva, quæ aliquam rei affectionem significant, casum gignendi adsciscere, vulgata grammaticorum regula est; quamquam hujus generis structura Græcismum sapiat; v. g. 'animalia timida lucis;' 'lassus maris, et viarum, militiæque;' 'fortunatus animi;' 'felix curarum;' et, secundum Virgil. Æn. IV. 529. 'At non infelix animi Phœnissa.' Ita et Plinius hoc loco dixit *miseros ambitionis*, i. e. miseros ambitione, sive ambitionis caussa. Jacobus De la Baune usum hunc loquendi usitatum Horatio variis exemplis ostendit. *Idem.*

Non ambitio magis] In codice Ms. Parisiensi, utroque Veneto, et Livineii, abest particula *magis*, idque, judice Rittershusio, recte, et honesta ellipsi. *Magis* enim, ut μᾶλλον Græcum, sequente *quam*, a probatæ Latinitatis auctoribus non ineleganter omittitur; v. g. apud Plaut. Menæch. V. 1. 26. 'Quin vidua vivam, quam tuos mores perferam:' apud eund. Rudent. IV. 4. 70. 'Tacita bona est mulier semper, quam loquens.' Nepos in Dat. c. 8. 'Autophradates tamen statuit congredi, quam cum tantis copiis refugere.' Justin. VI. 1. 'Ut differant bella, quam gerant.' Genus hoc loquendi Tacito cumprimis frequens; v. g. Annal. I. 58. 'Quia pacem, quam bellum, probabam.' Annal. III. 17. 'Miseratio, quam invidia, augebatur.' Annal. IV. 61. 'Agrippa claris majoribus, quam vetustis.' Annal. XIV. 61. 'Libens, quam coactus, acciret dominam.' Hist. IV. 83. 'Ptolemæus, ubi securitas rediit, voluptatum, quam religionum, appetens.' Idem de Germ. c. 6. 'Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii, quam formidinis, arbi-

trantur.' Cf. Vechneri Hellenolex. I. 18. Nihilo minus tamen hoc in loco malim vulgatam, et a ceteris codicibus Mss. librisque excusis confirmatam lectionem tueri. *Idem.*

Ambitio magis] *Magis* abest V. *Livin.* recte, ut videtur, et honesta ellipsi. *Rittersh.*

Livor] Ita et Ausonius interpretatur, ad Gratianum: 'Scis septem et decem consulatus Domitiani, quos ille invidia alteros provehendi, continuando conseruit.' *Lips.*

Quam livor] Etsi vocabulo 'livoris,' pro invidia, non ipse Cicero usus videatur; id tamen ætate Ciceronis fuit usitatum. Sic D. Brutus ad Cic. Fam. XI. 10. 'Tu a certo sensu et vero judicas de nobis: quod isti ne faciant, summa malevolentia et livore impediuntur.' Ita vero et Ausonius in gratiarum actione ad Gratianum, c. 11. livori, sive invidiæ, tribuit, quod Domitianus omnes consulatus præoccuparit, et privatis præripuerit: 'Scis,' inquit, 'decem ac septem Domitiani consulatus, quos ille, invidia alteros provehendi, continuando conseruit, ita in ejus aviditate derisos, ut tot eum paginæ Fastorum, suorum immo fastidiorum, fecerint insolentem, nec potuerint præstare felicem.' Nihilo minus etiam ambitio dominata est in expetendo, aliisque præripiendo, consulatu, agnoscente ipso Seneca de Ira I. 16. in fine: 'Videatur et ambitio magni animi: non est contenta honoribus annuis; si fieri potest, uno nomine occupare fastos vult, per omnem orbem titulos disponere.' Cum vero Plinius dicit, non 'ambitionis' magis, quam 'livoris et malignitatis' esse, omnes annos possidere velle; videtur 'ambitionem' pro virtute quadam, aut certe pro magis excusando vitio, habuisse, quam 'invidiam,' aut aliud vitium. Et eadem sententia fuit Sallustii in Catil. cap. 11. 'Sed primo magis ambitio, quam avaritia, animos hominum exercebat; quod tamen vitium propius virtutum erat.' Unde et Seneca de Brev. Vitæ, c. 6. 'Ceteri, etiamsi vana gloriæ imagine teneantur, speciose tamen errant.' Item Quinctil. Instit. Orat. I. 11. 'Et licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen caussa virtutum est.' Conferatur Corte ad citatum Sallustii locum. *Schwarz.*

Omnes annos possidere] I. e. singulis annis sibi consulatum vindicare, ne aliis ad eum gerendum locus relinquatur. J. F. Gronovius in suo exemplari, pro verbo *possidere*, annotavit *obsidere;* satis quidem commode; sed is, ut opinor, ex ingenio hanc emendationem tentavit; utpote cui nullus alius liber suffragatur. Nec necessaria hæc mutatio est, cum ii principes, qui quasi continuum consulatum sibi vindicarunt, neque ad hunc honorem capiendum aliis reliquerunt aditum, pari metaphora 'omnes annos,' aut 'fastos, occupasse,' 'obsedisse,' aut 'possedisse,' dici potuerint. *Idem.*

Purpuræ] Quia consules in toga prætexta, id est, cui limbus purpureus adtextus esset. Eadem et aliis magistratibus quidem: sed ideo addit 'summum decus,' quia isti summi inter illos. *Lips.*

Purpuræ decus] Purpura consulum Gabino ritu cincta fuit. Claudian. Honor. 'cinctusque Gabinos Dives Hydaspeis augescat purpura gemmis:' quem cinctum Gabinum Claudianus vocat alibi 'pacificum et civilem,' quia, licet illo uterentur bella indicturi consules, ut plurimum Romæ agebant, et ipsorum ἀρχὴ erat ἄοπλος, *immune ab armis imperium.* LVI. 3. *Bern.*

Præcerptum] Delibatum initio anni. Nam Domitianus atque alii annum fere aperiebant: et tunc sufficiebant. *Lips.*

Præcerptum] Vix degustatum; quod moris Domitiano fuit, teste Sueton. cap. 13. 'Omnes (consulatus) pæne

titulo tenus gessit; nec quemquam ultra Calendas Maii; plures ad Idus usque Januarias.' *Patarol.*

Præcerptum præfloratumque] In codicibus Vaticanis, et meo, item in editione Beroaldi, pro *præcerptum*, legitur *præceptum*. Adhæc sigillatim in codice Vaticano 1776. et Veneto 1. *defloratum*; in Puteani editione, *perfloratum*; et in cod. Vaticano 1475. prorsus inepte *perflexatum*, pro *præfloratum*. Non quidem absurde dicatur *præceptum*, si hæc vox per se consideretur, et si verbum *præcipere* per præoccupare, vel antecapere, aut delibare, explicetur, quemadmodum aliquando recte explicari potest: at, quoniam ex plurium librorum auctoritate, *præcerptum* conjungitur cum voce *præfloratum*, satius est, retineri vulgatam lectionem, per quam eadem metaphora eleganter continuatur; quæ et Arntzenii est sententia. Sicuti enim 'præflorare' idem est, ac florem fructumque præcerpere et præripere; ita cum verbo 'præcerpere' optime conjungitur, cum et hoc verbum proprie dicatur de floribus fructibusque, qui ante carpuntur, et delibantur; v. g. apud Plinium nostrum, Epist. v. 20. 'Providendum est mihi, ne gratiam novitatis, et florem, quæ oratiunculam meam vel maxime commendat, epistolæ loquacitate præcerpam.' Cicero in Verr. c. 37. 'Non præcerpo fructum officii tui.' Gellius xiv. 1. 'Futurum gaudii fructum spes tibi jam præfloraverit.' Sic vero, e. g. Domitianus præcerpsit præfloravitque decus purpuræ consularis, quando consulatum ordinarium ipse quidem calendis Januariis suscepit, et per paucos dies, aut menses, gessit, ut annus nomine ipsius in fastis insigniretur; ac sic paullisper gestum delibatumque dimisit, ut reliquum anni tempus consulibus suffectis assignaretur. De ipso Augusto Sueton. cap. 26. 'Quinque medios consulatus a sexto ad undecimum annuos gessit: ceteros, aut novem, aut sex, aut quatuor, aut tribus mensibus; secundum vero paucissimis horis. Nam die Kalendarum Januarii, cum mane, pro æde Capitolini Jovis, paullulum curuli sella præsedisset, honore abiit, suffecto alio in locum suum.' *Schwarz.*

Magnanimitas fuit] Codices Veneti hoc nomen quidem sic in casu primo, cetera autem, *modestiæ,... benignitatis*, in casu secundo, produnt. At codices quidam Vaticani, item Pariensis, Salisburgensis, Guelpherbytanus, et meus, omnia hæc tria nomina casu secundo scripta exhibent. Poterat hæc posterior lectio locum habere; sed quid necesse est, ut a lectione vulgata recedamus? *Idem.*

Expetito semper honore] Censuit Behrius, his verbis, post adverbium *semper*, inserendum *ab aliis*; ut significetur, non Trajanum, sed alios, hunc honorem consulatus semper expetiisse. Sed nusquam ullum vestigium hujusmodi supplementi apparet; et sine hoc etiam lector prudens istam appetentiam honoris consularis non referet ad Trajanum. Bene igitur Germanicus interpres: *Grossmuth war es, dass du dich einer würde enthieltest, nach der andere allezeit so begierig gestrebet.* Item et Gallicus, Esprit: *Vôtre magnanimité a paru en vous privant d'un honneur, que vos prédécesseurs ont toûjours désiré.* Nec minus Italus: *Grandezza d'animo si fu l'astenerni da un' onore sospirato sempre dagli altri.* Idem.

Per alios frui] I. e. Benignitas est, te æque frui et gaudere honore, quem gerant alii, quibus eo cessisti, ac si ipse gesseris. Venit Lipsio in mentem, annon legendum esset, *pati alios frui*. Ipse aliquando suspicabar, forte rescribendum, *permittere aliis, frui*. Sed, re magis pensitata, locus hic nulla emendatione indigere mihi videtur. Plinius supra, I. 7. 'Nihil magis tuum credis, quam quod per

amicos habes.' Cic. ad Attic. IV. 16. 'Mihi, mehercule, nihil videbatur esse, in quo tantulum interesset, utrum per procuratores ageres, an per te ipsum.' Plinius noster Epist. I. 4. 'Servi probari dominis per alios magis, quam per ipsos, laborant.' Alias vero, 'Per aliquem capere honores,' notat caussam efficientem, eamque vel primariam, vel mediam; uti apud Nepot. Att. cap. 7. 'Ceteri, qui per eum aut honores, aut divitias ceperant,' &c. ubi 'per eum' significat, ejus beneficio et ope. *Idem.*

Per alios] Quo modo? nam et ipse nihilominus in senatum veniebat, et omnia publica munia usurpabat, etsi non consul. Itaque consulatum quasi gerebat, eoque fruebatur in aliis. Subibat tamen, an non, *pati alios* legendum esset. *Lips.*

CAP. LIX. *Sed jam tempus est*] Cum Trajanus eo ipso anno, quo hic Panegyricus habitus est, consulatum tertium jam susceperat, gessissetque, non amplius opus erat, ut is ad honorem hunc capessendum exhortatione quadam sollicitaretur. Cum nihilo minus Plinius nunc commemoret, quomodo Trajanus antea honorem hunc sibi oblatum deprecatus esset; proprie dicere debuisset, *Sed jam tempus erat, te ipsi consulatui præstare, ut majorem eum suscipiendo gerendoque faceres, &c.* At orator, usus προσωποποιΐᾳ, nomine senatus, vel reipublicæ, loquitur cum imperatore, quasi nondum consule III. et proponit ea argumenta, quibus hic imperator, cum semel iterumque hunc honorem antehac deprecatus esset, ad eum recipiendum excitari permoverique debuisset. Huc adeo etiam pertinet annotatio Gesneri. Fateor tamen, mihi Plinium fere nimium fuisse videri in laudanda Trajani recusatione consulatus tertii. Quanta enim ista moderatio, cum consulatum hunc non nisi in annum proxime insequentem distulerit, ac deinde nihilo minus gesserit plures! *Schwarz.*

Te ipsi consulatui præstare] I. e. tempus est, te nunc recipere, et per te ipsum gerere, consulatum. Catanæus edidit *te ipsum*; non certe male, si hanc lectionem ex vetusto codice hausit: sic enim eo manifestius hæc verba opponerentur proximis verbis, 'per alios frui;' postularetque a Trajano, ut jam nolit consulatus honore 'frui per alios;' sed ut ipse suscipiat fasces consulares. Singularis vero loquendi formula est, 'præstare se consulatui,' i. e. præsto adesse consulatui, et eum recipere, seque re vera præstare consulem. Sic Cic. Fam. IV. 8. 'Reliquum est igitur, ut tibi me in omni re eum præbeam præstemque, ut ad omnia, quæ tui velint, adsim præsto.' Idem ad Q. Fr. I. 1. 3. 'Circumspiciendum diligenter, ut non te unum, sed omnes ministros imperii tui, sociis et civibus, et reipublicæ, præstare videare.' Magis cum Plinio convenit Lat. Pacatus, cap. 13. 'Ubi primum té imperio præstitisti, non contentus ipse ultra vitia recessisse, alienis vitiis corrigendis curam adjecisti.' Paullum aliter Sueton. Tib. cap. 33. 'Paullatim principem exseruit, præstititque.' Non vero est, quod cogitemus, dicendum fuisse, 'Sed jam tempus est te ipsi consulatui præstandi;' nam et Cic. de Orat. II. 42. 'Tempus est, jam de ordine argumentorum et de collocatione aliquid dicere.' Et ipse Plinius Epist. VII. 3. 'Tempus est, te revisere molestias nostras.' *Idem.*

Suscipiendo gerendoque] Codex Parisiensis, sed sine ullius libri alterius consensu, hæc verba exhibet auctiora, *ut majorem eum suscipiendo, gerendo augustiorem, facias.* Arntzenio mirifice blandiri visa est scriptura codicis Parisiensis; cum hic de principe consule agatur, qui consulatum reddere potuerit *augustiorem.* Noster enim infra, LX. 2. 'Vis illud angustissimum consulum aliquando tribunal

majestati suæ reddere.' Et Epist. II. 11. 'Dilata res est in proximum senatum, cujus ipse conspectus augustissimus fuit. Princeps præsidebat; erat enim consul.' Idem hoc augmentum etiam Gesnero ita placuit, ut id, tanquam Plinio dignum, jam receperit in contextum. Sed si hæc vox, *augustiorem*, jam ab ipso Plinio profecta est, nullam video occasionem, qua tot alii librarii inducti eam prætermiserint. *Idem.*

Sæpius recusare, ambiguam, ac potius] Idem fere supra, LV. 5. generatim dixerat Plinius de honoribus a Trajano recusatis: 'Nam recusare omnes, ambitionis; moderationis est, eligere parcissimos.' Duo codices Vaticani, nempe 3461. et 1775. pro *ac*, habent *an: ambiguam, an potius illam interpretationem, &c.* Non respuerem, nisi et alibi sæpe istæ particulæ, *ac*, et *an*, confundantur. Mox dicit Plinius, *tanquam minorem putes*, i. e. tanquam tua persona, tuoque principatu, minus dignum putes. Divinavit Barthius ad Claudian. de Laud. Stilic. II. 220. forte rescribendum *esse*, *tanquam minoris eum putes.* At minimi pretii æstimo hanc divinationem. Plinius enim et alibi sibi constat; v. g. Epist. v. 1. 'Neque enim video, cur ipse me minorem putem, quam tibi videor.' Et supra in Paneg. LV. 4. 'Ut appareat, non superbia, et fastidio te amplissimos honores repudiare, qui minores non dedigneris.' *Idem.*

Ambiguam] Recuses per modestiam, an per factum spernas. *Lips.*

Cum arcus] Pro voce *arcus*, in libro Vossiano, ex codice quodam Ms. annotata est vox *circus.* De 'circo' supra quidem, LI. 3. mentionem injecit Plinius; sed, sicut Trajanus circum istum in usum populi Romani restituit et ampliavit; ita Plinius hoc loco de iis potissimum operibus loquitur, quæ S. P. Q. R. sigillatim in honorem Trajani decrevit, et exstruenda curavit. Huc adeo non tam circus, quam arcus faciunt. *Arcus* autem erant ingentium meritorum, et cumprimis victoriarum, monimenta, cum inscriptione rerum gestarum, memoriæ caussa erecta: quorum forma, cum repræsentaret portam patentem, primis temporibus fuit semicircularis; unde et 'fornices' dicebantur a Cic. pro Planc. c. 7. posthæc forma fuit quadrata, a lapidibus quadratis, aut marmore, constructa, ita, ut hujusmodi arcus columnis suffulcirentur, et statuis, alioque elegantioris architecturæ apparatu, ornarentur. Duo maxime arcus honori Trajani imperatoris dicati commemorantur. Alter situs fuit in foro Trajani, in quo ejus res in Dacico Parthicoque bello gestæ expressæ fuere, cujus Dio Cassius, lib. LVIII. pag. 784. meminit, tradens, tunc senatum, cum alia multa, tum vero arcum triumphalem, in foro ipsius ædificari jussisse. Ex quo arcu marmoreo deinceps multas partes ad construendum Constantini imperatoris arcum translatas esse, antiquarii demonstrarunt. Vide Ciacconium de Columna Trajani, n. CCXL. Alter Trajani arcus, teste Victore, in regione portæ Capenæ fuit; qui ei, ob viam Appiam restitutam, dedicatus esse perhibetur. Vix dubium est, quin plures ejus generis arcus Trajano fuerint positi. Spanhem. de Præst. et Usu Numism. Veter. tom. II. pag. 653. exhibuit præclarum nummum, in quo repræsentatur arcus, Trajano in tertio ejus consulatu, adeoque hoc ipso anno, quo Panegyricum dixit Plinius, decretus. Inde forte mox dicit, 'Illa enim, (arcus, tropæa, et statuæ,) sane tibi dicantur.' Et verisimile est, hunc nummum in memoriam victoriæ de Germanis relatæ, cusum fuisse; quia ibi imperator cognominatur Germanicus; non quasi re vera tunc solennem triumphum de Germanis egerit, sed quia ei triumphus fuerit decretus. Cujus nummi figuram, non possum, quin huc referam



ex Spanhemio. Videbis enim hic arcum triumphalem, tribus portis fornicatis, iisque patentibus, et media quidem aliquantum ampliore, instructum; cujus superiores trabes suffulciuntur quatuor columnis. Trabibus insistunt quatuor statuæ justæ magnitudinis. In extremitatibus superioris partis, qua quasi tegitur arcus, hinc et inde conspiciuntur tropæa, inter quæ imperator currui triumphali, eique decemjugi, insistit, lauream supra verticem sustinente Victoria. *Schwarz.*

Cum tropæa] Inter honoris, et sigillatim bellicæ laudis victoriæque, insignia numerabantur etiam tropæa; quæ erant spolia ab hoste devicto relata, et in sublime suffixa. Olim stipites potissimum et trunci arborum, captis ab hoste armis, ut loricis, galeis, scutis, gladiisque ornati, erigebantur; cujusmodi ligneis fulcris veteres eum in finem usos esse, Plutarchus, aliique, credidere, ne monimenta nimis diuturna et perpetua essent odii hostilis. Postea tamen e saxis etiam et ære constructa fuere tropæa. In nummis veterum frequenter conspiciuntur, modo cum militaribus signis, ut, spiculis, clypeis, lituis; modo cum captivis genu flexis; de quibus agit Spanhemius de Præst. et Usu Numism. vol. II. pag. 220. Dicitur autem *tropæum* a voce Græca *τροπὴ*, quia primum tropæa ibi maxime erigebantur, abi hostes versi erant in fugam. Inde etiam rectius *tropæum*, quam *trophæum*, scribitur. Inter Trajani numismata, apud Jac. Biæum, Tab. 34. et 35. occurrunt aliquot, quæ tropæis signantur. Patarol, Tab. I. n. 6. refert ejus generis nummum Trajani, in quo leguntur hæc verba: GERMANIA CAPTA. S. C. *Idem.*

Deprecaris] I. e. recusas; precaris, ne tibi statuantur. Pacatus Paneg. cap. XIX. 1. 'Oblatum imperium deprecatus es.' 'Deprecari' idem est ac precari; sed duplici sensu: uno modo, vehementi studio, et enixe precari, ut fiat; et tunc, *de* præpositio auget: altero, precibus eniti, et rogare, ne quid fiat; et tunc, *de* præpositio non augendi, sed potius minuendi et declinandi, vim habet. Alex. ab Alex. IV. 14. Hic verbum hoc secundo modo usurpatur. *Patarol.*

Tibi dicantur] Id est, meritis tuis, non ad exemplum, quod in consulatu capiendo spectent atque imitentur futuri principes, ut sequitur. Proxime rescribo, *Enimvero postulamus ut fut. &c.* quamlibet refragantibus libris, id enim flagitat sententia. Amicus noster, vir doctus, legebat, *cum vero postulamus ut consulatum accipias, postulamus, &c.* apte ad mentem (ut apparet) sed sine ducibus libris. *Livin.*

Cum vero postulamus] Omnes libri, et manu scripti, et prelo impressi, quotquot consului, præter paucas editiones, easque recentiores, quas postea indicabo, exhibent particulam

Cum, vel *Quum*; sed, si demas sequentia verba, quæ uncinis inclusa ex conjectura inserui orationi, tunc sententia pendens redditur, et manca. Hinc Lipsius censuit pro *Cum*, reponendum esse *Nunc*; Livineius *Enimvero*; Baudius, *Jam*. Nullus tamen horum ausus est recipere conjecturam suam in contextum orationis; quamvis quælibet harum particularum ex pendente sententia reddat absolutam, adeoque defectum quasi per accidens explere videatur. Primus conjecturæ Lipsii locum dedit Boxhornius; quem Cellarius, Th. Hearne, Patarol, Ceva, Cellariani, nempe Weinrichius et Gotschlingius, ac postremum Gesnerus, sunt secuti, qui omnes, ut puto, subsidio alicujus vetusti codicis fuere destituti. Est quidem verum, mollissimam videri istam emendationem, quæ, non nisi unica particula mutata, medeatur loco in morbo cubanti. Sed cum reclament omnes libri, cumque facile animadvertamus, voces has, *cum vero postulamus*, ab ipso Plinio profectas esse, quoniam conveniunt, et quasi cohærent cum antecedentis periodi verbis, 'Cum arcus ... deprecaris,' &c. et cum præterea ex tot similibus exemplis non obscura ratio appareat, unde jam olim corruptela locum hunc invaserit: nolui illico particulam illam *cum*, contra consensum omnium librorum rejicere; quam nec Arntzenius rejiciendam putavit, quamvis agnoverit, damno quarundam vocum truncatum esse hunc locum orationis Plinianæ. Nimirum nihil dubito, quin oscitantia veteris cujusdam librarii jam ante plura sæcula occasionem dederit vitiando truncandoque huic loco; unde defectus iste deinceps in omnia, quæ hucusque innotuerunt, exemplaria manarit. Scilicet existimo, verbum *postulamus* bis in hoc loco positum fuisse a Plinio, unde librarius ab uno ad alterum imprudens transiliit, ita, ut paucas voces interjectas prorsus omiserit. Hujus generis corruptelæ exempla jam plura observavi notavique in hoc Panegyrico. Confer Excurs. XVIII. ad cap. XI. 4. Excurs. XXIII. ad cap. XVII. 2. not. ad LV. 5. et 9. præterea, not. LVII. 5. Conferas etiam notas ad LX. 5. et 6. Et ne longe hinc abeamus, in hoc ipso capite tria exempla animadvertere licet, ubi in quibusdam codicibus Mss. ex pari occasione et errore lacunæ extiterunt; v. g. in hoc ipso paragrapho, in quo illustrando versor, verba *paullisper delicias differre* in codice Vaticano 1776. et in Salisburgensi, negligenter omissa sunt, non ex alia occasione, quam quia mox recurrit vox *paullisper*; unde oculus oscitantis librarii ab una voce *paullisper*, ad alteram transiliit. Item, § 4. post verba *Liceat experiri*, in codice Vaticano 1776. et Veneto 1. triginta et una voces omissæ sunt, usque ad sequentia verba, (cupimus tamen experiri,) *an nunc quoque una eademque res sit, &c.* ubi ex simili occasione repetiti verbi *experiri*, istam lacunam extitisse videmus. Immo, et in fine hujus ipsius capitis, nullam aliam ob caussam defectum observamus; cum in plurimis libris hucusque legerimus, *cum Principem quam dissimillimum deceat*; ubi plenior sententia esse debet, *cum Principem quam simillimum esse privato; consulem quam dissimillimum, deceat*. Scilicet et hic dormitans quidam librarius ab una particula, *quam simillimum*, fugiente oculo progressus est ad alteram, *quam dissimillimum*. Quæ cum ita sint, etsi et ego in præsenti loco supplendo destituar auctoritate veteris codicis; cum tamen tot alii veteres codices per retentam particulam *cum*, aditum reliquerint ad lacunam in pendente sententia Pliniana præsumendam; tot autem exemplis doceamur, propter unam eandemque vocem in vicinia verborum repetitam, multas lacunas in bonis

auctoribus, ac sigillatim in hoc ipso Panegyrico extitisse: interim credidi, non concinnius, nec Plinianæ sententiæ congruentius, neque adeo verisimilius, defectum hunc expleri posse, quam si hæc verba, ad integram Plinii sententiam constituendam hunc in modum ordinentur: *Cum vero postulamus*, ut suscipias gerasque consulatum; postulamus, *ut futuros principes doceas, inertiæ renuntiare, &c.* Confido, me ex nexu orationis Plinianæ posse præstare sententiam Plinii, si vel maxime sine auctoritate vetusti codicis verba ipsa præstare nequeam. Quod si vero non præstem Plinii verba, hoc loco usurpata; præsto tamen omnino verba Pliniana: cum non aliena inseram, nisi hæc pauca, *suscipias gerasque consulatum*. Jam vero his ipsis verbis ab initio hujus capitis usus est Plinius: *ut majorem eum* (consulatum) *suscipiendo gerendoque facias*. Interea autem hæc quoque pauca verba nihilo minus charactere et uncinis a reliqua Plinii oratione distinxi, ut cujusvis lectoris judicio et arbitrio relinquam, ut hæc, si iis meliora et certiora invenerit, pro lubitu dimittat. Livineius annotavit, simile supplementum amico venisse in mentem; sed vere affirmare possum, me hanc emendationem dudum, atque ante, quam in Livineium inciderim, margini exemplaris mei allevisse; noluisse autem antehac, tanquam solam conjecturam, in lucem proferre. Behrius etiam quædam huic periodo intercalanda censuit; sed vide, annon nimis multa. Rescribendum enim putavit, *Cum vero, consulatum ut suscipias, rogamus, major res agitur. Nimirum postulamus, &c.* Schwarz.

Paullisper delicias differre] Hæc verba in codice Vaticano 1776. et in Salisburgensi, omissa esse, jam in proxima nota monui; quanquam ea ab alia manu margini codicis Salisburgensis quasi postliminio sint adscripta. Pro verbo *differre*, codex Vaticanus 3461. habet *auferre;* et in verbis sequentibus, pro vocabulo *somno*, non solum Puteolanus edidit *sono*, sed et in libro Vossiano ex quodam codice Ms. annotatum est *anno*. Verum omnes has varietates nihili facio. *Idem.*

Velut excitatos] In voce *excitatos* triplex occurrit varietas. Legitur enim *excitati* in codicibus Mss. Parisiensi, utroque Veneto, et Salisburgensi; item in editionibus Puteolani, Beroaldi, Cuspiniani, et Philomusi. Quæ lectio cum minus idonea sit huic loco, jam Livineius et Gruterus conjecerunt, pro *excitati*, legi debere *excitari;* nec tamen hanc suam conjecturam receperunt. Recipit vero postea Cellarius, non reprehendendo consilio, ut puto; cum nihil facilius fieri potuerit, quam ut literæ *r* et *t* inter se permutarentur. At enimvero, cum ceteri codices Mss. et libri impressi omnes, exhibeant participium in quarto casu, *excitatos*, idque commodissimum habeat locum; nescio, quare asperner abjiciamque lectionem tam aptam, totque suffragiis antiquitatis munitam. Infra, cap. LXIII. 3. dicit Plinius, 'Non alii, marcidi somno, hesternaque cœna redundantes, comitiorum suorum nuntios opperiebantur?' *Idem.*

Excitatos] *Excitati* V. C. forte *excitari*, ind. Livin. Optime. *Rittersh.*

Excitatos] Cum restet, tam in veteri Ms. quam in editione Viennensi, *excitati*, facile adsentior Livineio, legendum videri *excitari:* neque aliter etiam conjecerat Bongarsius. *Grut.*

Prætextam] Consularem. *Lips.*

Induere prætextam] I. e. per metonymiam signi pro re signata, recipere consulatum. 'Prætexta,' ut vulgo constat, erat toga, in extrema ora limbo purpureo circumcirca prætexta, sive circumdata; unde Græcis dicebatur περιπόρφυρος. Etsi vero hujusmodi togam prætextam omnes majores magistratus, et præcipui sa-

cerdotes, gestarent; (vide Livium, xxxiv. 7.) ea tamen sigillatim inter insignia consulum referebatur. Cf. Liv. vii. 1. Unde Vell. ii. 65. dicitur 'prætexta consularis.' Et Plinius noster, lxi. 7. cum diceret de iis qui consulatum modo depositum resumebant: 'Utrinsque,' inquit, 'adhuc oculis paullo ante dimissi fasces oberrabant: utriusque solennis ille lictorum et prænuntius clamor auribus insederat; cum rursus curulis, rursusque purpura. . . . . . Modo prætextas exuerant; resumant: modo lictores abire jusserant; revocent,' &c. Sub imperatoribus, labente ævo, quamvis imminuta esset consularis potestas, consules tamen, aucto fastu, loco prætextæ, toga picta, sive palmata, antehac solis triumphantibus concessa, aliisque quibusdam ornamentis ad pompam facientibus, usi sunt. Vide Lamprid. in Alexandro Severo, c. 40. et Cassiodor. lib. vi. in Formula Consulari. *Schwarz.*

Quam, cum dare possent, occuparint] In omnibus libris adhuc extat *possent* et *occuparint*. In solo meo codice pro *possent*, exaratum est *possint;* quod libens arripuissem, dummodo etiam alicubi scriptum, editumve, reperissem *occupent.* Etenim Plinius non de præteritis, sed de futuris principibus loquitur, vultque, ut hos Trajanus exemplo suo doceat, ne aspernentur consulatum; sed, quamvis eum pro sua auctoritate aliis *dare possint*, ipsi tamen identidem *occupent*, ac suscipiant, *adscendantque* sellam *curulem*, nec eam ex quodam fastidio, aut ignavia, voluptatisque amore, mox post pauculos dies deserant; sed *detineant*, atque ipsi consulatum gerant, naviterque administrent. Hæc vera mens est Plinii, et sine hac perobscura foret tota pars orationis. *Idem.*

Dare possent] Quam dare olim populus poterat: nunc suffragia consularia imperatores ad se transtulerunt. *Bern.*

Occuparint] Non passi alios uti. *Lips.*

Adscendere] Altæ enim sedes consulum, humiles senatorum. Dio lib. lvi. illæ signis etiam ornatæ. Poëta quispiam, 'Conspicuum signis cum premet altus ebur. Signa quoque in sella nossem formata curuli, Et totam Numidæ sculptile dentis opus.' Per gradus ergo in sellam curulem ascendendum fuit. Hanc Claudianus in Honor. 'solium eburnum' dixit; 'curule ebur,' Horat. Epist. i. Julius Cæsar θρόνον ἐλεφάντινον καὶ χρυσέον. Constitit autem plurimum quatuor lignis incurvis, funibus ita vincta, ut aperiri claudique posset. In aperta sedebatur, super loris et linteis. Martial. ii. 57. 'Sella linteisque lorisque:' δίφρον ἀγκυλόποδα inde vocat Plutarchus in Mario. Ad. de Sueton. Aug. c. 43. Calig. c. 28. Claud. c. 23. *Bern.*

Adscendere curulem] Intellige 'sellam curulem.' Sed sic et alibi Plinius simpliciter loquitur; v. g. lxi. 7. 'Cum rursus curulis, rursusque purpura.' lxxvii. 2. 'Stabant candidati ante curulem principis, ut ipse ante consulis steterat.' At lvi. 7. plenius dixit, 'immanes campos sella curuli premere.' Sic utroque modo loquuntur et alii probati scriptores. Tacitus Annal. xv. 29. 'Medio tribunal sedem curulem, et sedes effigiem Neronis, sustinebat.' Vocem 'curulem' Gellius iii. 18. a 'curru,' alii a 'Curibus,' opido Sabinorum, derivarunt. Forma ejus in variis nummis expressa est. Ita apud Patarol. Tab. i. n. 7. videbis nummum, in quo repræsentatur Trajanus, cum congiarium daret populo, sedens in sella curuli, quæ posita erat supra suggestum, sive tribunal, ad quod adscendebatur per gradus. De quo tribunali disserui supra, ad xxviii. 2. et ad lvi. 5. In eadem Tabula, num. 9. videbis Trajanum alimenta assignantem, ubi in sola sella curuli,

sine tribunali, sedet. Fuit vero ejusmodi sella eborea, eaque variis signis cælata, et, teste Plutarcho in Mario, p. 408. incurvis pedibus sustinebatur. Quæritur, an gradus habuerit; quia Plinius dixit *adscendere curulem*, et quia alibi non raro 'alta' dicitur. Silius VIII. 488. 'Hæc altas eboris decoravit honore curules.' Credo quidem facile, eam aliquantum altiorem fuisse subselliis tribunitiis, sedilibusque senatoriis; at tunc demum per plures gradus adscendi consuevisse, cum tribunali imposita esset. Ceterum constat, a jure et usu hujus sellæ curulis magistratus majores, ut dictatorem, consulem, censorem, prætorem, ædilem curulem, denominatos esse 'magistratus curules.' *Schwarz.*

Curulem] Nam consules in senatu, subliniori suggestu, in sella curuli præsidebant. Inde Cassiodoro 'infulæ curules,' pro consulatu; Juvenali, 'Summas donare curules,' idem; et Lucanus, 'Lentulus e celsa sublimis sede profatur.' Ideo in Plinio hic *ascendere:* et adde, si lubet, notata ad Taciti Annal. in verbis, 'Consules sede vulgari, per speciem mœstitiæ, sedentes.' *Lips.*

Detineant] Ne quis alius ascendat. Omnia eo spectant, ut ostendat alios titulo consules, hunc re fuisse, et fore. *Idem.*

Esse denique, quod concupierunt] H. e. Postulamus, ut exemplo tuo doceas futuros principes *esse* vere consules, *quod concupiverunt*. Pronomen *quod* vel respicit antecedens verbum *esse*, sive totam φράσιν, *esse consulem*, ut apud Terent. Eun. III. 1. 10. 'Qui habet salem, quod in te est.' Et Heaut. II. 3. 123. 'In tempore ad eam veni, quod rerum omnium est primum.' Vel refertur ad pronomen *id*, quod intelligitur sub verbo *esse*, ut apud Horat. Sat. I. 6. 41. 'Est ille (id,) pater quod erat meus.' Apud eund. Sat. II. 7. 40. 'Tu, cum sis, (id,) quod ego, et fortassis nequior.' Et vs. 56. 'Non es, (id,) quod simulas.' Apud Martial. X. 47. 'Quod sis, esse velis, nihilque malis.' Curtius VII. 8. 'Sin autem homo es; id, quod es, semper esse te cogita.' Alias Cic. Offic. II. 13. dicit, 'Simus ii, qui haberi velimus.' Iners librarius, in codice Vat. 1475. pro *esse*, reposuit *omne*. In meo codice, pro *concupierunt*, scriptum est *concupierint*. Schwarz.

Ut fuerint] I. e. ut consules fuisse dicantur, et in fastis commemorentur. Infra vero, LXV. 4. 'Ut hoc solo intelligerentur ipsi consules fuisse, quod alii non fuissent.' Bene huc Heumannus retulit locum ex Epist. II. 3. Plinii: 'Audias Isæum, vel ideo tantum, ut audieris.' *Idem.*

Ut fuerint] Dicantur scribanturque fuisse. *Lips.*

Alterum consulatum] Nempe secundum, in Germania fere, longe ab urbe, et apud barbaros. Vide supra LVI. 3. Hunc Trajanus susceperat adoptatus, superstite Nerva; primum vero gesserat sub Domitiano, LVII. 3. *Pætarol.*

Exteris gentibus] *Ceteris gentibus* Livin. in textu; sed in margine, *exteris gentibus* C. G. probe.

Exteris gentibus] *Ceteris gentibus.* Sed *exteris* C. G. ut et supra cap. 18. *Rittersh.*

Exteris gentibus] Ita lego in tribus codicibus Vaticanis, in Parisiensi, utroque Veneto, Salisburgensi, et meo, item in Cuspiniani et Gryphii editionibus, cum vulgo proditum sit *ceteris gentibus*. Sed *exteris* etiam placuit Livineio et Rittershusio, et probatum receptumque est ab Arntzenio, ut voces *exteris* et *nobis* eo luculentius sibi invicem opponantur. Ita et supra, XVII. 4. auctoritate codicum Mss. vindicavi vocem *exterorum*, pro *ceterorum*. Schwarz.

Poteris imputare] I. e. poteris tanquam singulare beneficium adscribere. De verbo *imputare* jam dixi su-

pra. *Idem.*

Audimus quidem] Plurimi codices Mss. et libri impressi, in hoc et sequenti loco, habent *audimus;* pro quo alii quidam, ut Gryphius, H. Stephanus, Rivinus, Elzevir, Boxhornius, Hackius, Cellarius, Ceva, et recentius viri docti, Gesnerus et Arntzenius, exhibent *audivimus;* sed mihi placet tempus præsens, quod pluribus testibus firmat possessionem suam, ac magis convenit cum sequenti verbo præsentis temporis, *diceris.* Idem.

Obiisse] *Obisse* V. Livin.

Oculis nostris] Hoc ordine ponuntur hæ voces in omnibus codicibus Mss. cum vulgo inverso stent ordine, *nostris oculis.* Schwarz.

Experiri, an] Post has voces, in codice Vaticano 1776. et Veneto 1. deesse triginta voces, usque ad idem verbum, sequente particula *an,* jam supra ad hoc caput annotavi. *Idem.*

Secundus consulatus] In meo codice legitur *serus consulatus.* Sed bene se habet vulgata lectio. *Idem.*

Medius annus] Nescio, quid hic tricentur quidam commentatores, hæc verba duntaxat de medio anno consulatus Trajani interpretantes; cum Plinius generatim de 'medio anno,' i. e. de medio tempore vitæ hominum, et sigillatim regiminis principum, loquatur, ita tamen, ut hæc deinceps etiam ad tempora Trajani applicari possint. Etsi enim 'annus' proprie est spatium temporis, quo sol totum suum conficit et peragrat orbem; interdum tamen, haud secus ac vocabulum *dies,* generatim ponitur pro tempore, ætate, aut ævo. Val. Flac. III. 454. 'Nullæ ideo pestes, nec luctifer ingruat annus,' i. e. luctiferum tempus. Propert. IV. 5. 51. 'Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus;' i. e. ætas. Sicuti ergo 'annus' proprie dictus dividitur in annum 'incipientem,' 'medium, et 'extremum' sive 'exeuntem,' ita, ut 'medius annus' ceteris duabus partibus opponatur; sic etiam ætas hominis dividitur, ita, ut cum quavis parte commutari mores hominum dicantur. Voluit ergo dicere Plinius: sicuti 'media,' sive virilis, 'ætas hominum,' post superatos adolescentiæ et juventutis annos, multum valet in commutandis hominum moribus; ita et principes, quamvis ab initio regiminis nihil non præclari de se polliceantur; ubi tamen aliquantisper progressi secure imperare incipiunt, mores animumque multo magis mutare solent, adeo, ut, abjecta prioris modestiæ larva, facile in superbiam degenerent, audacioresque et ferociores reddantur; quia, teste Tacito Annal. XIV. 1. 'vetustate imperii coalescit audacia.' Vide, quæ hanc in sententiam jam supra annotavi ad XXIV. 1. *Idem.*

Medius annus] Non omnino exacte et ad calculum; nam adoptatus a Nerva Trajanus, et Cæsar appellatus est ante diem XIV. Kal. Octobres A. U. C. DCCCXLIX. decessit Nerva ante diem VI. Kal. Februarias anni proximi. Itaque intersunt haud pleni menses quinque. Mox præclare *didicimus* emendatur pro *dicimus,* crebro in libris et obvio errore. Maximiani Genethliaco *reddidimus,* pro *reddimus;* Variarum Cassiodori VIII. 6. *credidimus* pro *credimus.* Petronii quoque Arbitri Satyrico, ubi vulgatur, 'Nunc pueri in scholis ludunt, juvenes ridentur in foro, et (quod utroque turpius est) quod quisque perperam discit in senectute, confiteri, non vult,' equidem *didicit* reponam. Verisimile enim mihi in autographo principe fuisse *dicit,* quod in *discit* sciolus quispiam mutavit. *Livin.*

Medius annus] Qui jam effluxit a tuo consulatu. Quid sibi velint, qui hic tricantur de 'quinque tantum mensibus, inter Trajani adoptionem et Nervæ mortem,' nescio. In tota

re errant. Nec quidquam hic de illo tempore, sed de consulatu, ut jam dixi. Certum autem, Kalendis Januarii inisse secundum consulatum, deposuisse de more post duos menses: atque ita paullo plus quam annus medius, ad hoc tempus. *Lips.*

In principum plus] Receptum est verbum, 'honores mutant mores:' exemplo est Caius, qui initio principatus bonus, mox ad vitia deflexit. *Bern.*

Didicimus quidem] Fateor, plurimos codices Mss. et libros excusos, pro *didicimus*, habere *dicimus*. Sed cum hæc, quam sequor, lectio, interprete Arntzenio, Plinium magis tanquam auditorem et sectatorem, quam dictatorem et magistrum philosophiæ, sistat; ea, si quid judicare possum, mihi multo aptior, et modestiæ Plinii convenientior, visa est, quam ut dimitti debeat, postquam inprimis jam a Cuspiniano, Lipsio, Grutero, Puteano, Grævio, Bannio, Patarolo, Ceva, Gesnero, et Arntzenio, comprobata atque recepta est. Illam vero, quam Plinius affert, sententiam Cic. Offic. II. 10. non solis Stoicis, sed et aliis philosophis tribuit; quanquam eam non omnibus philosophis tribui posse, putem. 'Inter omnes,' inquit, 'philosophos constat, a meque ipso sæpe disputatum est, qui unam virtutem haberet, omnes habere virtutes.' *Schwarz.*

Didicimus] Ex Stoicorum doctrina. *Patarol.*

Didicimus] *Dicimus* Livin. in text. sed in margine, *Didicimus* C. G. recte. *Rittersh.*

Didicimus] Philosophatur, immo stoicissat, quorum hoc dogma: Τὰς ἀρετὰς ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, καὶ τὴν μίαν ἔχοντα, πάσας ἔχειν. *Virtutes inter se consequi, et qui unam habeat, omnes habere.* Lips.

Præter id] Deleam hoc *id*, legamque *Præter quod*. Breviter ita et polite, pro eo, quod vulgo, *Præterquam quod*. Lips.

Easque simul, capere potestates summas] *Easque summas simul capere potestates* C. *Livin.* recte. *Rittersh.*

Easque simul] In nonnullis libris impressis hæc verba sic transponuntur, *easque summas, simul capere potestates*. Plinius hic 'imperium' et 'consulatum' vocat 'duas summas potestates.' Sed summa potestas re ipsa erat penes imperatorem; verbo et titulo, penes consulem. Sic vero de consulatu loquitur etiam Sueton. Calig. c. 26. 'Consulibus oblitis de natali suo edicere, abrogavit magistratum; fuitque per triduum sine summa potestate respublica.' Ubi Casaubonus dignum notatu esse ait, consules etiam sub imperatoribus vocari 'summam potestatem,' cum certum sit, imaginem tantum veteris potentiæ eos retinuisse. Interim, etsi tunc vera potentia consulibus esset sublata; mansit tamen nomini consulatus suus honos, et usque ad ultima tempora verborum externæque pompæ decus duravit. *Schwarzius.*

Potestates summas] Consulatus, quæ 'potestas summa,' Sueton. Calig. c. 26. 'fastigium omnium dignitatum,' Cassiodor. II. 2. 'potissimus magistratus,' Symmach. Ep. II. 63. x. 44. 'potissima dignitas,' l. si cui 49. C. de Condit. et Demonstrat. 'amplitudo consulum' Sidon. Ep. v. 5. II. 3. Statius Silv. IV. 'Lucemque a consule ducit Omnis honos.' Chrysostom. Homil. x. ad Hebr. μέγα ἀξίωμα τὸ τοῦ ὑπάτου. *Bern.*

Cum principem quam simillimum esse privato, consulem quam dissimillimum, deceat] *Cum principem quam dissimillimum deceat* Livin. in textu; sed in marg. *cum principem quam simillimum esse privato, consulem quam dissimillimum deceat* C. G.

Simillimum privato] Humanitate et modestia. *Patarol.*

Cum principem quam simillimum] Clausula hujus capitis in omnibus,

quorum notitia ad me pervenit, codicibus Mss. manca et corrupta apparet. In codicibus Vaticanis, Parisiensi, utroque Veneto, Guelpherbytano, et meo, legimus *Cum principem quam dissimillimum deceat.* Quam lectionem etiam Puteolanus et Beroaldus sequuntur. Hæc lectio, quia non indicat, cui princeps quam dissimillimus esse debeat, aperte admonet lectorem alicujus defectus, cui remedium sit quærendum. Librarius codicis Salisburgensis, locum hunc mancum restituere conatus, magis obscuravit, quam restituit, cum eum infeliciter sic reposuerit, *tum inest utrique diversitas cum principe, quem dissimilitudo non deceat.* Propius ad scopum accessit Catanæus, qui adscita voce, *consuli,* sic exhibuit hunc locum, ut ei suspicionem alicujus defectus prope ademerit, *cum principem quam dissimillimum consuli deceat.* Quam lectionem etiam secuti sunt Aldus, Junta, Rhenanus, et plures alii. Unus fuit Cuspinianus, qui, ut credo, ex vetustis, quibus usus est, membranis, pleniorem lectionem, quam nunc damus, primus in lucem protulit; quam approbavit, sed nondum recepit, Lipsius; annotavit Schoonhovius, et in margine editionis suæ Livineius; cui vero deinceps Gruterus, Puteanus, De la Baune, Patarol, et, post editas observationes nostras, etiam Gesnerus et Arntzenius, locum dedere. Diversitatem principatus et consulatus explicarunt Lipsius et Berneggerus. Ille: Principis laus est, submittere se, et civiliter gerere; at consulis aliter, attollere se, et habitum animosque sumere pro magistratu. Hic: Princeps nullis subjacet legibus, sed consul. Hic reipublicæ et juri dicundo præest; princeps omnibus. Consul pro tribunali jus dicit, audit litigantes per totum diem; princeps non patitur disceptantium obliquas orationes. *Schwarz.*

Dissimillimum] *Dissimillimum consuli.* Trunca sunt. Cuspiniani editio reficit, *Principem quam simillimum esse privato, consulemque quam dissimillimum deceat.* Approbo. *Lips.*

Dissimillimum] Propter majestatem imperii, et dignitatis potestatem, quam privati non habent. *Patarol.*

Cap. lx. *Proximo anno*] Scilicet anno Christi 98. Mirum est, Lipsium hæc de anno proxime futuro et instante, et quidem anno Christi 101. explicasse; quasi Trajanus, uti antea deprecatus erat tertium consulatum, denuo etiam quartum, sibi, in proximum annum, destinatum, deprecatus esset. Ita enim ille scribit in argumento hujus Panegyrici, ubi hunc Plinii locum attingit: 'Nota, de anno proximo et instanti. Quid amplius? 'absens,' inquit. Ita sane absens; nam ad bellum Dacicum jam se parabat, quod cum Decebalo fortiter et feliciter, ipso illo quarto consulatu, gessit.' Largior quidem, 'proximum,' de futuro, et instante, aut sequente, pariter ac de præterito tempore, pro re nata, dici explicarique posse. Sic, cum Chærea Terentianus in Eun. ii. 3. 40. dixisset, 'Illum, liquet mihi dejerare, his mensibus sex septem prorsum non vidisse proximis;' Donatus, in scholiis suis, notat: 'Quia, *non vidisse*, dixit, *proximis*, præteritis intelligimus. Proxima enim nobis, aut præterita, aut futura sunt: nam præsentia ea sunt, in quibus nunc sumus.' De sequente, sive instante anno, ipse Cic. pro Mil. c. 9. 'Clodius subito reliquit annum suum, seque in annum proximum transtulit.' Prætereo alia exempla. At hoc loco 'proximus annus' non de instante et futuro, sed de præterito anno capi debet, cum nondum hoc loco, sed demum c. lxxviii. de quarto Trajani consulatu agatur. Liquet ex sequentibus verbis, 'Tandem

tamen cessit... Recepit enim tertium consulatum,' Plinium adhuc diserte loqui de tertio consulatu, recusato a Trajano: quem vero consulatum jam susceperat, ineunte anno Christi centesimo, hujusque anni primis quatuor mensibus gesserat; cum Plinius demum Calendis Septembribus hunc Panegyricum haberet. Necesse ergo est, illam recusationem annum Christi centesimum præcessisse. Ex hoc autem Plinii loco intelligimus, Trajanum bis deprecatum esse consulatum tertium. Primo, cum adhuc absens esset. Absens autem erat, et adhuc in Germania hærebat, A. C. 98. Cum ergo ei tunc absenti, et, post mortem Nervæ, summum imperium adepto, offerretur consulatus tertius, in proximum annum, 99. suscipiendus; hunc, propter absentiam, recusavit, privatisque, nempe Cornelio Palmæ et Sosio Senecioni, gerendum permisit. Posteaquam vero eo ipso anno, 99. reverterat Romam, ipsique in comitiis consularibus, quæ ante annum Christi centesimum de eligendis novis consulibus habebantur, denuo oblatus erat consulatus tertius, in eum ipsum annum Christi centesimum suscipiendus; hunc iterum deprecatus est, ita tamen, ut demum cesserit voluntati senatus, admiseritque consulatum. Jam vero, quia Plinius per ἠθοποιΐαν, de qua ad LIX. 1. dixi, quasi fingitur nomine senatus, Trajano jam A. C. 99. Romam reverso, et denuo consulatum tertium deprecanti, multas gravesque rationes attulisset, ob quas Trajanus, jam præsens, non deberet diutius differre consulatum tertium: in illa ipsa suasoria adhortatione 'proximus annus' omnino de A. C. 98. intelligendus est, in quo Trajanus adhuc absens primo recusavit consulatum tertium. Etenim et prima illa oblatio, et deprecatio consulatus, jam annum Christi 99. antecedere debuit. Massonius ergo, in Vita Plinii verum quidem tempus designavit; sed non necesse habuit tradere, in Plinianis verbis, *proximo anno*, non referri debere ad verbum *recusandi*, sed *consulatus*. Plinius quidem Panegyricum, uti dixi, A. C. 100. recitavit; at illa προσωποποιΐα, aut, si mavis, ἠθοποιΐα, quæ in Panegyrico affertur, pertinet ad A. C. 99. in eaque 'annus proximus,' isque præteritus, omnino referendus est ad A. C. 98. Conferatur Ant. Pagius, in Critic. Baron. ad A. C. 99. ubi annotavit, Baronium duas tertii consulatus denegationes, quæ diversis annis contigere, perperam uni eidemque anno assignasse. Ceterum, in principio hujus capitis, in meo codice, scriptum est *Atqui ego;* in Guelpherbytano, *Atqui ergo;* item, pro adjectivo *præcipuam*, in Vaticanis, Guelpherbytano, et meo, positum est adverbium *præcipue*. Schwarz.

Proximo] Præteritone, an futuro et instanti? immo hoc; loquitur enim de quarti consulatus gerendi recusatione, ut ostendit Lips. hujus scripti phosphorus in argumento. *Bern.*

Non poteras] Poteras quidem, per exempla, et multi ita principes, immo privati; sed inire absentem, gerere, et finire, hoc indecorum, et præter veterum instituta. *Non poteras* igitur, id est, recte et ex tua mente. *Lips.*

Absens gerere non poteras] Cur vero non potuisset Trajanus, cum tot alii potuerint, et cum ipse absens jam consulatum secundum A. C. 98. gessisset? Immo, quod Lipsius ait, 'non potuit recte, et ex sua mente,' neque ex prisca consuetudine, cum lege vetarentur absentes consules Rom. creari. Nam, Plutarcho in Mario, p. 412. referente, iterum consulem designaverant C. Marium: cum lex autem absentem, et, nisi intercecto certo spatio, vetaret denuo creari consulem, repudiavit populus

advertentes. De Julio Cæsare Suet. c. 28. 'M. Claudius Marcellus ad senatum retulit, . . . ne absentis Cæsaris ratio haberetur, quando nec plebiscito Pompeius postea abrogasset. Acciderat autem, ut is legem de jure magistratuum ferens, eo capite, quo a petitione honorum absentes submovebat, ne Cæsarem quidem exciperet.' At de Augusto idem c. 26. 'Nec omnes Romæ, sed quartum consulatum in Asia, quintum in insula Samo, octavum et nonum Tarracone iniit.' Itaque Plinius de Trajano magis proprie dicturus fuisset, *absens gerere nolebas.* Voluit enim Trajanus, secundum antiquas leges, et consuetudinem, ipse præsens comitiis interesse, consulque fieri, ut unus ex senatoribus, quos fecit consules; voluit accedere ad consulis sellam, et adigendum se præbere jurejurando; voluit legibus se subjicere, nec idem Cæsari consuli licere, quod ceteris non licuit, &c. quæ ex cap. LXIII. et sequentibus, intelliguntur. *Schwarzius.*

Votisque] Quæ solenniter concepta Fortunæ reduci, aut Jovi ipsi, ut solet. Desiderium autem hoc populi exprimit Martialis X. 6. 'Quando erit ille dies, quo campus, et arbor, et omnis Lucebit Latia culta fenestra nuru? Quando moræ dulces, longusque a Cæsare pulvis? Totaque Flaminia Roma videnda via?' *Lips.*

Parum est] I. e. non sufficit. Respondet enim orator per πρόληψιν Trajano, excusanti se consulatui; quasi non necesse sit, ut consulis honorem suscipiat, cum jam, tanquam princeps, etiam sine consulatu, in curiam venire, interesse senatui, et senatores censentes audire, possit. At dicit, hæc non sufficere; opus esse, ut etiam senatum convocet, ut præsideat senatui, ut perroget senatores. Cum vero talia, quæ proprie ad munia consulum pertinebant, etiam agere possent principes, et sæpius egissent, etiamsi non gererent consulatum; noluit tamen Trajanus ex singulari moderatione ista sibi vindicare, nisi et ipse esset consul. Nam infra, LXXIX. 5. 'tam diligens temperamenti' fuisse dicitur, 'ut nec consulis officium princeps, nec principis, consul, appetierit.' *Schwarz.*

Nisi et convoces] Adhuc in omnibus impressis libris legimus *convocas*; et sic in sequentibus verbis, *præsides, perrogas.* At in codicibus Mss. Vaticanis, Guelpherbytano, meo, et in libris Gudianis, ac Vossiano, conjunctivus modus horum trium verborum, *convoces, præsideas, perroges*, expressus est; qui modus mirifice mihi placet; placuit et Arntzenio, ab eoque admissus est. Dionysius Halicarnass. lib. X. p. 657. refert, antiquitus quidem jus penes tribunos plebis fuisse convocandæ concionis; senatus autem ad dicendam sententiam convocandi facultatem penes consules tantum fuisse, donec id quoque anno U. C. 300. obtinuerint tribuni plebis. Demum, summa reipublicæ ad imperatores translata, etiam facultatem, quoties vellet, convocandi habendique senatus, a senatu datam Augusto fuisse, Dio Cassius LII. p. 522. testatur; quam deinceps etiam Vespasiano peculiari lege confirmatam esse constat. Sed et Tiberium jure 'tribunitiæ potestatis' eandem facultatem exercuisse, testatur Tacit. Annal. I. 7. 'Ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi tribunitiæ potestatis præscriptione posuit sub Augusto acceptæ.' Sed Trajanus, quod ante dixi, pro moderatione sua, nisi et ipse consul esset, neque jure principis, neque jure tribunitiæ potestatis, uti voluit ad senatum convocandum, ne in jura atque munia consulis involaturus videretur. *Idem.*

Convoces] Nam hoc officium consulare, senatum habere et vocare, cum opus. Quæ potestas etiam principi

tributa, inter singulares. Tabula de imperio Vespasiani: VTIQVE. EI. SENATVM. HABERE. RELATIONEM. FACERE. LICEAT. ITA. VTI. LICVIT. DIVO AVGVSTO. *Lips.*

Convocas] Officium consulis erat, senatum convocare, cum deliberando opus esset. *Patarol.*

Præsides] Ut caput; talis enim consul, qui maximus in urbe magistratus. *Idem.*

Præsideas] In sublimi sella, ut dixi, senatus rector. *Lips.*

Præsideas] Alter consulum universo senatui præerat, habebatque potestatem rogandarum sententiarum. Isque dictus Romanis 'princeps senatus,' Græcis πρόκριτος. Alias et præsidis nomine audiunt proconsules, legati Cæsaris, rectores provinciarum, licet sint senatores. *Bern.*

Nisi et præsideas] Consul, qui convocarat senatum, etiam 'præsidebat senatui:' quo jure autem Trajanus, nisi et ipse consul esset, uti noluit, etiamsi alii principes identidem usi essent. Hinc Plin. Epist. II. 10. 'Dilata res est in proximum senatum, cujus ipse conspectus augustissimus fuit: princeps præsidebát; erat enim consul.' *Schwarz.*

Censentes] Censebant senatores, referebant consules, isque inprimis, penes quem eo mense erant fasces. Post Augustum et principes jus relationis a senatu accepere. *Bern.*

Perroges] Nam consul sententias ordine rogabat, et perrogabat. *Lipsius.*

Nisi et perroges] Catanæus edidit *prorogas*, et sic explicat: 'Differs in alium diem rem, de qua agitur; hoc enim in consulis potestate.' Mox tamen ipse addit: 'Vel magis *perrogas*, scilicet sententiam, quod erat officium consulis.' Sed sic et alibi, propter compendiariam scribendi rationem, hæc verba, 'perrogare' et 'prorogare,' confusa deprehenduntur. 'Perrogare' est rogare omnes usque ad extremum, qui jus habent censendi, i. e. sententiam dicendi. Hoc utique consulis munus erat. Tacit. Hist. IV. 9. 'Cum perrogarent sententias consules, Vulcatius Tertullinus, tribunus plebis, intercessit, ne quid super tanta re, principe absente, statueretur.' Etiam ipsi principes, cum in consulatu, tum extra consulatum, rogabant sententias, sed non semper 'perrogabant,' aut non eo ordine, quo consules alii. Sueton. de Julio Cæsare, c. 21. 'Post novam affinitatem, Pompeium primum rogare sententiam cœpit, cum Crassum soleret; essetque consuetudo, ut, quem ordinem interrogandi sententias consul Calendis Januariis instituisset, eum toto anno conservaret.' Idem de Augusto, c. 35. 'Sententias de majore negotio, non more, atque ordine, sed prout libuisset, perrogabat; ut perinde quisque animum intenderet, ac si censendum magis, quam assentiendum, esset.' Et in his Suetonii verbis alii 'prærogare,' alii 'prorogare,' habent. Vide supra, ad LIV. 3. In Cuspiniani editione etiam legitur *perroges;* quamvis antecedentia verba, *convocas*, *præsides*, modo indicativo referantur. *Schwarzius.*

Consulum aliquando tribunal] Cum alias vulgo legeretur *consul*, casum gignendi in numero multitudinis, *consulum*, restitui, utpote qui ab omnibus codicibus Mss. confirmatur, ac jam a Livineio quoque, Lipsio, Puteano, Grutero, Berneggero, Hackio, Baunio, Patarolo, Arntzenio et Gesnero, publicatus est. *Idem.*

Aliquando] Florente republica, salvaque libertate, quando viri de republica optime meriti, non ignavi, nec vitiis coinquinati, consules fiebant. *Patarol.*

Majestati suæ] Bene se habet hæc lectio; quamvis in codice meo, et Veneto 1. Guelpherbytano, et quibusdam Vaticanis, legatur *majestati*

suæ. Licet vero majestas propria esset toti reipublicæ, cum adhuc esset libera; tunc tamen etiam sigillatim tribuebatur consuli. Sic enim Cic. in Pis. cap. 11. 'Magnum nomen est, magna species, magna dignitas, magna majestas consulis.' At, libertate sublata, multum imminuta est majestas illa consulum, nisi si quando in principe consule refulgeret. *Schwarz.*

Modestiam postulantibus] *Modestiam petulantibus;* sed, *Modestiam postulantibus* V. C. G. Livin. recte. *Rittersh.*

Postulantibus? adi] Antehac in plurimis editionibus, pro *postulantibus*, legebatur *petulantibus;* quam posteriorem scripturam etiam exhibet codex Salisburgensis, in quo tamen superscriptum est *postulantibus.* Atque hæc ipsa lectio confirmatur ab omnibus reliquis codicibus Mss. eademque jam publicata est a Cuspiniano, Gryphio, Sichardo, Grutero, Baunio, Patarolo, Arntzenio, et Gesnero. 'Postulantes' vero dicuntur, qui jus petunt; et consulum erat, 'vacare postulationibus.' Plin. Epist. VII. 33. De verbo 'postulare' supra dixi ad LVI. 6. Non vero exputare possum, cur pro *adi*, tot codices, ut Vaticani, Parisiensis, uterque Venetus, Salisburgensis, Guelpherbytanus, meus, et liber Vossianus, immo et excusi libri Puteolani, Beroaldi, et Philomusi, habeant infinitivum *adire?* Neque alicujus pretii est illa varietas, quam in margine editionis suæ annotavit Rhenanus, 'alias *adito:*' neque enim Plinius antea dixerat *adscendito*, sed *adscende.* Lipsio frigidum schema visum est, si legatur *adi*, quia jam eadem notione antecesserit *adscende;* unde maluit *audi.* Quia vero illud *audi* bene quidem quadrat ad 'postulantes,' non vero ad antecedentia, venerat mihi in mentem, an forte rescribendum *ades! ades* nempe ad consulatum gerendum, uti apud Cic. Fam. IX. 25. 'Nunc ades ad imperandum!' Sed hujusmodi mutationes leves quidem, et quodammodo verisimiles sunt; haud tamen sunt necessariæ: quæ etiam sententia est Arntzenii. Nec enim statim friget oratio, si orator utitur *συνωνύμοις.* At nimis audax foret interpolatio, quam Behrius suggerere conatus est, *modestiam populo; stipatum te lictoribus ostende!* Schwarz.

Postulantibus] *Petulantibus.* Alii libri, *postulantibus*, nec male; nam litigatores et caussidici (immodestum sæpe genus) tribunalia consulum adibant, jus petituri. *Lips.*

Adi] Atqui jam ante dixit *ascende.* Frigidum schema sit, et malim *audi*, magis quidem, si *postulantibus* legamus. *Lips.*

Quod enim interesset] Pro *Quod*, codices quidam scripti, et varii libri impressi, habent *Quid;* sed præpostere. Nec placet, quod in codicibus Vaticanis, Parisiensi, utroque Veneto, Guelpherbytano, et libro Vossiano, pro *interesset*, legimus *interest.* Schwarz.

Consulem te haberet] Solus, quantum mihi constat, Livineius edidit *consulentem haberet.* Puto, illud *consulentem* coaluisse ex vocibus *consulem te*, Rittershusius censuit, pro *haberet*, legendum esse *habere.* Poterat ita legi; sed libri reclamant omnes; nec necesse est, aliquid mutari. Potest enim etiam *haberet* suo gradu consistere. Namque particula *an* primo loco per ἔλλειψιν omissa est, cum plenius dicendum fuisset, *utrum*, vel *an*, *consulem te haberet tantum, an et senatorem?* Sic et Cicero sæpe loquitur; v. g. in Oratore, c. 64. 'Nihil enim interest, dactylus sit extremus, an creticus; quia postrema syllaba, brevis, an longa sit, ne in versu quidem refert.' Idem Attic. VIII. 2. 'Quasi intersit, audiam, an videam? Plin. Epist. III. 19. 'Quæ, plurimum refert, unum in locum conferas, an in diversa dispergas?' Epist. VI. 29. 'Quia plurimum referret, bonum, an

malum, induceretur?' Livineius vulgatam hujus loci lectionem ferre non potuit, ratus, sic scribendum esse, *consulem haberet te, an tantum senatorem?* Quam in sententiam verba Plinii etiam hoc saltem modo transponi possent, *senatorem te haberet tantum, an et consulem?* Sed Lipsius, rejecta Livineii correctione, illustrat vulgatam lectionem; ad cujus explicationem lectorem interim remitto; quamvis non diffitear, locum hunc, vel ex nimio acumine, vel ex corruptela quadam, aliquid obscuritatis habere mihi videri. Eum sic interpretatur Cesa: ' Quanto utilior esses reipublicæ, si in statu privato consul esses, et insuper ut senator sententiam diceres; tanto nunc scito interesse,' &c. Ceterum his cum verbis finitur *Morosis*, de qua supra dixi. *Idem.*

Consulem te haberet] *Consulentem haberet;* sed, *consulem te haberet* V. C. G. R. Livin. Placet, quod restituit ex quatuor libris Livineius, *Consulem te.* Sed et pro *haberet*, legendum *habere.* Rittersh.

Consulem te haberet] *Consulem haberet.* Manifeste falsum, quod consensu præferunt libri: quid enim? Consul sit aliquis, qui non et senator? Nugæ. Adminiculer ego, et verba transponam, *Consulem haberet te* (pro *et*) *an tantum senatorem:* quod nihil dubito, quin apertissime verum. *Livin.*

Consulem te] Vir doctus hæc ait nugas esse, nec quemquam consulem posse esse, qui non senator. Itaque se rescribere, *Consulem haberet te, an tantum senatorem.* Ego subsisto; immo resisto. Nam Plinii verba examinata ostendunt, comparationem sub hypothesi hanc esse, Sicut veteri rep. si esses, non consulem te solum appeterent (etsi summa ea dignitas) sed etiam senatorem, ut in sententiis dicendis utilior reipublicæ esses; ita nunc, etsi tu princeps, id est, summa potestas; tamen cupiunt et consulem, ut in senatu munia obeas, quæ tam decore et utiliter potes. At quin, ait, nemo olim consul, nisi senator. Nihil ad rem, ut dem ita esse; quia conditionalis modo est sermo. Sed non do, et priscis temporibus, ante annales leges, etiam juvenes, nec senatores, ad consulatum electi. *Lips.*

Privatis] Ita sub principibus dicuntur, quicumque non principes; ipsi etiam magistratus. *Idem.*

Pares sibi] Codices Vaticani, Veneti, Salisburgensis, et meus, has voces sic transpositas referunt, *sibi pares.* Equidem ad rem ipsam parum interest, utro ordine hæ voces collocentur; constare tamen volo, mihi, quantum fieri potest, etiam minimæ curæ esse. In antecedentibus verbis, *tandem tamen cessit*, particula *tamen* deleta est in altero libro Gudiano, et punctis subnotata est in libro Vossiano. *Schwarz.*

Recepit enim] Sex hæc vocabula, *Recepit enim tertium consulatum, ut daret*, desiderantur in codicibus Mss. Vatt. 3461. et 1775. in Guelpherbytano, et meo; in ceteris exprimuntur. Cur in illis omissa sint, occasionem librariis dedisse videtur syllaba *ret*, ex ultimo periodi antecedentis verbo *faceret*, et ex ultimo hujus ipsius sententiæ omissæ verbo, *da-ret.* Quando enim illa syllaba in initio duorum versuum, sive, ut vulgo loquuntur, duarum linearum, stetit, librarius unum versum transiliit, adeoque totam hanc sententiam prætermisit. Cujus generis corruptelæ jam plura in hoc Panegyrico observavi exempla. Vide supra, ad LIX. 2. *Idem.*

Tertio consules] Florentissima linguæ Latinæ ætate, si audimus Gell. X. 1. dubitatum est, utrum dicendum, 'tertium consul,' an 'tertio consul.' Refert enim is, M. Varronem, in libro disciplinarum V. scripsisse, 'Aliud est, 'quarto prætorem

fieri,' et 'quartum;' quod 'quarto' locum adsignificat, ac tres ante factos; 'quartum' tempus adsignificat, et ter ante factum.' I. e. interprete Scioppio, 'tertium' a 'tertio' sic discerni, ut 'tertium' sit temporis, quasi tertia vice; 'tertio' autem sit ordinis, seu loci, quasi in loco tertio; tanquam si dicatur, primo consul fuisse Pompeius, secundo Cicero, tertio Cæsar. Porro autem Gellius commemorat, Pompeium, cum in theatro, quod erat dedicaturus, honores suos inscribere voluerit, quæstionem ancipitem istius vocabuli de consilio Ciceronis vitasse; cum neque 'consul tertium,' neque 'consul tertio,' scripserit; sed ad secundum usque T. fecerit literas, nempe TERT. ut verbo non perscripto res quidem demonstraretur, sed dictio tamen ambigua verbi lateret. Si, quæ ibi de hac controversia narrat Gellius, expendamus, non obscure patet, isto jam ævo promiscuum usum istorum adverbiorum de eadem re obtinuisse; nisi quod doctiores quidam viri secum dissenserint. Ut ergo Cicero, qui et ipse nullum agnovit discrimen, suo tamen quemvis ingenio judicioque frui pateretur, suggessit consilium illud TERT. per decurtatam vocem scribendi. Etsi igitur non negamus, v. g. Livium, ubi tempus designandum fuit, tertium, quartum, quintum, consulem, frequentius dicere solere; ipse tamen non minus ac Cicero, et alii boni scriptores, itemque vetusti lapides, promiscui usus exempla bene multa suggerunt; qualia jam collegit Pascasius Grosippus, sive Gaspar Scioppius, in Paradoxis Literariis, Epist. 1. Confer Hier. Magium Miscell. III. 9. *Idem.*

Tertio consules] 'Tertio consul,' qui tertio loco est creatus; 'ter consul,' qui tres jam gessit consulatus: 'tertio' ergo locum; 'ter,' sive 'tertium,' tempus adsignificat, uti A. Gell. X. 1. ex M. Varron. libr. Disciplin. docet. *Bern.*

Ter consule] Ipso principe, ne aliter viderentur super eum scandere. *Lips.*

Bellorum istud sociis] Videtur Ausonius hunc Plinii locum in animo habuisse, cum in Gratiar. Act. ad Grat. c. 7. diceret, 'Fecisti autem et facies alios quoque consules.... Viros gloriæ militaris: habent enim tecum, ut semper laboris, ita dignitatis plerumque consortium, virtutis, quam honoris, antiquiore collegio.' Vox *sociis* mendose scripta legitur in codicibus Mss. In Parisiensi, utroque Veneto, Guelpherbytano, et meo, extat *otiis*, vel *ociis*. In Vaticanis quibusdam, *istis otiis*. In libro Vossiano *ocii*. In codice Salisburgensi, *Bellorum* [ ] *ocius;* ubi vero jam antiqua manus in voce *ocius*, literas *ci* punctis subnotavit, et pro iis literam *n* suprascripsit, ut ex ista correctione legendum sit, *Bellorum istud onus*. Suspicabar ab initio, an forte pro onere rescribendum sit *munus;* an saltem *onus* per *munus* explicandum, ita ut consulatus ex more antiquo diceretur *bellorum onus*, vel *munus:* quoniam in republica libera potissimum consulum erat, graviore urgente hoste, consulari ductu et exercitu bellis præesse. Quod vel ex Marii vita apud Plutarchum patet. Inde et Nero, referente Sueton. cap. 43. gesturus bellum adversus Gallos, postquam consules ante tempus privasset honore, iniit consulatum, quasi fatale esset, 'non posse Gallos debellari, nisi a consule.' Hinc et ipse Plinius noster in proximo cap. LXI. 7. 'Ut olim, cum hostis in proximo, et in summum discrimen adducta respublica, expertum honoribus virum posceret; non consulatus hominibus iisdem, sed iidem homines consulatibus, reddebantur.' Est tamen, cur mihi ipsi hæc varia lectio, ejusque explicatio, nondum satis pro-

betur; maxime, cum acquiescere possimus in lectione ab omnibus libris impressis prodita, quam egregie illustravit Lipsius, ex loco Taciti, Annal. XIV. 53. ubi Vipsanius diserte appellatur 'bellorum socius;' qui non solum A. U. C. 717. una cum L. Caninio Gallo fuit consul, sed etiam A. U. C. 726. et 727. a Cæsare Octaviano Augusto adscitus est collega consulatus. *Istud* vero, quod bellorum sociis, hoc est, viris, qui imperatoribus, aut olim reipublicæ, strenuam operam in bellis navarant, tribuebatur, erat consulatus aliquoties repetitus. *Schwarz.*

Sociis] Vipsanius Agrippa intelligitur, de quo totidem verbis et Seneca apud Tacit. Annal. XIV. 'Quorum alter bellorum socius.' *Lips.*

Singularibus viris] M. Cornelio Frontoni, et Sex. Pompeio Collegæ. Adi Onuphrii ad Fastos commentarium A. U. C. 853. *Livin.*

Singularibus] Alter innotuit M. Cornelius Fronto, oratoria laude clarus; quem collegam sibi Trajanus assumsit. Alter, qui designatus in Kal. Martias fuit, ignotus nobis; nisi quod Onufrius divinat de Sex. Pompeio Collega. *Lips.*

Singularibus viris] Trajani tertio consulis collega fuit M. Cornelius Fronto, seu Frontinus, ut in aliis legitur. Alterius consulatu donati nomen non invenio, quamvis Livineius sentiat, S. Pompeium fuisse, et alii alios. *Patarol.*

Singularibus viris] Rayanus putat, 'singulares viros' hic vocari 'privatos.' Quæ notio non quidem aliena foret ab hoc argumento; sed dubito, an ex usu veterum probari possit. Existimo potius, sic dici viros virtutibus meritisque eximios. Cicero in Bruto, cap. 85. 'Cum Attico Lysiæ Catonem nostrum comparabas, magnum mehercule hominem, vel potius summum et singularem virum,' &c. Idem Philipp. II. 6. 'Cum principem senatorem, civem singularem, tam propinquum habeas,' &c. Velleius II. 59. 'Singularis indolem juvenis.' Jam, si quæratur, qui fuerint hi viri singulares, quos tertii consulatus honore, tanquam collegas suos, dignatus fuerit Trajanus, parum lucis afferunt veteres Fasti. Onuphrius nominat Cornelium Frontonem, oratorem; et alterum divinat esse Sex. Pompeium Collegam. Onuphrium Scaliger ad Eusebium, Golzius in Fastis, Livineius et Lipsius in notis ad h. l. et alii, sequuntur. Norisius in epistola consulari, Trajani collegam in consulatu tertio designat Sex. Julium Frontinum, qui de aquæductibus scripsit; sed postea, dimissa priore sententia, quod Anton. Pagius in Critic. Baron. ad annum Christi 100. affert, M. Julium Frontonem statuit collegam Trajani in consulatu tertio; cum Dio, in Nerva, Frontonem hunc tum consulem nominet, et eum lib. XLVIII. Digest. L. 5. de Pœnis, recitetur rescriptum Trajani ad Julium Frontonem. At Christ. Adam. Rupertus, Professor quondam Altorfinus de bonis literis meritissimus, in Enchiridio Pomponii de Origine Juris, pag. 171. quem eximium libellum jure meritoque ad h. l. laudavit Arntzenius, jamdudum docuit, cum in aliquot Fastis antiquis Fronto signetur consul istius temporis, hic non M. Cornelium Frontonem, oratorem, inter consules istius temporis posse locum habere; cum is demum fere LX. annis post, sub Marco Antonino, adeptus sit consulatum, neque eum ordinarium. Quod Rupertus ulterius probavit in Oratore Historico, et quidem in notis orationi XV. de Nerva Trajano, speculo mali Principis, subjectis, p. 753. seqq. ubi similiter, contra Onuphrii opinionem, Cornel. Frontoni, oratori, substituit M. Julium, M. F. Frontonem III. ceterum, istis in notis, assentitur Onuphrio, tradenti, in consulatu tertio Trajani

prorogato, Julio Frontoni a Calendis Martiis suffectum esse Sex. Pompeium Collegam III. quem ut collegio suo cohonestarit Trajanus, ipsum extendisse suum consulatum in Calendas Maias. Verum, sicuti facile admitto, M. Julium Frontonem tunc tertio consulem factum, et collegam consulatus adscitum fuisse a Trajano imperatore, eodem tempore tertium consule; ita infra, ad LXI. 1. ostendam, multo esse probabilius, Acutium Nervam, quam Sex. Pompeium Collegam, fuisse alterum, quem tunc tertio consulem fecerit Trajanus. *Schwarz.*

Bene ac fortiter, sed in toga meritis, præstitisti] *Bene ac fortiter præstitisti, sed in toga meritis.* Livin. in textu; sed in margine, 'Forte, *Bene ac fortiter, sed in toga meritis præstitisti.*'

Fortiter] Sane vox repetenda, quæ mox subjicitur, *fortiter meritis præstitisti.* Lips.

Meritis præstitisti] Non satis plana et fluida est horum verborum collocatio. In codicibus Mss. Parisiensi et Veneto 1. item et in excusis Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Aldi, Cuspiniani, Juntæ, Rhenani, Philomusi, Cratandri, R. H. et P. Stephanorum, Gryphii, Sichardi, Navii, Livineii, Plantini, Elzevirii, et Arntzenii, hæc verba sic ordinata leguntur, *ac de te quidem bene ac fortiter, præstitisti, sed in toga meritis.* At sic verbum *præstitisti* proxime adjungitur adverbiis *bene ac fortiter*, a quibus tamen ut id sejungatur, ad perspicuitatem sententiæ Plinianæ multum interest. Ut ergo verbum *præstitisti* ab istis adverbiis quodammodo sejungeretur, in codicibus Vaticanis, Veneto 2. Salisburgensi, Guelpherbytano, meo, et in libro Vossiano, scriptum est *ac de te quidem bene ac fortiter, sed præstitisti in toga meritis.* Aliam viam iniit Boxhornius, qui ex ingenio vocabulum *meritis* sic repetiit, *ac de te quidem bene ac fortiter meritis præstitisti, sed in toga meritis.* Boxhornium secuti sunt Kirchmaierus, Cellarius, et Gesnerus. Cum ergo ex his pateat, verbum *præstitisti* nullum certum locum hucusque habuisse, huic eum assignavi locum, quem naturalis ordo et ipsa perspicuitas requirit; quoniam sic omnia evadunt planiora, neque intruditur verbis Plinianis aliud vocabulum; et quoniam suspicari possumus, an non illud *præstitisti* priore loco e glossa irrepserit, occasionemque dederit ut idem verbum suo loco sit deturbatum. Quem ordinem etiam Livineio in ora editionis suæ, et Baunio in notis, placuisse, recte animadvertit Arntzenius. Ceterum, viri *in toga bene ac fortiter meriti* dicuntur, qui rerum civilium administratione, et pacis negotiis, de principe et republica bene meriti sunt, atque a 'bellorum sociis periculorumque consortibus' distinguuntur, uti Tacit. Annal. XIV. 53. 3. hoc respectu Mæcenatem ab Agrippa distinxit. *Schwarzius.*

Utriusque cura obstrictus es, Cæsar] I. e. obligatus es cura et vigilantia utriusque, M. Julii Frontonis, et Acutii Nervæ, illorum virorum singularium et de te bene meritorum, quos in tuo tertio consulatu etiam tertio consules feceras, collegasque, alterum quidem post alterum, adsciveras. Librarius codicis Guelpherbytani, pro voce *obstrictus*, perperam reposuit *adstrictus;* præterea, post vocem *Cæsar*, omisit decem et novem vocabula, usque ad voces *et solvis*, quæ post idem nomen, *Cæsar*, sequuntur. Hoc adeo ad exempla pertinet hujusmodi saltuum, quos librarii ob eandem vocem, in vicinitate verborum repetitam, non raro ex oscitantia admiserunt. *Idem.*

Aut, si putet, amet] Bene Cellarius: 'quia odisse solent tyranni, quibus maxime debent; quod probrosum putant, suam fortunam ab aliis pen-

dere.' Cum C. Silius jactaret, non mansurum fuisse Tiberio imperium, si suis quoque legionibus cupido novandi fuisset; 'destrui per hæc fortunam suam Cæsar, imparemque se tanto merito, rebatur. Non beneficia eo usque læta sunt, dum videntur exsolvi posse; ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur.' Tacitus, Annal. lib. IV. cap. 18. Gestio legere, *aut, si putet, ut amet.* Idem.

Amet] Princeps potens beneficiorum omnium, ipse extra sortem capiendi videtur: quid si tamen ceperit, aut cepisse putet? non amat, inquit, id est, odit eos, quibus putat se debere. Nam 'destrui per hæc fortunam suam arbitrantur,' ait quispiam, 'et talium auctores, quasi exprobrantes, cernuntur.' *Lips.*

Et solvis. Sed, cum ter] Fere malim, *Et solvis: et cum ter, &c.* Gruterus.

Fortunæ tuæ] Nam tu, magna retribuendo, efficis ut magna videantur, quæ tribuere. *Lips.*

In majus] In codice Veneto I. vitiose scriptum est *in manus.* Schwarzius.

A te recipit] Sic scriptum est in codicibus Vaticanis, Venetis, Guelpherbytano, et meo; sic etiam excusum est in plurimis editionibus. At non multo pauciores libri impressi habent *recepit;* quibus e codicibus Mss. assentiuntur Parisiensis, Salisburgensis, et liber Vossianus. Inter impressos, Gryphius an. 1531. edidit *recipit;* an. 1542. *recepit.* Suspensas fere habeo rationes, utram lectionem retineam: tandem tamen pro verbo præsentis temporis cum Arntzenio pronuntiandum censeo, quia istud præsens nescio quid acutius afferat; veluti dicat Plinius, eo ipso, dum aliquis a Trajano *recipiat* beneficium, id eum gratis officiis Trajano præstitis meruisse videri; propterea, quod hic princeps non cumulet honoribus et beneficiis, nisi bene meritos. *Idem.*

Obliges, obligeris] Scilicet *obliges* alios beneficiis, ut tibi debeant; *obligeris* ab aliis, per fidem et obsequium, ac grata officia tibi præstita, ut tu iis, tanquam de te bene meritis, debere videaris. In Berneggeriana editione, item Hackiana, et Gesneriana, omissum est verbum *obliges;* quod vero erratum Gesnerus in epistola de sua Plinii editione emendavit. In codice Guelpherbytano scriptum est *obliges, obligerisque;* quod non satis placet, quia mox sequitur *incertumque.* Magis arridet lectio in codice Vaticano 1776. *Semper obliges, semper obligeris.* Idem.

Debere tibi] In codice Veneto I. deest pronomen *tibi;* quod vero majori perspicuitati inseruit. In Beroaldi editione, pro *debere,* legitur *habere;* sed mendose. Ceterum, recte hæc verba explicat Lipsius: nempe incertum dubiumque facias, utrum civibus tuis magis expediat et utile sit, ipsos multis a te cumulari devincirique beneficiis, ut tibi debeant; an eosdem tibi præstitisse obsequia et fidelia officia, quæ tu cumulatissime remunereris. *Debere* ponitur per μετωνυμίαν, tanquam effectus et consequens, pro antecedente, id est, pro, beneficiis ornari, obligarique; et 'præstare tibi' eodem tropo ponitur pro te 'demereri,' aut, in te aliquid gratum contulisse. *Idem.*

Debere tibi] Acute; id est, utrum utilius sit nobis, cepisse a te beneficium, quod est *debere;* an dedisse, quia hoc præsentem mox fructum et remunerationem trahit. *Dedisse* autem hic est 'præstitisse.' *Lips.*

CAP. LXI. *Antiquum*] Ante principes: cum multi consulatibus sic aucti. *Lips.*

Assidente] Juxta tuam sellam. *Idem.*

Ter consule assidente] Hic consul assidens fuit M. Julius Fronto, tunc consul ordinarius, sed secundo loco nuncupatus; cum primum locum ca-

peret Trajanus princeps, tunc tertium consul ordinarius. Fronto autem jam sub Nerva imperatore iterum consul, sed tantum suffectus, fuerat. Hic assidebat in sella curuli Trajano principi, pariter in sella curuli præsidenti senatui, adeoque sententias roganti. Princeps enim, quoties senatui interesset, rogare sententiam solitus, nunquam rogari. Immo, quod Tacitus notat, Annal. III. 17. et Cæsare referente, ipsi quoque consules rogari consueverunt; cum vero princeps abesset, res ordine suo peragebatur. Vide Salmasium ad Spartian. in Hadriano, cap. 8. Plinius vero callide omittit in his verbis mentionem Trajani præsidentis, ne officeret comparationi senatus antiqui; utpote cui nullus consul imperator præsederat. *Schwarz.*

Tertio consulem designatum] Per hunc Onuphrius, Lipsius, et alii, intelligunt Sex. Pompeium Collegam; quem ego in Observationibus primum editis vocaveram Sex. Pomponium, Almelovenii fastos consulares secutus: verum jam supra, ad § 5. monui neque Sext. Pompeium Collegam hoc loco intelligi posse; cum Plin. Epist. II. 11. pateat, hunc, Trajano tertium consule, non inter consules designatos, sed tantum inter consulares, numerari. Hæc enim ibi legimus: 'Assenserunt consules designati, omnes etiam consulares, usque ad Pompeium Collegam.' Præter enim binos ordinarios, plures tunc consules suffecti, et plerumque decem in unum annum, designabantur: utplurimum enim illo tempore consulatus erant bimestres. Postremo adeo crevit ambitio sub imperatoribus, ut uno anno, tradit Lampridius, cap. 6. sub Commodo fuisse viginti quinque consules. Historia vero consulum suffectorum est perquam intricata; cum plurimorum nomina interierint. Quod si caussa Marii Prisci, Africæ proconsulis, quæ a Plin. Epist. II. 11. et 12. describitur, acta est mense Januario, A. C. 100. sub initium tertii consulatus Trajani; quod Massonius in Vita Plinii dilucide docuit: tunc invenimus ibi, non quidem omnes, aliquos tamen, consules suffectos illius temporis, eosque diserte nominatos; nempe Julium Ferocem, Cornutum Tertullum, et Acutium Nervam. De Acutio Nerva observat Glandorpius in Onomastico Historiæ Rom. pag. 10. ridiculum apud Plinium a nonnullis exponi 'Acutius' pro adverbio. Nervæ autem in familiis Acutiorum, Cocceiorum, Liciniorum, et Siliorum, reperiuntur. Admodum autem credibile est, Acutium hunc Nervam, jam sub Nerva imperatore, secundo consulatu suffecto, et nunc, sub Nerva Trajano imperatore, non solum tertio consulatu suffecto, sed etiam collegii dignitate, in honorem gentilitii nominis, condecoratum esse; sicut et ejus sententiam in caussa Marii Prisci ceteris prævaluisse, ex Plinio intelligimus. Si igitur ex his Fastos consulares anni centesimi post Christum natum breviter digerere velimus; mense Januario et Februario, consules ordinarii fuere Trajanus Augustus III. et M. Julius Fronto III. (de Frontone dixi ad LX. 5.) Mense Martio et Aprili, ac forte diutius, Trajanus imperator, ipse prorogavit et continuavit consulatum suum ordinarium; Frontoni autem, uti conjicio, tunc suffecit, sibique collegam consulatus adscivit Acutium Nervam. Utrum deinde, Nerva Trajano Augusto, et Acutio Nerva, magistratu hoc abeuntibus, Julius Ferox, a Calendis Juniis, an a Calendis Augusti, susceperit partes consulis suffecti, et quem habuerit collegam, definire non possum. Posthæc vero, mense Septembri et Octobri illius anni, Plinius noster et Cornutus Tertullus consules suffecti fuere; quod ex hujus Panegyrici cap. XC. 3. et XCII. 4. patet. Mense autem Novembri et Decembri

ejusdem anni, consules suffecti fuere L. Roscius Ælianus et Ti. Claudius Sacerdos; quod ex vetusto lapide, in insula Tiberina reperto, demonstravit Raph. Fabrettus de Columna Trajani, cap. 9. p. 273. Ex his itaque Fasti Romani Onuphrii, et aliorum, illustrari, et partim corrigi, possunt. Sicuti vero ordinarie consulum, et inprimis consulis præsidentis, erat referre, et sententias rogare; ita sententiarum rogandarum hic ordo ordinarie servari consueverat, ut primi, consules designati, si adessent, deinde consulares, nempe consulatu jam defuncti, tum ceteri senatores, interrogarentur. Designati autem consules eo ordine rogabantur, quo ordine in electione essent nuncupati. Itaque hoc loco is consul designatus primum interrogatus est, qui inter consules suffectos primo loco post ordinarios consules, Trajanum Augustum, et M. Julium Frontonem, nuncupatus erat, ut M. Julio Frontoni a proximis Calendis Martiis succederet. Hunc vero videri Acutium Nervam fuisse, modo indicavi. *Idem.*

Designatum] Pompeium Collegam, ut jam dixi, aut alium. *Lips.*

Rogari] A te ter consule. Primi autem rogari solent consules designati. *Idem.*

Tunc illi] Vossianus liber habet *tunc ille;* non quidem male, si ad senatum referatur; sed sine suffragio aliorum librorum. Adhæc pronomen *illi*, etiam in numero multitudinis, ad totum senatum, præter principem, i. e. ad ceteros consules et senatores, referri potest. *Schwarz.*

Quamlibet ardua] Codices quidam Vaticani, item Guelpherbytanus, et in excusis libris, Puteolanus, Beroaldus, et Philomusus, pro *quamlibet*, habent *quælibet*. Sed melius, expressis quidem singulis literis, codex Parisiensis, et meus, exhibent *quamlibet;* in ceteris codicibus librarii usi sunt compendio scripturæ: ex cujus compendii signo, vel non satis agnito, vel ignorato, natum est illud *quælibet*, et alibi *quemlibet*. Hinc et apud alios auctores harum vocum confusio in varia dimanavit exemplaria. *Quamlibet* vero ponitur pro quamvis, sive quantumvis. Quinctil. in Præfat. ad lib. VI. Instit. Orat. 'In dicendo, quamlibet abundans rerum copia, cumulum tantum habeat,' &c. XII. 5. 'Quamlibet imbecilla frons magna conscientia sustinetur.' Ubi etiam nonnullæ editiones habent *quælibet*. Idem Declam. V. 4. 'Fingite quamlibet divitem, quamlibet pauperem patrem; nemo unquam plus pro liberis dedit, quam qui sibi nihil reliquit.' Ipse Plinius noster infra LXX. 5. 'Adhuc autem quamlibet sincera rectaque ingenia, etsi non detorquebat, hebetabat tamen, misera, sed vera reputatio,' &c. Epist. II. 14. 'Hoc pretio quamlibet numerosa subsellia implentur.' Epist. X. 97. 'An, quamlibet teneri, nihil a robustioribus differant?' *Idem.*

Decrescant] I. e. decrescere et minui videantur, sive existimentur. Sic Statius Silv. II. 1. 127. 'Visæ puero decrescere vestes.' Similiter Virg. Æn. III. 73. 'Provehimur portu, terræque urbesque recedunt.' Scilicet ita navigantibus videtur, quasi terra urbesque recedant. Ovid. Met. II. 466. 'Ubi terra recessit Longius, atque oculi nequeunt cognoscere vultus.' Gesnerus, in epistola de sua Plinii editione, suspicatur in hoc Plinii loco legendum, pro *decrescant*, *decrescunt*, priusque *ut* similitudinis tantum et comparationis particulam esse. Cujusmodi suspicio jam Christoph. Behrio in mentem venit, qui locum hunc sic refingendum putavit, *Accidit quidem*, sicut *corpora*, *quamlibet ardua et excelsa*, *procerioribus admota*, decrescunt; ut item *altissimæ civium dignitates*, *&c.* Equidem aliquando alibi in comparatione recte adhibetur *ut*, cui respondeat *item;* v. g. apud Cic.

Acad. Quæst. IV. 22. 'Ut ii, qui sub nube solem non ferunt; item ille, cum æstuaret, ut Mænianorum, sic Academicorum, umbram secutus est.' Verum, in hoc Plinii loco durinsculum videtur, si post verbum *accidit*, simplex particula *ut*, non pro conjunctiva, sed pro comparativa, accipiatur. Et quidni tunc Plinius, ad evitandam ambiguitatem, pro *ut*, posuisset *sicut*, vel *quemadmodum*, vel aliam hujus generis particulam? Quales vero particulæ in nullo libro observantur. Deinde, nec necesse est, contra consensum omnium librorum de quadam hujus loci emendatione cogitare: propterea, quod comparatio etiam sine duplici particula comparativa fieri potest. Similem loquendi formam in simili argumento supra VIII. 1. animadvertimus: 'Est hæc natura sideribus, ut parva et exilia validiorum sidus obscuret: similiter imperatoris adventu legatorum dignitas inumbratur.' Vides, etiam hic, *ut*, tanquam conjunctionem, præcedere comparationem; et tantum sequi unicam particulam comparativam, 'similiter,' pro qua Plinius hoc in loco eadem notione posuit *item*. Idem.

Tantum etiam] Quatuordecim editiones, quas contuli, habent *tanto etiam*. At *tantum etiam* exhibent omnes codices Mss. et in libris impressis, Puteolanus, Beroaldus, Aldus, Cuspinianus, Rhenanus, Philomusus, Junta, Gryphius an. 1542. Navius, R. Stephanus, Livineius, Sichardus, ac nunc Arntzenius, et Gesnerus: nisi quod in meo codice, pro *tantum etiam*, scriptum est *tantum et*; et in codice Salisburgensi particula *etiam*, sive *et*, prorsus omissa est. Sic vero *quanto* et *tantum* etiam alibi componuntur; v. g. apud Liv. VI. 38. 'Quanto jure potentior intercessio erat, tantum vincebatur favore legum ipsarum.' Et apud Tacit. Annal. II. 24. 'Quanto violentior cetero mari Oceanus, et truculentia cœli præstat Germania; tantum illa clades novitate et magnitudine excessit.' Dixit vero Plinius, istos consules tertio factos, et collegas consulatus a Trajano adscitos, a sua magnitudine videri descendisse; ut ostenderet, semper salvam mansisse majestatem Trajani, etsi privatos istos per ejusmodi honores delatos sibi æquare voluerit; quoniam Trajano comparati nihilo minus apparuerint inferiores. *Idem.*

Tantum etiam] *Tanto etiam* C. G. *Livin.*

Cum velles] Ter consules tecum faciendo. *Lips.*

In edito collocasti] I. e. in alterum dignitatum gradum provexisti. In codice Salisburgensi a prima manu scriptum erat *in edicto collocasti;* quod vero mendum ab alia manu emendatum est. Annotavit Arntzenius, etiam a Gryphio, pro *edito*, editum esse *edicto;* sed in utraque editione Gryphiana, qua utor, æque ac in Cratandri et Sichardi exemplaribus, evidenter expressum est, *in edito loco collocasti;* ubi saltem notanda est illa accessio nominis *loco*. Jam quidem nemo negaverit, hoc adjectivum 'editum,' ex participio factum, haud raro cum nominibus substantivis conjungi solere; ut apud Cic. Verr. IV. 48. 'Est loco præcelso atque edito; quo in summo est æquata agri planities.' Et apud Nepot. Dione, c. 10. 'Cum se Dion domi teneret, atque in conclavi edito recubuisset,' &c. Sed quis nescit, talia adjectiva, cum in singulari, tum in plurali, inprimis in genere neutro, non raro etiam substantivorum naturam induere, et absolute poni. Sueton. Aug. cap. 72. 'Erat locus in edito singularis.' Tacit. Annal. XV. 38. 'Impetu pervagatum incendium, plana primum, deinde in edita adsurgens, et rursum inferiora populando,' &c. Ipse Plinius noster, Epist. V. 6. 'Æstiva cryptoporticus in edito posita.' *Schwarz.*

Super ceteros] In codice Guelphico,

et meo, item in editione Rob. Stephani, pro *super*, legitur *supra*. Nihil quidem refert, utra harum præpositionum admittatur, cum potissimum compendiosa scribendi ratio promiscuum fere earum usum introduxerit: retineo tamen *super*, quod in reliquis libris vulgatum deprehendi. *Idem.*

Ceteros] Quanta tu majestate eos, tanta illi dignitate superant ceteros. *Bern.*

Si unius] Hæ voculæ in tribus codicibus Mss. vitiose sunt scriptæ. In meo, *Sed unius;* in Salisburgensi, *Si uni;* in Veneto 1. *Si unus*. Sed sana est vulgaris lectio. Argumentatur Plinius a minori ad majus: Si unicum duntaxat tertio consulem in eundem annum consulatu condecorasses, et tibi in tuo tertio consulatu adjunxisses collegam; jam magni animi specimen dedisse existimandus esses: quid, quod duos tertio consules uno in anno collegas adscivisti? Interjecta verba, usque ad hæc, 'qui capienti dedit,' Plinius quasi per παρένθεσιν dixit. Cur vero ingentis animi specimen habebatur, si princeps ex privatis sibi collegam adsumeret, et quidem in consulatu paris numeri? Quia nempe, prout Salmasius ad Spartian. in Hadriano, cap. 8. ostendit, de fastigio suo descendere quodammodo existimabatur imperator, et in æquum venire cum privatis, dum eum honorem non solus, sed cum altero, gereret. *Schwarz.*

Eundem in annum] Non etiam menses, quod fecisti. *Lips.*

Quantum velis] Quod principi evenit: qui Jupiter alter in terris. Seneca in persona ejus: 'Qualem quisque sortem statumque habeat, in mea manu positum est: quid cuique mortalium Fortuna datum velit, meo ore pronunciat.' *Idem.*

Præmium cepit] Equidem alias, 'capere' magistratum, honores, pecunias, fructum, et similia, sæpe simpliciter, et sine respectu dignitatis vel capacitatis, dicitur pro accipere, consequi, impetrare. Sic Sueton. Ner. cap. 44. 'A delatoribus revocanda præmia, quæcunque cepissent.' Ovid. ex Ponto III. 3. 43. 'Præmia nec Chiron ab Achilli talia cepit.' Sed hoc loco Lipsius verbum *cepit* interpretatur, 'capax præmii et dignus fuit.' Etiam Baudius: '*Cepit*, i. e. capax fuit; nam simpliciter nemo, tanquam magnus memorandusque, laudandus ob honores acceptos; quia sæpe gratia æquitatem, ambitio virtutem, vincit.' Adde his, Plinium jam non dixisse, laudandum et illum, qui tertium consulatum acceperit; sed, qui meruerit: cur jam eum magnum memorandumque appellet, qui non nisi acceperit consulatum tertium? Verisimillimum igitur est, in verbo *cepit* majorem ἔμφασιν latere. 'Capere' ergo 'præmium,' hoc loco notat, dignum et idoneum esse ad accipiendum præmium, alicujus beneficia et præmia sustinere posse, iisque parem esse. Cujus notionis exempla quædam jam supra, ad XLVI. 5. annotavi. Similiter et Cic. Fam. II. 6. distinguere videtur inter 'accipere' et 'capere.' 'Neque enim sum veritus,' inquit, 'ne sustinere tua in me vel innumerabilia beneficia non possem; cum præsertim confiderem, nullam esse gratiam, quam non vel capere animus meus accipiendo, vel remunerando cumulandoque illustrare posset.' Hoc est, ex Manutii interpretatione: Non ita angusto animo sum, ut vel amplissimam gratiam capere non possim, &c. Quinctil. Declam. 381. 'Non est humilis pectoris, libertatem publicam capere.' Ubi Burmannus: I. e. sentire et intelligere, quanti pretii libertas sit. Seneca Hercul. Fur. vs. 412. 'Hoc ipsum placet, Animo ruinas quod capis magno tuas.' Vide Heinsium ad Ovid. Remed. vs. 392. Equidem Berneggerus, a Lipsii explicatione abiens, addidit: Malim hic in-

terpretari 'accepit:' nam opponuntur hoc loco 'capere' et 'dare.' Verum dici potest, 'præmia dari' non iis tantum, qui ea simpliciter, et quocunque animo accipiunt, sed etiam iis qui præmiis pares sunt, et tanquam digni gratique ea capiunt. Sequor ergo cum Arntzenio interpretationem Lipsianam; præsertim, cum, quo argutior sensus verborum, eo convenientior stilo Pliniano esse videatur. Quæ cum ita sint, nihili facienda est varietas codicis Guelpherbytani, ubi pro *cepit*, legitur *recepit;* et editionis Gedanensis, ubi pro *capienti*, expressum est *accipienti*. Schwarz.

Duos pariter] Æquo temporis spatio, duobus nempe, aut circiter mensibus. Sic intelligo: Nam aliquando imperatores consulatum inibant cum collega Calendis Januariis: inde autem Calendis Martiis magistratu cedebant, alterumque in locum suum intrudebant. Trajanus vero tertii sui consulatus duos primos menses gessit cum Frontone; duos sequentes alios, aut circiter, cum alio. Sic factus est pariter et ex æquo collega duobus; sed non singulis per sex menses, ut criticis aliis visum est; nam eodem anno consules fuere etiam Plinius et Tertullus, itemque alii. *Patarol.*

Duos collegas] Vexatus hic locus. Primum Lipsius, in commentario suo, tradidit, pro vocabulo *collegas*, melius, aut certe apertius, rescribi posse *collegii*, hunc in modum: *Quid? quod duos pariter tertio consulatu collegii tui sanctitate decorasti.* Hanc Lipsii conjecturam Panegyrico Plinii deinceps intulere Berneggerus, Hackius, Kirchmaierus, Gottschlingius, Weinrichius; sed non inferre ausus erat ipse Lipsius. *Collegas* enim unanimi omnium codicum Mss. ceterorumque librorum excusorum consensu confirmatur. Adhæc, 'collegium' proprie notat cœtum collegarum; quæ notio huc non quadrat. Et dubitabam antea, an etiam pro officio collegæ, et societate muneris, dicatur; sed ostendit Gesnerus locum ex Tacito Annal. III. 31. 'Sequitur Tiberii quartus, Drusi secundus consulatus, patris atque filii collegio insignis.' Verum non ostendere potuit antiquum codicem Panegyrici Pliniani, a quo Lipsii conjectura comprobetur. Livineius aliam iniit viam, dum hæc commentatus est: 'Dubius ac suspectus locus, et quem non concoquam. Arbitror germanum. *Quid? quod duos pariter, duos collegas,* [habet, nescio quam vim ac venustatem, repetitio, *duos*,] *tertii consulatus tui sanctitate decorasti.*' Equidem repetitio vocabuli *duos*, quam ex suo vetere codice Ms. protulit Livineius, confirmatur utique a pluribus codicibus, nempe a Vaticanis, Parisiensi, Veneto 2. Guelpherbytano, meo, et libro Vossiano; in quibus omnibus, (adeoque et in accuratissimis excerptis meis codicis Guelpherbytani, et libri Vossiani, ut Arntzenius nullam de his dubitandi caussam habeat,) hæc verba sic exarata legimus, *Quid? quod duos pariter tertio consulatu, duos collegas, tui sanctitate decorasti.* Unicus codex Venetus 1. vocem *duos* non repetit; at unicus codex Salisburgensis pro *tertio consulatu,* habet *tertio consules*, hunc in modum, *Quid? quod duos pariter tertio consules, duos collegas, tui sanctitate decorasti.* Maxima difficultas est, quid de ista loquendi formula, *tui sanctitate,* faciamus. Ratio enim ἀναλογίας grammaticæ postulare videtur, ut dicatur *tua sanctitate.* Num putemus, istam loquendi rationem a vulgari quidem linguæ Latinæ usu, non tamen prorsus a Plinii stilo, videri alienam; cum idem Plinius, exempli caussa, in hoc Panegyrico, LXXVI. 1. dicat, 'triduum totum senatus, sub exemplo tui, [pro, 'exemplo tuo,'] sedit.' Et Epist. X. 29. 'qui ad eosdem mei loco mittereris.' An existimemus, Plinium saltem ἐλλειπτικῶς hic loqui; nempe ut ex proximis ver-

bis, *tertio consulatu*, fingantur, animoque repetantur, *tertii consulatus tui sanctitate*, quæ ἔλλειψις paullo durior mihi videtur, cum prorsus mihi persuasum habeam, priora verba, *tertio consulatu*, occasionem dedisse, ut posteriora, *tertii consulatus*, fuerint prætermissa. Hæc si adsciscas, omnia plana et facilia evadent. Adscivi ea interim, sed non sine signis criticis, ut, quoad aliunde stabiliantur, ea quisque pro lubitu præterire possit. Sensus adeo horum verborum, ut bene vidit. Arntzenius, hic foret: Quid? quod duos senatores pariter tertio consulatu honorasti, sive duos tertio consules fecisti, cum ipse ter consul esses; immo hos duos collegas adscivisti, et sanctitate tertii consulatus tui condecorasti, splendidioresque reddidisti. Scilicet, jam honorificum iis erat, quos Cæsar tertii consulatus honore ornaret, et numero consulatuum sibi exæquaret, cum ipse tertium consul esset; at multo honorificentius splendidiusque erat, cum eosdem collegas sibi adsciscaret, et tertii consulatus sui consortio et sanctitate dignaretur. Multo autem dignius graviusque est nomen *sanctitate*, quam ut pro eo recipere velimus *societate*, quod in libro Vossiano annotatum est, et quod forte natum est ex compendiosa scriptura vocabuli *scitate*, quæ in Catanæi editione Mediolanensi an. 1506. et Veneta an. 1510. occurrit. *Schwarz.*

Consulatu duos collegas] *Consulatu collegas* Livin. in textu; sed in margine, *Consulatu duos collegas* V. *Livin.*

Extendendi consulatus tui] Pro more illorum temporum, ut jam supra dixi, consulatus plerumque tantum bimestres erant; adeo et Trajanus imperator, cum A. C. 100. Calendis Januariis iniisset consulatum tertium, nihil præter morem fecisset, si, finito mense Februario, eum deposuisset; sed, ut non unum duntaxat ex privatis, nempe Frontonem, mense Januario et Februario; sed alterum etiam, ut puto, Acutium Nervam, collegii sui honore condecoraret, utrosque, alterum quidem post alterum, adscivit sibi collegas consulatus, quos prius designaverat nuncupaveratque tertio consules. Quod exemplum Trajani fere imitatus est ejus successor, Hadrianus, nisi quod hic plures tertio secundoque consules fecisse dicatur. Hic enim, referente Spartiano, c. 8. 'Tertio consules, cum ipse ter fuisset, plurimos fecit; infinitos autem secundi consulatus honore cumulavit. Ipsum autem tertium consulatum, et quatuor mensibus tantum egit, et in eo sæpe jus dixit.' Omnino summus honor erat, consulatum cum principe gerere, et principis collegam esse: cum, quod Salmasius ad Spartian. in Hadriano, c. 8. observavit, tunc de fastigio suo descendere quodammodo existimaretur imperator, et in æquum venire cum privatis, dum eum honorem non solus, sed cum altero, gereret. Cum enim, teste Sueton. c. 37. Octavianus Augustus exigeret, ut, quoties consulatus sibi daretur, binos pro singulis collegas haberet, non obtinuit, reclamantibus cunctis, 'satis majestatem ejus imminui, quod honorem eum non solus, sed cum altero, gereret.' Hinc factum, ut omnes post Diocletianum principes hunc honorem cum privatis communicare desierint, usque ad Julianum, qui, vetere more restituto, referente Ammiano l. XXIII. 'jam ter consule adscito in collegium trabeæ Sallustio, præfecto per Gallias, quater ipse amplissimum inierat magistratum, ut videretur novum, adjunctum esse Augusto privatum; quod, post Diocletianum et Aristobulum, nullus meminerat gestum.' Id adhuc addo, in codice Guelpherbytano legi *excedendi*, pro *extendendi*. *Schwarz.*

Extendendi] Ecce, pro more, post duos menses debuisset cedere consulatu Trajanus: nunc non fecit; sed

gessit consulatum et produxit in Kal. Maias, atque ita collegam habuit, in Frontonis abeuntis locum, Pompeium Collegam. *Lips.*

Extendendi] Ultra duos menses, ut fieri solebat. *Patarol.*

Collegamque te non uni daret] Ante observationes meas primum editas, omnes libri typis excusi locum hunc sic mancum retulerunt, *et collegam te uni daret.* Mire igitur in hoc explicando laborarunt interpretes. Hearne in notis scripsit: 'Sensus exigere non videtur, nisi forsan explicetur *uni*, id est, eodem tempore.' Lipsius in commentario suo, ex officina Plantiniana prodito, ita interpretatus est vulgarem lectionem: 'Jam nunc daret uni, in te: nempe Frontoni; alteri daturus, cum is abiisset.' Sed vide, quam obscure, quamque contorte! Unde posteriore tempore rectius rescripsit, 'Immo, *non uni*, si quid ego video.' Eam igitur lectionem, quam in contextu publicavi, omnino requirit sententiæ constituendæ necessitas. Quomodo enim rationi convenienter dici potuisset, consulatum tertium Trajani, qui in plures menses extensus, duorumque collegarum consulatus complexus fuit, ipsum hunc imperatorem *uni* saltem consuli dedisse collegam? Certe Trajanus, prout supra ostendi, in tertio consulatu suo, per duos priores menses, collegam habuit M. Julium Frontonem, et per duos posteriores menses, ut nunc opinor, Acutium Nervam, utrumque pariter tertio consulem, quamquam alterum duntaxat suffectum. Deinde restituendæ veræ lectioni viam aperiunt muniuntque codices Mss. Eam ipsam, quam dedi, lectionem jam Livineius in ora editionis suæ ex vetere codice annotavit, *collegamque te non uni daret.* Præterea ex iis codicibus, quos mihi conferre licuit, Vaticani, Venetus 1. Guelpherbytanus, meus, et liber Vossianus, habent *et collegam, qui te non uni daret.* Venetus 2. *et collegamque te non uni daret.* Paullo aliter, neque male Salisburgensis, *ut collegam te non uni dares.* Omnes hi codices conspirant in particulam *non* contextui vindicandam. In quibus vero vox *qui* perperam posita est, ii ipsi codices non obscure ostendunt, pro hac reponendam esse particulam copulandi *que;* quæ particula evidenter exprimitur in codice Livineii, in Veneto 2. et in Parisiensi; in quo ultimo, particula copulandi *et* bene, sed perperam particula negandi *non*, est omissa, *collegamque te uni daret.* Particula vero *et*, quæ, ob male scriptum *qui*, irrepserat, rursus est removenda. Sic ad ductum plurimorum codicum Mss. locum hunc integritati suæ restitutum videmus. *Schwarz.*

Collegamque te] *Et collegam te;* sed, *collegamque te* V. *Livin.*

Te non uni daret] *Te uni daret* Livin. in textu; sed in margine, *Te non uni daret* V.

Consulatum alterum] Suffecti alter ex Cal. Juliis cum Fabio Postumo; alter ex Cal. Novembribus cum Vettio Proculo, A. U. C. 849. *Livin.*

Quanto minus] Parum sane; ideo maximum in eosdem beneficium; nam consulatum dedit iis, quibus paullo ante et ejusdem pater, Nerva, dederat; ipsique accepti consulatus videbantur pæne debitores esse Trajano filio, ac Nervæ patri. Sic hujus loci sententiam interpretor, invito Catanæo. *Patarol.*

Quanto minus, quam a te, datum] Sensum hujus formulæ minus assecutus est Berneggerus, dummodo Berneggero, ac non potius Frischmanno, istæ annotatiunculæ sint adscribendæ, quando eam ita interpretatur: 'Quanto Nerva (encomiastice loquitur) minor Trajano, tanto minoris dignitatis consulatus, quem acceperant a Nerva, eo, quem a Trajano.' Sed hæc interpretatio transumta videtur a Catanæo, qui similia commen-

tatus est: 'Dicit Secundus,' inquit, 'horum consulatum fuisse minoris dignitatis, quem accepissent a Nerva, quam tertium, quem accepissent a Trajano, qui major erat patre Nerva.' Etsi vero Plinius infra, LXXXIX. 1. per προσωποποιΐαν allocutus Nervam dixit, 'Quam lætum tibi, quod comparatus filio tuo vinceris!' attamen tunc non negat Plinius, æque magni æstimata fuisse Nervæ ac Trajani beneficia. Et quis credat, Trajanum æquis auribus audire potuisse istam nimiam, et tantum non in Nervam contumeliosam extenuationem, quam hi interpretes affingunt Plinio? *Quanto minus, quam*, ponitur pro, *quantulo minus, quam;* atque extra interrogationem et exclamationem idem est, quod, 'fere perinde, quam a te ipso datum;' sive, 'parum abest, quin consulatus ille a te ipso datus videatur.' Nimirum Plinius, ut exaggeraret illud beneficium, quod Trajanus Julio Frontoni, et Acutio Nervæ, duobus tertium consulibus, præstiterat, quippe quos in tertio consulatu suo, alterum quidem post alterum, sibi adsciverat collegas; commemorat, hos utrosque nuper consulatum secundum gessisse a patre Nerva ipsis delatum; atque hoc idem propemodum esse, ac si ab ipso quoque Trajano illum alterum consulatum acceperint: quia nempe filius, Trajanus, jure meritoque in partem ac societatem laudis paternæ veniat; et quia Trajanus tunc collega imperatoris, atque jam ipse imperator consulque fuerit, ut adeo ab utriusque imperatoris et consulis ordinarii voluntate ac consensu illud ipsum beneficium pependerit. Vestigia similis formulæ etiam alibi animadvertimus; v. g. Quinctil. Declam. XII. 18. 'Pæne a conspectu vela conversa sunt; quantulo minus, quam congesti frumenti pulverem vidimus?' Elegans, inquit Burmannus, elocutio, pro, 'quam fere vidimus? Aliquid, sed paullum defuit, ne plane videremus.' Ita nempe extra interrogationem etiam 'paullo minus' usurpatur a Suet. Tib. c. 26. 'Civilem admodum inter initia, ac paullo minus, quam privatum, egit.' Etiam a Petronio, cap. 107. 'Qui ignotos lædit, latro appellatur; qui amicos, paullo minus quam parricida.' Si velis hæc per interrogationem eloqui, dixeris cum Plinio, 'Qui ignotos lædit, latro appellatur; qui amicos, quanto minus, quam parricida?' *Schwarz.*

Lictorum] Ad insignia consulum pertinebant etiam lictores, quorum, tanquam apparitorum, præcipua munia erant, fasces præferre consuli, et submovere, atque monere, obvios, ut locum facerent, debitumque honorem testarentur consuli incedenti: de quibus jam supra, ad XXIII. non nihil egi. Ab initio quidem uterque consul duodecim fasces etiam in urbe habebat; sed deinde ex lege Valerii Poplicolæ fasces duntaxat penes unum consulem, idque alternis mensibus, fuerunt, teste Val. Max. IV. 1. ex. 1. Ante alterum autem consulem accensus, sive apparitor quidam publicus, ibat; ceteri lictores pone cum virgis et bacillis sequebantur. Suet. Jul. c. 20. 'Antiquum etiam retulit morem, ut, quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, lictores pone sequerentur.' Per legem ejusdem Valerii Poplicolæ, consulibus sine securibus fasces in urbe præferebantur, ne nimis terribiles viderentur; quibus vero extra urbem et in militaribus expeditionibus omnino utebantur. Vide Liv. XXIV. 9. *Idem.*

Lictorum] Jubentium animadverti; id enim proprium est et solenne verbum. Sueton. Cæs. c. 80. 'Cum lictor ex more animadverti jussisset.' *Livin.* *Solennis ille clamor*, scil. quo plebem submovebant. *Rittersh.*

Prænuntius clamor] Quo significant, consules venire, darent locum. Clamor erat, 'Animadverte!' Supra,

XXIII. 3. 'silentes quietosque lictores' dixit. *Lips.*

Clamor] Clamabant lictores, 'animadverte!' *Patarol.*

Rursusque purpura] Denotatur prætexta consularis, quæ hic συνεκδοχικῶς vocatur *purpura*; non, quasi consularis toga tota fuerit purpurea; sed quod prætexeretur purpura: quantum enim constat, ea nihil habuit purpureum, præter limbum, quæ oram vestis ambiit. Hinc et Græce dicta est περιπόρφυρος Plutarch. in Vita Romuli, p. 33. Omittit orator per ἔλλειψιν verbum 'conceditur,' sive 'data est,' aut 'fulget,' aut simile, ut quasi festinationem exprimat consulatus repetiti. Ovid. verba addit, Fast. I. 81. 'Jamque novi præeunt fasces; nova purpura fulget; Et nova conspicuum pondera sentit ebur.' Fortasse vero huc retrahi potest verbum sequens, *reddebantur*. Schwarz.

Expertum honoribus virum] H. e. cognitum spectatumque, et in honoribus administrandis bene versatum. Tacit. Agric. c. 41. 'Cum omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola, comparantibus cunctis vigorem, constantiam, et expertum bellis animum, cum inertia et formidine eorum.' Idem Hist. IV. 42. 'Ignotum adhuc ingenium, et nullis defensionibus expertum.' Sic vero, Q. Fabius Maximus, ex metu gravioris belli, A. U. C. 459. cum tertio ante anno consulatum quartum gessisset, etiam contra leges denuo creatus est consul. Quod refert Liv. X. 13. 'Cum comitia consularia instarent, fama exorta, Etruscos Samnitesque ingentes conscribere exercitus; . . . . . hic terror, cum illustres viri consulatum peterent, omnes in Q. Fab. Maximum, primo non petentem, deinde, ut inclinata studia vidit, etiam recusantem, convertit... Legem recitari jussit, qua intra decem annos eundem consulem refici non liceret. Vix præ strepitu audita lex est: tribuni plebis, nihil id impedimenti futurum aiebant; se ad populum laturos, ut legibus solveretur.' Simile exemplum invenimus in vita C. Marii, qui inprimis propter bellum Cimbricum, per aliquot annos, ex populi Romani voluntate, consulatum continuavit; cum A. U. C. 646. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 667. consul fuerit; immo secundum et tertium consulatum absens susceperit; quod per leges fieri non potuisset, nisi in periculo publico, summaque necessitate, legibus solutus fuisset, teste Plutarcho, in Mario, p. 412. Quæ vero leges imperatorum temporibus non amplius stricte observatæ sunt. Ceterum, pro sequente verbo *posceret*, Livineius edidit *nosceret*, et in codice Parisiensi scriptum est *posceret*. Idem.

Virum posceret] *Virum nosceret* Livin. in textu; sed in margine, *Virum posceret* V. C. G. R. Probat et Rittersh.

Virum] Ut Fabium Maximum multoties consulem. *Bern.*

Non consulatus] Sic in omni munere deberet, non illud hominibus, sed homines ipsi dari; id est, non ut ii per officium auctiores, sed ut illi prospectum cautumque per ipsos. Simili sententia Seneca scripsit Consol. ad Helviam, c. 13. 'Quis M. Catonis ignominiam putet fuisse, duplicem in petitione præturæ et consulatus repulsam? ignominia illa præturæ et consulatus fuit, quibus ex Catone honor habebatur.' *Lips.*

Non consulatus hominibus] I. e. non tam consulatus iisdem hominibus reddebantur, ut hi inde honoratiores existerent; quam homines iidem reddebantur, et denuo præficiebantur, consulatibus, ut ex dignitate et meritis eorundem hominum major honor splendorque accederet consulatibus, salutique publicæ prospiceretur. Huc jam Lipsius, Baudius, et alii,

similis figuræ exempla retulerunt; v. g. Val. Max. VII. 5. 6. 'M. Porcius Cato, plus moribus suis præturæ decoris adjecturus, quam prætextæ ejus splendoris ipse laturus, consequi illam a populo aliquando non potuit. ... Ergo, si vere æstimare volumus, non Catoni tunc prætura, sed præturæ Cato, negatus.' Ex Senecæ Consolatione ad Helviam, c. 13. 'Quis M. Catonis ignominiam putet fuisse, duplicem in petitione præturæ et consulatus repulsam? Ignominia illa præturæ et consulatus fuit, quibus ex Catone honor habebatur.' *Schwarz.*

Consulatibus] *Consularibus* edit. Rhenan. sed *consulatibus*. Faber.

Ut indulgentia tua necessitates æmuletur] I. e. tanta tua est benignitas, ut, ex mera humanitate et indulgentia, solito citius denuo concedas consulatum iisdem viris optime meritis; quod olim in republica libera tantum in summo necessitatis casu contigit, ut, contra morem et leges, consulatus citius repeterentur. Antehac in omnibus libris excusis legebatur *ut indulgentiam tuam necessitas æmuletur.* Dudum dubitavi de veritate hujus lectionis; dubitaverat et Baudius: 'Non enim,' inquit, 'potuerunt veteres illi præsagire, quid Trajanus facturus esset; sed hæc mens est Plinii: quod olim necessitas suadebat fieri, hoc voluntate et judicio facis, quod longe laudabilius.' Equidem in tribus codicibus Mss. nempe Vaticano 3461. Guelpherbytano, et meo, prorsus omissa sunt illa novem vocabula, *Tanta tibi ... æmuletur;* quoniam syllabatur ex verbis *reddebantur* et *æmuletur*, in initio duorum versuum posita, forte occasionem dederat, ut oculi oscitantis librarii aberrantes priorem versum præterierint: cujusmodi erroris jam plura annotavi exempla. At reliqui codices, scilicet Vaticani 1775. 1776. et 1475. item Parisiensis, et uterque Venetus, omnino accedunt conjecturæ Baudianæ, eamque lectionem, quam ego primus promulgavi, exhibent. In codice Salisburgensi autem a prima manu scriptum erat, *ut indigentia tua necessitates æmuletur;* qui error deinceps in ora codicis correctus est, 'al. *indulgentia*.' Non igitur non potui amplecti tam eximiam emendationem; quam tot codices suggerunt, et quæ rationi, sensuique Plinianæ orationis, est accommodatissima. Assecuti quidem non nulli interpretes ex vulgari lectione videntur veram hujus loci sententiam; verum magis e re ipsa, quam ex verborum natura. Quomodo enim priscorum temporum necessitas potuisset imitari et æmulari benignitatem Trajani? Nihilo minus Arntzenius vulgarem lectionem retinendam censuit; fortasse, quia tunc ceteris subsidiis adhuc destitutus hanc novam lectionem ex solo codice Parisiensi produxeram; quæ vero nunc plurium codicum Mss. auctoritate confirmatur. 'Ego,' inquit, 'non video, quid sic magnopere in principe suo laudet orator. Quod præcedat *vis*, videtur aliquid majus velle indicare, ut necessitas quasi exempla sibi proposuerit tam perfectam reipublicæ constituendæ formam, qualem postea sola indulgentia et benignitate assecutus fuit Trajanus. Ita panegyricum laudandi genus hic invenio.' Ex adverso autem Gesnerus hanc nostram emendationem omnino dignam habuit, quam reciperet; idemque in epistola de sua Plinii editione, ad eam tuendam, hæc annotavit: 'Si vera est illa vulgaris lectio, æmulata est necessitas illud, quod nondum fuit. Nonne vero indulgentiæ est, ea ultro dare, quæ alias sola extorqueat necessitas? Necessitas non imitatur, non circumspicit, exempla; sed ruit, rumpit, frangit, sine lege, sine more modoque, omnia.' *Schwarz.*

Necessitas] Quod olim præstabatur ex necessitate, tu modo ex indulgentia præstas. *Patarol.*

Necessitates] *Necessitas.* Quæ necessitas olim erat, et jubebat consules sæpe eosdem creari, rerum expertos; at nunc ea nulla est, sola benignitas tua hoc facit et inducit. *Lips.*

Æmuletur] Imitetur: non, quod illi prisci potuerint scire, quid Trajanus facturus, minus imitari; sed dictum voluit, Quod tua benignitas faciat, hoc idem apud alios necessitas non tam imitatur, quam paria usurpat. *Idem.*

Modo] Beroaldus mendose edidit *Non.* Particula *modo* non valet, quod 'nunc,' sive 'in præsenti,' sed 'paullo ante.' Cic. Verr. IX. 3. 'Quid dico, nuper? Immo vero, modo, ac plane paullo ante vidimus.' Alibi vero Cic. pro Murena, c. 41. 'modo,' et 'nunc,' sibi invicem opponit: 'Mater misera, modo consulem osculata filium suum, nunc cruciatur, et sollicita est.' Interim Plinius, arte oratoria usus, quasi de re præsenti hic loquitur, *modo prætextas exuerant, resumant;* ubi rei gestæ convenienter pro *resumant*, dicere debuisset *resumserant;* quia hi consules, de quibus sermo est, jam ante non solum *resumserant*, sed etiam *exuerant*, prætextas consulares. *Schwarz.*

Revocent] Hoc verbum, una cum quinque proximis sequentibus, desideratur in codice Guelpherbytano. Nempe propter syllabam *rant*, ex duobus verbis, *jusserant* et *recesserunt*, fortasse oculi librarii verba interjecta transiluerunt. *Idem.*

Homininae istud ingenium] Rursus nimius est Plinius in hac re exaggeranda; quasi opus omnibus viribus humanis majus fuerit, ab imperatore binis viris bene meritis suffecticium consulatum, post alterum annum, denuo in paucos menses concedi. Prope abest, quin subscribam Christophoro Behrio, censenti, Plinium videri in his argutiis pæne deseruisse gravitatem Romanam. *Idem.*

Homininae] An alicujus Dei? *Lips.*

Redintegrare lætitiam] *Reintegrare lætitiam* V. C. *Livin.*

Gratulationibus] *Gratulationis* Livin. in textu; sed in margine, 'Forte, *Gratulationibus*;' quod et probat Ritt.

Gratulationibus dare] Vulgo alias legebatur *gratulationis;* non quidem prorsus male: sed melius scriptum est *gratulationibus* in codicibus Mss. Vaticanis, Parisiensi, utroque Veneto, Salisburgensi, Guelpherbytano, et meo. Jam Livineius in margine editionis suæ conjecerat, ita forte legendum esse; atque hanc ipsam lectionem jam evulgavit Gryphius a. 1531. Sichardus, et Quartius; eandemque in margine annotarunt H. Stephanus, Minois, et Rivinus. Præterea, post vocem *nullam*, particula ἐγκλιτικὴ *que*, in codice Vaticano 3461. Guelpherbytano, et meo, omissa est; si quid judicare possum, satis opportune. *Schwarz.*

Nisi dum finiuntur] Etiam hic αὐξήσει utitur Plinius. Minimum enim, post alterum consulatum, quem hi consules acceperant a Nerva, intercesserat unius anni intervallum, cum resumerent prætextam consularem. Adeo recte notavit Lipsius, hæc oratorie dici. *Idem.*

Dum finiuntur] Haud vere omnino: non annus, et ultra, interfuit. Onufrium vide. Sed oratorie hæc dicuntur. *Lips.*

Fortuna lassetur] I. e. nec unquam, in hoc genere gratiæ et beneficii, aut voluntas tua, aut facultas felicitasque, defetiscat et cesset. 'Ut enim,' quod paullo superius dixerat, 'felicitatis est, quantum velis, posse; sic magnitudinis, velle, quantum possis.' In meo codice pro *lassetur*, exaratum est *laxetur*. Putes, hoc verbum hic posse locum habere, si 'laxari,' pro remitti, et languidiorem fieri, dicatur. Quo sensu 'temeritas laxata' dicitur Petronio cap. 82. et cap. 108. 'Nec tamen cujusquam ira laxatur;' i. e.

nec tamen ira languescit et remittitur. Etiam Curtio III. 5. 'laxata vis morbi,' dicitur pro remissa. Magis tamen placet vulgata, et a plurimis etiam codicibus confirmata, lectio; ubi *lassatur* idem est, quod, fatigatur, fatiscit, prope desinit. Sic Terentius utitur nomine adjectivo 'lassus,' in Andr. II. 1. 4. 'Animus . . . lassus, cura confectus, stupet.' Ovid. ex Ponto, IV. 8. 7, 8. 'Impetus iste tuus longum modo duret in ævum, Neve malis pietas sit tua lassa meis;' i. e. modo ista voluntas tua et ardor bene merendi perstet in longum tempus, neque tuus amor lassetur atque defatigetur adversis rebus meis. Quidni enim, ut 'animus,' et 'fortuna,' sic etiam dicantur benefaciendo quasi 'lassari?' Alias Fortuna eodem sensu dicitur 'fatigari;' v. g. apud Quinctil. Declam. 271. 'Fortiorem me faciet et fortuna. Solet fatigari; solet, posteaquam nimium indulsit, in fine deficere.' Sic et Vell. II. 69. 'Neque reperias, quos aut pronior fortuna comitata sit, aut veluti fatigata maturius destituerit, quam Brutum et Cassium.' Nec vero mirum est, librarium codicis mei, pro *lassetur*, scripsisse *laxetur*, cum hic error etiam in aliorum scriptorum libris haud raro occurrat, prout jam observavit Burmannus ad Petron. c. 82. pag. 407. item et Drackenborch. ad Sil. VI. 278. Annotavit præterea Castalio ad Rutilii Iter, I. 371. ubi itidem 'lassatum' et 'laxatum' confusa fuere, confusionem hujusmodi irrepere solitam ex vulgi sermone; vulgus enim Italorum *ss* pro *x* pronuntiare. *Schwarz.*

Et, cum plurimis tertios consulatus] Hæ quinque voces desiderantur in codicibus Mss. nempe Vaticano 3461. Veneto 2. et meo; item et in Salisburgensi; in cujus vero codicis ora ab alia antiqua manu sunt additæ. Huic defectui occasionem dedit vocabulum *consulatus*, quod proxime antecedit; simili errore, cujus jam plura exempla annotavi. In codice autem Guelpherbytano, pro voce *tertios*, scriptum est *ternos*. Optat vero Plinius, ut semper plures viri digni et bene meriti supersint, quibus, propter merita, Trajanus dare debeat consulatus. *Idem.*

CAP. LXII. *Gaudium majus*] Vulgo, pro voce *majus*, editum est *magis;* at in codicibus Mss. Vaticanis, Parisiensi, utroque Veneto, meo, Livineii, et libro Vossiano, præterea in excusis libris Puteolani, Beroaldi, Cuspiniani, atque Rhenani, et nunc etiam Arntzenii, extat *majus*. Potest utralibet lectio consistere: duxi tamen retinendam *majus*, cum propter consensum tot codicum Mss. et antiquiorum editionum, tum, quia pari fere modo Cicero pro Marcell. c. 1. dixit, 'Est vere fortunatus, cujus ex salute non minor pæne ad omnes, quam ad illum ventura sit, lætitia pervenerit.' *Idem.*

Gaudium majus] *Gaudium magis* Livin. in textu; sed in margine, *Gaudium majus* V. C. R.

Et dedisse] Nempe per electionem; quia, quod mox ostendam, senatui tunc competebat quoddam simulacrum juris eligendorum consulum. *Schwarz.*

Publicis sumtibus] Quia per Domitianum exhausto ærario, par non erat iis respublica. Itaque factum hoc statim sub Nerva; de quo Dio: Καὶ πολλὰς μὲν θυσίας, πολλὰς δὲ ἱπποδρομίας, ἄλλας τε τινὰς θέας κατέλυσε, συστέλλων ὡς οἷόν τε δαπανήματα. *Multa sacrificia, multos circenses, atque alia spectacula, dissolvit et sustulit, contrahens quantum poterat impendia publica.* Lips.

Publicis sumtibus minuendis] Factum hoc sub Nerva, teste Dione; ipse etenim valde exhaustum invenit ærarium, propter immodicos Domitiani sumtus. *Patarol.*

Sumtibus minuendis] Nimirum, cum

sub Domitiano, quod jam alii ex Dionis compendio, lib. LXVIII. pag. 770. annotarunt, exhaustum esset ærarium, Nerva imperator multa sacrificia, multos ludos Circenses, atque alia spectacula sustulit, recisis, quantum fieri poterat, sumtibus publicis. Hunc adeo in finem instituit extra ordinem novum magistratum, nempe collegium quinquevirorum publicis sumtibus minuendis; cui collegio senatus optimum et honoratissimum quemque, adeoque, quod ex hoc Plinii loco intelligimus, eos, quos Trajanus postea consulatu tertio condecorarat, nempe, quantum conjectura colligimus, M. Julium Frontonem et Acutium Nervam, primos elegit quinqueviros. Sic etiam Verginius Rufus, quem adulto anno Christi nonagesimo septimo diem supremum obiisse, demonstravit Massonius, cum in novissima valetudine veritus esset, ne forte inter hos quinqueviros, qui judicio senatus constituebantur, collega crearetur, Plinium nostrum, per quem excusaretur, elegit. Id quod ipse Plinius narrat, Epist. II. 1. Alia de his quinqueviris mihi non constant. Alioquin etiam plura quinquevirorum collegia extraordinaria commemorantur; v. g. 'Quinqueviri legibus imperio consulari scribendis,' quos postulaverat tribunus plebis, C. Terentillus Arsa. Liv. III. 9. 'Quinqueviri agro dividundo,' h. e. curatores, qui agros inter plebem dividerent. Liv. VI. 21. quorum meminit etiam Cic. de Lege Agr. II. 7. 'toties legibus agrariis curatores constituti sunt, triumviri, quinqueviri, decemviri.' Et 'de provinciis consularibus,' cap. 17. 'Me Cæsar,' (cum legem tulisset, ut ager Campanus iis, qui tres pluresve liberos haberent, divideretur,) 'ut quinqueviratum acciperem, rogavit.' Adhæc, 'quinqueviri mensarii,' a mensa publica, et dispensatione pecuniæ, appellati, et ad populum ab ære alieno liberandum constituti, penes quos adeo cura rei fœnebris erat. Liv. VII. 21. Præterea, 'quinqueviri muris et turribus reficiendis.' Liv. XXV. 7. Denique 'quinqueviri cis Tiberim et ultra,' qui adjutores essent triumviris capitalibus, et cis Tiberim suæ quisque regionis ædificiis præessent. Liv. XXXIX. 14. et lege 2. § 31. Dig. de Orig. Juris. Ceterum in codice Vaticano 3461. et meo, pro *minuendis*, vitiose scriptum est *muniendis*. In vocibus, *quemque præficeret*, codices Parisiensis, et uterque Venetus, pro *quemque*, habent *quem;* idemque Parisiensis, meus, et Vaticanus 3461. pro *præficeret*, *perficeret;* atque liber Vossianus, *quem præficere statuisset*. Quæ non sunt, nisi menda et lusus librariorum. *Schwarz.*

Et quidem primos] Vulgo legimus *equidem primos*. Sic etiam scriptum est in pluribus codicibus, præter Salisburgensem, qui pro *equidem*, simpliciter habet *quidem;* et præter duos Vatt. 1475. et 1775. in quibus est *et quidem primos*. Eadem lectio primum e conjectura annotata est a Livineio; sed jam evulgata in editionibus Lipsianis, Berneggeriana, Græviana, Behriana, Gesneriana. Scio quidem, largiorque, *equidem* non semper poni pro 'ego quidem,' nec semper conjungi cum verbis primæ personæ; sed identidem etiam simpliciter pro *quidem* usurpari; (vide supra ad c. XXXII. 4.) me tamen ad recipiendam lectionem, in contextu propositam, permovit potissimum, quod nihilo minus Plinio quasi proprium videatur, in Epistolis pariter, et in Panegyrico, particulam *equidem* cum verbis primæ personæ singularis numeri connectere; nisi perpauca loca, eaque ex varia lectione ambigua, excipias. Deinde quod is etiam alibi, ubi concurrunt verba secundæ vel tertiæ personæ, et ubi singularis ἔμφασις exprimenda, libenter distinctis vocibus scribit *et quidem;* v. g. Pa-

neg. II. 6. 'Et populus quidem Romanus delectum principum servat.' v. 2. 'Et quidem inusitato indicio enituit.' LXXXVI. 6. 'Et ille quidem . . . officii gloria fruitur.' Epist. II. 20. 'Et Aurelia quidem vivit.' Epist. VI. 16. 'Tum se quieti dedit, et quievit verissimo quidem somno.' Epist. IX. 23. 'Nosti me, et quidem ex studiis.' Nec fuit, cur Cortius, qui plerumque in hoc genere insolita amavit, vulgatam lectionem hujusmodi locorum solicitare voluerit. Certe etiam Cicero sic divisim dixit 'et quidem' atque 'ac quidem;' v. g. ad Brut. Epist. 6. 'Rogo te, et quidem valde rogo.' Idem Philipp. II. 17. 'Duo millia jugerum ei adsignasti, et quidem immunia.' Et cap. 30. 'At enim adspicis me, et quidem, ut videris, iratus.' De Divin. II. 44. 'In his locis, quæ nos incolimus, post solstitium canicula exoritur, et quidem aliquot diebus.' Attic. II. 19. 'Tantum doleo, ac mirifice quidem.' Denique nemo non sentit, in hoc loco Pliniano, per particulas seorsum scriptas, *et quidem*, majorem vim augendi et amplificandi, quam per unicam particulam *equidem* afferri. *Idem.*

Et quidem primos] *Equidem primos* Livin. in textu; sed in margine, 'forte, *Et quidem primos:*' recte. *Ritterah.*

Hoc est] Talis illa electio, et quod probati senatui. *Lips.*

Hoc est igitur] Nempe, quod hi duo a senatu præter ceteros digni judicati sunt, ut primi eligerentur quinqueviri publicis sumtibus minuendis. *Schwarz.*

Experti sumus] Ex his duabus vocibus male coalitis exstitit mendum *expertissimis*, quo codices Veneti, Parisiensis, et Salisburgensis, inquinati sunt. *Idem.*

Paullo ante] Sub Domitiano. *Patarol.*

Oderat, quos nos amaremus] Scilicet Domitianus, ille 'infensus virtutibus princeps,' Tacit. in Agric. cap. 4. sive alius quisque malus princeps. In utroque codice Veneto, et Guelpherbytano, perperam scriptum est *quos non amaremus*. Et sequentia verba librarius codicis Guelpherbytani, novem vocabulis negligenter prætermissis, sic corrupta exhibet, *Nunc inter primus invicem, quodque maximum amoris mutui signum est, &c.* Ubi vox *primus* ex prima syllaba nominis *principem*, et ex ultima syllaba verbi *credimus*, ab inepto librario conflata videtur. *Schwarz.*

Quos ille] Domitianus, nam mali principes semper senatum oderant, ut 'recti boniqne præceptorem,' et frænum aut obicem consiliis factisque pravis: vicissim autem, et senatus talem. *Lips.*

Maximum amoris] 'Vinculum est, idem velle.' Senec. de Ira III. 34. Sallust. Catil. cap. 20. *Bern.*

Ne noceat] Quomodo favor amorque senatus viris bonis apud principem malum nocere potuerit, docet exemplum Hortensii, qui in senatu a principe Tiberio petierat, ut liberi sui ab inopia defenderentur. Tunc enim, referente Tacito, Annal. II. 38. 'inclinatio,' i. e. propensio et favor, 'senatus incitamentum Tiberio fuit, quo promtius adversaretur.' In proximis verbis, cod. Venetus 1. pro *diligite*, corrupte habet *diligenter*. Schwarz.

Non premendum odium] I. e. non tegendum et dissimulandum odium. Sic Virgilius de Ænea, Æn. I. 209. 'Curisque ingentibus æger Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem;' i. e. retinet dolorem altis sensibus abstrusum. Tacit. Annal. I. 4. 'Multa indicia sævitiæ, quamquam premantur, erumpere.' Idem Annal. XIII. 16. 'Agrippinæ is pavor, ea consternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit.' In codice Vaticano, et meo, pro *premendum*,

legitur *promendum*. Possit quidem qualiscunque sententia inde erui, si inprimis ex Catanæo sequens assumatur varietas, quando pro *ne prosit*, edidit *ut prosit:* pluris tamen facio lectionem vulgatam. Exemplum autem præbet Vibius Serenus, quantum malis delatoribus odium publicum senatus, omniumque bonorum, profuerit apud malum principem, Tiberium; de quo idem Tacit. Annal. IV. 36. 'Fonteius Capito, qui proconsul Asiam curaverat, absolutus est, comperto, ficta in eum crimina per Vibium Serenum: neque tamen id Sereno noxæ fuit, quem odium publicum tutiorem faciebat: nam ut quis adstrictior accusator, velut sacrosanctus erat.' *Idem.*

Non premendum odium, ne prosit] Eis scilicet, quos odimus. Tacitus Annal. IV. 36. 'At Fonteius Capito,' &c. *Grut.*

Ne prosit] Sensus, Non amorem erga bonos jam dissimulemus, ne apertus, illis noceat apud principem; non odium erga malos, ne contra prosit. Nam si aperimus hoc odium et revelamus, eo ipso provehimus, et juvamus; quia princeps malus, quos nos odimus, amat; quos amamus, odit. *Lips.*

Elegeratis] Ad publicos sumtus tolerandos. *Idem.*

Quos vos elegeratis] Lipsius et Baudius existimarunt, Plinium hic non loqui de electione ad consulatum, sed ad quinqueviratum; de quo modo dixi. Verum Plinius hic non dicit, 'quinqueviros,' sed, *tertio consules fecit, quos vos elegeratis.* An, et quæ partes, in creandis consulibus, tunc competierint senatui, posthæc ostendam. Nec est, quod putemus, verbum tamen 'eligere' non pertinere ad solennia verba consulatus. Plinius enim, tanquam orator, eo generatim utitur, uti infra, XCIV. 4. 'Tu filium illi, nobis parentem, tibi pontificem maximum, elegisti.' Et alibi passim. Sic et Mamert. Gratiar. Act. ad Jul. de consulatu suo, cap. 15. 'De omnibus Romani imperii viris primus electus sum, cum honorem meum adoreis militaribus gloriosus collega cumularet.' Quin et ipse Cic. in Somn. Scip. cap. 2. 'Deligere iterum consul absens.' *Schwarz.*

Magnus uterque honor vester] Hanc lectionem jam a Cuspiniano evulgatum probavit Livineius, et secuti sunt Puteanus, Gruterus, Thom. Hearne, Patarol, et nunc etiam Arntzenius et Gesnerus. Eandem confirmat auctoritas decem codicum Mss. literis quidem integre exscriptis. Antehac Puteolanus et Beroaldus hæc minus complete ediderant, *magnus uterque vester.* At, loco pronominis, *vester*, verbum *videtur* prodidere Aldus, Philomusus, et Sichardus. Contra, Rhenanus, Plantinus, Tan. Faber, Berneggerus, Hackius, et Ceva, rescripsere *magnus uterque vestrum.* Denique, Catanæus, Junta, Stephanus, Minoë, Elzevirii, Boxhornius, Kirchmaierus, exhibuere *magnum utrumque videtur.* Lipsius vero suspicatus est, scribi debuisse, *magnus utique honor vester.* Placet illa correctio, dummodo hujus lectionis quædam clariora vestigia superessent. Sic vero et ego supra, ad VIII. 2. pro *uterque*, ostendi rescribendum esse *utique.* Facile autem apparet, istam varietatem, partim ex ingenio editorum, partim ex negligentia librariorum, qui vocabulum *honor* omisere; partim ex compendiosa scribendi ratione, extitisse. Bene enim animadvertit Livineius, in quibusdam codicibus scriptum fuisse *ur*, quemadmodum adhuc sic scriptum extat in codice Veneto 1. quod quidam per verbum *videtur*, alii per pronomen *vester*, interpretati sunt. *Idem.*

Magnus uterque honor vester] *Magnus uterque videtur.* Liquido in V.

exaratum est, *uterque vester*. Diversitas ab exscriptorum compendio est; nam *vr* et *videtur* valet et *vester*. In C. G. vere ac plene editur, *uterque honor vester*. Sermo ad senatum, Frontonem et Pompeium, ter consules. Idque qui opinati errore *uterque vestrum* rescripserunt, quod in R. inveni. Denique Johanni Mariæ Catanæo emendatum, *Magnum utrumque videtur*, non inepte id quidem, si in libris suis *videtur* offendit, sed quod jam nihil sit præ illa palmari. *Livin.*

Magnus uterque honor vester] *Uterque vestrum.* Quasi ad Frontonem, et Collegam; quod non probo, nec sententia satis connexa. Quidam libri, *Magnus uterque honor vester;* ex quibus legam, *utique honor:* ad senatum. Enimvero, inquit, magnus hic honor, quem Cæsar vobis defert; sive et amat, quos vos; sive cum non amat, tamen judicio vel affectui vestro cedit, et honorat, quos ipsi amatis. *Lips.*

Quos scit vobis] In codice Parisiensi, pro verbo *scit*, perperam scriptum est *sit;* at bene pronomen *vobis* in secunda persona; quod in aliquot editionibus in prima persona *nobis* proditum est, maximeque placuit Baudio. At conspirant utique plurimi codices in secundam personam *vobis;* eaque jam a Beroaldo, Cuspiniano, Rhenano, Lipsio, Puteano, Elzeviriis, Patarolo, Arntzenio, et Gesnero, evulgata est, congruitque apprime orationi Plinii; utpote qui in proximis verbis, *vos elegeratis*, jam totum senatum allocutus erat; quam allocutionem in his verbis adhuc continuat. *Schwarz.*

Vobis esse carissimos] *Nobis esse carissimos.* Livin. in textu; sed in margine, *Vobis esse carissimos* V. C. G. R.

Adeant] In salutationibus, in officiis cultuque alio ostendant se tales revereri et amare. Hoc autem invidiosum, immo perniciosum sub malis, insignem aliquem virum frequentari aut coli. Itaque Seneca, hoc metu, apud Tacit. 'Instituta prioris vitæ commutat, prohibet cœtus salutantium, vitat comitantes.' *Lips.*

Adeant, frequentent] Puteolanus, Cuspinianus, Rhenanus edidere *adeant frequenter.* Non nullæ editiones adjiciunt particulam ἐγκλιτικὴν *que: adeant, frequententque.* Editio Hackiana habet *adeant, ac frequentent.* Vulgatiorem autem lectionem confirmant omnes codices Mss. Per 'domos securas' et 'patentes,' designantur domus virorum virtute et dignitate insignium, ad quas nunc pateat securus aditus omnibus bonis, qui cum iis conversari, aut iisdem salutationis aliaque honoris genera præstare velint; cum id sub malis principibus sæpe exitiale fuerit. *Schwarz.*

Viros suscipit] Lipsianæ editiones pro *suscipit*, habent *suspicit*, i. e. admiratur, et colit: non male; atque ita legendum esse, conjecerat Livineius; quæ conjectura etiam placuit Rittershusio, et nunc quoque Gesnero et Arntzenio. Equidem omnino multa apud alios scriptores exempla præsto sunt, ubi verba 'suspicere' et 'suscipere' confusa fuere: attamen in hoc loco Pliniano ne unus quidem codex Ms. discedit a lectione vulgatiore. Nec video caussam urgentem, cur exterminem lectionem tot libris receptam atque stabilitam; cum et is recte dicatur aliquem 'suscipere,' qui eum consilio, et opera, et commendatione, adjuvat, ac, quantum potest, tuetur, eidemque aliquid 'adstruit,' quod potius 'suscipiendo,' quam 'suspiciendo,' fieri solet. Sic Plinius, cum Julium Nasonem, honores petentem, opera et commendatione adjuvaret, Epist. VI. 6. 'Suscepi,' inquit, 'candidatum, et suscepisse me, notum est: ego ambio, ego periclitor.' Idem Epist. I. 19.

'Magnæ et graves caussæ, cur suscipere et augere dignitatem tuam debeam.' Et certe aliquid majus erat, inter pericula pristinorum temporum 'suscipere' viros bonos, ad tuendam eorum existimationem et salutem; quam tantummodo virtutes eorum 'suspicere;' quod et animo solo fieri poterat. Christoph. Behrius in sequentibus verbis maluit legere *principem demeretur*, quam *principem promeretur*. Sed Sueton. Aug. cap. 3. 'Imitetur in promerendis sociis vicinum suum Octavium.' Mox et in libro Vossiano, pro verbo *accrescere*, annotatum est *accersere*. Idem.

Viros suscipit] Forte, *Viros suspicit*. Livin. Recte. *Ritt.*

Maximi fuerint] Aureum item dogma. Tyrannus vilibus et pravis imperare cupit, securitatis caussa; princeps bonus, optimis et honestissimis, gloriæ. *Lips.*

Maximi fuerint] Plinius Epist. VI. 17. 'Pertinet ad tuam gloriam, quam maximum videri, quem præcedis, vel exæquas.' *Schwarz.*

Talesque nos crede] Pronomen *nos* in Berneggeriana et Hackiana editionibus omissum est, contra auctoritatem codicum Mss. et aliarum editionum. *Idem.*

Qualis fama] Quæ publica quidem, raro mentitur. Ideo Alexander Severus imp. apud Lamprid. 'Ubi aliquos voluisset vel rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus.' *Lips.*

Huic aures, huic oculos] Forte, *Huc aures, huc oculos*. Livin. Recte. *Rittersh.*

Clandestinas] Delatorum, aut paucorum, quibus magno suo periculo principes credunt. *Lips.*

Clandestinas existimationes] Recte Arntzenius notat, hic intelligi obtreetationes et maligna judicia delatorum. Sic Sueton. Tib. cap. 58. 'Capitale erat, .. dictum ullum factumve ejus existimatione aliqua læsisse.' Et eodem sensu verbum 'existimare' usurpat Seneca de Ira III. 22. 'Homines et periculosissime et libentissime faciunt, ut de rege suo male existiment.' In codice Vaticano 3461. item in Guelpherbytano, et meo, pro vocabulo *existimationes*, scriptum est *æstimationes;* cujusmodi vero confusionem horum nominum etiam alibi obviam esse, jam alii docuerunt. *Schwarz.*

Melius omnibus] Certa tamen cautione etiam in hac re opus est; cum, quod Tacit. Hist. I. 1. ait, obtrectatio et livor pronis semper auribus accipiantur; et cum, quod idem docet, Annal. XV. 64. vulgus sit ad deteriora credenda promtissimum. Multitudo autem errantium nihil præjudicat veritati. Ac licet quasi proverbio dicatur, 'vocem populi esse vocem Dei;' eadem tamen ratione, judice quodam theologo, fieri potest, ut 'vox populi vox diaboli' esse dicatur. In meo codice, pro *creditur*, lego *credatur*. Pro *fefellerunt*, maluissem legere *fefellerint*, si addixissent libri. *Idem.*

Neminem omnes] Aristot. Pol. III. 7. m. κρίνουσιν ἄμεινον οἱ πολλοί. *Multi melius judicant. Rarior in multitudine lapsus.* Bern.

CAP. LXIII. *Revertor jam*] Livineius in vetere codice suo pro *revertor*, invenerat *prævertor*, quam lectionem idem magnopere comprobavit, quamvis nondum ausus in contextum admittere. Nunc hoc ipsum verbum animadverto in Parisiensi, utroque Veneto, et Salisburgensi, codicibus Mss. Id vero minus placet Lipsio, neque immerito. Usus quidem est Plinius eo verbo, Epist. V. 15. 'Prævertor ad ea, quæ me agentem hic nuntius deprehendit.' Sed recte ad eum locum docet Cortius, *prævertor* notare, 'potius me verto;' scilicet, ubi convertimus orationem ad argu-

mentum aliquod, de quo etiam nondum est actum. Jam autem Plinius supra, cap. LVI. omnino et de secundo, et de tertio consulatu Trajani agere cœperat; et c. LVII. LVIII. LIX. et LX. prædicarat moderationem Trajani, tertium consulatum deprecantis. Deinde, in eodem capite LX. item LXI. et LXII. inseruerat narrationem de duobus senatoribus, quos Trajanus tertio consules fecerat, et in consulatu suo tertio, alterum quidem post alterum, assumserat collegas. Nunc adeo revertitur ad ipsum consulatum tertium, a Trajano gestum. Vox *etsi* in quibusdam libris scriptis et impressis divisim exprimitur, *et si;* in aliis conjunctim, tanquam conjunctio concessiva. Ambigo, utram amplectar scripturam; sed video, parum referre, utramlibet admittas. Si divisim scribatur, *et si*, sic explicari potest, 'Revertor jam ad consulatum tuum, et [revertor ad ea,] si sunt quædam ad consulatum quidem pertinentia, ante consulatum tamen facta.' Sin conjunctionem concessivam *etsi* assumas, eandem fere habebis sententiam, 'Revertor jam ad consulatum tuum tertium, [ut exponam, quomodo eum gesseris;] etsi sunt quædam ad consulatum quidem pertinentia, ante consulatum tamen facta sive gesta,' quæ nempe non minus sunt commemoranda. 'Ante consulatum' per ἔλλειψιν dicitur, ut intelligatur participium, 'facta,' vel 'gesta;' cujusmodi ἐλλείψεως exempla quædam notavit Cortius ad Sallustium, in Jugurth. LV. 4. Aliquanto enim insolentius diceretur, 'pertinentia ante consulatum.' Clarius et plenius, 'quæ consulatum tamen antecesserunt.' *Schwarz.*

Revertor] *Prævertor* V. *Livin.*

Revertor jam] Sequor *prævertor.* Auct. Epist. v. 15. 'Prævertor ad ea, quæ me agentem hic nuncius deprehendit.' Et alibi sæpe. Horatius, 'Illuc prævertamur amatorem quod amicæ Turpia decipiunt cæcum vitia.' Apuleius Apologia, 'Nunc tempus est ad epistolas Pudentillæ præverti.' *Idem.*

Revertor] Nam ante cœpit dicere de tertio ejus consulatu, aperte. Non ergo audio veterem aliquem codicem, qui *prævertor*. Lips.

Quod comitiis tuis interfuisti] In libro Vossiano pro particula *quod*, annotatur *quasi;* sed, quantum intelligo, sine usu. Denotantur vero comitia consularia, quibus Trajanus renuntiatus est tertium consul. Si dicas, Quid opus comitiis, cum tota res dependeret a voluntate principis, sive ipse susciperet consulatum, sive juberet alios renuntiari consules? et, an tunc omnino comitia habita? res certe intricata videtur, at certe non indigna, quæ aliquando excutiatur. Neque alium novi, qui hanc rem nervosius exposuerit Lipsio, cum in Commentar. ad hoc caput Panegyrici, tum in Excursu E. ad Tacit. Annal. I. 15. cujus vestigia lubens sequor. Interim constat, temporibus reipublicæ liberæ, jus creandorum consulum spectasse ad suffragia totius populi in comitiis quidem centuriatis, quibus populus per classium centurias divisus suffragia ferebat, cum totum civium corpus constaret 193. centuriis. Cum ea populi libertas inciperet exspirare; Julius Cæsar, referente Sueton. cap. 41. comitia cum populo partitus est, ut, exceptis consulatus petitoribus, de cetero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur; pro parte altera, quos ipse edidisset. Et edebat per libellos, circum tribus missos, scriptura brevi, &c. Itaque Cæsar consulum electionem non populo reliquerat, sed seposuerat sibi maxime, et senatui. Augusto imperante, etsi haberentur populi comitia; tamen, quod Dio narrat, lib. LIII. p. 511. nihil ibi præter voluntatem Augusti agebatur; cum magistratus partim ipse designaret, partim populo plebique creandos permitteret. Adhuc arctius po-

puli jura circumscripsisse videtur Tiberius, de quo Tacit. Annal. I. 15. 'Tum primum e campo comitia ad patres translata sunt; nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio principis, quædam tamen studiis tribuum, fiebant.' Nihilo minus et sub hoc principe superfuerunt comitia consularia, referente Tacito Annal. I. 81. ubi Tiberius 'consulibus edidit nomina candidatorum; ceterum ea egit, quæ speciosa verbis, re inania, aut subdola, essent; quantoque majore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius servitium.' Idem Tacit. Hist. II. 91. commemorat, Vitellium 'comitia consulum cum candidatis civiliter celebrasse;' quam loquendi formulam luculenter exposuit Gronovius. Quæ et quanta potestas consulum faciendorum etiam fuerit penes imperatorem Fl. Vespasianum, intelligitur ex fragmento legis regiæ apud Grut. Oper. Inscript. p. CCXLII. VTIQVE. QVOS. MAGISTRATVM. POTESTATEM. IMPERIVM. CVRATIONEMVE. CVIVS. REI. PETENTES SENATVI. POPVLOQVE. ROMANO. COMMENDAVERIT. QVIBVSQVE. SVFFRAGATIONEM. SVAM. DEDERIT. PROMISERIT. EORVM. COMITIS. QVIBVSQVE EXTRA. ORDINEM. RATIO. HABEATVR. Etiam sub Domitiano habita sunt comitia consularia. Sueton. cap. 10. refert, Flavium Sabinum a Domitiano interemtum esse, quod eum comitiorum consularium die destinatum perperam præco non consulem ad populum, sed imperatorem, pronuntiasset. Interim, quam exigua potestas populi Romani fuerit illis temporibus, Juvenalis Sat. X. 79. seqq. testatur: 'Qui dabat olim Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se Continet, atque duas tantum res anxius optat, Panem et Circenses.' Quid mirum, si jam Lucanus de suo tempore, hoc est, Neronis, aut potius de Cæsaris ævo, cecinerit, v. 392. seqq. 'Fingit solennia campus, Et non admissæ dirimit suffragia plebis, Decantatque tribus, et vana versat in urna.' Quibus autem verbis quid aliud indicat Lucanus, quam, posteaquam ad unum Cæsarem omnia fuerint delata, etiam in creandis magistratibus non nisi imaginariam quandam comitiorum in campo Martio haberi speciem, citari a præcone tribus, neque tamen admitti ad distincta suffragia, cum frustra in cistas conjiciantur tabellæ; siquidem Cæsar ipse designet centuriisque commendet, quem velit, consulem. Immo, posteriore ætate, etiam illud ipsum juris popularis simulacrum aliquando cessavit, maxime cum consules etiam extra Romam crearentur. Sic Ausonius, a Gratiano imperatore, qui tunc Sirmii in Pannonia degebat, consul factus, consulatum iniit Treviris, atque inde in gratiarum actione sua c. 5. vere dicere potuit, 'Consul ego, imperator Auguste, munere tuo: non passus septa, neque campum; non suffragia, non puncta, non loculos; qui non prensaverim manus.... Romanus populus, Martius campus, equester ordo, rostra, ovilia, senatus, curia, unus mihi omnia Gratianus.' Et cap. 18. ipse Gratianus in Epistola ad Auson. ibi proposita: 'Cum de consulibus in annum creandis solus mecum volutarem, ... te consulem designavi, et declaravi, et priorem nuncupavi.' Utcunque est, præ ceteris tamen imperatoribus civiliter in creandis magistratibus, et sigillatim, consulibus, egisse videtur Trajanus. Cum alii imperatores contenti jussisse se consules renuntiari, non ipsi interessent comitiis consularibus, et consulatum etiam non nisi per edictum dimitterent; ipse Trajanus noluit consul fieri, neque consulatu abire, nisi ut unus e senatoribus, quos fecit consules: id quod Plinius uberius exponit in hoc, et sequentibus capitibus. Cum vero alios faceret consules, ipse princeps nominabat,

sive destinabat, hos illosve, in hos et illos menses: et tamen, ut patres viderentur jus aliquod habere, in senatu proponebat candidatorum nomina; etsi Trajanus non a se, sed a senatu, peti consulatum voluit, LXIX. 2. Tunc in curia senatus habebat comitia, (ita vocari videntur a Plinio, Epist. III. 20. Epist. IV. 25. Epist. VI. 19.) et singulis senatoribus, per tabellas, aut aliquando voce, suffragantibus, quasi eligebant designabantque novos consules, designatisque acclamabant; cum tamen non alios eligerent designarentque, quam quos ipse designaverat princeps. Tum deinde publica habebantur comitia; quorum die quæque candidatorum paria producebantur in campum Martium, et, dicis caussa, populus coibat. His comitiis præsidebat Trajanus, tanquam consul, et carmen præibat, precatus, ut illa comitiorum ordinatio bene ac feliciter eveniret, LXXII. 1. Mox jurabant candidati, stantes ante sellam curulem consulis, jurisjurandi formulam præeuntis. Tum ipse Trajanus novos consules voce sua renuntiabat, declarabatque, ut idem 'his honoribus suffragator in curia, in campo declarator, existeret,' XCII. 3. Postea novi consules iterum in rostris simili religione jurisjurandi obstringebantur, LXV. 1. Taceo nunc alias cærimonias tunc observatas. Ex his adeo omnibus colligimus, omnino a voluntate et nutu principis maxime dependisse consulatus dignitatem; etsi in ea conferenda humaniores imperatores, et inprimis Trajanus, civilius agerent, hoc est, in externis cærimoniis et ritibus paullo speciosiorem pristinæ libertatis et potestatis umbram senatui populoque relinquerent. Bene tamen notat Lipsius, in creandis aliis magistratibus pluscu-lum juris senatui indultum fuisse. *Schwarz.*

Candidatus] Veste candida indutus, qua magistratum petentes utebantur. 'Hæc autem vestis,' inquit Rayanus, 'integritatem ac tenuitatem eorum indicabat,' &c. Translatum mox est vocabulum ad eos omnes, qui aliquid consequi cupiunt. Trajanus quidem, jam suscepturus consulatum tertium, dictus est *candidatus;* an vero eo tempore usus sit candida toga dubito. *Patarol.*

Non consulatus tantum] Particulam *tantum* omisit codex Parisiensis; pro ea reposuit *tamen* codex Venet. 2. neuter bene. *Schwarz.*

Immortalitatis et gloriæ] Dicitur pro *immortalis gloriæ*, per ἓν διὰ δυοῖν, uti apud Virgil. Georg. II. 192. 'pateris libamus et auro;' pro 'pateris aureis.' Et Æn. I. 61. 'Molemque et montes insuper altos Imposuit,' i. e. molem montium altorum. Forte et huc pertinet Plinii Epist. III. 16. 'Facienti ista dicentique gloria et æternitas ante oculos erat;' i. e. gloria æterna. Facit hæc figura, quod Bangius ait, ut oratio fiat amplior, et magis emphatica. *Idem.*

Immortalitatis] Metaphora; ut in Tertulliano, de Christianis: 'Candidati æternitatis et restitutionis.' De iisdem, 'Candidati angelorum;' qui honorem locumque ambiunt angelorum. *Lips.*

Boni principes] In Vaticanis, Guelpherbytano et meo codicibus, hæc vocabula sic transposita lego, *Sequerentur principes boni, mali mirarentur.* In Guelpherbytano autem pro verbo *mirarentur,* vitiose scriptum est *minarentur.* Schwarz.

Vetere] Comitium intelligit, vel ipsa in iis septa. Sedem autem 'potestatis,' ideo, quia olim ibi suffragiis magistratus libere creati, leges rogatæ vel abrogatæ, pax et bellum jussa. *Lips.*

Vetere potestatis suæ sede] His verbis designatur campus Martius, in quo olim, tempore reipublicæ liberæ, populus Romanus suæ potestatis jura in creandis magistratibus, legibusque

ferendis, exercebat. Alias Ammianus Marcell. lib. XVI. pag. 112. edit. Gryph. 'Forum Romanum' vocat 'perspectissimum priscæ potentiæ forum.' 'Campus' generatim dicitur planities terræ, ædificiis vacua: cujusmodi campi, conventibus aliisque usibus civium destinati, in urbe Roma octo fuere; quorum spatiosissimus celeberrimusque, campus Martius, hinc κατ' ἐξοχὴν sæpe dictus est 'campus;' uti alibi, ita a Plinio, Paneg. LXXVII. 1. et in hoc ipso capite, § 4. et § 7. 'campus sacratus.' De quo Liv. II. 5. 'Ager Tarquiniorum, qui inter urbem et Tiberim fuit, consecratus Marti, Martius demum campus fuit.' Is inserviit juventutis et tironum militarium exercitationibus, Strabo l. v. p. 361. item deambulationibus, Horat. Epist. I. 7. 59. adhæc sepulcris clarorum hominum, Strabo, l. c. maxime autem comitiis centuriatis, quæ creandorum magistratuum majorum, et legum ferendarum, judiciorumque populi exercendorum, caussa, habebantur. Ceterum, in proximis verbis, liber Vossianus, pro *perpessus es*, inutiliter habet *perpessus est*. Schwarz.

Carmen] Verborum formulam, quæ comitiis habendis præmittebantur; erantque fere precationes ad Deos, ut res bene ac feliciter eveniret, &c. Cicero pro Murena, cap. 1. 'Quæ deprecatus sum a Diis immortalibus, more institutoque majorum, illo die, quo auspicato comitiis centuriatis L. Murenam consulem renuntiavi, ut ea res mihi, magistratuique meo, populo plebi Romanæ, bene atque feliciter eveniret,' &c. Et mox vocatur 'illa solennis comitiorum precatio consularibus auspiciis consecrata.' *Patarol.*

Carmen comitiorum] Haud dubie precatio præivit in re magna et publica, ut in plerisque talibus olim. Et mox ipse tanget. *Lips.*

Carmen comitiorum] Ἀγαθῇ τύχῃ, *quod bonum faustumque, &c.* Hæc enim in populi decretis, conventionibus publicis, in rege rogando, concilio vocando, in salutatione patris patriæ, in adoptione imperatoris, in votis suscipiendis, in precatione consulari ad consulem renunciandum (immo ille in cado suo resignando) usurpabant. Cic. Divin. I. 16. pro Muræn. Suet. August. c. 58. Ner. c. 37. Calig. c. 15. Xiphil. in Nerv. Liv. lib. XXXVIII. Noster c. LXXII. 1. *Bern.*

Irridendam] Postquam tu eam passus es, et subisti. *Lips.*

Irridendam moram] Plinius vult indicare, ante Trajanum, sub malis principibus, populum, si quando consules crearentur, in campo Martio sæpe diu morari oportuisse; sed eam moram fuisse supervacaneam, et risu dignam; cum jam ante comitia constiterit, neminem alium, nisi principem, fore consulem; cumque tantum ex more campus solennis et urna luderetur, (ut Claudianus loquitur, de VI. Consul. Honor. vs. 5.) et simularetur, jus eligendorum consulum adhuc populo competere, adhibitis suffragandi cærimoniis, quæ tamen omnino cassæ fuissent: nunc autem, sub Trajano, istiusmodi moram non esse inanem et irridendam. *Schwarz.*

Consulque sic factus es] Mendum occupavit Cellarii editionem an. 1693. cum ibi pro *sic*, legatur *si*. Sed et mancus est hic locus in Hackiana, et utraque Goettingiana editione, ubi proditum est *consulque es*. Mox ait Plinius, 'ut unus ex nobis,' i. e. ex senatoribus privatis. Supra II. 4. 'Unum ille se ex nobis, et hoc magis excellit, atque eminet, quod unum ex nobis putat.' Vide ad p. 450. *Idem.*

Quos facis] Ergo princeps facit consules? facit, atque ipse destinat, sive designat. Quid igitur 'de suffragiis senatus, et comitiis populi,' quod hic atque infra legas? Respondeo, quod ad consules ipsos, videri rem totam hoc ævo a principibus pependisse, qui

nominabant, sive destinabant, illosque in hos et illos menses. Et tamen, ut patres viderentur jus aliquod habere, in senatu proponebantur, atque ii suffragabantur: quæ omnia initio anni, aut circa, gesta. Tum deinde, quæque paria producebantur in comitium, et dicis caussa populus coibat: ibique renunciabantur, jurabant, et mox suo quisque mense inibant. Hæc e Plinio fere, de consulibus. In prætoribus, tribunis, atque aliis, plusculum juris senatus habuit; ad quem a populo comitia translata, sub Tiberio. Me vide, sodes, ad Taciti Annal. I. Excursu E. pag. 493. *Lips.*

Aut consulatui habuit, aut populo] Vitiose hæc scripta sunt in meo codice, *aut consulatum habuit, aut populo.* Et nescio, annon vitiosius in Veneto 1. et libro Vossiano; etsi nasutus quidam librarius isti vitio mederi conatus est, ut qualiscunque sententia inde procuderetur, *aut consulatum habuit a populo?* Potius significare voluit Plinius, paucos antecedentium principum, aut consulatum, aut populum Romanum, tanti fecisse, tantoque dignatos esse honore, ut ipsi interfuerint hujusmodi comitiis, aut talem moram cærimoniarum æquo animo perpessi sint, fierique voluerint consules more et ritu vulgari privatorum senatorum. *Schwarz.*

Non alii marcidi somno] Tres codices Vatt. 1775. 1776. et 3461. item Guelpherbytanus, meus, et liber Vossianus, loco particulæ interrogandi *non*, i. e. 'nonne,' exhibent caussalem *nam;* ceteri habent *non*. Jam alibi notavi, non raro istas particulas, 'non,' 'num,' et 'nam,' inter se permisceri; et parum abfuit, quin recepterim *nam*. *Marcidi somno* dicuntur languentes nimio somno. Ovid. Met. x. 192. dixit 'lilia marcida;' et ex Pont. II. 9. 61. 'Nec tua marcescant per inertes otia somnos.' Seneca, Medea, vs. 69. 'Huc incede gradu marcidus ebrio.' Justin. XXX. 1. 'Otio ac desidia corrupti marcebant.' Mox addit Plin. 'hesterna cœna redundantes,' i. e. ex hesterna crapula graves. Plinius Major, cum 'redundatione stomachi' conjungit 'nauseam,' l. XXXII. c. 3. 'Nausea et redundatione stomachi vitium fatentur.' Nempe 'hesterna cœna redundantes' dicuntur, qui cibo vinoque nimis repleti hesternam crapulam nondum satis exhalarunt, et ad ructus vomitusque feruntur. Vide supra XLIX. 6. Notat Catanæus, Neronem hic posse intelligi, cujus crapulam Juvenalis carpat, Sat. IV. 137. 'Noverat ille Luxuriam imperii veterem, noctesque Neronis Jam medias.' Et Sueton. Ner. c. 27. 'Epulas e medio die ad mediam noctem protrahebat.' *Idem.*

Pervigiles et insomnes] Sueton. Calig. cap. 50. 'Incitabatur insomnio maxime; neque enim plus, quam tribus nocturnis horis, quiescebat, ac ne his quidem placida quiete, sed pavida miris rerum imaginibus.... Ideoque magna parte noctis vigiliæ cubandique tædio, nunc toro residens, nunc per longissimas porticus vagus, invocare idemtidem atque exspectare lucem consueverat.' Et de Domit. c. 21. 'Ad horam somni nihil aliud, quam secreto solus deambulabat.' *Catanæus.*

Intra cubilia sua] Plinius potuisset dicere, *intra cubicula sua;* sed certo judicio dixisse videtur *cubilia*, quia proprie 'bestiæ in cubilibus delitescere' dicuntur, Cic. de Nat. Deor. II. 49. et infra Plin. LXXXI. 1. Sic enim tyrannos illos comparat bestiis, quæ immanitate efferatæ, et ex cubilibus suis progressæ, sæviunt in obvios quosque vel homines, vel animantes. Supra XLIV. 1. 'Longe arcana illa cubilia, sævique secessus.' Cf. notam ad p. 728. *Schwarz.*

Quem concupieris] Catanæus, Cuspinianus, H. Stephanus, Boxhornius, Cellarius, et forte alii, evulgarunt, *quem concupiscas.* At codices Mss.

omnes, item et editiones Puteolani, Philomusi, Rhenani, R. Stephani, Navii, Livineii, Lipsii, Gruteri, habent nostram lectionem; etiam Gryphius an. 1531. prodiderat *concupieris;* at an. 1542. prodidit *concupiscas*. Idem.

Quem concupieris] *Quem concupiscas* C. *Livin.*

Hortis] Quibus? Horti Agrippinæ, quos Caius item coluit, vicini campo Martio, et credam hos intelligi, etsi alii etiam Cæsarum horti propinqui esse potuerunt. *Lips.*

Comitia prospectes] Codex Venetus 2. et meus habent *perspectes;* quæ varietas nata est ex compendio scripturæ præpositionis *pro*. Sic etiam hæc verba confusa sunt apud Sueton. Domit. cap. 4. 'inter maximos imbres perspectavit;' ubi alii habent *prospectavit*. Posset quidem etiam verbum 'perspectare' hic locum habere, i. e. continue et a principio ad finem spectare. Sic Sueton. Aug. cap. 98. 'Quinquennale certamen gymnicum, honori suo institutum, perspectavit.' Nihil tamen est, quod lectionem dudum receptam abjiciamus. Verba enim 'prospicere' et 'prospectare' proprie significant procul, vel e longinquo spectare. Sic Cic. Famil. IV. 3. 'Multo ante, tanquam ex aliqua specula, prospexit tempestatem futuram.' Et Verr. x. 17. 'Quæ quidem navis omnibus, qui eam adspexerant, prospectare jam exsilium domini videbatur.' Sueton. Ner. cap. 38. 'Hoc incendium e turri Mæcenatiana prospectans.' Ipse Plinius supra, XXXV. 1. 'Juvabat prospectare statim a portu sparsa navigia.' Cf. LXXXII. 4. *Schwarz.*

Rhenoque dirimare] I. e. tanquam procul absis, et disjungaris a campo Martio, quasi cum exercitu ad Danubium Rhenumve tendens. Sic verbum 'dirimi' etiam alibi de locis a se invicem sejunctis dicitur. Plin. Epist. VI. 8. 'Oppida nostra unius diei itinere dirimuntur.' Idem Epist. VI. 16. 'Stabiis erat, diremtus sinu medio.' Lucan. x. 312. 'Qua dirimunt nostrum rubro commercia ponto.' Navius et Livineius, pro *dirimare*, ediderunt *dirimere*. Hinc conjecit Livineius, forte legendum *dirimerere*. Aliquanto acutius Cuspinianus effinxit, aut certe evulgavit *dirimente*. Sed lectioni dudum receptæ omnes suffragantur codices Mss. *Idem.*

Dirimare] *Dirimere* Livin. in textu; sed in margine, *dirimare* V. R. G. *dirimente* C. forte *dirimerere*.

Renuntiarique te consulem jussisse contentus, liberæ civitatis ne simulationem quidem serves] Livin. inserit *dirimerere* probe. *Rittersh.*

Liberæ civitatis] Cuspinianus edidit, *liberæ civitati ne simulatione quidem servias*. Quæ lectio calculum Rittershusii nostri meruit, et jure meruit, si ex vetusto codice profecta est. Vulgo editum legitur, *Liberæ civitati ne simulationem quidem serves*. In Puteani editione Parisiensi, voces *liberæ civitati*, per interpunctionem commatis a sequentibus separantur, quasi dependeant a verbo *renuntiarique*. Ego sequor eam lectionem, quæ in codicibus Vaticanis et Guelpherbytano animadvertitur, ac nunc etiam se probavit viris doctissimis, Gesnero et Arntzenio, *liberæ civitatis ne simulationem quidem serves*, i. e. nec serves, saltem dicis caussa, speciem antiquæ et liberæ reipublicæ, ac comitiorum. Ubi 'simulatio' videtur notare simulacrum, seu similitudinem; prout hac voce usus est Cic. de Fin. II. 22. 'Ita pro vera certaque justitia simulationem nobis justitiæ traditis.' Item et Plinius Major, XI. 44. 'Simiarum genera perfectam hominis simulationem continent, facie, naribus, auribus, palpebris.' Quanquam hic non nulli recentiores, nescio, an satis idoneo testimonio antiquitatis, prodiderint *imitationem*. Sic vero non

necesse est, ut cum Christoph. Behrio nimis libere rescribamus, *liberæ civitati ne simulationem quidem libertatis serves.* Ceterum, pro *averseris*, vulgari errore in codice Vaticano 3461. et Guelpherbytano, scriptum est *adverseris;* et pro *te consulem jussisse*, in codicibus Parisiensi, utroque Veneto, Salisburgensi, et meo, vitiose positum est *te consule jussisse.* Schwarz.

Simulationem quidem serves] *Simulatione q. servias* C. *Livin.*

Ne simulationem] Ut ipse venias, et dicis caussa populo te sistas. *Lips.*

Simulationem quidem serves] *Simulatione quasi servias* C. probe. *Rittersh.*

Hæc persuasio] Sic supra XVIII. 3. 'Quæ persuasio fuit illorum, qui hostilia, cum facerent, timebant.' Sequentia verba, *ut sibi viderentur, &c.* non parum corrupta leguntur in codice Veneto 1. *ut si viderentur principes, desinerent esse, si quid facerent, &c.* Schwarz.

An stuprorum] Metu submovebantur mali principes a comitiis istis, quia metuebant male sibi conscii, ne Dii in campo sacrato irarum indicia in ipsos sceleratos ederent; adhæc, quia neque judiciis tot hominum se exhibere audebant. *Idem.*

Incestarumque] De Domitiani incesto, supra, cap. LII. *Lips.*

Auspicia] Quia comitia non nisi auspicato habebantur, ut omnis actio cum populo. *Idem.*

Auspicia polluere] Uti aliis in rebus gravioribus, ita et in comitiis centuriatis habendis, et consulibus renuntiandis, Romani adhibuerunt auspicia. Hinc Cicero pro Murena, cap. 1. 'Illo die, quo auspicato comitiis centuriatis L. Murenam consulem renuntiavi.' Cic. de Divin. I. 16. 'Nihil fere quondam majoris rei, nisi auspicato, ne privatim quidem gerebatur; quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, qui, re omissa, nomen tantum tenent. Nam, ut nunc extis, quanquam id ipsum aliquanto minus, quam olim; sic tunc avibus magnæ res impertiri solebant.' Vide Bulenger. de Aug. et Ausp. III. 13. Quanquam 'auspiciorum' nomine etiam generatim omnes actiones, in comitiis observari solitæ, intelligi possint. Auspicia autem haud secus, ac alia sacra, 'pollui' ac violari dicebantur ab hominibus profanis et flagitio contaminatis. Inde Cic. pro Domo sua, cap. 40. 'Qui non solum adspectu, sed etiam incesto flagitio et stupro polluit cærimonias.' Et Verr. X. 72. 'Cereris et Liberæ sacra ab isto uno sic polluta et violata sunt,' &c. *Schwarz.*

Campum] Martium, in quo comitia. *Patarol.*

Sacratumque] Marti. *Lips.*

Spatiosissima] Campus sane magnus, atque adeo septa in eo comitiorum magna. Ex Ciceronis epistola quadam ad Atticum, lib. IV. colligas, in qua narrat, Cæsarem destinasse 'septa marmorea facere, eaque excelsa porticu cingere, mille passuum spatio.' Nam e porticu ambiente, vides spatium campi includendi. *Idem.*

Speciosissima sede] Hanc lectionem inveni in codicibus Vaticanis, Veneto 2. Guelpherbytano, et meo; item et in editione Rhenani, ac nunc Arntzenii. Placuit eadem Gesnero in Præfatione et Epistola. Codex Salisburgensis a prima manu habuit *speciosissima*, ab alia manu suprascriptum est *spatiosissima.* Ceteri autem codices et libri habent similiter, *spatiosissima.* Hæsitavi, utri lectioni locum darem. Campum Martium fuisse 'spatiosissimum,' i. e. amplissimum, ejusque spatium patuisse latissime, et immensam hominum frequentiam cepisse, testatur Strabo, testantur tot alia documenta. Fuisse eundem etiam 'speciosissimum,' et pulcherrimum, idem testatur Strabo,

qui eum a natura et prudentia hominum ornatissimum vocat. Equidem Arntzenius, dum noluit admittere vocem *spatiosissima*: 'Quid,' inquit, 'amplitudo campi ad sanctitatem et dignitatem illius loci facit? . . . Præfero scripturam Guelph. *speciosissima* i. e. maxime veneranda, sanctissima.' At, amplitudo campi non quidem per se et ἀμέσως, tamen propter multitudinem statuarum tot Deorum et heroum, et propter summam hominum frequentiam loco dignitatem conciliare potuit. 'Speciosissimum' vero pro venerando et sanctissimo dici, invenire nusquam potui. Nihilo minus adoptavi vocem *speciosissima*; cum, propter indicium aliquot codicum Mss. tum propter aliam significationem hujus vocabuli, quæ non minus huc quadrat. Nempe jam supra ad XVIII. 1. ostendi, 'speciosum' pro maxime conspicuo et illustri aliquando poni. Jam, quid illustrius esse potuit campo Martio, ubi in conspectu Martis, et tot aliorum Deorum, et in ore atque luce frequentissimorum hominum, quorum oculos magis fugiunt, quam sectantur, mentes male sibi consciæ, omnia agi putabantur? Interim Strab. lib. v. p. 236. campum Martium recte appellavit ἱεροπρεπέστατον τόπον, *locum maxime sacrum ac venerabilem*, quia is Marti consecratus erat. Ceterum, facile credo, hic a Plinio notari Caium et Domitianum, qui stupro, incestu, et omni inaudita libidine, se polluerant. *Schwarz.*

Spatiosissima] Campi enim admirabilis magnitudo. Strabo lib. v. *Patarol.*

Hominum Deorumque] Populi nempe Romani ad comitia coacti, et Deorum tutelarium ac præsidum. Sive utrorumque nomine imagines virorum illustrium atque heroum, templaque in campo existentia, intelligit. Strabo loc. cit. 'Templa sunt magnificentissima inter se contigua.' Et paullo post, 'Cum locum istum religiosissimum esse cogitassent, clarissimorum virorum ac feminarum monumenta in eo construxerunt.' *Idem.*

Deorumque] Quia templa ibi passim: eratque vel ornatissima pars (Strabone auctore) totius urbis. *Lips.*

Et dum accipis] Recte observat Raynaus, particulam *et* hic singularem ἔμφασιν habere, atque significare, Trajanum meruisse consulatum, et ante, quam acceperit, et dum accepit. Accipiendo autem meruit, dum eum non nisi legibus et priscis ritibus convenienter, ac summæ moderationis significatione, accepit. *Schwarz.*

CAP. LXIV. *Peracta erant solennia*] I. e. Ritus solennes in comitiis centuriatis, iisque consularibus, observari soliti, jam omnes peracti absolutique videbantur, si quis principem cogitet spectetque. Nam etsi in renuntiandis consulibus, qui e privatis senatoribus electi erant, plures adhuc cærimoniæ necessariæ fuissent, nempe, ut novi consules, stantes ante sellam curulem consulis, consulatu abituri, at tunc adhuc sedentis, jurarent, et in rostris etiam simili religione legibus se subjicerent; hujusmodi tamen ritus a te, tanquam a principe legibus soluto, nemo postulasset, nemo expectasset; nisi ex singulari civilitate iis sponte perfungi voluisses. Similiter loquitur Plin. Epist. VI. 31. de Trajani cœna: 'Erat modica, si principem cogites.' Rarissime autem alii principes, in aditu et fine consulatuum suorum talia jura juranda præstiterunt; nisi quod Dio Cassius lib. LIII. p. 496. refert, Octavianum Augustum, consulem VI. cum alia omnia secundum instituta majorum egisse, tum perfunctum magistratu jusjurandum patrio more præstitisse. Athalarico autem, regi Gothorum, seu potius Cassiodoro, post trecentos annos, nullum tale exemplum alius principis, nisi Trajani, innotuisse videtur; sic enim, E-

pist. VIII. 3. nomine regis scripsit ad senatum Romanum: 'Ecce, Trajani vestri clarum sæculis reparamus exemplum. Jurat vobis, per quem juratis; nec potest ab illo quisquam falli, quo invocato non licet impune mentiri.' *Idem.*

Se omnis turba commoverat] I. e. comparaverat se ad discedendum ex comitiis, utpote opinata, nihil cærimoniarum a principe consule præstandarum amplius reliquum esse; cum tamen tu ultro accederes ad sellam curulem, ut jurares. Sic Plin. Epist. III. 7. cum narrat, Silium restitisse in secessu, nec se movisse inde, ut novo principi Romam adventanti officii caussa occurrerit: 'Se in Campania tenuit, ac ne adventu quidem novi principis inde commotus est.' Ante sequentia verba, *adigendum te præbes*, putes particulam *et* ponendam, aut verbum *præbes* in *præbens* commutandum. Ipse tamen nihil muto. *Idem.*

Commoverat] Abitura, te declarato. *Lips.*

Consulis] Qui præsidebat comitiis. *Idem.*

Consulis] Qui adhuc gesserat fasces, et jam comitiis præsidebat, renuntiaratque novos consules, et jusjurandum a renuntiatis consulibus postulabat, ex prisca consuetudine, cui se principes adhuc subduxerant. *Cellar.*

Adigendum te præbes] Statim post susceptas imperatorias infulas jurabat princeps populo ac senatui. In imperio orientali logotheta suscipit a novo imperatore juramentum. Videatur Meurs. Gloss. Græcobarb. in Λογοθέτης p. 799. In Romano consul, qui annuo magistratu functus, primum renunciabat novos consules. Cic. pro Muræn. deinde sella curuli sedit, adegit jurejurando candidatos consulatus. Hoc præbente, illi jurabant in leges. Noster infra LXXVII. 2. Sic Augustus ex veteri more 'juravit sextum consul factus.' Dio l. XXXIII. 'Eodem sacramento et aliorum magistratuum candidati se obstringebant, alioquin magistratu non plures, quam quinque dies fungi poterant.' Liv. lib. XXXI. Sic in 'cinguli depositione,' hoc est, 'cum abirent magistratu, jurabant in concione, se nihil contra leges fecisse.' Cic. in Pison. Dio lib. LVIII. *Bern.*

In verba] Solennis videlicet juramenti. Cassiodor. Epist. VIII. 2. de hoc facto, ubi populo Romano Athalaricus rex scribit: 'Ecce Trajani vestri, clarum sæculis, reparamus exemplum. Jurat vobis, per quem juratis; nec potest ab illo quisquam falli, quo invocato non licet impune mentiri.' *Lips.*

Alios] A se factos consules. Nam vetus hoc juramentum consulare, et duplex erat: unum initio magistratus, de quo hic, cum jurabant se leges servaturos; alterum, cum abirent, jurabantque servasse. De illo, pauciora testimonia sunt; sed hoc Livii insigne lib. XXXI. 'C. Valerius Flaccus, quia flamen Dialis erat, jurare in leges non poterat. Magistratum autem plus quinque dies, nisi qui in leges jurasset, non licebat gerere.' *Idem.*

Necessarium fuerit] Sic legitur in codice Veneto 2. Salisburgensi, et meo; item in impressis Boxhornii, Kirchmaieri, Cellarii, Hearnei, Gesneri. In Vaticanis pro *fuerit*, scriptum est *fuerat;* in Parisiensi, Veneto 2. Guelpherbytano, et pluribus excusis *fuit*. Prior scriptura analogiæ grammaticæ est convenientior; varietatis autem origo facile patet. In sequentibus, codex Parisiensis, et Venetus 1. referunt has voces, *facturum te*, ordine inverso, *te facturum*. Schwarz.

Nec dum satis] Voculis *nec dum* particulam ἐγκλιτικὴν *que* adjiciunt codices Parisiensis, et uterque Venetus; itemque in impressis Puteolanus, Beroaldus, Philomusus, Gruterus, et

Puteanus, ita, ut exhibeant *nec dumque;* quod auribus duriusculum accidit. In quibusdam Vaticanis legitur *ne dum*. Ceteri omnes libri produnt vulgatam lectionem. Atque illa quidem particula *que* recte abesse posse videtur, cum vis copulandi jam lateat in ipsa particula *nec*. Est enim *nec dum*, et *neque dum*, proprie idem, quod vulgo dicitur *et nondum*, vel *neque adhuc*. Sic canit Virgilius Æn. v. 415. 'Dum melior vires sanguis dabat, æmula nec dum (i. e. et nondum) Temporibus geminis canebat sparsa senectus.' Cf. Æn. v. 606. seq. Juvenalis Sat. XI. 65. 'De Tiburtino veniet pinguissimus agro Hœdulus, et toto grege mollior, inscius herbæ, Nec dum ausus virgas humilis mordere salicti.' Sic et Cic. Attic. X. 10. 'Ille, quid agat, si scis, neque dum (i. e. et nondum) Roma es profectus; scribas ad me, velim.' Neque tamen hæ particulæ semper notionem copulandi complectuntur, sed et aliquando simpliciter notant, 'nondum,' 'non adhuc;' v. g. apud Virgil. Ecl. IX. 26. 'Immo hæc, quæ Varo nec dum perfecta canebat.' Itaque fortasse a Pliniano genere scribendi non adeo alienum esset, his particulis etiam copulandi particulam adjungi. Ipse enim Plin. XIV. 1. 'Et nec dum imperator, nec dum Dei filius erat.' Et LVI. 2. 'Et nec dum de biennio loquor.' Quanquam in his particula *et* singularem vim exaggerandi habeat. Malim autem sejunctis, quam conjunctis particulis scribere, *nec dum*, si inprimis connectendi vim involvant. *Idem*.

Necdum] *Necdumque* V. Livin. probe. *Rittersh.*

Me, an audierim] Mendose pro *me*, scriptum est *ne* in codice Salisburgensi et meo; item *intelligo*, pro sequenti verbo *interrogo*. Nec placet *aut viderim*, pro *an viderim*, quod inveni in Parisiensi, Veneto 2. Guelpherbytano, et libro Vossiano, atque in editione Sichardi. Ediderat et Gryphius an. 1531. *aut;* at an. 1542. pro eo reposuit *an*. Schwarz.

Pontifex maximus] Jam Octavius Augustus, ne quid ipsi ad summam potestatem deesset, pontificatum maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre sustinuerat, hoc mortuo demum, suscepit, anno quidem U. C. DCCLIV. pridie Nonas Martias. Sueton. Aug. c. 31. Dio l. LIV. p. 540. et Ovid. Fast. III. 420. Hoc enim ei deerat ad summam rerum omni ex parte explendam; cum respublica bene ordinata contineatur, et religionis cærimoniis, et legibus humanis. Ab eo tempore honos is titulusque proprius imperatorum permansit, usque ad Gratianum, qui primus ex imperatoribus Christianis hunc morem aversatus est, teste Zosimo, lib. V. Vide Casaubonum ad Sueton. l. c. et Jo. Andr. Bosium de Pontifice Maximo Veteris Romæ. Plin. Epist. X. 73. ad Trajanum, de transferendis quorundam mortuorum reliquiis, 'Te,' inquit, 'domine, maximum pontificem consulendum putavi.' Cæsares, qui nondum fastigium Augusti conscenderant, solummodo pontifices, et plerumque supra numerum in pontificum collegium cooptati fuere; id quod ex nummis antiquis satis patet. Ceterum codex Ms. Venetus 2. et paucæ editiones, vocabulum *pontifex*, cum antecedentibus titulis per copulam *et* conjungunt, idque satis apte. *Idem*.

Pontifex maximus] Etiam Pontificis M. nomine imperatores gaudebant, ut ex nummis satis constat. Apud pontificem maximum autem summa erat sacrorum potestas. Plura Alex. ab Alex. II. 8. *Patarol.*

Pontifex maximus] Forte, *Et pontifex maximus*. Livin.

Pontifex maximus] Livin. inserit *et:* probe. *Ritt.*

Et sedit inturbatus] Codex Vaticanus 3461. vitio laborat, dum refert, *et*

se inturbatus. Inturbatus, i. e. minime turbatus, tranquillus, intrepidus. Vox hæc non facile alibi obvia; pro qua Tacito usurpatur 'inturbidus;' v. g. Annal. XIV. 22. 'Esse illi per Asiam avitos agros, in quibus tuta et inturbida juventa frueretur.' *Schwarz.*

Quin etiam sedens stanti præivit] Puteolanus, Beroaldus, Philomusus, et Rhenanus, pro *quin*, evulgarunt *qui*; sed minus probe. In unico codice Vaticano 3461. omisso participio *sedens*, lego, *Quin etiam præbuit jusjurandum.* Quod ad participium *stanti* attinet; fateor quidem, memet ipsum id in nullo codice Ms. deprehendisse; in eo tamen admittendo nolui me difficilem præbere, non ideo quidem, quod hanc vocem ad explendam sententiam prorsus necessariam putaverim, utpote cum Plinius jam proxime dixerit, Trajanum 'stetisse ante gremium consulis, sedisseque consulem, principe ante hunc stante;' sed quod J. F. Gronovius testatus est, (cur vero tanti viri testimonio fidem derogem?) se hoc ipsum participium in vetere codice reperisse. Idem etiam in margine editionis suæ an. 1531. annotaverat, atque deinde an. 1542. in ipsum contextum recepit Seb. Gryphius. Neque est, cur cum Arntzenio existimemus, repetitionem hujus participii hic nimiam videri, si iterum τῷ *sedenti stantem* opponeret Plinius, quod jam satis factum in superioribus. Hæc enim ratio si valeret, etiam participium *sedens* non repeti debuisset, cujus verbum *sedit* bis proxime præcesserat. Omnino enim ista repetitio singularem ἔμφασιν affert orationi, dum non solum majorem perspicuitatem huic loco conciliat, sed et, judice Gronovio, quasi auget admirationem Trajani, principis ante consulem sedentem stantis, jurantisque, atque adeo legibus moribusque antiquis Romanorum etiam in principatu ultro obsequentis. Majori autem difficultati expositum videtur verbum *præivit*, i. e. consul prælegit et dictavit jusjurandum, ut id subsequeretur ac pronuntiaret ipse princeps. Etsi enim hoc verbum huic rei exprimendæ sit accommodatissimum, et quasi proprium; in nullo tamen codice Ms. id inveni; in nullo edito et ante hoc quadriennium typis excuso libro, id contextui insertum, sed tantum in margine quorundam librorum annotatum, ipse vidi; neque præterea in quemquam commentatorem, aut interpretem incidi, qui diserte testaretur, se hoc verbum, in hoc Plinii loco, in quodam codice vetusto deprehendisse: nisi credamus, eos editores, qui id in margine editionum suarum annotarunt, in antiquo codice reperisse. Ne Lipsius quidem hoc verbum recepit, cui tamen cum maxime placuit, haud secus, ac Rittershusio nostro. Tandem vero J. F. Gronovio Obss. IV. 16. p. 264. sine dubio visum est, vicem τοῦ *præbuit*, scribendum esse *præivit*. Interim ubique eo usque pro *præivit*, legimus *præbuit*, eadem quidem notione, quam hac in re habet verbum *præivit*. Operam igitur dedi, ut lectionem tam constanter propagatam, totque codicum suffragiis confirmatam, pro virili parte antehac defenderem in Excurs. L. quem, si lubet, adeas, et dijudices. Postquam autem meis rationibus non induci potuerunt viri doctissimi, Arntzenius et Gesnerus, ut et ipsi sequerentur lectionem vulgatam; ego, quantumvis animo aliquantum renitente, ipse iis obsecutus, pro verbo *præbuit*, nunc reposui *præivit*; ideo potissimum, quod Plinius, in ultimis hujus capitis verbis, non scripsit *præbente nullo*, sed *præeunte nullo, &c.* Utcunque est, id saltem certum habeo, si vel maxime verbum *præbuit* ab ipso provenerit Plinio, neminem tamen vel contra sensum, vel contra stilum Plinii peccaturum, quisquis verbum *præivit*, tanquam verbum in hoc ar-

gumento solenne, adsciverit. Ceterum, in codice Salisburgensi inter verba *juravit, expressit,* librarius posuit particulam copulandi *et;* alii quidam codices ea ipsa verba interpunctione perfecta divellunt. *Idem.*

Sedens stanti præivit] *Sedens præbuit* Livin. in textu; sed in margine, *Sedens stanti præbuit* G. *Livin.*

Præivit jusjurandum] *Præbuit jusjurandum.* Ita est in omnibus nostris, et probe, reor, ut oblatum ac præbitum, non de scripto præitum intelligas. Patet ex his proxime, 'quod præeunte nullo jurasti;' nam id equidem ad tertium hunc consulatum traxerim, ut, quod sequitur, 'alio præeunte,' ad secundum, quem imperator, sub imperatore tamen, Trajanus gesserat. Itaque damno, quod in editione quadam Antverpiensi a. 1642. ceteroquin non mala, inveni *præiit.* Id.

Præivit] *Præbuit.* Multo melius alii *præiit,* quod sequentia dicent. Moris enim, ut solenniter jurarent, alio verba præeunte. *Lips.*

Præivit jusjurandum] *Præbuit jusjurandum.* Lego *præivit.* Ritt.

Et ille juravit] Hoc Trajani factum Athalaricus rex senserit Variar. Cassiodori Epist. VIII. 3. 'Ecce Trajani vestri clarum sæculis reparamus exemplum.' Adi locum. *Livin.*

Si scienter] Fortasse, *si sciens.* Nam hæc juramenti clausula et sanctio fere erat: 'Si sciens fallo, tum Jupiter Diique omnes mihi, meæque domui, irati sunto.' *Lips.*

Si scienter] Livin. *sciens.* 'Si sciens fallo,' &c. formula jurisjurandi. *Rittersh.*

Si scienter] Sic apud Polybium ac Festum: 'Si sciens fallo, ita me Diespiter ejiciat, ut ego hunc lapidem.' De formis jurisjurandi lege prudentissimum scriptorem de Jure Belli ac Pacis, Hug. Grot. II. 13. § 7. 10. *Bern.*

Si scienter] Adverbium *scienter* jam solicitavit Brissonius de Formul. l. VIII. p. 811. Loco enim ex Panegyrico Plinii citato: 'Explanavitque verba, quibus caput suum, domum suam, si sciens (ita quippe legendum censeo, inquit,) fefellisset, Deorum iræ consecraret.' Livineius etiam, et Lipsius, ex conjectura, et animo quodammodo dubitante, annotarunt, pro *scienter,* fortasse *sciens* esse legendum: propterea, quod in solennibus jurisjurandi formulis Romanorum, pro adverbio *scienter,* frequentissime occurrit participium *sciens.* Sic Cic. Acad. Quæst. IV. 47. 'Majores nostri,' inquit, 'primum jurare ex sui animi sententia quemque voluerunt; deinde ita teneri, si sciens falleret: quod inscientia multa versaretur in vita.' Idem Fam. VII. 1. 'Is jurare cum cœpisset, vox eum defecit in illo loco, Si sciens fallo.' Sic Cornelius Scipio apud Liv. XXII. 53. præjurat ceteris militibus: 'Ex mei animi sententia juro, ut ego rempublicam non deseram, neque alium civem Romanum deserere patiar. Si sciens fallo, Jupiter O. M. domum, familiam, remque meam, pessimo leto afficias. In hæc verba, L. Cæcili, jures, expostulo, ceterique, qui adestis.' Et Pompeius Festus de Verbor. Signif. sub litera L, 'Lapidem silicem,' inquit, 'tenebant juraturi per Jovem, hæc verba dicentes: Si sciens fallo, tum me Diespiter, salva urbe, arceque, bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem.' Tacemus multo plura hujusmodi formulæ exempla; neque nobis ex antiquis scriptoribus ullus alius nunc succurrit locus, ubi jurantes dicantur 'scienter fallere;' quamvis exempla succurrant (v. g. ex Plauto Amphitr. III. 2. 52. ex Liv. II. 45. et XXI. 45.) ubi in hujusmodi formulis, neque 'sciens,' neque 'scienter,' legatur. Quin immo, etsi hoc ipsum adverbium in aliis argumentis optimi Latinitatis aucto-

res satis frequenter usurparint; nusquam tamen, quantum nobis jam constat, aliam ei notionem subjecere, quam ut idem valeret, quod 'scite,' 'perite,' et 'ex arte.' Sic Cic. de Orat. II. 2. 'Bene dicere,' inquit, 'quod est, scienter, et perite, et ornate, dicere.' Et Nepos in Præf. 'Saltasse,' inquit, 'eum commode, scienterque tibiis cantasse.' Et Sueton. Vesp. cap. 3. 'Qui cantaret et psalleret jucunde scienterque.' Cui ergo hæc non suspicionem afferant, fortasse adverbium *scienter*, pro participio *sciens*, ab imperito glossatore sive interprete profectum esse? Utcunque vero est, cum ne ullum quidem variæ lectionis vestigium in hac voce hucusque ostendant scripti impressique libri; agedum relinquamus adhuc Plinio hoc ipsum adverbium *scienter*, in primigenio et proprio significatu 'sciendi' positum, neque sola exempli raritate, aut, ut cum Tertulliano loquar, singularitate, permoveamur, ut in ejus locum participium usitatius aliunde cooptemus! An enim inauditum est, aliquod adverbium duas sustinere significationes? Si participium *sciens* duplicem habet potestatem, quid ni et adverbium inde derivatum? *Sciens* autem proprie notat eum, qui scit, aut cognoscit, item et qui de industria et consulto aliquid ait; v. g. Terent. Heaut. IV. 8. 33. 'Te sciente faciam, quidquid egero.' Cic. pro Cluent. c. 46. 'Habebit, te sciente et vidente, curia senatorem sine ignominia quemquam,' &c. Idem pro Rosc. Amer. c. 20. 'Aperte Indificari et calumniari sciens non videtur.' Deinde *sciens* etiam dicitur peritus, et arte sua instructus, habetque suos gradus 'scientior,' et 'scientissimus.' Sallust. Jug. c. 85. 'exercitus locorum sciens,' i. e. peritus. Cic. pro Lege Manil. cap. 10. 'Quis Pompeio scientior unquam fuit?' Similiter in adverbio composito 'inscienter,' quod tanquam *ἀντίθετον τῷ scienter* opponitur, duplex hæret notio. Aliquando denotat simplicem absentiam scientiæ, i. e. ex ignorantia, ex inscientia; v. g. apud Liv. lib. XXV. c. 10. 'Terrorem et tuba audita ex theatro faciebat; nam et Romana erat a proditoribus parata, et inscienter (ex ignorantia) a Græco inflata,' &c. At notat 'inscienter' etiam inscite, imperite, et ex inscitia. Vide Cic. Topic. cap. 8. et Acad. Quæst. IV. 6. Quid ni pari ratione adverbium simplex *scienter*, quod apud alios frequenter notat 'perite,' 'sciteque,' apud Plinium etiam significare possit, 'ex scientia, et consilio,' adeo ut prorsus idem sit *sciens fallo*, et *scienter fallo*? Etsi igitur facile largior, quod jam supra de verbo 'præivi' dixi, id etiam huc accommodari posse; nempe neminem facile maculam quandam adspersurum orationi Plinianæ, si quis ex formulis solennibus assumat participium *sciens* pro *scienter*; reclamantibus tamen omnibus omnino exemplaribus, quæ hucusque innotuerunt, nolim adverbium *scienter*, cui præterea tam aperte favet analogia grammatica, ex hoc loco removere. Removit tamen, et cum voce *sciens* commutavit unus Gesnerus, qui vero fallitur, dum credit saltem plerosque libros illud *scienter* habere, cum omnes omnino habeant; itemque jam Gronovium idem adverbium rejecisse, cum is hoc ne attigerit quidem, quamvis pro verbo *præbuit*, rescribendum censuerit *præivit*. Schwarz.

Deorum iræ consecraret] I. e. devoveret. Scilicet hæc altera pars omnis jurisjurandi est, ut ultio perfidiæ et perjurii poscatur. Sic Plut. Quæst. Rom. 44. *Πᾶς ὅρκος εἰς κατάραν τελευτᾷ τῆς ἐπιορκίας*, i. e. *omne jusjurandum in diras desinit, si quis pejeraverit.* Huc pertinet illa formula apud Plaut. Amphitr. III. 2. 52. 'Id ego si fallo, tum

te, summe Jupiter, quæso, Amphitruoni ut semper iratus sies.' Apud Liv. I. 24. 'Si P. R. prior defexit publico consilio, dolo malo; tu illo die, Jupiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hic hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes, pollesque.' Apud eund. XXI. 45. 'Agnum læva manu, dextera silicem, retinens, si falleret, Jovem, ceterosque precatus Deos, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset. Secundum precationem caput pecudis saxo elisit.' Vide Grot. de Jure B. et P. II. 13. 10. Quoniam igitur homo violator jurisjurandi devovebatur Deo ad pœnam, is 'sacer' habebatur, ut 'cujus caput Jovi sacrum esset.' Liv. III. 55. Sic 'sacrari' et 'consecrari' iræ et pœnæ divinæ dicebantur etiam alii homines, publice noxii. Liv. III. 48. 'Te,' inquit Virginius, 'Appi, tuumque caput, sanguine hoc consecro.' Idem II. 8. 'Ante omnes de provocatione adversus magistratus ad populum, sacrandoque cum bonis capite ejus, qui regni occupandi consilia inisset:' ubi Marcell. Donatus, '*Sacratum* ergo *caput* expono, *execratum*; Græcis *κατάρατος*.' Sic Horat. Sat. II. 3. 181. 'Intestabilis et sacer esto.' *Idem*.

Iræ consecraret] Plautus Amphitruone: 'Si fallo, tum te, summe Jupiter, quæso, Amphitruoni ut semper iratus sies.' Brissonius de Formulis lib. VIII. videtur. *Lips.*

Iræ consecraret] Solenne juramentum apud nostrates lege in D. Bald. II. 9. de Casibus Conscientiæ circa Juramenta. *Bern.*

Digna prædicatio] Hoc ordine ista verba scripta sunt in codicibus Vaticanis, Parisiensi, utroque Veneto, Salisburgensi, Guelpherbytano, et meo; alias, *prædicatio digna*. Schwarzius.

Quod primo] I. e. quod primo consulem; sive, quod fecisti, cum primo consul esses. Fuit vero M. Ulpius Trajanus Crinitus, una cum M. Acilio Glabrione, primum consul ordinarius, A. U. C. 844. sive post Christum natum, A. 91. cum ipse adhuc privatus esset, et quidem sub Domitiano imperatore. Iterum consul fuit A. C. 98. cum imperatore Cocceio Nerva IV. sed tunc jam erat Cæsar, neque eo tempore jusjurandum consulare dedisse videtur, cum absens esset, et expeditionem in Germania obiret. *Id.*

Istud, quod præeunte nullo] Pro *istud*, habent *illud* ambo codices Veneti, et Guelpherbytanus. Pro *nullo*, codex Parisiensis *illo*; pro *an hoc*, Salisburgensis *in hoc*; pro *jurasti*, idem Salisburgensis, primum, *vitasti*, deinde ex correctione, *jurasti*. Tres vel quatuor hujus loci explicationes deprehendi, quarum vero nullam, fateor, ita mihi ex omni parte satisfacere, quin in acumine, quod captavit Plinius, aliquid vel frigoris vel obscuritatis, relinquere videatur. Catanæus in prioribus editionibus hæc Plinii verba de exemplis antecedentium imperatorum explicavit: 'Nescio,' inquit, 'laudabiliusne sit illud, quod præeunte nullo, (i. e. exemplo nullius præteriti imperatoris,) an, alio præeunte, jurasti; quod nempe alius imperator tibi dederit exemplum.' At laudabile quidem fuisset, si Trajanus hac in re antecedentia aliorum bonorum principum exempla habuisset, secutusque esset: verum nescio, quo acumine dubitasset aut interrogasset Plinius, annon laudabilius et illustrius foret, si Trajanus, sine exemplo alio, prorsus inusitatum humanitatis et civilitatis specimen dedisset; et quomodo non constare potuisset Plinio, secutusne sit Trajanus hac in re exempla aliorum, necne. In posterioribus editionibus Catanæus, dimissa prima explicatione, verba Plinii de iis, qui formulam

jurisjurandi præierunt jurantibus, interpretatus est : '*Præeunte nullo*,' inquit, 'est nullo præmonstrante verba, quæ dicturus eras ... *Alio præeunte*, i. e. alio prædicente quæ dixisti ; quod est indicium humanitatis et religionis ; sicut illud, cum firmitudinis firmissimæque memoriæ, tum fiduciæ sui.' At sic Plinius Trajani potissimum satis frigide laudasset memoriam firmam, quod hic potuerit, nemine præeunte, formulam jurisjurandi recitare : quanquam neque Plinius diserte, neque Catanæus, indicant, ubi et quando Trajanus, nullo verba præeunte, juraverit. Indicare id voluit Gronov. Obss. IV. 16. ubi tradit, duplex significari jusjurandum ; quorum alterum, in comitiis, sub auspicia muneris, *præeunte alio*, dederit Trajanus ; alterum, *nullo præeunte*, cum in rostris deposuerit consulatum. Verum, quod recte judicat Gesnerus, ita priore loco, et obscuriuscule, Plinius commemoraret jusjurandum posterius, de quo demum, LXV. 2. his solis verbis mentionem injicit : 'Itaque et abiturus consulatu jurasti, te nihil contra leges fecisse.' Ubi Plinius haud meminit, utrum Trajanus tunc juraverit, præfante aliquo, nec ne. Denique Lipsius, Baudius, Baunius, hunc locum ita interpretantur : 'Equidem affirmare non possum, (inquit Plinius,) plusne laudis tibi debeatur, quod nullo principum exemplo præeunte inductus fidem tuam jurejurando firmasti ; an quod jurasti, consule verba præeunte, et tanquam jubente.' Sed quis non sentit frigusculum quoddam acuminis, quod tunc Plinius in ambiguo significatu verbi 'præire' aucupatus sit? Interim, cum nullam meliorem explicationem excogitare valeam, in hac acquiesco. Paullo plura de hoc loco, si lubet, vide in Excurs. LI. *Idem.*

Præeunte nullo] Hoc ad principes trahendum, non ad verba juranda. Captat igitur acumen in verbo, et mirum laudandumque, quod nullo principum exemplo præeunte, jurasti : et hoc quoque, quod alio verba præeunte, quasi illo jubente, jurasti. *Lips.*

Alio præeunte] In sacris, et rebus solennibus, solebat aliquis aut submissa voce, aut de scripto, præire verba quæ magistratus summus voce clara dicebat ; ne quid verborum præteriret, aut præposterum diceret, erraretque ; tantam sacrorum curam habuit antiquitas. Plin. lib. XXVIII. *Bern.*

CAP. LXV. *In rostris quoque*] Suscepturus inibi magistratum. Infra, 'Jam toties procedere in rostra, hic suscipere, hic ponere magistratus,' &c. *Liv.*

In rostris] Ergo et hic iterum juratum ; sed illud a designato consule ; hoc cum jam inisset, primo illo et auspicali die. *Lips.*

In rostris] In foro, ubi rostra, jam nota. Ibi ergo consul jurabat, quo die magistratum inibat. Jurabat autem in senatu, quando renuntiabatur. *Patarol.*

In rostris] In cod. Patavino et Voss. libro particula *fere*, nescio unde, his verbis sic intercalatur, *In rostris quoque fere simili, &c.* Ceterum, *in rostris* proprie loquitur Plinius, uti et Cic. in Pison. c. 3. 'Semper in rostris curiam, in senatu populum, defendi.' Alias frequentius dicitur, 'pro rostris,' 'pro tribunali,' 'pro suggestu.' Falluntur vero, qui opinantur, tunc præpositionem *pro* semper significare *ante :* quasi oratores et magistratus non *in rostris*, sive 'super rostra,' sed 'ante rostra,' steterint sederintque. *Pro* enim tunc ponitur pro *in*, quod dilucide docet Festus : '*Pro* significat *in ;* ut, 'pro rostris,' 'pro æde,' 'pro tribunali.'' Sic Cæsar B. G. VI. 3. 'Hac re pro suggestu proposita.' Florus


his particulis promiscue uti videtur: III. 21. 'Octavii consulis caput pro rostris exponitur.' IV. 6. 'Romæ capita cæsorum proponere in rostris, jam usitatum erat; verum sic quoque civitas lacrymas tenere non potuit, cum recisum Ciceronis caput in illis suis rostris videretur.' Negare tamen nolim, aliquando utrumque, 'in rostris,' et 'pro rostris,' etiam late dici pro loco fori circa rostra sito. 'Rostra' vero fuere locus editior, ex quo a magistratibus habebantur conciones ad populum, de legibus aliisque rebus ad rempublicam pertinentibus; item laudabantur defuncti: cumprimis vero consules muneris sui auspicium ibi faciebant, aut magistratum deponebant; dum illic se ostenderunt populo, atque in ingressu consulatus jurarunt, se observaturos esse leges; in exitu autem, leges a se fuisse observatas. Erat proprie suggestus, in quem per gradus adscendebatur; unde Ammianus Marcell. lib. XVI. fere medio, dixit 'elatum vertice scansili suggestum consulum, et priorum principum imitamenta portantem.' Dicitur etiam Plinio Majori 'tribunal,' XVI. 3. 'Antea rostra navium tribunali præfixa fori decus erant.' Ea propter enim hoc tribunal, sive hic suggestus, vocari consuevit 'rostra;' quoniam in tribunalis hujus parte anteriore affixa erant 'rostra ærata navium,' quas Romani A. U. C. CCCCXVI. devictis Antiatibus ademerant. Plin. XXXIV. 5. 'Eodem in consulatu (C. Mænii et L. Furii Camilli,) in suggestu rostra, devictis Antiatibus, fixerat populus Romanus.' Et Liv. VIII. 14. 'Rostris navium Antiatium suggestum in foro exstructum adornari placuit, rostraque id templum appellatum.' Cic. pro Lege Manil. c. 18. 'Non pudebat magistratus populi Romani in hunc ipsum locum adscendere, cum eum vobis majores vestri exuviis nauticis et classium spoliis ornatum reliquissent.' Cf. Flor. I. 11. Non autem solum Liv. l. c. sed etiam Cic. in Vatin. c. 10. rostra vocarunt 'templum.' 'In rostris,' inquit, 'augurato templo ac loco;' non quasi re vera, quod Blondus opinatus est, ædificium alicujus templi, 'rostrorum' nomine insigniti, ibi fuerit; sed quoniam locus sacer et augurio captus generatim dictus est 'templum.' Duplicia vero 'rostra' fuere Romæ: 'vetera, in foro, ante curiam Hostiliam.' Varro de L. L. IV. 2. 'Ante hanc (curiam Hostiliam, a rege Hostilio ædificatam,) rostra; quibus id vocabulum, quod ex hostibus capta fixa sunt rostra.' Steterunt hæc 'rostra vetera' in illo latere medii fori, unde oratores ad Palatinum terga, vultum ad Capitolium, converterunt. Vide Minutolum in Dissert. VII. de Ædificiis Judicialibus. 'Rostra nova,' sive 'Julia,' etiam in foro sita fuere, sed ad radices Palatii, et ad ædem D. Julii; quoniam Jul. Cæsar ea illic constituerat. Utrorumque indicium facit Dio Cass. l. LVI. p. 592. ubi de Augusti funere scribit, narratque, defuncti Augusti lectum feralem positum fuisse *ἐπὶ τοῦ δημηγορικοῦ βήματος, in tribunali concionatorio,* i. e. in rostris veteribus, ex quibus frequentissimæ conciones habitæ; et ex his rostris Drusum orationem funebrem de scripto recitasse; at, *ἀπὸ δὲ τῶν ἑτέρων ἐμβόλων τῶν Ἰουλίων, pro alteris rostris, Juliis* dictis, Tiberium ex senatusconsulto perorasse. Paria commemorat Sueton. in Aug. c. 100. Augustus 'bifariam laudatus est: pro æde D. Julii a Tiberio; et pro rostris veteribus a Druso, Tiberii filio.' Utrumque rostrorum formam ex antiquis nummis ostendit Spanhem. de Præstant. et Usu Numism. vol. II. p. 191. quos nummos in eorum gratiam, quibus ejus generis libri non statim

ad manus sunt, etiam hic delineatos exhibere libet.

I



II



Prior nummus est denarius gentis Lolliæ; in cujus anteriore parte vides effigiem et nomen LIBERTATIS; quia, teste Dione lib. XLV. pag. 286. rostra dicebantur βῆμα τὸ ἐλευθέριον, *tribunal libertatis.* In aversa nummi parte legitur cognomen M. Lollii, PALIKANVS; quia, hujus tribuni plebis opera, restituta fuisset tribunitia potestas a Sulla sublata. Subter nomen Palikani conspiciuntur rostra vetera, h. e. suggestus columnis aliquot rostratis superstructus, supra quem sella tribunitia est collocata; quoniam ex his rostris etiam tribuni plebis conciones ad populum habuere. Hinc Spanhemius declarat, cur e superiore loco perorare, aut in eo consistere, dicerentur, qui e rostris populum alloquebantur; ut Cicero de se, Verr. I. 5. 'Hanc ego caussam cum agam beneficio populi Romani de loco superiore;' nempe de rostris, tanquam tunc ædilis curulis. Alter nummus est denarius gentis Sulpiciæ; in cujus anteriore parte est effigies Augusti Octaviani, et nomen CAESAR AVGVSTVS. In posteriore parte repræsentantur rostra nova, sive Julia; ubi similiter vides suggestum, sive tribunal, instar baseos columnæ, rostris navium ornatæ. Tribunali imposita est sella curulis, cui insident duo togati consules, tum Augustus et Agrippa. Qui nummus etiam inter Ducis Arschotani Numismata Regum et Imperatorum Rom. Tab. XIV. n. 14. exhibetur. *Schwarz.*

Legibus] Verba enim jurandi erant, 'servaturum leges.' *Lips.*

Nemo principi] Facete Matthesius in cap. 39. Syracid. 'Imperativus caret prima persona.' Cum ipse lex sit, hoc est, vitæ et actionum integer; qui rex, quamdiu talis; quemque qui sequitur, et parem in vita præstat integritatem, (quæ est Hebræis דת, inde Græcis θέμις, Latinis *fas*,) exlex est; locum enim legibus non concedit præsens Themis, quem dedit absens: unde protoplasti, patriarchæ, et aurei, ut vocant, sæculi

homines, absque legibus, 'fidem rectumque colebant,' quæ est θέμις: qua sublata legibus opus fuit. 'Corruptissima enim republica plurimæ sunt leges.' Tacitus. At nemo ergo vel bono principi imperabit? immo Deus, 'cujus ipsi in potestate sunt reges.' Suet. Cæs. cap. 6. Κύριος μὲν πάντων ἐστὶν ὁ βασιλεὺς, δοῦλος δὲ μετὰ πάντων ὑπάρχει τοῦ Θεοῦ. Agapetus Diacon. in Basilicis cap. 68. Plutarchus in lib. ad Princip. Indoct. 'Quis,' inquit, 'imperabit principi?' 'Lex, omnium regina mortalium atque immortalium,' ut ait Pindarus: non ea foris scripta in libris, aut lignis 'insculpta, sed vivida in ipsius corde ratio, semper una habitans atque excubans, et animum nunquam sinens esse principatu vacuum. Neque vero aut per senatum, aut per populum, solvi hac lege quisquam potest.' Interim et lex scripta nisi cogat, tamen dirigat principem. Cic. de Republ. lib. III. Lactant. VI. 8. Adde Tac. Germ. c. 7. Cæsar Bell. Gall. v. cap. 27. Jul. Cæs. Bulenger. *Bern.*

Tibi plus velimus] Forte, *Tibi plus licere velimus.* Livin.

Tibi plus velimus] Perperam omissum est pronomen *tibi* in cod. Parisiensi et Guelpherbytano. Ceterum, hæc ambigue dicta putavit Lipsius. 'Plus licere,' inquit, 'an, plus te amemus. Nam, *velle alicui* ἁπλῶς, bene velle ac favere, significat Latinis.' Quæ posterior interpretatio etiam placuit Bannio. Verum rectius et acutius ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetitur animo infinitivus *licere*, i. e. permissum esse. Neque enim Plinio hujusmodi ἐλλείψεις sunt infrequentes. In meo codice hæ voces ita transpositæ sunt: *Sed tu nihil amplius vis tibi, quam nobis, licere.* Lat. Pacat. Paneg. ad Theodos. c. 12. 'Idem es, qui fuisti, et tantum tibi per te licet, quantum per leges licebat. Jus summum facultate et copia commodandi, non securitate peccandi, experiris.' *Schwarzius.*

Quid ergo nunc primum audio] Vulgo legitur, *Quod ego nunc primum, &c.* 'Vegeta magis oratio,' inquit Lipsius, 'si *Quid ego* legas, et interrogando acuas post *disco*.' Jam vero in codice Salisburgensi scriptum est, *Quid ego;* et in meo, *Quid ergo nunc primum audio, quod nunc primum disco.* Pronomen *quod* in alterius membri initio inutiliter positum est, aut suspicionem afferre potest, in antiquiore codice iteratum fuisse pronomen interrogativum *quid?* aut etiam ab initio primi membri fuisse scriptum *Quod.* Non quidem necessarium hic videtur illud pronomen interrogativum *quid?* utique tamen vegetiorem reddit orationem, cum inprimis conjungatur cum figura παθητικῇ, quæ latet in verbis *audio, disco;* et cum figura ἁρμονικῇ, quæ repetitione harum vocum, *nunc primum*, continetur. Particulam vero *ergo*, quæ et alibi non raro cum pronomine *ego* commutatur, lubenter admitto; quoniam ea non solum in meo, sed etiam Parisiensi codice Ms. itemque in Veneto 1. extat, ac vim consectarii, quo hic utitur orator, complectitur. Postquam enim Plinius paullo ante commemorarat, Trajanum imperatorem legibus congruenter jurasse, ac se submisisse legibus; tum concludit hanc narrationem quasi per ratiocinationem, subjecta γνώμῃ. In codicibus Mss. Vaticanis 3461. et 1775. et in Guelpherbytano, item et in Berneggeriana et Hackiana editionibus, hæc verba primi membri, *nunc primum audio*, contra suffragia aliorum codicum Mss. librorumque impressorum, male omissa sunt. *Idem.*

Non est princeps supra leges, &c.] Hæc verba corrupte evulgata sunt in antiquioribus editionibus Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Philomusi, Rhenani: *Non est princeps; sunt leges, sed supra principem.* Nec multo melius

legimus hæc in Aldi, Juntæ, Cratandri, Rob. Stephani, Ascensii, Navii, Pauli Stephani an. 1601. editionibus: *Non est princeps, sunt leges; sed leges supra principem.* At omnes codices Mss. et reliquæ editiones habent integra verba, prout a nobis exhibentur; nisi quod quædam varietas in particula *super* et *supra* occurrat. Plures codices Mss. et libri impressi, Gryphii an. 1531. Sichardi, H. Stephani, Petri Choueti, Rivini, Boxhornii, Cellarii, Cevæ, priore loco *super*, posteriore *supra* exhibent: *Non est princeps super leges; sed leges supra principem.* At codex Guelpherbytanus, et liber Vossianus, item et in libris excusis, Gryphius an. 1542. Livineius, Gruterus, Puteanus, Berneggerus, Hackius, Patarol, Gesnerus, utrinque habent *supra: Non est princeps supra leges; sed leges supra principem.* Contra, vetus codex Livineii, Cuspinianus, et recentius Arntzenius, utroque loco adsciverunt *super*. Quæ varietas ex compendio scribendi orta est; neque raro alibi etiam observatur; v. g. apud Sueton. Aug. 35. 38. 43. et passim. Equidem Laur. Valla Eleg. II. 53. discrimen significationis statuit inter particulas *super* et *supra*: 'Licet hæ præpositiones,' inquit, 'in eodem loco sedere possint; tamen in hoc plerumque differunt, quod *super* contiguum est; *supra* interjecto spatio; ut, 'sedeo super lapidem' magis quam 'supra lapidem.' Rursus, 'aquila volat,' vel 'nubes pendent supra nos,' potius quam 'super nos.' Non tamen sic semper.' Et Auson. Popma de Different. Verbor. lib. IV. '*Supra*,' inquit, 'quod substratum aliquid habet; *super* est, quod eminet.' Verum, præter alios, jam Burmannus, ad Nemesiani Eclog. III. 5. valde dubitat, an hoc discrimen semper observarint veteres: certe notat, Livium XXXII. 11. in eodem capite, 'supra caput,' et 'super caput,' dixisse; et XXV. 18. 'Crispinus supra scutum sinistrum humerum Badio hasta transfixit, superque delapsum cum vulnere ex equo desiluit.' Cum ergo istæ particulæ sæpe promiscue sumantur; inter tot varietates difficile dictu est, quæ lectio ipsi Plinio debeatur. Id saltem fateor, Plinium ipsum non videri mihi statim in eadem re, eodemque verborum nexu, istas particulas variasse, prout nunc in plurimis codicibus Mss. et in aliquot editionibus deprehenduntur, sed potius utrinque, vel *super*, vel *supra*, posuisse. Ambiguus igitur hæreo; cum nec lubenter damnare velim *super*, nec rejicere *supra*. Interim hoc posterius utroque loco admisi, quia ejus frequentiorem usum in simili argumento, de superiore virtute et potestate, animadverto. Cicero ad Brut. Epist. 17. 'Cum ipsa re bellum geram, hoc est, cum regno, et imperiis extraordinariis, et dominatione, et potentia quæ supra leges se esse velit.' Quinctil. Declam. CCLXVI. 'Ideo magnam esse virorum fortium potestatem; quia supra jura omnia sit.' Idem Declam. CCLXXIV. 'Exuit se tyrannus, et erigit; supra leges ponendo, extra illas se posuit.' Plin. Epist. I. 20. 'Non minus non servat modum, qui infra rem, quam qui supra; qui adstrictius, quam qui effusius, dicit.' At non nego, Plinium etiam his in rebus præpositionem *super* usurpare: Paneg. c. 24. 'Emines, excellis, ut honor, ut potestas, quæ super homines quidem, hominum sunt tamen.' Ceterum, in omnibus codicibus Mss. atque in Cuspiniani et Gryphii editionibus, sequens membrum, *idem Cæsari*, per copula *que* cum præcedentibus ita recte connectitur, *idemque Cæsari, &c.* quæ particula copulandi etiam placuit Cl. Arntzenio. *Idem.*

Supra principem] Magis Plinianum quod in V. C. est, *super principem.* Supra, 'ut tantum super ceteros,

quantum infra te, cernerentur.' Alibi passim. *Livin.*

Leges supra principem] Apollonius Vespasiano II. 20. et 24. 'Legem,' inquit, 'imperatori dominari debere, quia in illis ferendis erit moderatior, si eas non contemserit.' *Bern.*

Idemque Cæsari] *Idem Cæsari* Livin. in textu; sed in margine, *Idemque Cæsari*. V. C.

In legem] Palam, *in leges*. Lips.

In legem] 'Sic me custodio, tanquam legibus, quas ex abdito ac tenebris in lucem evocavi, rationem redditurus sim.' Senec. de Clem. I. *Bern.*

Observantibus his] *Observantibus iis* Livin. in textu; sed in margine, *Observantibus his* V. C. R.

Observantibus] Senatoribus, et aliquando consulibus futuris. *Lips.*

Idem jurandum est] In codicibus Mss. Vaticanis, Veneto 2. Salisburgensi, meo, et libro Vossiano, inutiliter scriptum est *idem jusjurandum est*. Schwarz.

Maxime interest, non pejerare] Beroaldus et Catanæus pro *maxime*, insolenter habent *maxima*. Ceterum, omnes libri manu typisque exscripti habent *pejerare*, præter Lipsii et Berneggeri, Hackii, Cevæ, et Gesneri editiones, in quibus legitur *pejerari*. Miror, Lipsium nihil annotasse, unde, et cur, hanc lectionem receperit. Fateor, hanc mihi majorem in modum arrisisse, cum *pejerari* ad omnes imperio Romano subjectos, *pejerare* ad unum Trajanum, referri posse videatur; parui tamen auctoritati codicum Mss. et plurimarum editionum, et explicationi Arntzenii, qui monet, 'interfuisse Trajani, non pejerare, ad exemplum facti;' ne scilicet, ipse pejerans, exemplum perjurii etiam aliis præberet. *Idem.*

Interest] Nam principum status et salus juramento nitebatur, quod quotannis, ipsis Kalendis Januariis, senatus præstabat. Scripsi de hoc ritu ad Tacit. Annal. XVI. 22. Excursu A. p. 540. in verba: 'Principio anni, vitare Thraseam solenne jusjurandum.' Itaque si fides solvitur, labat eorum potestas. *Lips.*

Abiturus] Hujus moris multa exempla, in Cicerone, Dione, Plutarcho. Bona et provida institutio, religione jurisjurandi incipere magistratum, et finire. *Idem.*

Abiturus consulatu jurasti] In codice Vaticano 3461. pro voce *abiturus*, perperam scriptum est *habiturus*; quæ scriptura etiam a prima manu apparet in codice Salisburgensi, at ab alia manu correcta est. Hic vero notamus, Trajanum in consulatu suo tertio ter jurasse: primum, non in curia et senatu, quod Patarol, et quidam alii, perhibent, sed in campo Martio, vetere illa potestatis popularis sede, ubi solenniter renuntiatus est consul. De quo jurejurando Plinius egit proximo capite. Deinde in rostris, ubi se, tanquam consulem in suggestu ostendebat populo, et religione jurisjurandi legibus subjiciebat. De quo jurejurando Plinius egit in initio hujus capitis. Num vero jusjurandum hoc pro rostris ipso primo et auspicali die consulatus, h. e. Calendis Januariis, an alio quodam die proximo, cum jam munia consulatus obeunda aggrederetur, a Trajano sit præstitum, definire non possum. Apud Liv. XXXI. 50. hæc legimus: 'L. Valerius Flaccus, quia Flamen Dialis erat, jurare in leges non poterat: magistratum autem plus quinque dies, nisi qui in leges jurasset, non licebat gerere..... Datus, qui juraret pro fratre, L. Valerius, prætor designatus.' Nunc agit Plinius de tertio jurejurando, quod Trajanus, jam depositurus consulatum, iterum in rostris præstitit, ubi juravit, se in consulatu scientem prudentemque nihil contra leges fecisse. Qua in re non quidem exempla plurium aliorum principum, qui ex superbia ejusmodi jurajuranda omiserunt, sed exempla privatorum, pris-

eorumque maxime, consulum, secutus est: quanquam et aliquos etiam principes antehac jurasse, deprehendamus. Sic Augustus, teste Dione Cassio lib. LIII. pag. 496. defunctus consulatu, jusjurandum patrio more præstitit; quod an posthæc etiam fecerit, incertus est Dio. Sic et Claudius, eodem teste, lib. LX. pag. 671. consulatu abiturus, idem, ut alii, jusjurandum dedit, solitus id in omnibus consulatibus suis facere. Cicero, suo tempore, pridie, quam abiret consulatu, de rebus in consulatu suo gestis concionem habere voluit, quem vero potestate concionis habendæ privavit Metellus, tribunus plebis, eique nihil permisit, nisi ut juraret. Cic. Fam. v. 2. et in Pison. c. 3. *Schwarz.*

Promitteres] Initio magistratus, supra. *Lips.*

Majus, postquam præstitisti] In Salisburgensi codice, et meo, scriptum est, *majus erat, dum præstitisti.* Verbum *erat* hic abundat; particula *dum* posset locum habere; sed non opus est quadam mutatione. Plinius supra LVI. 4. 'Magnum est, differre honorem; gloriam, majus.' *Schwarzius.*

In rostra] Jurandi caussa, nam ibi occipiebant magistratum, ibi deponebant; et cum juramento, ut dixi. *Lips.*

Inadscensumque] Mallem *inaccessumque.* Idem.

Inadscensumque] Ignosce, Lipsi, malim *inadscensumque.* Nam inaccessus locus, potius esse videtur, quo non patet utique aditus: at principibus patebat utique aditus in rostra, sed noluerunt ascendere. Sic 'arx inaccessa' supra XLIX. 3. *Bern.*

Inadscensumque illum] Particulam ἐγκλιτικὴν *que* prætermittunt codices Vaticani, Venetus 2. Salisburgensis, Guelpherbytanus, et meus; ceteri habent, et quidem satis commode. Præterea, pronomen *illum*, et ante vocabulum *inadscensum*, et post hoc, inutiliter repetunt Salisburgensis et meus; quanquam in Salisburgensi alia manus deleverit posterius pronomen *illum.* Adhæc nec scriptura vocis *inadscensum*, sive *inascensum*, in omnibus codicibus sana est. In meo codice lego *inaccen- sum;* in cod. Patavin. libro Voss. et editionibus Puteolani, Beroaldi, Aldi, Rhenani, Navii, *inassensumque;* in Vaticanis, Parisiensi, utroque Veneto et Guelpherbytano codicibus, integris literis scriptum est, *inascensum*, quo etiam refero libros impressos Catanæi, Juntæ, Cratandri, R. et H. Stephani, Gryphii, Sichardi, Gruteri, et aliorum; quanquam in nonnullis quasi divisis vocibus expressum videatur, *in ascensum.* Participium quidem 'ascensus' aliquando usitatum reperitur; v. g. apud Propert. IV. 3. 63. 'Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris;' at decompositum 'inadscensus,' sive 'inascensus,' adhuc videtur vocabulum ἅπαξ λεγόμενον, quod non facile apud alium probatæ Latinitatis auctorem occurrit, et pertinet ad ea nomina adjectiva, quæ formam participiorum, sed nullum verbum habent, a quibus ἀμέσως descendant. Cujus generis sunt, v. g. 'illaudatus,' 'inassuetus,' 'invictus,' 'inaccessus,' et similia. Maluit igitur Lipsius etiam hoc in loco legere *inaccessum;* neque, ut opinor, male. Etsi enim Berneggerus opposuerit Lipsio, *inaccessum locum* videri potius esse, quo non pateat utique aditus; principibus vero omnino aditum ad rostra patuisse, sed ipsos noluisse adscendere; tamen inanis hæc est objectio, cum idem etiam de 'loco inadscenso' possis dicere. Sive itaque, *inaccessus*, sive *inascensus* hic legas, significatio utriuslibet vocabuli foret latius extendenda; ut 'inaccessus locus' non tantum dicatur, qui accedi non potest, aut non debet, sed etiam, qui re ipsa non acceditur, aut accessus est. Sic 'inadscensus locus,' qui a superbis principibus

non adscenditur, neque adscensus est; etiamsi alibi 'locus inadscensus' dici queat, qui non adscendi potest, neque debet. Et quid, si locum superbiæ principum *inadscensum* dicas, quem insolentiores principes præ superbia et fastu adscendere non potuerint? Quamvis ergo nec mihi displiceret *inaccessus*, nolui tamen *inascensus*, tanquam vocabulum ἅπαξ λεγόμενον, statim rejicere. *Schwarz.*

Locum terere] I. e. locum frequentare, frequenter adire; sicut Plin. Epist. I. 24. ait, 'semitam terere.' Sic hoc verbum etiam de frequenti obambulatione usurpat Martial. II. 11. 'Quod ambulator porticum terit serus.' Idem III. 20. 'porticum terit templi.' Cf. supra ad p. 740. Credo vero, esse errorem librarii, qui pro verbo *terere*, in codice Veneto reposuit *tenere;* et mendum typographi, qui pro eodem verbo in editione Beroaldi dedit *terre*. Idem.

Quamque diversum consuetudine] In codice Salisburgensi et meo, pro *consuetudine*, scriptum est *consuetudini;* neutiquam perverse; nam sic etiam loquuntur probati auctores. Cic. Orat. Agrar. II. 32. 'Corinthus duo maria maxime navigationi diversa pæne conjungit.' Quinctil. Instit. Or. IX. 2. 'Cui diversum est, cum alium rogaveris, non expectare responsum.' Idem ibid. inferius: 'Ut illic verba sint verbis diversa; hic sermoni sensus.' Non tamen ideo rejicio lectionem ab omnibus libris impressis receptam, et a ceteris codicibus Mss. confirmatam. Nomen enim adjectivum 'diversus' etiam cum casu sexto conjungitur, vel absolute, vel interveniente præpositione *a* vel *ab*. Cic. ad Q. Fr. I. 1. 12. 'Difficile est, ea quæ commodis, utilitate, et prope natura, diversa sunt, voluntate conjungere.' Idem Acad. Quæst. IV. 32. 'Certa igitur cum Epicuro, qui a te totus diversus est.' Illud vero pro mendo habeo, cum in meo codice pro *quam dignum te*, scriptum est *quam dignitate*. Idem.

Consuetudine illorum] Julii Sueton. cap. 76. Aug. cap. 26. Tib. cap. 17. Calig. cap. 17. Domit. cap. 13. *Bern.*

Illorum] Malos principes innuit, Domitianum præsertim, qui, teste Sueton. cap. 13. 'omnes consulatus pæne titulo tenus gessit, nec quenquam ultra Cal. Maii, plures ad Idus usque Januarias;' ut et supra adnotavimus ad cap. 58. *Patarol.*

Pauculis diebus] In Domitianum; de quo Tranquillus: 'Omnes consulatus pæne titulo tenus gessit, nec quemquam ultra Kalendas Maii, plures ad Idus usque Januarias.' Si ad Idus, ecce 12. aut 13. dies. *Lips.*

Non gestum] Nihil enim publice fecerant, nulla ejus munia obierant. *Idem.*

Edictum] Quo publice significabant, se abire eo magistratu, alios sufficere, tales et tales. *Idem.*

Abjiciebant per edictum] In meo codice pro *abjiciebant*, mendose positum est *alii ciebant*. Alias consules dicebantur, 'ponere consulatum,' 'abire consulatu,' &c. at Plinius hic utitur verbo 'abjicere,' κατ' ἔμφασιν. Ea enim proprie dicimur 'abjicere,' quæ tanquam vilia, et nobis ingrata, per contemtum dimittimus, atque infra dignitatem esse existimamus. Abjiciebant autem *per edictum;* nempe, superbi principes non dignabantur senatum populumque Romanum, præsentes interesse comitiis, ut ibi solenni patrioque ritu aut susciperent consulatum aut deponerent, concionemque haberent et jurarent; sed satis habebant, absentes *per edictum* declarare voluntatem suam, si vellent vel recipere, vel deponere consulatum, vel eum in alium conferre. Cf. supra LXIII. 4. et 7. *Edictum* autem generatim est jussum et decretum, sive ore, sive scripto, seu libello, declaratum; speciatim alias

'edicta' Romæ dicebantur, quæ prætores, antequam jus redderent, solebant proponere, ut scirent cives, quod jus de qua re quisque dicturus esset. Neque vero soli prætores aut proconsules, sed et omnes magistratus, immo deinceps et principes *edicere* dicebantur; et generales leges, quæ omnes populos et provincias tenebant, appellabantur 'constitutiones,' et 'edicta principum.' Terent. Eunuch. III. 5. 29. 'Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat.' Ubi Donatus: 'Edicimus, jubemus, vel jure dicimus. Edicta enim imperatoris sunt.' Qua de re adire licet Lexica Juridica. *Schwarz.*

Hoc pro concione] Edictum illud tyrannis sufficiebat pro concione, &c. Sic locum interpretor; alii aliter. *Patarol.*

Hoc pro concione] Elegans est similitudinis et æstimationis significatio in præpositione *pro*, quæ hic explicari potest per voces, 'instar,' 'loco,' 'vice;' quasi dixerit Plinius, Principes superbi, sive suscepturi, sive deposituri consulatum, nihil aliud agebant, quam quod edicerent juberentque, quid fieri vellent; cum ipsos decuisset, interesse comitiis consularibus, in rostra adscendere, concionem habere, et dare jusjurandum. Hoc *edictum* iis erat loco et vice concionis, rostrorum, et jurisjurandi. Plaut. Cistell. I. 3. 24. 'Educavit eam sibi pro filia.' Terent. Adelph. v. 8. 28. 'Pro patre huic est, bonus est.' Cic. Verr. IV. 41. 'Tibi Marcelli statua pro patibulo in clientes Marcellorum fuit.' Idem Attic. II. 5. 'Unus Cato mihi est pro centum millibus;' i. e. instar centum millium. Itaque, *pro rostris*, hoc loco aliter dicitur, ac alibi, ubi ponitur pro *in rostris;* de qua notione dixi sub initium hujus capitis. Ceterum in Cuspiniani editione legitur, *Hoc pro his concione, &c.* credo, voces istas fuisse transpositas, cum sic ordinari debuissent, *Hoc his* [sive *iis*, quæ creberrime confunduntur,] *pro concione, &c.* quod et Livineius jam animadvertit. Sic etiam in libro Scaligeri annotatum esse, *Hoc iis pro, &c.* observavit Th. Hearne; et lubens admisissem, si plures libri addixissent. In codice Vaticano 3461. et Guelpherbytano, prænomen *hoc* repetitur, *Hoc pro concione, hoc pro rostris, pro jurejurando.* Schwarz.

Hoc pro concione] *Hoc pro his concione* C. forte, *Hoc iis pro concione.* Livin.

Pro concione] Quam more prisco habere solent ad Quirites. *Lips.*

Intelligerentur ipsi] Opinor, ex errore typographorum accidisse, ut in Salmuriensi et Ultrajectina editionibus pro *intelligerentur* expressum sit *intelligerent;* atque ut in Berneggeriana et Hackiana, omisso adverbio negandi *non*, in fine hujus capitis legamus *quod alii fuissent;* quanquam Behrius, Gedanensis, ultima hujus capitis verba sic rescribenda putarit, *quod ipsis consulibus alii consules fuissent.* Sed neque Behrius, neque ante hunc Catanæus, veram hujus loci sententiam sunt assecuti. Hoc vero dicere voluit Plinius, Superbi principes per edictum, et assumserunt, et abjecerunt consulatum, ut cum ingressu consulatus ejus exitus conveniret, utque, cum nullam muneris consularis partem obiissent, hoc solo constaret, illos ipsos fuisse consules, quod tamdiu, quoad appellarentur consules, eorumque nomina fastis præscriberentur, nulli alii boni viri fuerint consules. De hujusmodi principibus jam supra, LIX. 2. dixit Plinius, ideo 'tantum voluisse fieri consules, ut fuerint.' *Schwarz.*

CAP. LXVI. *Non transilivi*] I. e. non prætermisi ipsius consulatus res gestas; etsi, conjungendæ similis materiæ caussa, jam de jurejurando dixi, quod tam sub initium, quam sub finem consulatus sui, præstitit prin-

ceps; nunc enim et ea commemorabo, quæ in ipso egit consulatu. Utitur orator hac formula quasi ad renovandam attentionem auditorum et lectorum. De verbo 'transilire,' dixi supra, ad LVI. 2. In codicibus Mss. Veneto 1. et 2. Salisburgensi, et meo, scriptum est *transilui;* in Guelpherbytano, et quibusdam Vaticanis *transilii;* in ceteris codicibus, et libris impressis, extat *transilivi:* haud secus ac apud Quinctil. Declam. II. 21. in verbis, 'tanquam te rapturus exsilui;' teste Burmanno, aliqui libri habent *exsilii,* aliqui *exsilivi,* alii *exsilui.* Adeo eadem varietas præteriti in composito, quæ in simplici hoc verbo animadvertitur. Tradunt enim grammatici, a 'salio' formari tempus perfectum 'salivi,' 'salii,' et 'salui.' Priscian. lib. X. pag. 905. 'Salio, salivi, vel salii, et salui. Virgilius præteritum Georg. II. 384. 'Mollibus in pratis unctos saliere per utres.' In quibusdam tamen invenitur codicibus etiam 'saluere' scriptum. In Æn. XI. 500. 'Portisque ab equo regina sub ipsis Desiluit.' Idem Æn. V. 140. 'Finibus omnes, Haud mora, prosiluere suis.' Lucan. III. 626. 'Insiluit, solo nociturus pondere, puppim.' Statius tamen, Theb. IX. 132. 'Excussi salierunt cuspide dentes;' et vs. 230. 'Insiluere vadis.' Ovid. Met. XI. 525. 'Cum sæpe assiluit defensæ mœnibus urbis.' Idem Fast. IV. 805. 'Per flammas saluisse pecus, saluisse colonos.' Quadrigarius in Annal. VI. 'Artorius Taureæ dextrum humerum sauciat, atque ita resiliit.'' Hactenus Priscianus. Diomedi vero, lib. I. pag. 371. videtur, a verbo 'salio,' perfectum suavius enuntiari 'salii,' quam 'salivi;' quanquam plerique veterum dixerint 'salui.' Legit ita apud Liv. I. 7. 'Remum novos transiluisse muros;' uti et apud Ovid. lego, Fast. III. 70. 'Non tamen expediit transiluisse Remo.' Ego quidem haud subscribo Vossio Arte Gramm. V. 32. docenti, perfectum 'salivi' unice descendere a verbo 'salio,' quatenus notat, 'sale conspergo;' neque accedo Grutero, perfectum 'transilui' derivandum a verbo 'sileo;' (vide Gronovium ad Senecæ Thyest. vs. 768.) fateor tamen, nisi in omnibus libris excusis jam evulgatum esset *transilivi,* me maluisse in hoc Plinii loco legere *transilui;* neque id sine omni antiquitatis suffragio. *Idem.*

Non transilivi] Oratorie se revocat, quia enim de juramento dixerat, quod abeuntes præstant: quid ergo? jam abivit? jam de fine, nihil de ipso consulatu dicis? Dicam, inquit, sed in unum locum contuli, quod de juramento dicendum erat. *Lips.*

Eandem speciem] Ut jurisjurandi. *Idem.*

Eandem speciem laudis] Quinctil. III. 7. 'Alias speciosius fuerit, in species virtutum dividere laudem, fortitudinis, justitiæ, continentiæ, ceterarumque, ac singulis assignare, quæ secundum quamque earum gesta erunt.' Quem locum jam annotavit Baudius. Quæ vero dicatur 'species laudis,' optime etiam explicari potest ex Sueton. Aug. cap. 9. Cum enim is indicare vellet, quo ordine vitam et res gestas Augusti exponere instituerit: 'Proposita,' inquit, 'vitæ ejus velut summa, partes singulatim, neque per tempora, sed per species, exsequar, quo distinctius demonstrari cognoscique possint.' Quem locum luculenter exposuit Aug. Buchnerus in edit. Burmanniana laudatus. 'Exsequi per tempora,' inquit, est secundum seriem temporis narrare alicujus res, ut quæque hoc vel illo anno sunt gestæ; 'per species exsequi,' est, secundum actionum et virtutum genera statum ac conditionem vitæ exponere. Sic, cum narramus, quæ quis publice, quæ privatim; quæ fortiter, quæ moderate; quæ serio, quæ jo-

necesse est, ut cum Christoph. Behrio nimis libere rescribamus, *liberæ civitati ne simulationem quidem libertatis serves.* Ceterum, pro *averseris*, vulgari errore in codice Vaticano 3461. et Guelpherbytano, scriptum est *adverseris;* et pro *te consulem jussisse,* in codicibus Parisiensi, utroque Veneto, Salisburgensi, et meo, vitiose positum est *te consule jussisse.* Schwarz.

Simulationem quidem serves] *Simulatione q. servias* C. *Livin.*

Ne simulationem] Ut ipse venias, et dicis caussa populo te sistas. *Lips.*

Simulationem quidem serves] *Simulatione quasi servias* C. probe. *Rittersh.*

Hæc persuasio] Sic supra XVIII. 3. 'Quæ persuasio fuit illorum, qui hostilia, cum facerent, timebant.' Sequentia verba, *ut sibi viderentur, &c.* non parum corrupta leguntur in codice Veneto 1. *ut si viderentur principes, desinerent esse, si quid facerent, &c.* Schwarz.

An stuprorum] Metu submovebantur mali principes a comitiis istis, quia metuebant male sibi conscii, ne Dii in campo sacrato irarum indicia in ipsos sceleratos ederent; adhæc, quia neque judiciis tot hominum se exhibere audebant. *Idem.*

Incestarumque] De Domitiani incesto, supra, cap. LII. *Lips.*

Auspicia] Quia comitia non nisi auspicato habebantur, ut omnis actio cum populo. *Idem.*

Auspicia polluere] Uti aliis in rebus gravioribus, ita et in comitiis centuriatis habendis, et consulibus renuntiandis, Romani adhibuerunt auspicia. Hinc Cicero pro Murena, cap. 1. 'Illo die, quo auspicato comitiis centuriatis L. Murenam consulem renuntiavi.' Cic. de Divin. I. 16. 'Nihil fere quondam majoris rei, nisi auspicato, ne privatim quidem gerebatur; quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, qui, re omissa, nomen tantum tenent. Nam, ut nunc extis, quanquam id ipsum aliquanto minus, quam olim; sic tunc avibus magnæ res impertiri solebant.' Vide Bulenger. de Aug. et Ausp. III. 13. Quanquam 'auspiciorum' nomine etiam generatim omnes actiones, in comitiis observari solitæ, intelligi possint. Auspicia autem haud secus, ac alia sacra, 'pollui' ac violari dicebantur ab hominibus profanis et flagitio contaminatis. Inde Cic. pro Domo sua, cap. 40. 'Qui non solum adspectu, sed etiam incesto flagitio et stupro polluit cærimonias.' Et Verr. X. 72. 'Cereris et Liberæ sacra ab isto uno sic polluta et violata sunt,' &c. *Schwarz.*

Campum] Martium, in quo comitia. *Patarol.*

Sacratumque] Marti. *Lips.*

Spatiosissima] Campus sane magnus, atque adeo septa in eo comitiorum magna. Ex Ciceronis epistola quadam ad Atticum, lib. IV. colligas, in qua narrat, Cæsarem destinasse 'septa marmorea facere, eaque excelsa porticu cingere, mille passuum spatio.' Nam e porticu ambiente, vides spatium campi includendi. *Idem.*

Speciosissima sede] Hanc lectionem inveni in codicibus Vaticanis, Veneto 2. Guelpherbytano, et meo; item et in editione Rhenani, ac nunc Arntzenii. Placuit eadem Gesnero in Præfatione et Epistola. Codex Salisburgensis a prima manu habuit *speciosissima,* ab alia manu suprascriptum est *spatiosissima.* Ceteri autem codices et libri habent similiter, *spatiosissima.* Hæsitavi, utri lectioni locum darem. Campum Martium fuisse 'spatiosissimum,' i. e. amplissimum, ejusque spatium patuisse latissime, et immensam hominum frequentiam cepisse, testatur Strabo, testantur tot alia documenta. Fuisse eundem etiam 'speciosissimum,' et pulcherrimum, idem testatur Strabo,

qui eum a natura et prudentia hominum ornatissimum vocat. Equidem Arntzenius, dum noluit admittere vocem *spatiosissima*: 'Quid,' inquit, 'amplitudo campi ad sanctitatem et dignitatem illius loci facit? . . . Præfero scripturam Guelph. *speciosissima* i. e. maxime veneranda, sanctissima.' At, amplitudo campi non quidem per se et *ἀμέσως*, tamen propter multitudinem statuarum tot Deorum et heroum, et propter summam hominum frequentiam loco dignitatem conciliare potuit. 'Speciosissimum' vero pro venerando et sanctissimo dici, invenire nusquam potui. Nihilo minus adoptavi vocem *speciosissima*; cum, propter indicium aliquot codicum Mss. tum propter aliam significationem hujus vocabuli, quæ non minus huc quadrat. Nempe jam supra ad XVIII. 1. ostendi, 'speciosum' pro maxime conspicuo et illustri aliquando poni. Jam, quid illustrius esse potuit campo Martio, ubi in conspectu Martis, et tot aliorum Deorum, et in ore atque luce frequentissimorum hominum, quorum oculos magis fugiunt, quam sectantur, mentes male sibi consciæ, omnia agi putabantur? Interim Strab. lib. V. p. 236. campum Martium recte appellavit *ἱεροπρεπέστατον τόπον*, *locum maxime sacrum ac venerabilem*, quia is Marti consecratus erat. Ceterum, facile credo, hic a Plinio notari Caium et Domitianum, qui stupro, incestu, et omni inaudita libidine, se polluerant. *Schwarz.*

Spatiosissima] Campi enim admirabilis magnitudo. Strabo lib. V. *Patarol.*

Hominum Deorumque] Populi nempe Romani ad comitia coacti, et Deorum tutelarium ac præsidum. Sive utrorumque nomine imagines virorum illustrium atque heroum, templaque in campo existentia, intelligit. Strabo loc. cit. 'Templa sunt magnificentissima inter se contigua.' Et paullo post, 'Cum locum istum religiosissimum esse cogitassent, clarissimorum virorum ac feminarum monumenta in eo construxerunt.' *Idem.*

Deorumque] Quia templa ibi passim: eratque vel ornatissima pars (Strabone auctore) totius urbis. *Lips.*

Et dum accipis] Recte observat Rayanus, particulam *et* hic singularem *ἔμφασιν* habere, atque significare, Trajanum meruisse consulatum, et ante, quam acceperit, et dum accepit. Accipiendo autem meruit, dum eum non nisi legibus et priscis ritibus convenienter, ac summæ moderationis significatione, accepit. *Schwarz.*

CAP. LXIV. *Peracta erant solennia*] I. e. Ritus solennes in comitiis centuriatis, iisque consularibus, observari soliti, jam omnes peracti absolutique videbantur, si quis principem cogitet spectetque. Nam etsi in renuntiandis consulibus, qui e privatis senatoribus electi erant, plures adhuc cærimoniæ necessariæ fuissent, nempe, ut novi consules, stantes ante sellam curulem consulis, consulatu abituri, at tunc adhuc sedentis, jurarent, et in rostris etiam simili religione legibus se subjicerent; hujusmodi tamen ritus a te, tanquam a principe legibus soluto, nemo postulasset, nemo expectasset; nisi ex singulari civilitate iis sponte perfungi voluisses. Similiter loquitur Plin. Epist. VI. 31. de Trajani cœna: 'Erat modica, si principem cogites.' Rarissime autem alii principes, in aditu et fine consulatuum suorum talia jura juranda præstiterunt; nisi quod Dio Cassius lib. LIII. p. 496. refert, Octavianum Augustum, consulem VI. cum alia omnia secundum instituta majorum egisse, tum perfunctum magistratu jusjurandum patrio more præstitisse. Athalarico autem, regi Gothorum, seu potius Cassiodoro, post trecentos annos, nullum tale exemplum alius principis, nisi Trajani, innotuisse videtur; sic enim, E-

pist. VIII. 3. nomine regis scripsit ad senatum Romanum: 'Ecce, Trajani vestri clarum sæculis reparamus exemplum. Jurat vobis, per quem juratis; nec potest ab illo quisquam falli, quo invocato non licet impune mentiri.' *Idem.*

Se omnis turba commoverat] I. e. comparaverat se ad discedendum ex comitiis, utpote opinata, nihil cærimoniarum a principe consule præstandarum amplius reliquum esse; cum tamen tu ultro accederes ad sellam curulem, ut jurares. Sic Plin. Epist. III. 7. cum narrat, Silium restitisse in secessu, nec se movisse inde, ut novo principi Romam adventanti officii caussa occurrerit: 'Se in Campania tenuit, ac ne adventu quidem novi principis inde commotus est.' Ante sequentia verba, *adigendum te præbes*, putes particulam *et* ponendam, aut verbum *præbes* in *præbens* commutandum. Ipse tamen nihil muto. *Idem.*

Commoverat] Abitura, te declarato. *Lips.*

Consulis] Qui præsidebat comitiis. *Idem.*

Consulis] Qui adhuc gesserat fasces, et jam comitiis præsidebat, renuntiaratque novos consules, et jusjurandum a renuntiatis consulibus postulabat, ex prisca consuetudine, cui se principes adhuc subduxerant. *Cellar.*

Adigendum te præbes] Statim post susceptas imperatorias infulas jurabat princeps populo ac senatui. In imperio orientali logotheta suscipit a novo imperatore juramentum. Videatur Meurs. Gloss. Græcobarb. in Λογοθέτης p. 799. In Romano consul, qui annuo magistratu functus, primum renunciabat novos consules. Cic. pro Muræn. deinde sella curuli sedit, adegit jurejurando candidatos consulatus. Hoc præbente, illi jurabant in leges. Noster infra LXXVII. 2. Sic Augustus ex veteri more 'juravit sextum consul factus.' Dio l. XXXIII. 'Eodem sacramento et aliorum magistratuum candidati se obstringebant, alioquin magistratu non plures, quam quinque dies fungi poterant.' Liv. lib. XXXI. Sic in 'cinguli depositione,' hoc est, 'cum abirent magistratu, jurabant in concione, se nihil contra leges fecisse.' Cic. in Pison. Dio lib. LVIII. *Bern.*

In verba] Solennis videlicet juramenti. Cassiodor. Epist. VIII. 2. de hoc facto, ubi populo Romano Athalaricus rex scribit: 'Ecce Trajani vestri, clarum sæculis, reparamus exemplum. Jurat vobis, per quem juratis; nec potest ab illo quisquam falli, quo invocato non licet impune mentiri.' *Lips.*

Alios] A se factos consules. Nam vetus hoc juramentum consulare, et duplex erat: unum initio magistratus, de quo hic, cum jurabant se leges servaturos; alterum, cum abirent, jurabantque servasse. De illo, pauciora testimonia sunt; sed hoc Livii insigne lib. XXXI. 'C. Valerius Flaccus, quia flamen Dialis erat, jurare in leges non poterat. Magistratum autem plus quinque dies, nisi qui in leges jurasset, non licebat gerere.' *Idem.*

Necessarium fuerit] Sic legitur in codice Veneto 2. Salisburgensi, et meo; item in impressis Boxhornii, Kirchmaieri, Cellarii, Hearnei, Gesneri. In Vaticanis pro *fuerit*, scriptum est *fuerat*; in Parisiensi, Veneto 2. Guelpherbytano, et pluribus excusis *fuit*. Prior scriptura analogiæ grammaticæ est convenientior; varietatis autem origo facile patet. In sequentibus, codex Parisiensis, et Venetus 1. referunt has voces, *facturum te*, ordine inverso, *te facturum*. Schwarz.

Nec dum satis] Voculis *nec dum* particulam ἐγκλιτικὴν *que* adjiciunt codices Parisiensis, et uterque Venetus; itemque in impressis Puteolanus, Beroaldus, Philomusus, Gruterus, et

Puteanus, ita, ut exhibeant *nec dumque;* quod auribus duriusculum accidit. In quibusdam Vaticanis legitur *ne dum*. Ceteri omnes libri produnt vulgatam lectionem. Atque illa quidem particula *que* recte abesse posse videtur, cum vis copulandi jam lateat in ipsa particula *nec*. Est enim *nec dum*, et *neque dum*, proprie idem, quod vulgo dicitur *et nondum*, vel *neque adhuc*. Sic canit Virgilius Æn. v. 415. 'Dum melior vires sanguis dabat, æmula nec dum (i. e. et nondum) Temporibus geminis canebat sparsa senectus.' Cf. Æn. v. 606. seq. Juvenalis Sat. XI. 65. 'De Tiburtino veniet pinguissimus agro Hœdulus, et toto grege mollior, inscius herbæ, Nec dum ausus virgas humilis mordere salicti.' Sic et Cic. Attic. x. 10. 'Ille, quid agat, si scis, neque dum (i. e. et nondum) Roma es profectus; scribas ad me, velim.' Neque tamen hæ particulæ semper notionem copulandi complectuntur, sed et aliquando simpliciter notant, 'nondum,' 'non adhuc;' v. g. apud Virgil. Ecl. IX. 26. 'Immo hæc, quæ Varo nec dum perfecta canebat.' Itaque fortasse a Pliniano genere scribendi non adeo alienum esset, his particulis etiam copulandi particulam adjungi. Ipse enim Plin. XIV. 1. 'Et nec dum imperator, nec dum Dei filius erat.' Et LVI. 2. 'Et nec dum de biennio loquor.' Quanquam in his particula *et* singularem vim exaggerandi habeat. Malim autem sejunctis, quam conjunctis particulis scribere, *nec dum*, si inprimis connectendi vim involvant. *Idem.*

Necdum] *Necdumque* V. Livin. probe. *Rittersh.*

Me, an audierim] Mendose pro *me*, scriptum est *ne* in codice Salisburgensi et meo; item *intelligo*, pro sequenti verbo *interrogo*. Nec placet *aut viderim*, pro *an viderim*, quod inveni in Parisiensi, Veneto 2. Guelpherbytano, et libro Vossiano, atque in editione Sichardi. Ediderat et Gryphius an. 1531. *aut;* at an. 1542. pro eo reposuit *an*. Schwarz.

Pontifex maximus] Jam Octavius Augustus, ne quid ipsi ad summam potestatem deesset, pontificatum maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre sustinuerat, hoc mortuo demum, suscepit, anno quidem U. C. DCCLIV. pridie Nonas Martias. Sueton. Aug. c. 31. Dio l. LIV. p. 540. et Ovid. Fast. III. 420. Hoc enim ei deerat ad summam rerum omni ex parte explendam; cum respublica bene ordinata contineatur, et religionis cærimoniis, et legibus humanis. Ab eo tempore honos is titulusque proprius imperatorum permansit, usque ad Gratianum, qui primus ex imperatoribus Christianis hunc morem aversatus est, teste Zosimo, lib. v. Vide Casaubonum ad Sueton. l. c. et Jo. Andr. Bosium de Pontifice Maximo Veteris Romæ. Plin. Epist. x. 73. ad Trajanum, de transferendis quorundam mortuorum reliquiis, 'Te,' inquit, 'domine, maximum pontificem consulendum putavi.' Cæsares, qui nondum fastigium Augusti conscenderant, solummodo pontifices, et plerumque supra numerum in pontificum collegium cooptati fuere; id quod ex nummis antiquis satis patet. Ceterum codex Ms. Venetus 2. et paucæ editiones, vocabulum *pontifex*, cum antecedentibus titulis per copulam *et* conjungunt, idque satis apte. *Idem.*

Pontifex maximus] Etiam Pontificis M. nomine imperatores gaudebant, ut ex nummis satis constat. Apud pontificem maximum autem summa erat sacrorum potestas. Plura Alex. ab Alex. II. 8. *Patarol.*

Pontifex maximus] Forte, *Et pontifex maximus.* Livin.

Pontifex maximus] Livin. inserit *et:* probe. *Ritt.*

Et sedit inturbatus] Codex Vaticanus 3461. vitio laborat, dum refert, *et*

se inturbatus. Inturbatus, i. e. minime turbatus, tranquillus, intrepidus. Vox hæc non facile alibi obvia; pro qua Tacito usurpatur 'inturbidus;' v. g. Annal. XIV. 22. 'Esse illi per Asiam avitos agros, in quibus tuta et inturbida juventa frueretur.' *Schwarz.*

Quin etiam sedens stanti præivit] Puteolanus, Beroaldus, Philomusus, et Rhenanus, pro *quin*, evulgarunt *qui*; sed minus probe. In unico codice Vaticano 3461. omisso participio *sedens*, lego, *Quin etiam præbuit jusjurandum.* Quod ad participium *stanti* attinet; fateor quidem, memet ipsum id in nullo codice Ms. deprehendisse; in eo tamen admittendo nolui me difficilem præbere, non ideo quidem, quod hanc vocem ad explendam sententiam prorsus necessariam putaverim, utpote cum Plinius jam proxime dixerit, Trajanum 'stetisse ante gremium consulis, sedisseque consulem, principe ante hunc stante;' sed quod J. F. Gronovius testatus est, (cur vero tanti viri testimonio fidem derogem?) se hoc ipsum participium in vetere codice reperisse. Idem etiam in margine editionis suæ an. 1531. annotaverat, atque deinde an. 1542. in ipsum contextum recepit Seb. Gryphius. Neque est, cur cum Arntzenio existimemus, repetitionem hujus participii hic nimiam videri, si iterum *τῷ sedenti stantem* opponeret Plinius, quod jam satis factum in superioribus. Hæc enim ratio si valeret, etiam participium *sedens* non repeti debuisset, cujus verbum *sedit* bis proxime præcesserat. Omnino enim ista repetitio singularem ἔμφασιν affert orationi, dum non solum majorem perspicuitatem huic loco conciliat, sed et, judice Gronovio, quasi auget admirationem Trajani, principis ante consulem sedentem stantis, jurantisque, atque adeo legibus moribusque antiquis Romanorum etiam in principatu ultro obsequentis. Majori autem difficultati expositum videtur verbum *præivit*, i. e. consul prælegit et dictavit jusjurandum, ut id subsequeretur ac pronuntiaret ipse princeps. Etsi enim hoc verbum huic rei exprimendæ sit accommodatissimum, et quasi proprium; in nullo tamen codice Ms. id inveni; in nullo edito et ante hoc quadriennium typis excuso libro, id contextui insertum, sed tantum in margine quorundam librorum annotatum, ipse vidi; neque præterea in quemquam commentatorem, aut interpretem incidi, qui diserte testaretur, se hoc verbum, in hoc Plinii loco, in quodam codice vetusto deprehendisse: nisi credamus, eos editores, qui id in margine editionum suarum annotarunt, in antiquo codice reperisse. Ne Lipsius quidem hoc verbum recepit, cui tamen cum maxime placuit, haud secus, ac Rittershusio nostro. Tandem vero J. F. Gronovio Obss. IV. 16. p. 264. sine dubio visum est, vicem τοῦ *præbuit*, scribendum esse *præivit*. Interim ubique eo usque pro *præivit*, legimus *præbuit*, eadem quidem notione, quam hac in re habet verbum *præivit*. Operam igitur dedi, ut lectionem tam constanter propagatam, totque codicum suffragiis confirmatam, pro virili parte antehac defenderem in Excurs. L. quem, si lubet, adeas, et dijudices. Postquam autem meis rationibus non induci potuerunt viri doctissimi, Arntzenius et Gesnerus, ut et ipsi sequerentur lectionem vulgatam; ego, quantumvis animo aliquantum renitente, ipse iis obsecutus, pro verbo *præbuit*, nunc reposui *præivit*; ideo potissimum, quod Plinius, in ultimis hujus capitis verbis, non scripsit *præbente nullo*, sed *præeunte nullo, &c.* Utcunque est, id saltem certum habeo, si vel maxime verbum *præbuit* ab ipso provenerit Plinio, neminem tamen vel contra sensum, vel contra stilum Plinii peccaturum, quisquis verbum *præivit*, tanquam verbum in hoc ar-

gumento solenne, adsciverit. Ceterum, in codice Salisburgensi inter verba *juravit, expressit,* librarius posuit particulam copulandi *et;* alii quidam codices ea ipsa verba interpunctione perfecta divellunt. *Idem.*

Sedens stanti præivit] *Sedens præbuit* Livin. in textu; sed in margine, *Sedens stanti præbuit* G. *Livin.*

Præivit jusjurandum] *Præbuit jusjurandum.* Ita est in omnibus nostris, et probe, reor, ut oblatum ac præbitum, non de scripto præitum intelligas. Patet ex his proxime, 'quod præeunte nullo jurasti;' nam id equidem ad tertium hunc consulatum traxerim, ut, quod sequitur, 'alio præeunte,' ad secundum, quem imperator, sub imperatore tamen, Trajanus gesserat. Itaque damno, quod in editione quadam Antverpiensi a. 1642. ceteroquin non mala, inveni *præiit.* Id.

Præivit] *Præbuit.* Multo melius alii *præiit,* quod sequentia dicent. Moris enim, ut solenniter jurarent, alio verba præeunte. *Lips.*

Præivit jusjurandum] *Præbuit jusjurandum.* Lego *præivit.* Ritt.

Et ille juravit] Hoc Trajani factum Athalaricus rex senserit Variar. Cassiodori Epist. VIII. 3. 'Ecce Trajani vestri clarum sæculis reparamus exemplum.' Adi locum. *Livin.*

Si scienter] Fortasse, *si sciens.* Nam hæc juramenti clausula et sanctio fere erat: 'Si sciens fallo, tum Jupiter Diique omnes mihi, meæque domui, irati sunto.' *Lips.*

Si scienter] Livin. *sciens.* 'Si sciens fallo,' &c. formula jurisjurandi. *Rittersh.*

Si scienter] Sic apud Polybium ac Festum: 'Si sciens fallo, ita me Diespiter ejiciat, ut ego hunc lapidem.' De formis jurisjurandi lege prudentissimum scriptorem de Jure Belli ac Pacis, Hug. Grot. II. 13. § 7. 10. *Bern.*

Si scienter] Adverbium *scienter* jam solicitavit Brissonius de Formul. l. VIII. p. 811. Loco enim ex Panegyrico Plinii citato: 'Explanavitque verba, quibus caput suum, domum suam, si sciens (ita quippe legendum censeo, inquit,) fefellisset, Deorum iræ consecraret.' Livineius etiam, et Lipsius, ex conjectura, et animo quodammodo dubitante, annotarunt, pro *scienter,* fortasse *sciens* esse legendum: propterea, quod in solennibus jurisjurandi formulis Romanorum, pro adverbio *scienter,* frequentissime occurrit participium *sciens.* Sic Cic. Acad. Quæst. IV. 47. 'Majores nostri,' inquit, 'primum jurare ex sui animi sententia quemque voluerunt; deinde ita teneri, si sciens falleret: quod inscientia multa versaretur in vita.' Idem Fam. VII. 1. 'Is jurare cum cœpisset, vox eum defecit in illo loco, Si sciens fallo.' Sic Cornelius Scipio apud Liv. XXII. 53. præjurat ceteris militibus: 'Ex mei animi sententia juro, ut ego rempublicam non deseram, neque alium civem Romanum deserere patiar. Si sciens fallo, Jupiter O. M. domum, familiam, remque meam, pessimo leto afficias. In hæc verba, L. Cæcili, jures, expostulo, ceterique, qui adestis.' Et Pompeius Festus de Verbor. Signif. sub litera L, 'Lapidem silicem,' inquit, 'tenebant juraturi per Jovem, hæc verba dicentes: Si sciens fallo, tum me Diespiter, salva urbe, arceque, bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem.' Tacemus multo plura hujusmodi formulæ exempla; neque nobis ex antiquis scriptoribus ullus alius nunc succurrit locus, ubi jurantes dicantur 'scienter fallere;' quamvis exempla succurrant (v. g. ex Plauto Amphitr. III. 2. 52. ex Liv. II. 45. et XXI. 45.) ubi in hujusmodi formulis, neque 'sciens,' neque 'scienter,' legatur. Quin immo, etsi hoc ipsum adverbium in aliis argumentis optimi Latinitatis aucto-

res satis frequenter usurparint; nusquam tamen, quantum nobis jam constat, aliam ei notionem subjecere, quam ut idem valeret, quod 'scite,' 'perite,' et 'ex arte.' Sic Cic. de Orat. II. 2. 'Bene dicere,' inquit, 'quod est, scienter, et perite, et ornate, dicere.' Et Nepos in Præf. 'Saltasse,' inquit, 'eum commode, scienterque tibiis cantasse.' Et Sueton. Vesp. cap. 3. 'Qui cantaret et psalleret jucunde scienterque.' Cui ergo hæc non suspicionem afferant, fortasse adverbium *scienter*, pro participio *sciens*, ab imperito glossatore sive interprete profectum esse? Utcunque vero est, cum ne ullum quidem variæ lectionis vestigium in hac voce hucusque ostendant scripti impressique libri; agedum relinquamus adhuc Plinio hoc ipsum adverbium *scienter*, in primigenio et proprio significatu 'sciendi' positum, neque sola exempli raritate, aut, ut cum Tertulliano loquar, singularitate, permoveamur, ut in ejus locum participium usitatius aliunde cooptemus! An enim inauditum est, aliquod adverbium duas sustinere significationes? Si participium *sciens* duplicem habet potestatem, quid ni et adverbium inde derivatum? *Sciens* autem proprie notat eum, qui scit, aut cognoscit, item et qui de industria et consulto aliquid ait; v. g. Terent. Heaut. IV. 8. 33. 'Te sciente faciam, quidquid egero.' Cic. pro Cluent. c. 46. 'Habebit, te sciente et vidente, curia senatorem sine ignominia quemquam,' &c. Idem pro Rosc. Amer. c. 20. 'Aperte ludificari et calumniari sciens non videtur.' Deinde *sciens* etiam dicitur peritus, et arte sua instructus, habetque suos gradus 'scientior,' et 'scientissimus.' Sallust. Jug. c. 85. 'exercitus locorum sciens,' i. e. peritus. Cic. pro Lege Manil. cap. 10. 'Quis Pompeio scientior unquam fuit?' Similiter in adverbio composito 'inscienter,' quod tanquam *ἀντίθετον τῷ scienter* opponitur, duplex hæret notio. Aliquando denotat simplicem absentiam scientiæ, i. e. ex ignorantia, ex inscientia; v. g. apud Liv. lib. XXV. c. 10. 'Terrorem et tuba audita ex theatro faciebat; nam et Romana erat a proditoribus parata, et inscienter (ex ignorantia) a Græco inflata,' &c. At notat 'inscienter' etiam inscite, imperite, et ex inscitia. Vide Cic. Topic. cap. 8. et Acad. Quæst. IV. 6. Quid ni pari ratione adverbium simplex *scienter*, quod apud alios frequenter notat 'perite,' 'sciteque,' apud Plinium etiam significare possit, 'ex scientia, et consilio,' adeo ut prorsus idem sit *sciens fallo*, et *scienter fallo*? Etsi igitur facile largior, quod jam supra de verbo 'præivi' dixi, id etiam huc accommodari posse; nempe neminem facile maculam quandam adspersurum orationi Plinianæ, si quis ex formulis solennibus assumat participium *sciens* pro *scienter*; reclamantibus tamen omnibus omnino exemplaribus, quæ hucusque innotuerunt, nolim adverbium *scienter*, cui præterea tam aperte favet analogia grammatica, ex hoc loco removere. Removit tamen, et cum voce *sciens* commutavit unus Gesnerus, qui vero fallitur, dum credit saltem plerosque libros illud *scienter* habere, cum omnes omnino habeant; itemque jam Gronovium idem adverbium rejecisse, cum is hoc ne attigerit quidem, quamvis pro verbo *præbuit*, rescribendum censuerit *præivit*. Schwarz.

Deorum iræ consecraret] I. e. devoveret. Scilicet hæc altera pars omnis jurisjurandi est, ut ultio perfidiæ et perjurii poscatur. Sic Plut. Quæst. Rom. 44. *Πᾶς ὅρκος εἰς κατάραν τελευτᾷ τῆς ἐπιορκίας*, i. e. *omne jusjurandum in diras desinit, si quis pejeraverit.* Huc pertinet illa formula apud Plaut. Amphitr. III. 2. 52. 'Id ego si fallo, tum

te, summe Jupiter, quæso, Amphitruoni ut semper iratus sies.' Apud Liv. I. 24. 'Si P. R. prior defexit publico consilio, dolo malo; tu illo die, Jupiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hic hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes, pollesque.' Apud eund. XXI. 45. 'Agnum læva manu, dextera silicem, retinens, si falleret, Jovem, ceterosque precatus Deos, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset. Secundum precationem caput pecudis saxo elisit.' Vide Grot. de Jure B. et P. II. 13. 10. Quoniam igitur homo violator jurisjurandi devovebatur Deo ad pœnam, is 'sacer' habebatur, ut 'cujus caput Jovi sacrum esset.' Liv. III. 55. Sic 'sacrari' et 'consecrari' iræ et pœnæ divinæ dicebantur etiam alii homines, publice noxii. Liv. III. 48. 'Te,' inquit Virginius, 'Appi, tuumque caput, sanguine hoc consecro.' Idem II. 8. 'Ante omnes de provocatione adversus magistratus ad populum, sacrandoque cum bonis capite ejus, qui regni occupandi consilia inisset:' ubi Marcell. Donatus, '*Sacratum* ergo *caput* expono, *execratum*; Græcis *κατάρατος*.' Sic Horat. Sat. II. 3. 181. 'Intestabilis et sacer esto.' *Idem.*

Iræ consecraret] Plautus Amphitruone: 'Si fallo, tum te, summe Jupiter, quæso, Amphitruoni ut semper iratus sies.' Brissonius de Formulis lib. VIII. videtor. *Lips.*

Iræ consecraret] Solenne juramentum apud nostrates lege in D. Bald. II. 9. de Casibus Conscientiæ circa Juramenta. *Bern.*

Digna prædicatio] Hoc ordine ista verba scripta sunt in codicibus Vaticanis, Parisiensi, utroque Veneto, Salisburgensi, Guelpherbytano, et meo; alias, *prædicatio digna*. Schwarzius.

Quod primo] I. e. quod primo consulem; sive, quod fecisti, cum primo consul esses. Fuit vero M. Ulpius Trajanus Crinitus, una cum M. Acilio Glabrione, primum consul ordinarius, A. U. C. 844. sive post Christum natum, A. 91. cum ipse adhuc privatus esset, et quidem sub Domitiano imperatore. Iterum consul fuit A. C. 98. cum imperatore Cocceio Nerva IV. sed tunc jam erat Cæsar, neque eo tempore jusjurandum consulare dedisse videtur, cum absens esset, et expeditionem in Germania obiret. *Id.*

Istud, quod præeunte nullo] Pro *istud*, habent *illud* ambo codices Veneti, et Guelpherbytanus. Pro *nullo*, codex Parisiensis *illo;* pro *an hoc*, Salisburgensis *in hoc;* pro *jurasti*, idem Salisburgensis, primum, *vitasti*, deinde ex correctione, *jurasti*. Tres vel quatuor hujus loci explicationes deprehendi, quarum vero nullam, fateor, ita mihi ex omni parte satisfacere, quin in acumine, quod captavit Plinius, aliquid vel frigoris vel obscuritatis, relinquere videatur. Catanæus in prioribus editionibus hæc Plinii verba de exemplis antecedentium imperatorum explicavit: 'Nescio,' inquit, 'laudabiliusne sit illud, quod præeunte nullo, (i. e. exemplo nullius præteriti imperatoris,) an, alio præeunte, jurasti; quod nempe alius imperator tibi dederit exemplum.' At laudabile quidem fuisset, si Trajanus hac in re antecedentia aliorum bonorum principum exempla habuisset, secutusque esset: verum nescio, quo acumine dubitasset aut interrogasset Plinius, annon laudabilius et illustrius foret, si Trajanus, sine exemplo alio, prorsus inusitatum humanitatis et civilitatis specimen dedisset; et quomodo non constare potuisset Plinio, secutusne sit Trajanus hac in re exempla aliorum, necne. In posterioribus editionibus Catanæus, dimissa prima explicatione, verba Plinii de iis, qui formulam

jurisjurandi præierunt jurantibus, interpretatus est: '*Præeunte nullo*,' inquit, 'est nullo præmonstrante verba, quæ dicturus eras... *Alio præeunte*, i. e. alio prædicente quæ dixisti; quod est indicium humanitatis et religionis; sicut illud, cum firmitudinis firmissimæque memoriæ, tum fiduciæ sui.' At sic Plinius Trajani potissimum satis frigide laudasset memoriam firmam, quod hic potuerit, nemine præeunte, formulam jurisjurandi recitare: quanquam neque Plinius diserte, neque Catanæus, indicant, ubi et quando Trajanus, nullo verba præeunte, juraverit. Indicare id voluit Gronov. Obss. IV. 16. ubi tradit, duplex significari jusjurandum; quorum alterum, in comitiis, sub auspicia muneris, *præeunte alio*, dederit Trajanus; alterum, *nullo præeunte*, cum in rostris deposuerit consulatum. Verum, quod recte judicat Gesnerus, ita priore loco, et obscuriuscule, Plinius commemoraret jusjurandum posterius, de quo demum, LXV. 2. his solis verbis mentionem injicit: 'Itaque et abiturus consulatu jurasti, te nihil contra leges fecisse.' Ubi Plinius haud meminit, utrum Trajanus tunc juraverit, præfante aliquo, nec ne. Denique Lipsius, Baudius, Baunius, hunc locum ita interpretantur: 'Equidem affirmare non possum, (inquit Plinius,) plusne laudis tibi debeatur, quod nullo principum exemplo præeunte inductus fidem tuam jurejurando firmasti; an quod jurasti, consule verba præeunte, et tanquam jubente.' Sed quis non sentit frigusculum quoddam acuminis, quod tunc Plinius in ambiguo significatu verbi 'præire' aucupatus sit? Interim, cum nullam meliorem explicationem excogitare valeam, in hac acquiesco. Paullo plura de hoc loco, si lubet, vide in Excurs. LI. *Idem.*

Præeunte nullo] Hoc ad principes trahendum, non ad verba juranda. Captat igitur acumen in verbo, et mirum laudandumque, quod nullo principum exemplo præeunte, jurasti: et hoc quoque, quod alio verba præeunte, quasi illo jubente, jurasti. *Lips.*

Alio præeunte] In sacris, et rebus solennibus, solebat aliquis aut submissa voce, aut de scripto, præire verba quæ magistratus summus voce clara dicebat; ne quid verborum præteriret, aut præposterum diceret, erraretque; tantam sacrorum curam habuit antiquitas. Plin. lib. XXVIII. *Bern.*

CAP. LXV. *In rostris quoque*] Suscepturus inibi magistratum. Infra, 'Jam toties procedere in rostra, hic suscipere, hic ponere magistratus,' &c. *Liv.*

In rostris] Ergo et hic iterum juratum; sed illud a designato consule; hoc cum jam iisset, primo illo et auspicali die. *Lips.*

In rostris] In foro, ubi rostra, jam nota. Ibi ergo consul jurabat, quo die magistratum inibat. Jurabat autem in senatu, quando renuntiabatur. *Patarol.*

In rostris] In cod. Patavino et Voss. libro particula *fere*, nescio unde, his verbis sic intercalatur, *In rostris quoque fere simili, &c.* Ceterum, *in rostris* proprie loquitur Plinius, uti et Cic. in Pison. c. 3. 'Semper in rostris curiam, in senatu populum, defendi.' Alias frequentius dicitur, 'pro rostris,' 'pro tribunali,' 'pro suggestu.' Falluntur vero, qui opinantur, tunc præpositionem *pro* semper significare *ante*: quasi oratores et magistratus non *in rostris*, sive 'super rostra,' sed 'ante rostra,' steterint sederintque. *Pro* enim tunc ponitur pro *in*, quod dilucide docet Festus: '*Pro* significat *in*; ut, 'pro rostris,' 'pro æde,' 'pro tribunali.'' Sic Cæsar B. G. VI. 3. 'Hac re pro suggestu proposita.' Florus

his particulis promiscue uti videtur: III. 21. 'Octavii consulis caput pro rostris exponitur.' IV. 6. 'Romæ capita cæsorum proponere in rostris, jam usitatum erat; verum sic quoque civitas lacrymas tenere non potuit, cum recisum Ciceronis caput in illis suis rostris videretur.' Negare tamen nolim, aliquando utrumque, 'in rostris,' et 'pro rostris,' etiam late dici pro loco fori circa rostra sito. 'Rostra' vero fuere locus editior, ex quo a magistratibus habebantur conciones ad populum, de legibus aliisque rebus ad rempublicam pertinentibus; item laudabantur defuncti: cumprimis vero consules muneris sui auspicium ibi faciebant, aut magistratum deponebant; dum illic se ostenderunt populo, atque in ingressu consulatus jurarunt, se observaturos esse leges; in exitu autem, leges a se fuisse observatas. Erat proprie suggestus, in quem per gradus adscendebatur; unde Ammianus Marcell. lib. XVI. fere medio, dixit 'elatum vertice scansili suggestum consulum, et priorum principum imitamenta portantem.' Dicitur etiam Plinio Majori 'tribunal,' XVI. 3. 'Antea rostra navium tribunali præfixa fori decus erant.' Ea propter enim hoc tribunal, sive hic suggestus, vocari consuevit 'rostra;' quoniam in tribunalis hujus parte anteriore affixa erant 'rostra ærata navium,' quas Romani A. U. C. CCCCXVI. devictis Antiatibus ademerant. Plin. XXXIV. 5. 'Eodem in consulatu (C. Mænii et L. Furii Camilli,) in suggestu rostra, devictis Antiatibus, fixerat populus Romanus.' Et Liv. VIII. 14. 'Rostris navium Antiatium suggestum in foro exstructum adornari placuit, rostraque id templum appellatum.' Cic. pro Lege Manil. c. 18. 'Non pudebat magistratus populi Romani in hunc ipsum locum adscendere, cum eum vobis majores vestri exuviis nauticis et classium spoliis ornatum reliquissent.' Cf. Flor. I. 11. Non autem solum Liv. l. c. sed etiam Cic. in Vatin. c. 10. rostra vocarunt 'templum.' 'In rostris,' inquit, 'augurato templo ac loco;' non quasi re vera, quod Blondus opinatus est, ædificium alicujus templi, 'rostrorum' nomine insigniti, ibi fuerit; sed quoniam locus sacer et augurio captus generatim dictus est 'templum.' Duplicia vero 'rostra' fuere Romæ: 'vetera, in foro, ante curiam Hostiliam.' Varro de L. L. IV. 2. 'Ante hanc (curiam Hostiliam, a rege Hostilio ædificatam,) rostra; quibus id vocabulum, quod ex hostibus capta fixa sunt rostra.' Steterunt hæc 'rostra vetera' in illo latere medii fori, unde oratores ad Palatinum terga, vultum ad Capitolium, converterunt. Vide Minutolum in Dissert. VII. de Ædificiis Judicialibus. 'Rostra nova,' sive 'Julia,' etiam in foro sita fuere, sed ad radices Palatii, et ad ædem D. Julii; quoniam Jul. Cæsar ea illic constituerat. Utrorumque indicium facit Dio Cass. l. LVI. p. 592. ubi de Augusti funere scribit, narratque, defuncti Augusti lectum feralem positum fuisse *ἐπὶ τοῦ δημηγορικοῦ βήματος, in tribunali concionatorio*, i. e. in rostris veteribus, ex quibus frequentissimæ conciones habitæ; et ex his rostris Drusum orationem funebrem de scripto recitasse; at, *ἀπὸ δὲ τῶν ἑτέρων ἐμβόλων τῶν Ἰουλίων, pro alteris rostris, Juliis* dictis, Tiberium ex senatusconsulto perorasse. Paria commemorat Sueton. in Aug. c. 100. Augustus 'bifariam laudatus est: pro æde D. Julii a Tiberio; et pro rostris veteribus a Druso, Tiberii filio.' Utrorumque rostrorum formam ex antiquis nummis ostendit Spanhem. de Præstant. et Usu Numism. vol. II. p. 191. quos nummos in eorum gratiam, quibus ejus generis libri non statim

ad manus sunt, etiam hic delineatos exhibere libet.

I



III



Prior nummus est denarius gentis Lolliæ; in cujus anteriore parte vides effigiem et nomen LIBERTATIS; quia, teste Dione lib. XLV. pag. 286. rostra dicebantur βῆμα τὸ ἐλευθέριον, *tribunal libertatis.* In aversa nummi parte legitur cognomen M. Lollii, PALIKANVS; quia, hujus tribuni plebis opera, restituta fuisset tribunitia potestas a Sulla sublata. Subter nomen Palikani conspiciuntur rostra vetera, h. e. suggestus columnis aliquot rostratis superstructus, supra quem sella tribunitia est collocata; quoniam ex his rostris etiam tribuni plebis conciones ad populum habuere. Hinc Spanhemius declarat, cur e superiore loco perorare, aut in eo consistere, dicerentur, qui e rostris populum alloquebantur; ut Cicero de se, Verr. I. 5. 'Hanc ego caussam cum agam beneficio populi Romani de loco superiore;' nempe de rostris, tanquam tunc ædilis curulis. Alter nummus est denarius gentis Sulpiciæ; in cujus anteriore parte est effigies Augusti Octaviani, et nomen CAESAR AVGVSTVS. In posteriore parte repræsentantur rostra nova, sive Julia; ubi similiter vides suggestum, sive tribunal, instar baseos columnæ, rostris navium ornatæ. Tribunali imposita est sella curulis, cui insident duo togati consules, tum Augustus et Agrippa. Qui nummus etiam inter Ducis Arschotani Numismata Regum et Imperatorum Rom. Tab. XIV. n. 14. exhibetur. *Schwarz.*

Legibus] Verba enim jurandi erant, 'servaturum leges.' *Lips.*

Nemo principi] Facete Matthesius in cap. 39. Syracid. 'Imperativus caret prima persona.' Cum ipse lex sit, hoc est, vitæ et actionum integer; qui rex, quamdiu talis; quemque qui sequitur, et parem in vita præstat integritatem, (quæ est Hebræis תם, inde Græcis θέμις, Latinis *fas*,) exlex est; locum enim legibus non concedit præsens Themis, quem dedit absens: unde protoplasti, patriarchæ, et aurei, ut vocant, sæculi

homines, absque legibus, 'fidem rectumque colebant,' quæ est θέμις: qua sublata legibus opus fuit. 'Corruptissima enim republica plurimæ sunt leges.' Tacitus. At nemo ergo vel bono principi imperabit? immo Deus, 'cujus ipsi in potestate sunt reges.' Suet. Cæs. cap. 6. Κύριος μὲν πάντων ἐστὶν ὁ βασιλεὺς, δοῦλος δὲ μετὰ πάντων ὑπάρχει τοῦ Θεοῦ. Agapetus Diacon. in Basilicis cap. 68. Plutarchus in lib. ad Princip. Indoct. 'Quis,' inquit, 'imperabit principi?' 'Lex, omnium regina mortalium atque immortalium,' ut ait Pindarus: non ea foris scripta in libris, aut lignis 'insculpta, sed vivida in ipsius corde ratio, semper una habitans atque excubans, et animum nunquam sinens esse principatu vacuum. Neque vero aut per senatum, aut per populum, solvi hac lege quisquam potest.' Interim et lex scripta nisi cogat, tamen dirigat principem. Cic. de Republ. lib. III. Lactant. VI. 8. Adde Tac. Germ. c. 7. Cæsar Bell. Gall. V. cap. 27. Jul. Cæs. Bulenger. *Bern.*

Tibi plus velimus] Forte, *Tibi plus licere velimus*. Livin.

Tibi plus velimus] Perperam omissum est pronomen *tibi* in cod. Parisiensi et Guelpherbytano. Ceterum, hæc ambigue dicta putavit Lipsius. 'Plus licere,' inquit, 'an, plus te amemus. Nam, *velle alicui* ἁπλῶς, bene velle ac favere, significat Latinis.' Quæ posterior interpretatio etiam placuit Baunio. Verum rectius et acutius ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetitur animo infinitivus *licere*, i. e. permissum esse. Neque enim Plinio hujusmodi ἐλλείψεις sunt infrequentes. In meo codice hæ voces ita transpositæ sunt: *Sed tu nihil amplius vis tibi, quam nobis, licere.* Lat. Pacat. Paneg. ad Theodos. c. 12. 'Idem es, qui fuisti, et tantum tibi per te licet, quantum per leges licebat. Jus summum facultate et copia commodandi, non securitate peccandi, experiris.' *Schwarzius.*

Quid ergo nunc primum audio] Vulgo legitur, *Quod ego nunc primum, &c.* 'Vegeta magis oratio,' inquit Lipsius, 'si *Quid ego* legas, et interrogando acuas post *disco*.' Jam vero in codice Salisburgensi scriptum est, *Quid ego;* et in meo, *Quid ergo nunc primum audio, quod nunc primum disco.* Pronomen *quod* in alterius membri initio inutiliter positum est, aut suspicionem afferre potest, in antiquiore codice iteratum fuisse pronomen interrogativum *quid?* aut etiam ab initio primi membri fuisse scriptum *Quod.* Non quidem necessarium hic videtur illud pronomen interrogativum *quid?* utique tamen vegetiorem reddit orationem, cum inprimis conjungatur cum figura παθητικῇ, quæ latet in verbis *audio, disco;* et cum figura ἁρμονικῇ, quæ repetitione harum vocum, *nunc primum*, continetur. Particulam vero *ergo*, quæ et alibi non raro cum pronomine *ego* commutatur, lubenter admitto; quoniam ea non solum in meo, sed etiam Parisiensi codice Ms. itemque in Veneto 1. extat, ac vim consectarii, quo hic utitur orator, complectitur. Postquam enim Plinius paullo ante commemorarat, Trajanum imperatorem legibus congruenter jurasse, ac se submisisse legibus; tum concludit hanc narrationem quasi per ratiocinationem, subjecta γνώμη. In codicibus Mss. Vaticanis 3461. et 1775. et in Guelpherbytano, item et in Berneggeriana et Hackiana editionibus, hæc verba primi membri, *nunc primum audio*, contra suffragia aliorum codicum Mss. librorumque impressorum, male omissa sunt. *Idem.*

Non est princeps supra leges, &c.] Hæc verba corrupte evulgata sunt in antiquioribus editionibus Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Philomusi, Rhenani: *Non est princeps; sunt leges, sed supra principem.* Nec multo melius

legimus hæc in Aldi, Juntæ, Cratandri, Rob. Stephani, Ascensii, Navii, Pauli Stephani an. 1601. editionibus: *Non est princeps, sunt leges; sed leges supra principem.* At omnes codices Mss. et reliquæ editiones habent integra verba, prout a nobis exhibentur; nisi quod quædam varietas in particula *super* et *supra* occurrat. Plures codices Mss. et libri impressi, Gryphii an. 1531. Sichardi, H. Stephani, Petri Choueti, Rivini, Boxhornii, Cellarii, Cevæ, priore loco *super*, posteriore *supra* exhibent: *Non est princeps super leges; sed leges supra principem.* At codex Guelpherbytanus, et liber Vossianus, item et in libris excusis, Gryphius an. 1542. Livineius, Gruterus, Puteanus, Berneggerus, Hackius, Patarol, Gesnerus, utrinque habent *supra*: *Non est princeps supra leges; sed leges supra principem.* Contra, vetus codex Livineii, Cuspinianus, et recentius Arntzenius, utroque loco adsciverunt *super*. Quæ varietas ex compendio scribendi orta est; neque raro alibi etiam observatur; v. g. apud Sueton. Aug. 35. 38. 43. et passim. Equidem Laur. Valla Eleg. II. 53. discrimen significationis statuit inter particulas *super* et *supra*: 'Licet hæ præpositiones,' inquit, 'in eodem loco sedere possint; tamen in hoc plerumque differunt, quod *super* contiguum est; *supra* interjecto spatio; ut, 'sedeo super lapidem' magis quam 'supra lapidem.' Rursus, 'aquila volat,' vel 'nubes pendent supra nos,' potius quam 'super nos.' Non tamen sic semper.' Et Auson. Popma de Different. Verbor. lib. IV. '*Supra*,' inquit, 'quod substratum aliquid habet; *super* est, quod eminet.' Verum, præter alios, jam Burmannus, ad Nemesiani Eclog. III. 5. valde dubitat, an hoc discrimen semper observarint veteres: certe notat, Livium XXXII. 11. in eodem capite, 'supra caput,' et 'super caput,' dixisse; et XXV. 18. 'Crispinus supra scutum sinistrum humerum Badio hasta transfixit, superque delapsum cum vulnere ex equo desiluit.' Cum ergo istæ particulæ sæpe promiscue sumantur; inter tot varietates difficile dictu est, quæ lectio ipsi Plinio debeatur. Id saltem fateor, Plinium ipsum non videri mihi statim in eadem re, eodemque verborum nexu, istas particulas variasse, prout nunc in plurimis codicibus Mss. et in aliquot editionibus deprehenduntur, sed potius utrinque, vel *super*, vel *supra*, posuisse. Ambiguus igitur hæreo; cum nec lubenter damnare velim *super*, nec rejicere *supra*. Interim hoc posterius utroque loco admisi, quia ejus frequentiorem usum in simili argumento, de superiore virtute et potestate, animadverto. Cicero ad Brut. Epist. 17. 'Cum ipsa re bellum geram, hoc est, cum regno, et imperiis extraordinariis, et dominatione, et potentia quæ supra leges se esse velit.' Quinctil. Declam. CCLXVI. 'Ideo magnam esse virorum fortium potestatem; quia supra jura omnia sit.' Idem Declam. CCLXXIV. 'Exuit se tyrannus, et erigit; supra leges ponendo, extra illas se posuit.' Plin. Epist. I. 20. 'Non minus non servat modum, qui infra rem, quam qui supra; qui adstrictius, quam qui effusius, dicit.' At non nego, Plinium etiam his in rebus præpositionem *super* usurpare: Paneg. c. 24. 'Emines, excellis, ut honor, ut potestas, quæ super homines quidem, hominum sunt tamen.' Ceterum, in omnibus codicibus Mss. atque in Cuspiniani et Gryphii editionibus, sequens membrum, *idem Cæsari*, per copula *que* cum præcedentibus ita recte connectitur, *idemque Cæsari, &c.* quæ particula copulandi etiam placuit Cl. Arntzenio. *Idem.*

Supra principem] Magis Plinianum quod in V. C. est, *super principem*. Supra, 'ut tantum super ceteros,'

quantum infra te, cernerentur.' Alibi passim. *Livin.*

Leges supra principem] Apollonius Vespasiano II. 20. et 24. 'Legem,' inquit, 'imperatori dominari debere, quia in illis ferendis erit moderatior, si eas non contempserit.' *Bern.*

Idemque Cæsari] *Idem Cæsari* Livin. in textu; sed in margine, *Idemque Cæsari*. V. C.

In legem] Palam, *in leges*. Lips.

In legem] 'Sic me custodio, tanquam legibus, quas ex abdito ac tenebris in lucem evocavi, rationem redditurus sim.' Senec. de Clem. I. *Bern.*

Observantibus his] *Observantibus iis* Livin. in textu; sed in margine, *Observantibus his* V. C. R.

Observantibus] Senatoribus, et aliquando consulibus futuris. *Lips.*

Idem jurandum est] In codicibus Mss. Vaticanis, Veneto 2. Salisburgensi, meo, et libro Vossiano, inutiliter scriptum est *idem jusjurandum est*. Schwarz.

Maxime interest, non pejerare] Beroaldus et Catanæus pro *maxime*, insolenter habent *maxima*. Ceterum, omnes libri manu typisque exscripti habent *pejerare*, præter Lipsii et Berneggeri, Hackii, Cevæ, et Gesneri editiones, in quibus legitur *pejerari*. Miror, Lipsium nihil annotasse, unde, et cur, hanc lectionem receperit. Fateor, hanc mihi majorem in modum arrisisse, cum *pejerari* ad omnes imperio Romano subjectos, *pejerare* ad unum Trajanum, referri posse videatur; parui tamen auctoritati codicum Mss. et plurimarum editionum, et explicationi Arntzenii, qui monet, 'interfuisse Trajani, non pejerare, ad exemplum facti;' ne scilicet, ipse pejerans, exemplum perjurii etiam aliis præberet. *Idem.*

Interest] Nam principum status et salus juramento nitebatur, quod quotannis, ipsis Kalendis Januariis, senatus præstabat. Scripsi de hoc ritu ad Tacit. Annal. XVI. 22. Excursu A. p. 540. in verba: 'Principio anni, vitare Thraseam solenne jusjurandum.' Itaque si fides solvitur, labat eorum potestas. *Lips.*

Abiturus] Hujus moris multa exempla, in Cicerone, Dione, Plutarcho. Bona et provida institutio, religione jurisjurandi incipere magistratum, et finire. *Idem.*

Abiturus consulatu jurasti] In codice Vaticano 3461. pro voce *abiturus*, perperam scriptum est *habiturus*; quæ scriptura etiam a prima manu apparet in codice Salisburgensi, at ab alia manu correcta est. Hic vero notamus, Trajanum in consulatu suo tertio ter jurasse: primum, non in curia et senatu, quod Patarol, et quidam alii, perhibent, sed in campo Martio, vetere illa potestatis popularis sede, ubi solenniter renuntiatus est consul. De quo jurejurando Plinius egit proximo capite. Deinde in rostris, ubi se, tanquam consulem in suggestu ostendebat populo, et religione jurisjurandi legibus subjiciebat. De quo jurejurando Plinius egit in initio hujus capitis. Num vero jusjurandum hoc pro rostris ipso primo et auspicali die consulatus, h. e. Calendis Januariis, an alio quodam die proximo, cum jam munia consulatus obeunda aggrederetur, a Trajano sit præstitum, definire non possum. Apud Liv. XXXI. 50. hæc legimus: 'L. Valerius Flaccus, quia Flamen Dialis erat, jurare in leges non poterat: magistratum autem plus quinque dies, nisi qui in leges jurasset, non licebat gerere..... Datus, qui juraret pro fratre, L. Valerius, prætor designatus.' Nunc agit Plinius de tertio jurejurando, quod Trajanus, jam depositurus consulatum, iterum in rostris præstitit, ubi juravit, se in consulatu scientem prudentemque nihil contra leges fecisse. Qua in re non quidem exempla plurium aliorum principum, qui ex superbia ejusmodi jurajuranda omiserunt, sed exempla privatorum, pris-

corumque maxime, consulum, secutus est: quanquam et aliquos etiam principes antehac jurasse, deprehendamus. Sic Augustus, teste Dione Cassio lib. LIII. pag. 496. defunctus consulatu, jusjurandum patrio more præstitit; quod an posthæc etiam fecerit, incertus est Dio. Sic et Claudius, eodem teste, lib. LX. pag. 671. consulatu abiturus, idem, ut alii, jusjurandum dedit, solitus id in omnibus consulatibus suis facere. Cicero, suo tempore, pridie, quam abiret consulatu, de rebus in consulatu suo gestis concionem habere voluit, quem vero potestate concionis habendæ privavit Metellus, tribunus plebis, eique nihil permisit, nisi ut juraret. Cic. Fam. v. 2. et in Pison. c. 3. *Schwarz.*

Promitteres] Initio magistratus, supra. *Lips.*

Majus, postquam præstitisti] In Salisburgensi codice, et meo, scriptum est, *majus erat, dum præstitisti.* Verbum *erat* hic abundat; particula *dum* posset locum habere; sed non opus est quadam mutatione. Plinius supra LVI. 4. 'Magnum est, differre honorem; gloriam, majus.' *Schwarzius.*

In rostra] Jurandi caussa, nam ibi occipiebant magistratum, ibi deponebant; et cum juramento, ut dixi. *Lips.*

Inadscensumque] Mallem *inaccessumque.* Idem.

Inadscensumque] Ignosce, Lipsi, malim *inadscensumque.* Nam inaccessus locus, potius esse videtur, quo non patet utique aditus: at principibus patebat utique aditus in rostra, sed noluerunt ascendere. Sic 'arx inaccessa' supra XLIX. 3. *Bern.*

Inadscensumque illum] Particulam ἐγκλιτικὴν *que* prætermittunt codices Vaticani, Venetus 2. Salisburgensis, Guelpherbytanus, et meus; ceteri habent, et quidem satis commode. Præterea, pronomen *illum,* et ante vocabulum *inadscensum,* et post hoc, inutiliter repetunt Salisburgensis et meus; quanquam in Salisburgensi alia manus deleverit posterius pronomen *illum.* Adhæc nec scriptura vocis *inadscensum,* sive *inascensum,* in omnibus codicibus sana est. In meo codice lego *inaccen- sum;* in cod. Patavin. libro Voss. et editionibus Puteolani, Beroaldi, Aldi, Rhenani, Navii, *inassensumque;* in Vaticanis, Parisiensi, utroque Veneto et Guelpherbytano codicibus, integris literis scriptum est, *inascensum,* quo etiam refero libros impressos Catanæi, Juntæ, Cratandri, R. et H. Stephani, Gryphii, Sichardi, Gruteri, et aliorum; quanquam in nonnullis quasi divisis vocibus expressum videatur, *in ascensum.* Participium quidem 'ascensus' aliquando usitatum reperitur; v. g. apud Propert. IV. 3. 63. 'Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris;' at decompositum 'inadscensus,' sive 'inascensus,' adhuc videtur vocabulum ἅπαξ λεγόμενον, quod non facile apud alium probatæ Latinitatis auctorem occurrit, et pertinet ad ea nomina adjectiva, quæ formam participiorum, sed nullum verbum habent, a quibus ἀμέσως descendant. Cujus generis sunt, v. g. 'illaudatus,' 'inassuetus,' 'invictus,' 'inaccessus,' et similia. Maluit igitur Lipsius etiam hoc in loco legere *inaccessum;* neque, ut opinor, male. Etsi enim Berneggerus opposuerit Lipsio, *inaccessum locum* videri potius esse, quo non pateat utique aditus; principibus vero omnino aditum ad rostra patuisse, sed ipsos noluisse adscendere; tamen inanis hæc est objectio, cum idem etiam de 'loco inadscenso' possis dicere. Sive itaque, *inaccessus,* sive *inascensus* hic legas, significatio utriuslibet vocabuli foret latius extendenda; ut 'inaccessus locus' non tantum dicatur, qui accedi non potest, aut non debet, sed etiam, qui re ipsa non acceditur, aut accessus est. Sic 'inadscensus locus,' qui a superbis principibus

non adscenditur, neque adscensus est; etiamsi alibi 'locus inadscensus' dici queat, qui non adscendi potest, neque debet. Et quid, si locum superbiæ principum *inadscensum* dicas, quem insolentiores principes præ superbia et fastu adscendere non potuerint? Quamvis ergo nec mihi displiceret *inaccessus*, nolui tamen *inascensus*, tanquam vocabulum ἅπαξ λεγόμενον, statim rejicere. *Schwarz.*

Locum terere] I. e. locum frequentare, frequenter adire; sicut Plin. Epist. I. 24. ait, 'semitam terere.' Sic hoc verbum etiam de frequenti obambulatione usurpat Martial. II. 11. 'Quod ambulator porticum terit servus.' Idem III. 20. 'porticum terit templi.' Cf. supra ad p. 740. Credo vero, esse errorem librarii, qui pro verbo *terere*, in codice Veneto reposuit *tenere;* et mendum typographi, qui pro eodem verbo in editione Beroaldi dedit *terre.* Idem.

Quamque diversum consuetudine] In codice Salisburgensi et meo, pro *consuetudine*, scriptum est *consuetudini;* neutiquam perverse; nam sic etiam loquuntur probati auctores. Cic. Orat. Agrar. II. 32. 'Corinthus duo maria maxime navigationi diversa pæne conjungit.' Quinctil. Instit. Or. IX. 2. 'Cui diversum est, cum alium rogaveris, non expectare responsum.' Idem ibid. inferius: 'Ut illic verba sint verbis diversa; hic sermoni sensus.' Non tamen ideo rejicio lectionem ab omnibus libris impressis receptam, et a ceteris codicibus Mss. confirmatam. Nomen enim adjectivum 'diversus' etiam cum casu sexto conjungitur, vel absolute, vel interveniente præpositione *a* vel *ab.* Cic. ad Q. Fr. I. 1. 12. 'Difficile est, ea quæ commodis, utilitate, et prope natura, diversa sunt, voluntate conjungere.' Idem Acad. Quæst. IV. 32. 'Certa igitur cum Epicuro, qui a te totus diversus est.' Illud vero pro mendo habeo, cum in meo codice pro *quam dignum te*, scriptum est *quem dignitate.* Idem.

Consuetudine illorum] Julii Sueton. cap. 76. Aug. cap. 26. Tib. cap. 17. Calig. cap. 17. Domit. cap. 13. *Bern.*

Illorum] Malos principes innuit, Domitianum præsertim, qui, teste Sueton. cap. 13. 'omnes consulatus pæne titulo tenus gessit, nec quenquam ultra Cal. Maii, plures ad Idus usque Januarias;' ut et supra adnotavimus ad cap. 58. *Patarol.*

Pauculis diebus] In Domitianum; de quo Tranquillus: 'Omnes consulatus pæne titulo tenus gessit, nec quemquam ultra Kalendas Maii, plures ad Idus usque Januarias.' Si ad Idus, ecce 12. aut 13. dies. *Lips.*

Non gestum] Nihil enim publice fecerant, nulla ejus munia obierant. *Idem.*

Edictum] Quo publice significabant, se abire eo magistratu, alios sufficere, tales et tales. *Idem.*

Abjiciebant per edictum] In meo codice pro *abjiciebant*, mendose positum est *alii ciebant.* Alias consules dicebantur, 'ponere consulatum,' 'abire consulatu,' &c. at Plinius hic utitur verbo 'abjicere,' κατ' ἔμφασιν. Ea enim proprie dicimur 'abjicere,' quæ tanquam vilia, et nobis ingrata, per contemtum dimittimus, atque infra dignitatem esse existimamus. Abjiciebant autem *per edictum;* nempe, superbi principes non dignabantur senatum populumque Romanum, præsentes interesse comitiis, ut ibi solenni patrioque ritu aut susciperent consulatum aut deponerent, concionemque haberent et jurarent; sed satis habebant, absentes *per edictum* declarare voluntatem suam, si vellent vel recipere, vel deponere consulatum, vel eum in alium conferre. Cf. supra LXIII. 4. et 7. *Edictum* autem generatim est jussum et decretum, sive ore, sive scripto, seu libello, declaratum; speciatim alias

'edicta' Romæ dicebantur, quæ prætores, antequam jus redderent, solebant proponere, ut scirent cives, quod jus de qua re quisque dicturus esset. Neque vero soli prætores aut proconsules, sed et omnes magistratus, immo deinceps et principes *edicere* dicebantur; et generales leges, quæ omnes populos et provincias tenebant, appellabantur 'constitutiones,' et 'edicta principum.' Terent. Eunuch. III. 5. 29. 'Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat.' Ubi Donatus: 'Edicimus, jubemus, vel jure dicimus. Edicta enim imperatoris sunt.' Qua de re adire licet Lexica Juridica. *Schwarz.*

Hoc pro concione] Edictum illud tyrannis sufficiebat pro concione, &c. Sic locum interpretor; alii aliter. *Patarol.*

Hoc pro concione] Elegans est similitudinis et æstimationis significatio in præpositione *pro*, quæ hic explicari potest per voces, 'instar,' 'loco,' 'vice;' quasi dixerit Plinius, Principes superbi, sive suscepturi, sive deposituri consulatum, nihil aliud agebant, quam quod edicerent juberentque, quid fieri vellent; cum ipsos decuisset, interesse comitiis consularibus, in rostra adscendere, concionem habere, et dare jusjurandum. Hoc *edictum* iis erat loco et vice concionis, rostrorum, et jurisjurandi. Plaut. Cistell. I. 3. 24. 'Educavit eam sibi pro filia.' Terent. Adelph. v. 8. 28. 'Pro patre huic est, bonus est.' Cic. Verr. IV. 41. 'Tibi Marcelli statua pro patibulo in clientes Marcellorum fuit.' Idem Attic. II. 5. 'Unus Cato mihi est pro centum millibus;' i. e. instar centum millium. Itaque, *pro rostris*, hoc loco aliter dicitur, ac alibi, ubi ponitur pro *in rostris;* de qua notione dixi sub initium hujus capitis. Ceterum in Cuspiniani editione legitur, *Hoc pro his concione, &c.* credo, voces istas fuisse transpositas, cum sic ordinari debuissent, *Hoc his* [sive *iis*, quæ creberrime confunduntur,] *pro concione, &c.* quod et Livineius jam animadvertit. Sic etiam in libro Scaligeri annotatum esse, *Hoc iis pro, &c.* observavit Th. Hearne; et lubens admisissem, si plures libri addixissent. In codice Vaticano 3461. et Guelpherbytano, prenomen *hoc* repetitur, *Hoc pro concione, hoc pro rostris, pro jurejurando.* Schwarz.

Hoc pro concione] *Hoc pro his concione* C. forte, *Hoc iis pro concione.* Livin.

Pro concione] Quam more prisco habere solent ad Quirites. *Lips.*

Intelligerentur ipsi] Opinor, ex errore typographorum accidisse, ut in Salmuriensi et Ultrajectina editionibus pro *intelligerentur* expressum sit *intelligerent;* atque ut in Berneggeriana et Hackiana, omisso adverbio negandi *non*, in fine hujus capitis legamus *quod alii fuissent;* quanquam Bebrius, Gedanensis, ultima hujus capitis verba sic reseribenda putarit, *quod ipsis consulibus alii consules fuissent.* Sed neque Bebrius, neque ante hunc Catanæus, veram hujus loci sententiam sunt assecuti. Hoc vero dicere voluit Plinius, Superbi principes per edictum, et assumserunt, et abjecerunt consulatum, ut cum ingressu consulatus ejus exitus conveniret, utque, cum nullam muneris consularis partem obiissent, hoc solo constaret, illos ipsos fuisse consules, quod tamdiu, quoad appellarentur consules, eorumque nomina fastis præscriberentur, nulli alii boni viri fuerint consules. De hujusmodi principibus jam supra, LIX. 2. dixit Plinius, ideo 'tantum voluisse fieri consules, ut fuerint.' *Schwarz.*

CAP. LXVI. *Non transilivi*] I. e. non prætermisi ipsius consulatus res gestas; etsi, conjungendæ similis materiæ caussa, jam de jurejurando dixi, quod tam sub initium, quam sub finem consulatus sui, præstitit prin-

ceps; nunc enim et ea commemorabo, quæ in ipso egit consulatu. Utitur orator hac formula quasi ad renovandam attentionem auditorum et lectorum. De verbo 'transilire,' dixi supra, ad LVI. 2. In codicibus Mss. Veneto 1. et 2. Salisburgensi, et meo, scriptum est *transilui*; in Guelpherbytano, et quibusdam Vaticanis *transilii*; in ceteris codicibus, et libris impressis, extat *transilivi*: haud secus ac apud Quinctil. Declam. II. 21. in verbis, 'tanquam te rapturus exsilui;' teste Burmanno, aliqui libri habent *exsilii*, aliqui *exsilivi*, alii *exsilui*. Adeo eadem varietas præteriti in composito, quæ in simplici hoc verbo animadvertitur. Tradunt enim grammatici, a 'salio' formari tempus perfectum 'salivi,' 'salii,' et 'salui.' Priscian. lib. X. pag. 905. 'Salio, salivi, vel salii, et salui. Virgilius præteritum Georg. II. 384. 'Mollibus in pratis unctos saliere per utres.' In quibusdam tamen invenitur codicibus etiam 'saluere' scriptum. In Æn. XI. 500. 'Portisque ab equo regina sub ipsis Desiluit.' Idem Æn. V. 140. 'Finibus omnes, Haud mora, prosiluere suis.' Lucan. III. 626. 'Insiluit, solo nociturus pondere, puppim.' Statius tamen, Theb. IX. 132. 'Excussi salierunt cuspide dentes;' et vs. 230. 'Insiluere vadis.' Ovid. Met. XI. 525. 'Cum sæpe assiluit defensæ mœnibus urbis.' Idem Fast. IV. 805. 'Per flammas saluisse pecus, saluisse colonos.' Quadrigarius in Annal. VI. 'Artorius Taureæ dextrum humerum sauciat, atque ita resiliit.'' Hactenus Priscianus. Diomedi vero, lib. I. pag. 371. videtur, a verbo 'salio,' perfectum suavius enuntiari 'salii,' quam 'salivi;' quanquam plerique veterum dixerint 'salui.' Legit ita apud Liv. I. 7. 'Remum novos transiluisse muros;' uti et apud Ovid. lego, Fast. III. 70. 'Non tamen expediit transiluisse Remo.' Ego quidem haud subscribo Vossio Arte Gramm. V. 38. docenti, perfectum 'salivi' unice descendere a verbo 'salio,' quatenus notat, 'sale conspergo;' neque accedo Grutero, perfectum 'transilui' derivandum a verbo 'sileo;' (vide Gronovium ad Senecæ Thyest. vs. 768.) fateor tamen, nisi in omnibus libris excusis jam evulgatum esset *transilivi*, me maluisse in hoc Plinii loco legere *transilui*; neque id sine omni antiquitatis suffragio. *Idem.*

Non transilivi] Oratorie se revocat, quia enim de juramento dixerat, quod abeuntes præstant: quid ergo? jam abivit? jam de fine, nihil de ipso consulatu dicis? Dicam, inquit, sed in unum locum contuli, quod de juramento dicendum erat. *Lips.*

Eandem speciem] Ut jurisjurandi. *Idem.*

Eandem speciem laudis] Quinctil. III. 7. 'Alias speciosius fuerit, in species virtutum dividere laudem, fortitudinis, justitiæ, continentiæ, ceterarumque, ac singulis assignare, quæ secundum quamque earum gesta erunt.' Quem locum jam annotavit Baudius. Quæ vero dicatur 'species laudis,' optime etiam explicari potest ex Sueton. Aug. cap. 9. Cum enim is indicare vellet, quo ordine vitam et res gestas Augusti exponere instituerit: 'Proposita,' inquit, 'vitæ ejus velut summa, partes singulatim, neque per tempora, sed per species, exsequar, quo distinctius demonstrari cognoscique possint.' Quem locum luculenter exposuit Aug. Buchnerus in edit. Burmanniana laudatus. 'Exsequi per tempora,' inquit, est secundum seriem temporis narrare alicujus res, ut quæque hoc vel illo anno sunt gestæ; 'per species exsequi,' est, secundum actionum et virtutum genera statum ac conditionem vitæ exponere. Sic, cum narramus, quæ quis publice, quæ privatim; quæ fortiter, quæ moderate; quæ serio, quæ jo-

cose, egerit, non observato ordine annorum, hoc est 'per species exsequi.' Sic et ego, cum gloriosissimo Romanorum imperatori, CAROLO VI. jussu perillustris senatus Norimbergensis, parentarem, tanti Cæsaris laudem per species virtutum rerumque gestarum exsequi conatus sum. Quod genus descriptionis commendat Vell. I. 14. 'Felicius,' inquit, 'cujusque rei in unum contracta species, quam divisa temporibus, oculis animoque inhæret.' In sequentibus verbis, pro *dicendum erat*, exhibet codex Parisiensis *dicendum fuerat*. Schwarsius.

Diducere ac spargere] Pro verbo *diducere*, omnes, quibus usus sum, codices Mss. habent *deducere;* quam lectionem referunt etiam plurimæ, eæque antiquiores editiones. Primi verbum *diducere* evulgarunt R. et H. Stephani, Ascensius, Gruterus, quos deinceps alii sunt secuti. Possit utcunque retineri verbum *deducere;* ut *deducere speciem laudis* dicatur, qui eam ita varie expandit, ut tandem tenuis reddatur, quasi translatione a lana, quæ deducitur in tenuitatem. Horat. Epist. II. 1. 226. 'Et tenui deducta poëmata filo.' Sicut et Virgilio Eclog. VI. 5. 'deductum carmen,' interprete Macrob. VI. 4. pro tenui et subtili dicitur. Sed quis non videt, multo accommodatius huic loco esse verbum *diducere?* i. e. dirimere, et in diversa loca distrahere. Quid vero facilius fieri potuit, quam ut ista verba a rudibus librariis sint confusa? Annotavit jam Drackenborchius ad Sil. XV. 187. hujusmodi confusionis exempla. Ibi antehac etiam legebatur, 'Qui sua nunc trinis deducunt agmina castris.' Sed Nic. Heinsius ibidem rescribendum censuit *diducunt*, vel contra stantibus membranis; quia nempe in hiberna diversi concesserant Carthaginienses. Sic etiam Liv. XXVI. 41. hac voce usus est de divisione et distractione copiarum olim conjunctarum: 'Diduxerunt exercitus, quæ patri patruoque meo caussa exitii fuit.' Conferatur Pierius ad Virgil. Æn. V. 580. Sic et de civitate in diversas factiones scissa hoc verbum usurpavit Tacit. Annal. IV. 17. 'Instabat quippe Sejanus, incusabatque, diductam civitatem, ut civili bello.' Bene ergo hoc verbum etiam ad unum genus laudis diversa in loca distractum applicari potuit. Sunt autem hæc verba, 'diducere,' et 'spargere,' hoc loco synonyma, et utraque opponuntur iis quæ in locum unum conferri, et continuari, dicuntur. 'Spargere' enim etiam alibi pro 'dividere' et 'distribuere' ponitur. Sueton. Galba, c. 22. 'Congestas super manus cibi reliquias circumferri jubebat, spargique ad pedes stantibus:' ubi Torrentius notat, 'spargi' dici pro 'dividi;' quia, secundum Senec. Epist. 173. 'cœna peracta, reliquiæ circumstantibus dividebantur.' Curt. VIII. 1. 'Cum propter vagum hostem spargendæ manus essent, in tres partes divisit exercitum.' Idem V. 1. 'Per nonaginta stadia habitatur; nec omnia tecta continua sunt: credo, quia tutius visum est, pluribus locis spargi.' In sequentibus vocibus, 'atque identidem tractare debemus,' pro verbo *tractare*, codex Parisiensis parum utiliter habet *spectare*. Idem.

Diducere] *Deducere* Livin. in textu; sed in margine forte, *diducere:* optime. *Rittersh.*

Illuxerat] Consules, non re tantum ipsa, hoc est, expediendis pro tribunali manumissionibus, gratam populo libertatis memoriam renovabant; verum etiam verbis faciendis, et recitanda oratione in curia primo consulatus die senatores ad spem atque expectationem recuperandæ, retinendæque ipsius libertatis invitabant. *Bern.*

Primus consulatus tui dies] Quæri-

tur, an hic ipse dies fuerit auspicalis, nempe Calendæ Januariæ, quibus consulatum tertium inierat Trajanus? Id voluit Baudius; voluere et alii quidam commentatores. Sed, si cogites tot alias cærimonias eo ipso die a novis consulibus obitas, de quibus supra, LXIII. 1. 2. non nihil dixi, dubites, an unus ille dies præterea etiam suffecerit orationi in curia habendæ, aliisve muniis consularibus peragendis. Putes ergo, hic non significari primum illum diem, quo consulatum inierit Trajanus; sed, quo is in consulatu inito primum in curia præsederit senatui, allocutus sit senatum, et alia negotia consularia agere cœperit. Tunc enim consules novi, e senatoribus privatis electi, ex senatus consulto principi pro honore sibi delato solennes egerunt gratias, ejusque virtutes et res gestas laudarunt; aut, si quando ipse princeps consulatum gerendum susceperat, senatoribus benevolentiam suam testatus est, eosque, prout Trajanus fecit, ad spem libertatis resumendæ tuendæque excitavit. Liceat itaque suspicari, cum anno Christi centesimo, mense quidem Januario, Marii Prisci caussa in curia per triduum ageretur, tunc Trajanum in consulatu suo tertio primum curiam ingressum senatum ad resumendam libertatem adhortatum esse, et munia consularia obire cœpisse. Significanter enim de illo die scribit Plin. Epist. II. 11. 'Dilata res est in proximum senatum, cujus ipse conspectus augustissimus fuit. Princeps præsidebat; erat enim consul; ad hoc Januarius mensis, cum cetera, tum præcipue senatorum frequentia, celeberrimus.' Inter 'cetera' vero, nulla re celebrior Januarius iste mensis esse potuit, quam tam gravi comique oratione a principe in senatu habita, cujus hic meminit Plinius noster. Utcunque est, haud tamen dissimulo, saltem Ovidii tempore novum consulem videri ipso consulatus sui die auspicali etiam curiam ingressum esse. Cujus rei indicium facit Ovid. ex Ponto, IV. 4. ubi de Sext. Pompeio, quem consulem futurum augurabatur, inter alia sic cecinit: 'Curia te excipiet, patresque e more vocati Intendent aures ad tua verba suas. Hos ubi facundo tua vox hilaraverit ore, Utque solet, tulerit prospera verba dies; Egeris et meritas Superis cum Cæsare grates:... Inde domum repetes, toto comitante senatu, Officium populi vix capiente domo.' *Schwarz.*

Adhortatus es resumere libertatem] Ordinarie dicendum fuisset, *universos adhortatus es ad resumendam libertatem;* prout Cic. Philipp. IV. 5. dixit, 'Ego vos ardentes et erectos ad libertatem recuperandam adhortabor.' Vel, *universos adhortatus es, ut resumerent libertatem;* sicut ipse Plinius supra XIII. 2. dixit, 'Laudabas quippe ipse ferientes, hortabarisque, ut auderent.' Ista ergo structura, qua verbo huic additur infinitivus, *adhortatus es resumere,* Græcam loquendi rationem sapere videtur; quanquam eam nec alii scriptores Latini refugerint; v. g. Sallust. Catil. cap. 5. 'Res ipsa hortari videtur, supra repetere, ac paucis instituta majorum domi militiæque...disserere.' Val. Max. IV. 7. ext. 1. 'Aliena quoque benefacta referre, Romanæ urbis candor hortatur.' Idem IX. 6. 3. 'Allobrogum gentem ad Q. Fabii dexteram confugere hortatus est.' Justin. XII. 5. 'Alexander hortatur milites, suis scribere.' *Resumere* vero *libertatem*, fere plus est, quam 'recipere libertatem;' quia illud quasi arbitrariam quandam facultatem libertatis, quæ aliquandiu amissa erat, recipiendæ involvere videtur. Sic et Tacitus Annal. III. 40. 'Egregium resumendæ libertati tempus.' Idem Annal. XIV. 31. 'Resumere libertatem occultis conjurationibus pepige-

rant.' *Idem.*

Capessere quasi] In codice Veneto 2. male omissum est verbum *capessere;* nec bene in meo codice ex compendio particulæ *quasi*, formata, et verbo *capessere*, adjuncta est particula ἐγκλιτικὴ *que*. Sed omnino accommodatior huic loco est particula *quasi*, quippe quæ, uti alias lenit audaciores metaphoras; ita et hic moderatur, ac velut mitigat audacius dictum Plinii, quo sub Trajano senatui communionem quandam principatus et imperii tribuere videtur. Qua de re idem Plinius, Epist. III. 20. aliquantum moderatius loquitur: 'Sunt quidem,' inquit, 'cuncta sub unius arbitrio, qui pro utilitate communi solus omnium curas laboresque suscepit: quidam tamen salubri quodam temperamento ad nos quoque, velut rivi, ex illo benignissimo fonte decurrunt,' &c. ubi per rivos non nisi parvæ materiæ negotia intelligit. *Idem.*

Et insurgere] Verbum hoc proprie de iis dicitur, qui, cum lapsi sunt, humo se attollunt, et sensim insurgunt. Tacitus de German. cap. 39. 'Est et alia luco reverentia.... Si quis forte prolapsus est, attolli et insurgere haud licitum; per humum evolvuntur.' Hinc et ad mentem, atque orationem, applicatur, quæ ex humilibus cogitationibus et rebus ad altiora connititur. Quinctil. XII. 2. 'Hæc sunt, quibus mens pariter, atque oratio, insurgant.' Ita et Trajanus videtur senatores adhortatus esse, ut ex servitute et humilitate, qua a prioribus tyrannis oppressi erant, rursus se attollerent, et quasi ex lapsu, animis iterum erectis, insurgerent. Atque adeo et ii qui sensim viribus et potentia crescunt, *insurgere* dicuntur. Tacit. Annal. I. 2. de Augusto: 'Ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine, pellexit; insurgere paullatim, munia senatus, magistratuum, legum, in se trahere, nullo adversante.' Atque in hac quidem explicatione verbi *insurgere* possumus acquiescere. Sunt tamen viri eruditi, qui id e re nautica illustrare malint; quoniam nempe hoc verbum etiam usurpatur de remigibus, qui, cum surgentes fortius remos tractant, iisque majore vi incumbunt, 'remis insurgere' dicuntur. Virgil. Æn. III. 207. 'Remis insurgimus; haud mora, nautæ Adnixi torquent spumas.' Et vs. 560. 'Eripite, o socii, pariterque insurgite remis.' Et v. 189. 'Nunc, nunc insurgite remis, Hectorei socii.' Cum enim veteres significare vellent, omni contentione totisque viribus opus esse, 'omni pede standum esse,' agricolarum proverbio dixerunt, teste Quinctil. XII. 9. Hinc Arntzenius: 'Respublica,' inquit, 'fere navi comparatur, ad cujus administrationem qui admissi sunt, recte *insurgere* dici possunt, si diligentem operam navant.' Cic. pro Sextio, c. 20. et pro Domo sua, c. 10. &c. Et sic Gesnerus notat, junctum hoc verbum dativo, 'publicis utilitatibus,' sumi ea metaphora, quæ respondeat propriæ dictioni, ut illam posuit Virgil. Æn. v. 189. Hoc unum adhuc addo, Ovidium eodem sensu usum esse verbo 'consurgere,' Trist. IV. 3. 71. 'Sed magis in nostri curam consurge tuendi,' i. e. acrem operam impende, ut me tuearis. *Idem.*

Insurgere] Virgilius Æn. v. 'nunc nunc insurgite remis, Hectorei socii.' Mox, 'Principum illorum,' &c. Tiberium et Domitianum indicat, opinor. *Livin.*

Insurgere] Animis iterum erectis, quos servitus depresserat. *Lips.*

Omnes] Nero etiam, de quo Tacitus initio Annal. XIII. *Idem.*

Omnes] Etiam mali, ex ostentatione quadam, et simulatione bonitatis. De Tiberio Tacit. Annal. I. de Nerone idem l. XIII. *Patarol.*

Ante te creditum est] In codice Veneto 1. Salisburgensi, et Patavino;

prætermissum est pronomen *te;* quod tamen ceteri libri omnes, idque satis commode, repetunt. Similis omissio annotata est supra, ad p. 721. Immo, propterea, quod in proximis verbis repetuntur voculæ *ante te*, accidit, ut librarius in codice meo omiserit hæc interjecta verba, *ante te eadem ista dixerunt, nemini tamen.* At neque in his verbis recte caremus particula *tamen*, quam ex negligentia prætermisit librarius codicis Guelpherbytani. Equidem Neroni, sub initium principatus sui præclara quæque pollicito, utique creditum fuisse videtur, si fides habenda Tacito Annal. XIII. 5. 'Nec,' inquit, 'defuit fides; multaque ex arbitrio senatus constituta sunt.' Verum de blanda Tiberii oratione dixit Tacit. Annal. I. 11. 'Plus in oratione tali dignitatis, quam fidei, erat.' *Schwarz.*

Naufragia multorum] Plinius per elegantem metaphoram utitur similitudine a navigatione petita; dum dicere voluit, multa oculis obversari exempla calamitatis eorum, qui insidiosis blanditiis quorundam principum inducti, adierint quidem honores, seque immiserint in negotia reipublicæ; quos vero mox eorundem principum crudelitas, velut tempestas repente exorta, oppresserit, ac dignitate, fortunis, aut ipsa vita, spoliarit. *Naufragia* hic dicuntur pericula et calamitates fortunarum, honorum, et ipsius vitæ; qua translatione scriptores frequenter utuntur. Cic. Fam. I. 9. 'Propter rei familiaris naufragia.' IV. 13. 'Versor in amicorum naufragiis et bonorum direptionibus.' Pro Rabir. cap. 9. 'Nec tuas unquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titii afflictam navem, et in quibus C. Deciani naufragium fortunarum, videres.' Huc adeo faciunt et sequentia Plinii verba, 'quos insidiosa tranquillitate provectos improvisus turbo perculerat;' quæ verba in pluribus antiquis editionibus corrupte sunt evulgata. Navigantibus quidem nihil magis optatur, quam mare tranquillum; sed, 'Noli,' inquit Seneca Epist. 4. 'huic tranquillitati nimis confidere; momento mare vertitur: eodem die, ubi luserunt navigia, sorbentur.' Non paucæ editiones, nempe Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Aldi, Rhenani, Philomusi, Juntæ, Stephanorum, Livineii, et Navii, pro *insidiosa*, habent *invidiosa;* cum illa lectio, quæ et codicum Mss. auctoritate, et suffragio reliquorum librorum, confirmatur, multo sit aptior. 'Insidiosa' enim 'tranquillitas maris' dicitur, quæ insidias habet, aut insidiis plena est. Opportune ad hunc locum Arntzenius annotavit, a Plinio Majore, Hist. Nat. III. 5. Capriam insulam 'insidiosam naufragiis' vocari. Tali mari, et tali tranquillitati, comparantur insidiosæ blanditiæ mali principis. Nam, quod Phædrus I. 19. ait, 'Habent insidias hominis blanditiæ mali.' Et Plin. Epist. I. 5. 'Gratia malorum tam infida est, quam ipsi.' *Idem.*

Naufragia] Opum et vitæ. *Lips.*

Insidiosa] *Invidiosa* Livin. in textu; sed in margine, *insidiosa* C. optime. *Rittersh.*

Insidiosa] Blandis fallacibusque principum dictis. *Lips.*

Insidiosa tranquillitate] Tacit. Annal. I. 2. de artibus Augusti ad imp. 'Militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit.' Victor de eodem: 'Illectis per dona militibus, atque annonæ curandæ specie, vulgo, ceteros haud difficulter subegit.' Adde Grut. Discurs. XXXII. 2. Tacit. Agric. c. 41. *Bern.*

Provectos] Longius in rempublicam liberiusque se immittentes. *Lips.*

Provectos] Hoc participium Puteolanus, Beroaldus, Philomusus, et forte alii, perperam omittunt; nec satis bene pro eo Cuspinianus prodidit *profectos*. Proprie, navi, aut equo 'provehi' dicimur. Cic. de

Divin. I. 28. 'Cum tu equo advectus ad quandam magni fluminis ripam provectus subito, atque delapsus in flumen, non apparuisses.' Virgil. Æn. II. 506. 'Provehimur pelago, vicina Ceraunia juxta.' Deinde, quod vulgo constat, per translationem etiam 'ad honores provehi' dicimur. Tacit. Annal. XIII. 20. 'Burrhum etiam demovere præfectura destinarat, tanquam Agrippinæ gratia provectum.' Ipse autem Plinius locum hunc infra, in fine Panegyrici, optime ad se ipsum applicat: 'Si cursu quodam provectus ab illo insidiosissimo principe, (Domitiano,) antequam profiteretur odium bonorum, postquam professus est, substiti,' &c. *Schwarz.*

Improvisus turbo perculerat] Puteolanus, Beroaldus, et Philomusus, uti dixi, omisso participio *provectos*, evulgarunt, *improvisos turbo perculerat*. Et quanquam Rhenanus adsciverit istud participium, nihilominus tamen, interposito quidem commate, eandem hanc lectionem procudit. Sed res, vel persona, quæ ex inopinato et derepente accidit, sive supervenit, 'improvisa' quidem dicitur, non vero homines, quibus talis res aut persona accidit, dici solent 'improvisi;' h. e. 'improvisus' non active et neutraliter sumitur pro improvido, imprudente, incauto, inopinante, non sperante; sed passive dicitur, quasi non expectatus, non speratus, non provisus; quanquam similis mutatio alios etiam auctores infecit. Sic apud Veget. de Re Mil. III. 20. legimus, 'Ut ex utroque cornu improvisos hostes vertas in fugam;' ubi rectius rescribendum *improvisus*, quamvis nec vetustus codex meus Vegetii ab ista macula sit immunis. Item, apud Victor. de Viris Illustr. c. 23. 'Qui (Camillus) absens dictator dictus, collectis reliquiis, Gallos improvisos internecione occidit;' ubi itidem pro casu quarto pluralis numeri melius reponitur casus primus numeri singularis, *improvisus;* prout Justin. VII. 6. loquitur: 'Thessaliam improvisus expugnat.' Curtius VI. 6. 'Improvisus hosti supervenit.' Sic 'improvisus turbo' dicitur repentina et inopinata tempestas; i. e. calamitas. Apud Tacit. Annal. IV. 62. 'Ingentium bellorum cladem æquavit malum improvisum.' In libro Vossiano pro *perculerat*, annotata est insulsi cujusdam librarii scriptura *proculerat*. Quæ scriptura petita videtur ex codice Patavino; in quo tamen ab alia manu supra scriptum est *perculerat*. Prorsus vero in hanc sententiam dixit Cic. pro Sextio, c. 67. 'Alia quædam civem egregium iniqui judicii procella pervertit; ceteri vero repentina vi perculsi ac tempestate, per populum tamen ipsum recreati sunt atque revocati.' Et pro Cœlio, c. 32. 'Nolite hunc tanquam turbine aliquo, aut subita tempestate, pervertere.' Tacit. Annal. IV. 63. 'Neque dum comperto, quos illa vis perculisset, latior ex incerto metus.' *Idem.*

Quod enim] Pro *quod*, edidere *quid* Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Aldus, Cuspinianus, Philomusus, R. Stephanus, Gryphius an. 1531. Navius, Sichardus. Sed præferendum est *quod;* cui locus est in ceteris libris manu typisque exscriptis. *Idem.*

Tanta levitas] Pro voce *levitas*, non solum codicem Vaticanum 3461. sed etiam editiones Catanæi, Aldi, Philomusi, Navii, Gryphii an. 1542. et forte aliorum occupavit *lenitas;* verum præstat lectio vulgatior, quamvis *lenitas* a Catanæo per simulationem lenitatis explicetur. Magna enim utique est levitas animi et inconstantia eorum principum, quorum favor et blanditiæ subito in iram et sævitiem commutantur. *Idem.*

Facilius esset] Constans hæc lectio, neque facile solicitanda; solicitavit tamen eam Lipsius, opinatus, sententiam inde reddi frigidam, nisi animetur, si legas *felicius*. Neque tamen

is ausus est hanc conjecturam recipere in contextum; recepit eam unus Arntzenius, quia in libro Vossiano pro voce *facilius*, annotatur *felicius*. Sed incertum est, utrum Vossius hanc lectionem ex antiquo quodam codice, an ex illa ipsa conjectura Lipsii hauserit. In nullo enim scripto excusoque libro variationis alicujus volam vestigiumque deprehendi. Vocis quidem *felicius* notio satis apta foret; sed et vulgata lectio recte locum suum tueri potest, si ea per 'levius' et 'tolerabilius' explicetur. Ita enim et alibi τὸ 'facile' identidem opponitur ei, quod est grave, molestum, et intolerabile. Gellius Noct. Att. I. 6. 'Nullas plerumque esse in matrimoniis molestias asseverabat, et, si quæ tamen accidere non nunquam viderentur, parvas, et leves, facilesque toleratu, dicebat.' Liv. V. 22. 'Deam accepimus levem ac facilem translatu fuisse.' Immo et aliquando 'facilis,' sine additamento dicitur pro 'levi' et 'tolerabili.' Virgil. Æn. II. 646. 'Facilis jactura sepulcri:' ubi Servius, '*Facilis*, i. e. contemtibilis et levis sapienti viro, ut sit *jactura* dispendium.' Cic. pro Q. Roscio, cap. 6. 'Quorum alterum est gravius et odiosius; alterum, levius et facilius.... Hoc jam neque leviter ferendum est, neque negligenter defendendum.' Sic et Quinctil. Declam. XII. 15. cum ostendere vellet, pestilentiam, stragem præliorum, et ipsam mortem, multo leviora et tolerabiliora mala esse, quam famem: 'Felix pestilentia,' inquit, 'felix præliorum strages, denique omnis mors facilis; fames aspera vitalia haurit, præcordia carpit, animi tormentum, corporis tabes, magistra peccandi, durissima necessitatum, deformissima malorum.' Ubi vides, voces 'felix' æque ac 'facilis,' in eadem materia posse locum habere. Loquitur autem Plinius de iis propitiis principibus, quorum favor amorque non erat, nisi fictus et simulatus. Jam autem idem infra, c. LXXXV. recte dicit, 'pejorem odio esse amoris simulationem.' Inde nec obscure patet, cur tolerabilius videatur, iratos, quam hoc modo propitios, habere principes; quia, quod Cassiodorus, Epist. V. 43. ait, 'multo gravius dolet injuria, quæ contigerit insperata, et si inde proveniat, unde credebatur beneficium et auxilium.' Huc et pertinet lusus Lucillii in Anthol. Græc. II. 15. 1. cujus sententia Latine reddita hæc est: 'Omnibus hominibus ego multo meliorem dico manifestam inimicitiam, quam dolosum fucatumque amorem. Dicunt enim, et navibus in mari errantibus pejus nocere submarinas petras, quam manifestos scopulos.' Adhæc aperta aliorum ira nos cautos; simulatus amor, facile securos, reddit. Vulgatam lectionem etiam Gesnerus hoc loco retinendam censuit. Quædam tristia propitii Domitiani exempla commemorat Sueton. Domit. cap. 11. *Idem.*

Facilius] Friget sententia: animabitur, si legas *felicius*. Inopinatum dictum; nam omnes amant volentes habere principes; at istorum ea fraus vel levitas, ut juvaret affligere subito amicos aut propinquos. Spectant in Domitianum, de cujus 'callida inopinataque sævitia,' ita loquitur Sueton. quem, sodes, cap. 11. vide et hæc cape. Universe autem etiam verum est, Πόῤῥω Διός τε καὶ κεραυνοῦ. *Procul a Jove et fulmine.* Lips.

Facilius] Lipsius legendum divinabat *felicius*; nec male, mea sententia. *Patarol.*

Jubes esse liberos; erimus] 'Liberi' hic dicuntur, qui libere loquuntur, libertatemque defendunt. Verbum *erimus* mire corruptum est in quibusdam codicibus Mss. In Vaticano 3461. pro eo scriptum est *cernimus*,

in Veneto 2. et meo *liberos criminis* in Salisburgensi *crimis*, et ex correctione *credimus*. Sed vides ineptias librariorum. *Schwarz.*

Promere in medium] In codice Veneto 1. prætermissa sunt verba *in medium*. *Promere* idem est, ac 'proferre,' 'exponere,' 'eloqui;' et sic etiam sæpe absolute ponitur: retinenda tamen sunt verba in ceteris omnibus libris addita, *in medium*; i. e. 'in commune.' Virgil. Æn. XI. 335. 'Consulite in medium.' Cic. frequenter dicit, 'proferre in medium.' Fam. XV. 2. Verr. V. 10. Philipp. II. 4. &c. Et sic etiam hæc verba per interpunctionem conjunguntur in codice Patavino: *Jubes, quæ sentimus, promere: in medium proferemus.* Tacit. Annal. VI. 24. 'in publicum promere.' Pro sequenti verbo *proferemus*, vitiose scriptum est in codice Guelpherb. *proferimus*; quod vitium etiam in editione Rhenani an. 1520. expressum legitur. Rittershusius in locum verbi *proferemus*, censuit restituendum *promemus*. Ego pro antecedente verbo *promere*, fere malim rescribere *proferre*, quia sequitur *proferemus*; sed, cum omnes scripti impressique libri abdicant, nihil muto. *Idem.*

Proferemus] Lege *promemus*. Rittersh.

Neque enim adhuc] In codice Guelpherbytano omissa est particula *enim*; in Salisburgensi et meo desideratur particula *adhuc*. Ad sequentia verba pertinet locus Sallust. Jugurth. cap. 31. 'Piget dicere, ut vobis animus ab ignavia atque socordia corruptus fuerit, qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exsurgitis.' *Schwarz.*

Misera illa] In codice Vaticano 1364. et Veneto 1. pro *misera*, scriptum est *miseria*; et pejus in meo codice *viscera*. Pigeret me, istiusmodi σφάλματα annotare, nisi testari cupiam, qua solicitudine scrutatus sim codices scriptos; ac nisi non nihil operæ pretium facturus videar, si identidem origines et occasiones mendorum in codicibus scriptis obvias ostendam. Dicitur vero *misera ex periculis facta prudentia*, quæ quasi per meras miserias et propria pericula comparata est: cum contra dicatur 'Felix, quem faciunt aliena pericula cautum,' sive prudentem. *Idem.*

Prudentia monebat] Puteolanus, Beroaldus, Catanæus in prima editione, Aldus, Philomusus, et Navius, pro verbo *monebat*, edidere *movebat*. Quod verbum non illico rejiciendum videatur, cum etiam per 'adhortabatur,' 'incitabat,' explicari possit. Cic. Fam. I. 7. 'Illa me ratio movit;' et passim. Verum omnes, quos consului, codices Mss. et ceteri libri, confirmant vulgatam lectionem. Ac, licet verbum 'movere,' cum antecedentibus nominibus, 'terror,' et 'metus,' conveniat; magis tamen 'monere' convenit cum nomine proximo, *prudentia*; et sæpe absolute, sine casu ejus, qui monetur, ponitur. Sallust. Catil. cap. 50. 'Ut res atque tempus monebat.' Et cap. 52. 'Res autem monet, cavere ab illis.' Idem Jugurth. cap. 47. 'Ratus, id quod res monebat.' Cic. de Invent. II. 22. 'Pietatem appellant, quæ erga patriam, aut parentes, aut alios sanguine conjunctos, officium conservare moneat.' In codice Salisburgensi legitur in numero multitudinis *monebant*, ut hoc verbum etiam ad cetera nomina præcedentia referri possit. Proclive autem fuit, librarios literas, *n* et *v*, adeoque etiam verba, 'monere' et 'movere,' inter se permutare; cujus permutationis plura exempla annotavit doct. Drakenborch. ad Sil. II. 273. *Idem.*

Erat autem omnino nulla respublica] Indignor fere, sententiam per se facilem et perspicuam, quæ per παρέν-

θεσιν inseritur orationi, ab inertibus librariis in quibusdam codicibus Mss. fuisse obscuratam. In meo codice scriptum est, *Erat autem R. P. omnino.* In Parisiensi, utroque Veneto, Salisburgensi, et Patavino, *Erat autem omnino respublica;* cum sensus requireret, ut *nulla respublica* diceretur. Respublica enim hoc loco opponitur monarchiæ, et tunc *nulla respublica* dicitur, e qua libertas populi, priscæ leges et consuetudines, et jura magistratuum, sunt sublata, et quæ quasi in rem privatam unius est conversa. Cic. de Offic. I. 11. 'Paci, quæ nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum: in quo si mihi esset obtemperatum; etsi non optimam, at aliquam rempublicam, quæ nunc nulla est, haberemus.' Idem de Offic. II. 8. ubi de Syllanis temporibus loquitur: 'Itaque parietes urbis modo stant et manent, iique ipsi jam extrema scelera metuentes: rem vero publicam penitus amisimus.' Idem ad Brutum Epist. 15. 'In quo bello non, utracunque pars vicisset, tamen aliqua forma esset futura reipublicæ: hoc bello victores quam rempublicam simus habituri, non facile affirmarim; victis certe nulla unquam erit.' In cod. Vatican. et Guelpherb. integra sententia exprimitur, sed ordo verborum non nihil mutatur, *nulla autem omnino erat respublica.* Idem.

Nulla respublica] Sed unius res privata. *Lips.*

Averteremus] In qua nihil honeste, nihil libere, fas esset dicere aut facere. *Idem.*

Tua dextera tuisque promissis] Figura, qualis in hoc versu Virgilii, 'pateris libamus et auro,' pro 'promissis data dextera factis et conceptis.' Plin. XI. 45. 'Dextra osculis aversa appetitur, in fide porrigitur.' *Livin.*

Dextera] Quam fidei tesseram dedisti. *Lips.*

Obsepta ora] Recte observat Behrius, his verbis translatis id fere exprimi, quod Cic. pro M. Marcello, cap. 1. magis proprie dixit: 'Diuturni silentii, quo eram his temporibus usus, (non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia,) finem hodiernus dies attulit, idemque initium, quæ vellem, quæque sentirem, meo pristino more dicendi.' 'Obsepire' proprie est quasi cingere et concludere aliquid, ad aditum exitumve prohibendum. Liv. XXV. 39. 'Alii obseptis itineribus super vallum saliunt.' Tacit. Annal. XII. 31. 'Obseptis effugiis, multa et clara facinora fecere.' Plaut. Casin. V. 2. 42. metaphorice, 'Ubi illum saltum video obseptum, rogo, ut altero sinat ire.' Sic et *ora* hominum, qui servitute oppressi et metu periculorum non audent loqui quæ sentiunt, translate *obsepta* dicuntur. Pro hoc dicitur alias, 'obturare os,' Plaut. Stich. I. 2. 57. 'Omnibus os obturent, ne quis merito maledicat sibi.' Item, 'os opprimere,' Plaut. Asin. III. 2. 40. Item, 'linguam alicui occludere.' Idem Trinum. I. 2. 151. 'Occlusisti linguam; nihil est, qui respondeam.' Cf. idem Milit. III. 1. 11. *Schwarz.*

Denique nihil] Ita est scriptum in codic. Vatic. Guelph. et in libro Vossiano. Vulgo omittitur vox *nihil.* Gesnerus ita hæc verba interpuncta edidit: 'Nihil subdolum denique, quod credentem fallere paret.' Non incommode. At dubito, an veteres in partitione, sive enumeratione, duorum saltem membrorum, lubenter dixerint, *denique*, i. e. 'ad extremum.' De tribus, vel pluribus membris, satis obvia sunt exempla; v. g. Cic. Catil. I. 13. 'Quare, P. C. secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum congregentur; muro denique, id quod sæpe jam dixi, secernantur a nobis.' Idem Catil. III. 11.

'Nihil me mutum potest delectare, nihil tacitum, nihil denique hujusmodi, quod etiam minus digni assequi possint.' Cf. ipse Plinius noster in hoc Paneg. xv. 4. xxiv. 1. xxv. 4. xxxvii. 2. lix. 2. lxiii. 5. et passim. *Idem.*

Deceptus est princeps] Seneca Tragicus in Thyeste, vs. 286. 'Sat. Sed quibus captus dolis, Nostro dabit perductus in laqueos pedem? Inimica credit cuncta. Art. Non poterat capi, Nisi capere vellet.' Et vs. 311. 'Sæpe in magistrum scelera redierunt sua. Ut nemo doceat fraudis et sceleris vias, Regnum docebit.' *Idem.*

Deceptus est] A nobis, neque alios reperit, nisi cum alium ipse se gessit. *Lips.*

Cap. lxvii. *Parentis publici*] Sic supra vi. 1. dicitur 'imperator et parens generis humani;' et 'publicus parens,' x. 6. et xxvi. 3. ad quem locum vide. *Schwarz.*

Ex oratione] Vulgo ubique scriptum editumque legitur, *cum exhortatione ejus.* Lipsius primus putavit, pro *exhortatione*, legendum *ex oratione;* quæ conjectura etiam arrisit Baudio, eaque apte cohæret cum sequentibus verbis, *tum pronuntiatione ipsa.* Jam in codice meo ita scriptum inveni. Igitur vel amplectenda hæc scriptura, vel certe vulgatum vocabulum *exhortatione*, divisis vocibus est scribendum, *ex hortatione* ejus; cum Plinius proximo capite commemorarit, Trajanum primo consulatus sui die universos adhortatum esse ad resumendam libertatem, et ad capessendas quasi communis imperii curas: quanquam ibidem dixerit, nihil exhortationibus ejusdem fucatum, nihil subdolum inesse. At vix verisimile est, tam præstantem oratorem ex proximo intervallo sine figura repetiisse vocabulum, ac primo quidem loco in numero multitudinis; altero autem loco saltem in numero singulari. Quamobrem non est, cur meliorem lectionem, *ex oratione*, eamque contextui orationis convenientem, negligamus; quam nunc etiam adsciverunt viri celeb. Gesnerus et Arntzenius. *Idem.*

Ex oratione] *Exhortatione.* Putarem *ex oratione.* Lips.

Pronuntiatione ipsa] *Pronuntiatione* Livin. in textu; sed in margine, *pronuntiatione ipsa* V. C. G.

Pronuntiatione ipsa perspexisse] Merito Plinius candorem et veritatem exhortationis Trajani etiam comprobat ex *ipsa pronunciatione;* cum animus oratoris potissimum ex hac pellucere credatur. 'Pronuntiatio' vero, latiore notione dicta, secundum auctorem ad Herenn. Rhet. i. 2. 'est vocis, vultus, gestus, moderatio, cum venustate.' 'Habet' hæc, docente Quinctil. xi. 3. 'miram quandam in orationibus vim ac potestatem. Quare neque probatio ulla, quæ venit ab oratore, tam firma est, ut non perdat vires suas, nisi adjuvetur asseveratione dicentis. Affectus omnes languescant, necesse est, nisi voce, vultu, totius prope habitu corporis, inardescant. . . . Illud vero maximum, quod secundum rationem rerum, de quibus dicimus, animorumque habitus, conformanda vox est: quippe non manus solum, sed nutus etiam, declarant nostram voluntatem.' Pronomen *ipsa* non expressum est in editione Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Aldi, Juntæ, Rhenani, Philomusi, Cratandri, Ascensii, an. 1533. Navii, et Livineii; illud tamen primus publicavit Cuspinianus, quem Rob. Stephanus, aliique sunt secuti, idemque confirmant residui codices. At ab iisdem codicibus pro verbo *perspexisse*, pertinaciter exhibetur *respexisse;* quod præterea etiam in commemoratis editionibus legitur, itemque a Cuspiniano et Rob. Stephano proditum

est. Primus, ni fallor *perspexisse* evulgavit Gryphius, incertum, utrum ex conjectura, an ex codice quodam. Unde parum abfuit, quin verbum *respexisse*, tot librorum scriptorum excusorumque auctoritate stabilitum, restituissem Plinio. Equidem 'respicere' proprie dicitur retro adspicere; quæ autem notio huc non pertinet. Aliquando etiam notat simpliciter conspicere, considerare, attendere; quæ notio utique hic locum habere potest. Sic enim, ne longius abeam, ipse Plinius supra xxx. 3. 'Frustra tunc Ægyptus nubila optavit, cœlumque respexit.' Ubi Seneca, Nat. Quæst. III. 2. cum de eadem re loquitur: 'nemo aratorum,' inquit, 'cœlum adspicit.' Ergo 'adspicere' et 'respicere' de una eademque re et actione dici potest. Idem Plin. LXII. 9. 'Huic (famæ) aures, huic oculos, intende; ne respexeris (i. e. ne attenderis,) clandestinas existimationes.' Idem Epist. II. 7. 'Erit ergo pergratum mihi, hanc effigiem ejus subinde respicere, (i. e. diligenter adspicere, considerare,) sub hac subsistere, præter hanc commeare.' Ita et alia sunt quædam verba cum præpositione inseparabili *re* composita, quæ nec 'retro,' nec 'rursum,' sive reiterandi actum, significant, sed fere notionem simplicium retinent; v. g. 'recipere, resciscere, revereri,' &c. de quibus non nihil dixi in Excurs. XLIII. *Schwarz.*

Inaffectata veritas verborum] Bene Baudius: 'Id est, naturali simplicitate assurgens, casta et pudica oratio, sine calamistris, quam simulatio vincere artificio, non æquare simplicitate potest.' Hæc ille. Quinctil. XI. 1. in fine: 'Simplicitas illa et velut securitas inaffectatæ orationis.' Idem X. 1. 'Quid ego commemorem Xenophontis jucunditatem illam inaffectatam; sed quam nulla possit affectatio consequi?' De verbo 'affectare,' supra ad p. 514. non nihil dixi. Non vero hic intelligenda est 'veritas moralis,' neque 'logica,' sed 'grammatica' et 'rhetorica;' quæ, ni fallor, Germanice dici potest *die natürliche schoenheit und nachdrück der worte.* Quinctil. VIII. 2. dicitur 'vis ac proprietas verborum;' et, eodem judice, VIII. 2. 'proprie dictum id est, quo nihil inveniri possit significantius.' Nec dubito, quin hæc inaffectata veritas verborum etiam designetur per illam ἀφέλειαν, de qua Quinctil. VIII. 3. 'Et ipsa illa ἀφέλεια simplex et inaffectata habet quendam purum, qualis etiam in feminis amatur, ornatum, et sunt quædam velut e tenui diligentia circa proprietatem significationemque munditiæ.' Sicut vero in Grammaticis ἐτυμολογία potissimum respicit veritatem illam et proprietatem verborum; ita Cic. Topic. cap. 8. putavit ἐτυμολογία, Latine dicendum *veriloquium*; quanquam ipse, qui finxit hoc vocabulum, ab ejus usu abstinuit. Ceterum, inertes quidam librarii sic auxerunt hæc verba, *quam inaffectata veritas verborum rerumque!* Sed ita auxerunt, ut nonnulla corruptelæ indicia reliquerint. In Venetis codicibus pro *verborum*, scriptum est *verbo rerumque.* In Vaticanis, Salisburgensi, Guelpherbytano, et meo, *veritas verborum rerumque asseveratio in voce.* Verum, non agitur hic de veritate rerum, quæ potius ad 'gravitatem sententiarum' referenda est; sed, ut dixi, de verborum veritate, sive proprietate, et naturali nitore. *Idem.*

Quæ asseveratio in voce] Mendose scriptum est in codice meo *asservatio.* Quinctiliano, loco modo citato, dicitur 'asseveratio dicentis.' Bene observavit Laur. Valla Elegant. v. 87. 'asseverare,' dici, inter ipsa argumenta probationesque admiscere vim animi motumque. 'Affirmatio' apud Quinctil. VIII. 3. dici videtur

pro ἐμφάσει· 'Nonnunquam,' inquit, 'illud genus πλεονασμοῦ affirmationis gratia adhibetur: 'Vocemque his auribus hausi.'' *Idem.*

Fides] Uti actio et pronuntiatio apta facile conciliant orationi fidem; ita e contrario, tradente Quinctil. XI. 3. 'si gestus ac vultus ab oratione dissentiant, tristia dicamus hilares, affirmemus aliqua renuentes; non auctoritas modo verbis, sed etiam fides, deest.' *Idem.*

Tenebit ergo] Catanæus hæc verba sic interpretatus est: 'Erit semper in hac sententia, ut pro utilitate reipublicæ libere loquamur.' Weinrichius sic: 'Semper nos mandatis suis obedientes habebit, obtinebitque hoc, quod voluit.' Sic et Ceva: 'Tenebit, [i. e. obtinebit,] ut, quod sentimus de republica, libere dicamus.' Catanæus proxime attingit scopum. Interim hæc ipsa verba magis proprie, et simplicius sic interpretari velim: Tenebit ergo semper memoria et animo, neque unquam obliviscetur, quid ipse nobis suaserit, ut resumamus libertatem. Sic vero Plinius sæpe hoc verbo absolute utitur; v. g. Epist. I. 22. 'Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis, tenet!' Idem Epist. VII. 25. 'Quantum ille legit, quantum tenet?' Idem Epist. VIII. 13. 3. 'Difficile est tenere, quæ acceperis, nisi exerceas.' Ibid. § 7. 'Omnia soluta, turbata, atque etiam in contrarium versa, postremo obliviscenda magis quam tenenda.' Idem Epist. VIII. 24. 'Admoneo tamen, ut, quæ scis, teneas, et observes, aut scias melius.' *Idem.*

Quid suaserit] Vulgo editum est *quod suaserit;* sed pro *quod*, in codice Veneto 1. Salisburgensi, Patavino, et meo legitur *quid;* quod et notatur in libro Vossiano; ubi simul observatum est, al. habere *quidquid.* Et sic etiam scriptum est in cod. Vatic. et Guelpherb. Quod si autem verbum 'tenebit' explicandum est, 'memoria tenebit,' sive, 'non obliviscetur,' pro vulgari lectione *quod*, omnino aptius legitur *quid,* quoniam id etiam rectius cum modo conjunctivo componitur. *Idem.*

Libertatem . . . experiemur] Sallust. Jug. cap. 31. 'Certe ego libertatem, quæ mihi a parente tradita est, experiar:' hoc est, inquit Cortius, 'exercebo, utar libertate.' *Idem.*

Fidelitate temporum] In hanc lectionem conspirant omnes libri; eamque integram in nova editione reliquit Arntzenius, quamvis aures suas inde offendi fateatur, suspicatus, potuisse librarium, cum de fide principis ageret, omnes voces ad eam virtutem detorquere; cum tamen de 'felicitate temporum' scripserit auctor; quæ conjectura etiam Behrio in mentem venit. Concedo quidem, 'felicitatis temporum,' inter elogia principum, in nummis, non demum sequentium imperatorum, quod visum est Arntzenio, sed etiam Pliniano ævo, sæpius mentionem fieri; largior etiam, ad hanc temporum illorum felicitatem ea potuisse referri, quæ Plinius de 'fidelitate temporum' habet: nescio tamen, cur non credibile sit, aut cur auribus quasi aliquid scabri accidat, si inter laudes Trajani a Plinio sigillatim etiam 'fidelitas temporum' designetur. Certe, sicut apud Plin. in Panegyrico, et Epistolis, inter querelas et notas antecedentium temporum nominantur, 'immanitas' et 'servitus priorum temporum,' 'necessitas et metus priorum temporum,' 'licentia temporum,' 'temporum invidia,' 'culpa' et 'mala sæculi,' et alia; ita nominatim, inter elogia Nervæ et Trajani, generatim quidem commemoratur 'felicitas temporum,' Epist. X. 7. et 66. speciatim tamen etiam laudatur 'justitia temporum,' Epist. X. 63. 'tranquillitas sæculi,' Epist. X. 20. 'sæculi nitor,'

Epist. x. 34. 'securitas temporum,' Paneg. L. 6. 'bona sæculi,' Paneg. XXXVI. 4. &c. Taceo nunc, ad elogia principum sequentis ævi in Symmachi epistolis passim referri 'temporum,' vel 'sæculi,' 'æquitatem,' 'bonitatem,' 'clementiam,' 'famam,' 'gloriam,' 'humanitatem,' &c. Quid ni igitur Plinius, cum de fidelitate mutua principis, senatus, populique Romani loqueretur, quæ florebat temporibus Trajani, etiam sigillatim 'fidelitatem temporum' collaudare potuisset? In Titi Vespasiani nummis, inter Ducis Arschotani numismata, Tab. XXVIII. n. 23. conspiciuntur dextræ junctæ, cum spicis et caduceo, et cum epigraphe, FIDES PVBLICA. Mediobarbus p. 133. 134. et 135. nummos Domitiani commemorat, in quibus eadem inscriptio legitur, FIDES PVBLICA. Idem p. 157. nummum Trajani annotavit, in quo Imp. cum figura muliebri, sinistra cornu copiæ tenente, alloquitur milites, cum inscriptione, FIDES MILITVM. Ceterum antiquiores editiones, Puteolani, Beroaldi, Cuspiniani, Aldi, Rhenani, Philomusi, et Juntæ, pro verbo *meminit*, mendose expressum referunt *memini*. Idem.

Nuncupare vota] Berneggerus ad hunc locum hæc commentatur: 'Nuncupabantur præcipue die post Kal. Januarias tertio. Eunapius in Vita Max. Caius Jurisconsultus de Verb. Sign. et Dio lib. LIX. Tacitus tamen, Annal. IV. et Tibull. ad Messal. 'ipsis Calendis;' quo de vide Lipsii Excurs. B. ad Tacit. Annal. XVI. 22. 'Cœpere Julii temporibus,' Dio lib. XLIV. et 'in honorem Augusti,' Dio lib. LI. ac 'pro Pompeio,' idem lib. XLI. 'nuncupata a pontificibus, consulibus, et reliquis magistratibus,' Plutarch. in Cic. Dio l. LI. et LVIII. 'In Capitolio, et in castris apud signa,' Tertullianus de Corona. Hæc et 'tabulis mandari' Suetonius refert in Aug. cap. 97. et 'cera figi,' sive 'incerari,' Juvenal. x. et 'plerumque femore, genuve Deorum, annulo obsignari,' Apuleius in Apolog. Unde 'vota signata' in Epistolis Plinii ad Trajanum. 'Adsignata oratio' apud Tertull. de Orat. Illa autem sigilla, quibus vota signabantur, ἀγαλμάτια Græcis dicuntur, et sub imperatoribus cudebantur. Nec tantum vota in futurum suscipiebantur, quod erat εὔχεσθαι· sed simul etiam priorum annorum vota solvebantur sacrificiis, quod erat θύειν. Plin. lib. x. Epist. ad Trajan.' *Idem.*

Vota] Quæ tertio Nonas Januarias publice suscipi moris erat, festa omnium lætitia. De iis scripsi, nec repeto Taciti Annal. XVI. *Lips.*

Pro æternitate imperii] Elogium 'æterni' datum non tantum urbi Romæ; sed et imperio 'æternitatem' ab assentatoribus promissam, notat Spanheim. de Usu et Præst. Num. Vet. tom. II. pag. 346. et 384. Velleius, ubi II. 103. de Neronis adoptione narrat, 'Lætitiam illius diei,' inquit, 'concursumque civitatis, et vota pæne inserentium cœlo manus, spemque conceptæ perpetuæ securitatis æternitatisque Romani imperii, vix in illo isto opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere.' Ipse Nero, teste Suetonio in ejus Vita, c. 11. 'ludos pro æternitate imperii susceptos appellari voluit Maximos.' Et quoties AETERNITAS AVGVSTI, vel AVGVSTORVM vel IMPERII, non in nummis Cæsareanis consignata reperitur? Ipsius Trajani nummum annotavit Mediobarbus p. 153. in quo conspicitur figura stans, et dextra caput Solis radiatum, sinistra caput Lunæ, tenens, cum his literis: AET. AVG. i. e. 'Æternitas Augusti.' Sic et Plinius, Epist. x. 67. 'Fl. Archippus per salutem tuam æternitatemque petiit a me.' Et ep. 87. 'Per æternitatem tuam salutemque.' *Schwarz.*

Et pro salute principum] In omnibus excusis libris, pro voce *principum*, legimus *civium*. Livineius hanc lectionem vocat ineptam; quoniam in vetusto codice suo repererat scriptum, *pro salute principum;* et quia mox ipse Plinius ita se corrigit, ut non nisi ordinem talium votorum convertere voluisse videatur, ubi ait, *immo pro salute principum*. In qua emendatione non acquievit Lipsius, ratus, priore loco Plinium dixisse, antiqui instituti in republica libera fuisse, ut vota publica pro imperii æternitate et salute civium susciperentur; at nunc vota nuncupari solere pro salute principum et æternitate imperii. Verum, nec mihi satisfacit Lipsius; primum, quoniam manifestum est, Plinium non loqui de more veteris reipublicæ, sed tantum de more Romanorum sub imperatoribus, præcipue durioribus, viventium; dum dicit, *nuncupare vota... solebamus*. At, si primum de antiquis, deinde de suis temporibus, loqui voluisset; sine dubio, discernendorum temporum caussa, aliis verbis et signis usurus fuisset; v. g. 'majores nostri,' 'nos;' 'olim,' 'postea,' &c. Sed nec facile exemplum poterit proferri, ubi, in vetere republica, vota facta fuerint 'pro æternitate imperii;' quanquam Cic. pro Murena, c. 1. more institutoque majorum deprecatus est a Diis, illo die, quo auspicato comitiis centuriatis L. Murenam consulem renuntiavit, 'ut ea res sibi, magistratuique suo, populo plebique Romanæ, bene atque feliciter eveniret.' Cum vero Plinius non nisi de formula votorum publicorum sub imperatoribus, præcipue durioribus, nuncupatorum, loquatur, nescio cur pro vulgata voce *civium*, non recipere velimus vocem *principum;* quia tunc omnino magis vota pro salute principum, quam pro salute civium, locum habere potuerunt. Adhæc, nec aspernanda est auctoritas vetusti codicis Livineii, cui et nostri codices magnam partem suffragantur. Licet enim in plurimis codicibus hic locus corrupte sit scriptus, propter vocabula *principum, imperii*, et *salutis*, in uno verborum ambitu bis occurrentia; nihilominus tamen hi ipsi codices magis favent lectioni *principum*, quam *civium*. Sed bona fide varietates scripturæ hujus loci e codicibus Mss. proferam. Scilicet codices Vaticani 3461. 1775. et 1776. item et uterque Venetus et Guelpherbytanus habent, *Nuncupare vota, et pro æternitate imperii, et pro salute principum, ac propter illos pro æternitate imperii, solebamus*. In codice Patavino: *Nuncupare vota et pro æternitate imperii, et pro salute civium; immo pro salute principum, ac propter illos pro æternitate imperii, solebamus*. At in codice Vaticano R. A. 1475. locus hic integer exscriptus est, prout eum in contextu expressi. In codice Parisiensi legitur, *Nuncupare vota pro salute principum, at propter illos pro æternitate imperii, solebamus*. In codice Salisburgensi, et meo, corruptissime scriptum est, *Nuncupare vota et pro æternitate imperii solebamus*. Ex residuis ergo codicibus, quibus uti mihi contigit, solus Vaticanus R. A. 1475. uti jam dixi, locum hunc nobis integrum servavit; ex quo intelligimus, Plinium in his verbis non nisi ordinem votorum sub imperatoribus nuncupatorum per correctionem convertere voluisse, uti infra LXXII. 1. alio modo ejusmodi ordinem convertit, ut ostenderet, alios, quasi tolerabilius, primo pro æternitate imperii, deinde pro salute principum; immo alios, primo pro salute principum, et deinde propter hos, pro æternitate imperii, vota publica nuncupari jussisse. Sicut igitur in posteriore, eaque inversa formula, nulla mentio facta est civium; ita præsumendum est, etiam in priore formula nullam

civium mentionem præcessisse. *Idem.*

Pro salute principum] *Pro salute civium.* Inepta lectio, quomodo est tamen in C. G. R. Tu fidenter ex V. *pro salute principum* rescribe. Patet de correctione, quam subdit, *immo pro salute principum, &c.* Livin.

Principum] *Civium.* Ait aliquis, ineptam hanc lectionem esse, et fidenter rescribendum *principum.* At mihi non probat: et puto Plinium dicere, antiqui instituti fuisse, ut vota pro imperio et civibus susciperentur; at nunc pro salute principum. Res sane ita fuit, et olim consules vota nuncupabant, ut Livius lib. XXII. de Varrone: 'Capitolium et solennem votorum nuncupationem fugisse.' Quid autem nisi pro rep. et imperio S. P. Q. R.? *Lips.*

Principum] Corrigit dictum, quia illi priores de sua salute satagebant, securi publicæ. Et alioqui verba ipsa erant de principe. Tacit. Annal. IV. 'Pontifices eorumque exemplo ceteri sacerdotes, cum pro incolumitate principis vota susciperent.' Paulus Jurisconsultus: 'Post Kalendas Januarias, die tertio, pro salute principis vota suscipiuntur.' Plinius in Epistola ad Trajanum: 'Solennia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, et suscepimus, domine, et pariter solvimus: precati Deos, ut velint ea semper solvi, semperque signari.' *Idem.*

Immo pro salute] Immo 'Caligula non modo pro se ac republica, sed pro suis etiam sororibus annuatim.' Dio lib. LVIII. *Bern.*

Pro imperio nostro] Gesnerus mavult legere, *pro imperatore nostro;* ad hunc enim ait pertinere formulam, 'si bene ... rexeris.' Putat nempe, facile tunc errorem accidere potuisse, cum forte aliquis per compendium scripserit *Imp.* alter autem ultimas literas hujus vocis infeliciter suppleverit.' Testis est Arntzenius, quamvis ipse etiam vulgatam lectionem Plinio vindicaverit, similiter Perizonium legisse, *pro Imperatore.* Admitterem et ego hanc lectionem, si qui libri annuerent; alias non necesse est, ut de mutatione cogitemus. *Pro imperio nostro*, i. e. pro imperio Romano. Poterat etiam senator ita loqui, ut ne tamen sibi senatuique imperium tribuere videretur. Sic idem Plinius noster, sub initium hujus Paneg. I. 6. 'Aptum piumque est, te, Jupiter optime maxime, antea conditorem, nunc conservatorem imperii nostri, precari.' XVI. 4. 'Contemtu imperii nostri factum est, ut vinceremus.' Et alibi passim. Huc sane pertinet formula ista, 'Si bene rempublicam et ex utilitate omnium, rexeris.' Nempe Plinius significare voluit, cum Trajanus jusserit, vota pro se non nisi cum conditione fieri debere, 'si bene rempublicam, si ex utilitate omnium, rexerit;' eo ipso vota illa magis salutem imperii, quam imperatoris, respicere; cum sic sub salute imperii comprehenderetur salus principis. Etsi vero tunc ea vota sic, uti Plinius tradit, concepta fuisse credamus, atque recordemur, Sueton. cap. 37. Neroni in deteriorem partem interpretatum esse, quod is in auspicando opere isthmi optarit 'ut sibi ac populo Romano bene res verteret,' dissimulata senatus mentione; nihilo minus tamen vel ex ipso Plinio intelligimus, summam votorum publicorum, quæ alia occasione sub hoc imperatore nuncupata sunt, fuisse æque, ac sub aliis imperatoribus, 'salutem principis;' v. g. supra, XXIII. 5. 'Ut in unius salutem collata omnium vota; cum sibi se ac liberis suis intelligerent precari, quæ pro te precarentur.' Infra, XCIV. 2. 'Simplex cunctaque ista complexum unum omnium votum est, salus principis.' Epist. X. 101. 'Vota, domine, priorum annorum nuncupata alacres læ-

tique persolvimus, ... precati Deos, ut te remque publicam florentem et incolumem servarent.' Cf. Epist. 44. et 60. ejusdem lib. x. *Schwarz.*

Si bene] Clausula est, Trajani jussu addita, ut ex Plinio apparet: clausula, o Deus, egregia, et magno ac salubri illo principe digna. *Lips.*

Bene et ex utilitate] Eadem, sed magis voce, quam re, Tiberius in pleno senatu: 'Dixi et nunc, et sæpe alias, P. C. bonum et salutarem principem, quem vos tanta et tam libera potestate instruxistis, senatui servire debere et universis civibus sæpe, et plerumque etiam singulis,' Sueton. Tib. c. 29. 'Nam regere sive imperare officium est, non regnum,' Senec. Epist. 91. 'Imperium est cura salutis alienæ,' Ammian. Marcell. l. XXIX. Id. lib. XXX. et lib. XXV. 'Finis justi imperii utilitas obedientium et salus.' Plat. lib. Pol. Ὁ τῷ ὄντι ἀληθινὸς ἄρχων, οὐ πέφυκε τὸ αὑτῷ συμφέρον σκοπεῖσθαι, ἀλλὰ τὸ τῷ ἀρχομένῳ. Justitia, quam administrat rex, ἀλλότριον ἀγαθὸν τῷ ὄντι. Idem Pol. v. Plura in hanc rem Cic. Off. lib. I. Senec. I. Clem. Lips. in Monit. Pol. II. 7. Adde tamen Aristot. Ethic. lib. VII. et Xenoph. de Dict. et Fact. lib. IV. *Bern.*

Ex utilitate omnium rexeris] Mira pertinacia omnes codices Mss. quos contuli, omittunt verbum *rexeris*, quod tamen ad sententiam Plinii necessarium est, et quod sequentia Plinii verba confirmant; v. g. LXVIII. 1. 'Cum excipias, ut ita demum te Dii servent, si bene rempublicam, et ex utilitate omnium, rexeris.' Et XCIV. 5. 'Quo majore fiducia, iisdem illis votis, quæ ipse pro se nuncupari jubet, oro et obtestor, si bene rempublicam, si ex utilitate omnium, regit,' &c. Libri excusi omnes locum hunc referunt integrum. Quid occasionem dederit verbo *rexeris* in residuis codicibus supprimendo, dispicere non possum, nisi quod suspicor, in codicibus primis integram formulam istorum votorum, quæ Trajanus pro imperio, et pro se, publice fieri voluerit, extitisse; sed ab inepto quodam librario jam antiquis temporibus mutilatam fuisse, adeoque omnes superstites codices Mss. qui mihi hucusque innotuerunt, ex istiusmodi mutilato et manco exemplari sensim dimanasse, et alios aliis corruptiores efformatos esse. *Schwarz.*

Egit cum Diis ... respublica] I. e. respublica quasi transegit, et pacta est cum Diis. Sic mox, § 7. 'Sed ingenti conscientia, Cæsar, pacisceris cum Diis.' Cic. Attic. IV. 1. 'Cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet.' Idem ad Q. Fr. I. 1. 14. 'Jam hoc loco non hortatione, neque præceptis, sed precibus tecum fraternis ago, totum ut animum ... ponas in omnium laude undique colligenda.' Hoc vero loco respublica potissimum votis et precibus *egit cum diis*. Sequentibus verbis interposuit, et partim mutavit particulas, codex Parisiensis, *ut te ita sospitem incolumemque præstarent, ac tu ceteros præstitisses.* Idem.

Respublica] Quæ vota illa suscipit. *Lips.*

A custodia tui capitis] *A custodia tui corporis* Livin. in textu; sed in margine, *a custodia tui capitis* C. *Livin.*

A custodia tui capitis] *A custodia tui corporis.* Aliquot libri, *tui capitis*; ut dubium vix sit, et illud *corporis*, et *capitis*, natum a glossa. *Grut.*

Custodia tui capitis] Pro nomine *capitis*, vulgo legitur *corporis*. Grutero vix dubium visum est, et illud *corporis*, et *capitis*, natum a glossa. Sed vox *capitis* omnino exprimitur in codicibus Mss. Vaticanis, Parisiensi, utroque Veneto, Salisburgensi, Guelpherb. et meo, item et in libro Vossiano, atque antehac in sola editione Cuspiniani; cum vocem hanc nunc

etiam receperint Arntzenius et Gesnerus. Conjecturæ Gruteri subvenit locus Senecæ a Baudio excitatus: 'Putabam a custodia mei removisse vultum Fortunam.' At nec negligendus est consensus tot reliquorum codicum Mss. in quibus legitur *custodia tui capitis*. Sane hæc nobis saltem placet præ ista vulgata, *custodia tui corporis*. Quis enim nescit, 'caput' elegantius pro 'vita' et 'salute hominis' poni? Cic. Offic. III. 29. 'Si prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est.' Idem Philipp. VII. 9. 'Cujus ego excubias et custodias mei capitis cognovi, in consulatu meo.' Philipp. XII. 10. 'Qui multorum custodem se profiteatur, eum sapientes sui primum capitis aiunt custodem esse oportere.' *Schwarz.*

Oculos dimoverent] In codicibus Mss. Parisiensi, Veneto 2. et Salisburgensi, legitur *oculos demoverent*. Satis bene; sed fortasse parum refert, utram amplectaris scripturam; cum hæc verba, 'dimovere,' et 'demovere,' in multis scriptorum veterum locis confundi, jam observarit Burmannus ad Quinctil. VII. 3. p. 618. Quanquam idem tradat, 'dimovere' proprie esse rem ita movere, ut in diversas partes quasi abeat et scindatur; v. g. 'Glebam dimovere aratro.' Ovid. Met. V. 341. at 'demovere,' notare idem, quod dejicere, deturbare; addo, et amovere et avertere. Sicut ergo Cic. Philipp. I. 1. dixit, 'Nec a republica dejiciebam oculos;' ita omnino magis proprie dicendum esset 'oculos ab aliquo demovere,' quam 'dimovere;' prout et in optimis editionibus apud Terent. Adelph. II. 1. 16. legitur, 'Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam demoveas tuos;' et apud Horat. Od. IV. 5. 14. 'Curvo nec faciem littore demovet:' nihilo minus tamen etiam 'dimovere,' pro amovere, et demovere, dictum scriptumque reperitur; v. g. apud Cic. Paradox. I. 4. 'Voluptas mentem e sua sede et statu dimovet.' Idem pro Publ. Sext. cap. 47. 'De civitate maluit, quam de sententia, dimoveri.' Alias Cic. de eodem argumento utitur verbo 'removere,' pro Balbo, cap. 5. 'Fuit nemo, qnin removeret oculos, et se totum averteret.' *Idem.*

Votis, quæ non palam] I. e. diris et execrationibus, quæ adversus malos principes, non palam quidem, et voce clara, sed clam, et intra animum, fiebant. Nimirum etiam tacite quædam nuncupabantur vota ab eo, qui nimia, aut noxia, aut indecora et impia, optabat. De tali Tibull. IV. 5. ait, 'Tutius optat; Nam pudet hæc illum dicere verba palam.' Et Apul. Apolog. p. 268. 'Tacitas preces in templo Deis allegasti: igitur magus es; aut cur optasti?' Hæc vota graviter reprehendit Seneca Epist. 10. 'Tunc scito, te esse omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta dementia est hominum, turpissima vota Diis insusurrant. Si quis admoverit aurem, conticescunt; et, quod scire hominem nolint, Deo narrant.' Confer Persii Sat. II. Vide etiam Grut. Suspic. VI. 15. Quomodo ergo licuisset, exitium et mala quævis palam imprecari malis principibus? Sub his vota nec libera nec vera erant; cum et custodes apponerentur templis, qui vota hominum nuncupantium observarent; cujusmodi custodibus non opus erat principi bono, et amore civium munito. Seneca de Clement. I. 19. 'Unum est inexpugnabile munimentum, amor civium. Quid pulchrius est, quam vivere optantibus cunctis, et vota non sub custode nuncupantibus?' *Idem.*

Non palam] Id est, malis noxiisque votis. Nam in tyrannos tacitæ passim

exsecrationes, mortem et exitium precantium. *Lips.*

Non palam] Jan. Gruter. Suspic. VI. 15. 'Ea obtinuit quondam superstitio, ut non nisi tacite vota conciperent, vel quod alios latere volebant, vel quod nimia optarent, vel quod imprecarentur,' ut hoc loco. Vide sis Macrob. Saturn. I. 7. Martial. I. 69. Catull. Epithal. Lucan. lib. V. Juven. Sat. X. Senec. Hercul. Œt. vs. 400. Senec. Epist. X. 2. Benef. I. 6. III. 8. Clem. cap. 19. Contra Arnob. Adv. Gent. l. VI. 'Non idcirco attribuimus Diis templa, tamquam humidos ab iis imbres, ventos, pluvias, arceamus, aut soles; sed ut eos possimus coram et cominus intueri, affari de proximo, et cum præsentibus quodammodo venerationum colloquia miscere,' &c. Adde Senec. Epist. 41. Quint. de Orat. II. 7. *Bern.*

Non palam] Quia odiorum sunt, et imprecationum. *Patarol.*

Superstites reipublicæ] Tales sunt, qui adhuc supersunt, et vivunt, cum aut viderint rempublicam ab aliis opprimi, funditusque everti; aut ipsi eam oppresserint everterintque, adeoque se fecerint reipublicæ *superstites.* De priore genere loquitur Cic. Fam. VI. 2. 'Omnia si interierint, cum superstitem te esse reipublicæ, ne, si liceat quidem, velis; ferenda est fortuna, præsertim quæ absit a culpa.' Idem IX. 17. 'De lucro prope jam quadriennium vivimus; si aut hoc lucrum est, aut hæc vita, superstitem reipublicæ vivere.' Alterius generis exempla præbent tyranni. Jam retulit huc Berneggerus, quæ Sueton. Ner. c. 38. narrat: 'Sed nec populo, aut mœnibus patriæ, pepercit. Dicente quodam in sermone communi, ἐμοῦ θανόντος, γαῖα μιχθήτω πυρί· (i. e. *me mortuo, terra misceatur ignibus:*) immo, inquit, ἐμοῦ ζῶντος, planeque ita fecit; nam . . . incendit urbem,' &c. *Schwarz.*

Superstites] Cum perditum eam irent et eversum. *Lips.*

In consilium] A judicibus sumtum, qui in consilium a prætore mittebantur, caussa cognita, sententias laturi. *Idem.*

In consilium de te Deos mittis] I. e. interprete Catanæo: Facis, nempe dum quotannis ea vota instauras, ut Dii de te consulant, an dignus sis esse sospes. Notavit Lipsius, hanc loquendi formulam a judicibus esse sumtam, qui in consilium a prætore mittantur, caussa cognita, sententiam laturi. Et sane sic loquitur Cic. Verr. VI. 9. 'Testibus editis, ita mittam in consilium, ut . . . isti turpe sibi existiment, non primo judicare.' Ad quæ verba hæc commentatus est Asconius: 'Mittere judices in consilium, est dimittere judices ad sententiam dicendam, ubi allegatis omnibus argumentis, orator dixerit, Dixi.' Plura exempla hujus formulæ annotavit Arntzenius. In codice Vaticano 3461. scriptum est *in concilium.* Idem codex, pariter ac meus, in sequentibus verbis habent, *ut sententiam tuam mutent;* sed reclamantibus ceteris libris. *Schwarz.*

Si talis esse desieris] Quam facilia intellectu hæc verba sunt, tam mirum est, ea in plurimis codicibus Mss. corrupta referri, ita tamen ut in ipsa corruptela quædam vestigia verioris lectionis supersint. In codice Vaticano 1776. et R. A. 1475. item in utroque Veneto, et meo, scriptum est *si tulisse desieris.* Quis vero non sentit, in verbo *tulisse,* quod huc non quadrat, latere *talis esse?* In codice Parisiensi, *Si talis se desieris;* ubi in pronomine *se* latet mancus infinitivus *esse.* Vaticani 3461. et 1775. item Guelpherbytanus, et a prima manu Salisburgensis, habent *Si tu esse desieris.* Arntzenius, quamvis adhæreat receptæ scripturæ, donec major auctoritas eam convellat, istam scrip-

turam, *si tu esse desieris*, quam deprehenderat in excerptis Guelpherbytanis, putat posse esse veram, et corrumpi cœpisse ab iis qui *qualis* simpliciter, non præcedente *talis*, recte dici non crediderint. Immo, inquit, Quid si olim scripserit Plinius, *Si tu esse desieris?* Sed ego, si quid judicare possum, vulgatam lectionem, quæ etiam in codice Patavino extat, non rejiciendam esse existimo, cum inprimis ista loquendi ratio omnino sit Pliniana. Sic enim legimus in proximo cap. LXVI. 5. 'Vis enim, tales esse nos, quales jubes.' Codex Patavinus, et liber Vossianus, pro sequente voce *electus es*, mendose habent *dejectus es*. Idem.

Qualis electus] Bonus utilisque. *Lips.*

Sed ingenti conscientia] *Sed tu ingenti conscientia* V. *Livin.*

Ingenti] Egregiis consiliis fatisque subnixa. *Lips.*

Cæsar, pacisceris] *Cæsar, qua pacisceris* V. C. G. Non placet. *Livin.*

Pacisceris] Sub pacto et conditione servari petis, *Si merearis*. Lips.

Cæsar, pacisceris] His duabus vocibus inseritur pronomen *qua*, in utroque codice Veneto, in Salisburgensi, Patavino, et meo; itemque in libro Vossiano. Idem pronomen etiam exhibent editiones Puteolani, Cuspiniani, Rhenani, et Philomusi. Repererat id quoque Livineius in suo codice; sed non probavit. Mirum videtur Arntzenio, unde illud *qua* potuerit irrepere; et sensum constare putat, si in priore membro *es* subintelligi posset, 'Ingenti es conscientia, Cæsar, qua,' &c. Sed nec hoc satis placet; neque ausim ex conjectura reponere, *Sed o ingentem conscientiam, Cæsar, qua pacisceris, &c.* Livineius etiam sub initium horum verborum in codice suo invenerat pronomen *tu: Sed tu ingenti conscientia, Cæsar, pacisceris;* quod non contemnendum puto. *Conscientia* vero hic pro fiducia animi poni videtur. *Schwarz.*

Si mereberis] Hanc retinui lectionem, quam jam plurimi editores evulgarunt, et nunc omnes residui codices Mss. confirmant. Alias, quia non sequitur *an meriturus sis*, sed *merearis*, recepissem *si mereris*, quod H. Stephanus, Elzevir, Boxhornius, Cellarius, et Hearne habent. At Gryphius a. 1531. et Sichardus edidere *si merearis*. Idem.

An merearis] Codex Parisiensis habet *quod merearis*. Idem.

Scire. Nonne] Suspicor, pleniorem narrationem de præfecto prætorio, cui Trajanus cum memorabili apophthegmate dicitur tradidisse gladium, hoc loco excidisse, aut certe, sequentia verba, quibus ista historia breviter tangitur, saltem postliminio et quasi ex abrupto a Plinio intercalata fuisse Panegyrico. Neque enim immerito miratur Lipsius, ab oratore, qui sæpe minora latius diducit, tam insigne et immortale factum tangi tantum, aridoque stilo stringi. Sext. quidem Aurel. Victor, de Cæs. c. 13. hæc refert: 'Usque eo innocentiæ fidens, (Trajanus,) uti præfectum prætorio, Saburanum nomine, cum insigne potestatis, uti mos erat, pugionem daret, crebro monuerit, Tibi istum ad munimentem mei committo, si recte agam; sin aliter, in me magis; quod moderatorem omnium vel errare minus fas sit.' Jamdudum autem viri eruditi monuerunt, hunc Sext. Aurel. Victoris locum mendo laborare, hasque duas voces, *Suburanum nomine*, ex glossemate irrepsisse in contextum; cum hæc, quæ Victor ibi narrat, non ad Saburanum, sed ad L. Licinium Suram, potius pertineant, quantum ex Xiphilino, Zonara, et Suida, constet; nisi putemus, illum Lucium Suram etiam cognominatum fuisse Saburanum. At, quod jam observavit doctissima Anna Tau.

Fabri filia, Licinium hunc Suram Trajanus demum anno quincto imperii sui præfecit prætorio; cum Panegyricus jam anno ipsius imperii tertio habitus esset. Itaque aut alius præfectus intelligendus, cui ista dixerit Trajanus; aut, quod supra conjeci, factum, quod altero demum anno post Panegyricum habitum contigit, saltem postliminio brevibus verbis insertum est Panegyrico. *Idem.*

Agitare secum videtur] Codex Paris. pro *agitare*, refert *agitasse*. Codex Salisburgensis et meus, pro *videtur*, habent *videretur*. Codex Patavinus et liber Vossianus, pro vocibus *manum armavi*, parum apte habent *animum armavi*. Codex denique meus hæc verba, *sed ne Deorum quidem aut iram*, *aut negligentiam*, *deprecor*, sic mutilata ac corrupta exhibet, *sed Deorum quidem iram deprecor*. Eandem corruptelam etiam codex Salisburgensis a prima manu prodidit; quam vero posterior quædam manus emendavit. Sed neque Behrius Gedanensis horum verborum sententiam satis percepisse videtur, cum ea sic corrigenda censuerit, *Sed ne Deorum quidem aut iram deprecor*, *aut negligentiam precor*. Id potius voluit dicere Trajanus: Ego, si omnium utilitas ita poscat, aut, si male imperavero, ne quidem renuo, ac precibus avertere nitor, ut Dii mihi irascantur, aut me negligant, meæque salutis nullam habeant rationem. Sic vero Epicuræis Deus dicebatur 'negligere homines,' quorum eum nullam curam habere opinabantur. Apud Senec. de Benef. IV. 4. 'Non dat Deus,' inquit Epicurus, 'beneficia; sed securus, et negligens nostri, aversus a mundo, aliud agit, aut nihil agit,' &c. *Idem.*

Præfecti manum] Historiam istam et verba ipsius Trajani Xiphilinus e Dione habet, pag. 778. ubi jam alia quædam de Licinio Sura narraverat: 'Quin etiam, cum primum præfecti prætorianarum cohortium munere functuro gladium, quo cingendus is erat, præberet Trajanus; eo nudato, sursumque porrecto, ait, *Λάβε τοῦτο τὸ ξίφος, ἵνα, ἂν μὲν καλῶς ἄρχω, ὑπὲρ ἐμοῦ, ἂν δὲ κακῶς, κατ' ἐμοῦ αὐτῷ χρήσῃ. Accipe gladium hunc, ut eo, si recte imperem, pro me; sin male, contra me utaris.*' Patarol.

Præfecti manum] Licinii Suræ, qui prætorio præfectus; nam quod Sex. Victori Saburanus dicitur, aperte mendum est. De illustri hoc autem Trajani facto Xiphilinum lege, in quo corriges, *ὅτε πρῶτον αὐτῷ μέλλοντι, κ. τ. λ.* est enim ille ipse Sura, de quo præcessit, ut e Zonara constat. *Livin.*

Præfecti] Factum insigne et immortale tangit: et miror ab oratore, qui minora diducit, tangi tantum. Dio, Zonaras, Suidas, Victor, ita referunt: 'Cum præfecto prætorii gladium traderet, quo accingi eum moris est, strinxit, et nudatum tenens, ait, Cape istum, et si recte imperavero, pro me; sin aliter, contra me utere.' Hic campus, in quo exsultares, Plini; decebatne tam auream vocem et sensum tam arido et propero stilo stringi tantum? *Lips.*

Præfecti] Præfecti prætorio præter alia et insigne erat gladius, vel ensis, aut pugio, *ξίφος*, quo donari atque accingi solebat a principe; quem non nunquam et ipsi gerebant imperatores. Siquidem soli principes et præfecti prætorio, Romæ usum gladii habebant, reliqui magistratus togati erant. Eo autem merum imperium, et jus vitæ ac necis civium, ipsis tribuebatur, cujus nota et signum gladius. Hinc 'gladii' nomen, Senec. Clem. I. 11. notat 'summum imperium.' Sueton. Galb. c. 2. Vitell. cap. 8. et 'gladium ponere,' est 'præfectura prætorii abdicare.' Ut Tigellinus apud Plutarch. in Galba.

Adi P. Fabri, qui quidquid dedolavit, ad asciam factum, Semestr. I. 3. *Bern.*

Manum armavi] Lucan. lib. x. de Achil. 'Quem puer imbellis cunctis præfecerat armis, Et dederat ferrum, nullo sibi jure retento, In cunctos, in seque simul.' Et Sidon. Apollin. ad Majorianum Aug. in Paneg. Car. v. 'Si præfecturæ quantus moderetur honorem Vir quæras, tendit patulos qua Gallia fines; Vix habuit mores similes, cui teste senatu In se etiam tractum commiserat Ulpius ensem.' *Idem.*

Invita] Si male me in eam gessero. *Lips.*

Ne debeat] Si vel me mutem, cum jam susceperit. *Idem.*

Ne debeat] Eorundem votorum solutionem. *Patarol.*

CAP. LXVIII. *Cum excipias*] Annotavit Gesnerus, verbo 'excipere' locum hic esse, non quatenus ex vulgari notione pro 'eximere' dicatur; sed quatenus conditio ponatur, aut nominatim aliquid caveatur. Provocat idem ad locum Plinii Majoris, XXIX. 1. ubi hæc legimus: 'Et cum [veteres Romani] Græcos Italia pellerent, diu post Catonem, excepisse medicos.' Ibi verbum 'excepisse' interpretatur Harduinus, 'nominatim appellasse medicos, cum ceteris Græcis urbe pellendos.' 'Excipere,' inquit, 'hoc loco non est demere, secernere, vel eximere numero; sed nominatim cavere. Cujus significationis exempla plurima in jureconsultis occurrunt.' Malim, Harduinum hujus generis clariora quædam, aut certe ex ipso Plinio nostro, exempla suggessisse. Utcunque vero est, non quidem jam urgebo, apud Plinium Majorem particulam 'nec' videri excidisse, cum scripsisse potuerit, 'nec excepisse medicos;' puto tamen, in hoc Plinii nostri loco verbum 'excipere' vulgarem retinere significationem. Dicitur enim Trajanus quidem pro salute sua vota fecisse Diis, ut se servent; at inter ista vota excepisse, ut ita demum a Diis servetur, si bene rempublicam rexerit; i. e. ne tunc servetur, si male rexerit rempublicam. *Schwarz.*

Dii servent] Sex codices Mss. et in libris excusis Puteolanus, Beroaldus, Aldus, Cuspinianus, Philomusus, Gryphius, Gruterus, et fortasse alii, non exprimunt *dii*, sed *dei*; de qua scriptura non nihil egi in Excurs. XLVII. ad cap. LII. 1. *Idem.*

Te bene] Codices Vaticani 1775. et 1475. item Parisiensis, ac meus, has voculas inverso ordine collocant, *bene te.* Idem.

Rempublicam gerere] In libro Gudiano primo, et, teste Hearnæo, in libro Scaligeri, his verbis adhuc sequentia adjiciuntur, *et ex utilitate omnium;* quæ vero nemo facile desideravit. In cod. Patavino a prima quidem manu exaratum est *gerere;* sed superscriptum etiam est *regere;* non male, si cogitemus, præcessisse, 'si bene rempublicam et ex utilitate omnium rexeris.' *Idem.*

Bene rempublicam gerere] *Bene rempublicam et ex utilitate animi* (forte *omnium*) *regere* C. *Livin.*

Dies exit] *Dies erit.* Egregie est in V. *dies exit.* Seneca Epist. 8. 'Nullus mihi per otium dies exit,' &c. 'Aspice illos juvenes, quorum nullus sine ebrietate, nullus sine aliquo insigni flagitio, dies exit.' Ceterum Calendas Januarias intelligit, quibus cum senatus populusque Romanus, tum duces et exercitus imperatori jurati vota pro salute ejus obibant. Exempla obvia passim. *Idem.*

Dies exit] *Dies erit.* Placet, quod in veteri, *exit.* Lips.

Dies] Calendæ Januarii, et non nunquam, qui sequuntur eas, quibus ubique provinciarum vota pro salute principum suscipiebant: milites solenni jurejurando se in fidem adstringebant. Quorum nuncium mali

anxie expectabant, verentes, ne aliqui exercitus et provinciæ a se defecissent, et in alterius verba jurassent. *Bern.*

Dies exit] Olim vulgo prodebatur, *dies erit;* etsi jam Livineius in vetere codice invenisset *dies exit,* eamque lectionem exemplis quoque aliorum scriptorum comprobasset. Mera aberratio librarii est, qui in meo codice hoc loco scripsit, *securus tibi et lacteus dies exit.* Parisienses, in sic dicta Puteani editione, primum an. 1643. in contextum recepere *exit;* quos deinceps secuti sunt, Gruterus, Jac. De la Baune, Cellarius, Hearne, Gotschlingius, Arntzenius, et, in altera editione, Gesnerus. Probavi jam in prioribus Observationibus hanc lectionem auctoritate codicum Mss. Parisiensis, Veneti 1. et mei; nunc etiam suffragia codicum Vaticanorum, Salisburgensis, Veneti 2. Patavini, item libri Vossiani, addere possum. Simile exemplum ex Senecæ Epist. 8. annotavit Livineius: 'Nullus mihi per otium dies exit.' Infra vero ait Plinius noster, LXXX. 6. 'Cum tibi dies omnis summa cum utilitate nostra, cum tua laude, condatur,' i. e. exeat. Etsi vero quotannis variis diebus, v. g. natalibus, quibus cum nati, tum imperium adepti erant principes, item Parilibus, Calendis Januariis, III. Non. Jan. solennia vota fierent pro salute principum; duo tamen maxime dies, nempe III. Non. Jan. et natalis imperii, non solum lætitia ac solennitate votorum, sed etiam præstatione jurisjurandi, celebrabantur; dum Romæ a magistratibus, et in provinciis a proconsulibus sive præsidibus, item a militibus et provincialibus, in acta nomenque principis juratum est, quo, repetita sacramenti religione, fides eorum certius firmiusque obstringeretur. De die natali imperii testatur Plin. Epist. x. 60. et 61. De III. Non. Januar. Caius jureconsultus de Verborum Signific. l. 233. 'Post Calendas Januarias die tertio pro salute principis vota suscipiuntur.' Quo Lipsius in Excurs. B. ad Tacit. Annal. XVI. 22. etiam hæc Taciti verba refert: 'Quin et illa objectabat, principio anni vitasse Thraseam solenne jusjurandum, nec nuncupationibus votorum affuisse.' Cf. Casaubon. ad Spartian. in Adriano, c. 24. *Schwarz.*

Patientia nostra] Vide supra, ad p. 532. *Idem.*

Hinc atque inde] Nam in omnibus provinciis et jurabatur principi, et vota item fiebant. *Lips.*

Publicæ servitutis] Lege *securitatis,* præcessit enim, 'securus tibi et lætus dies.' *Rittersh.*

Publicæ servitutis] Rittershusius noster legendum censuit *publicæ securitatis,* quia præcesserat, 'securus tibi et lætus dies exit.' Cui conjecturæ etiam succurrere videantur sequentia verba, 'Tuam securitatem non mora nuntiorum . . . differt.' Verum, quod bene animadvertit Arntzenius, nulla opus est mutatione, cui nec ullus favet liber. Nuntii *publicæ servitutis* erant, quos e provinciis mittebant præsides, ut certiores facerent principes, etiam malos, omnes in provinciis vota fecisse pro salute principis, neminem vitasse, aut declinasse, jusjurandum, quo tanquam vinculo obstringerentur ad fidem, et ad jugum servitutis patiente animo perferendum. *Schwarz.*

Nuntios] Quos præsides, aut proconsules, illico mittebant, significantes, jurasse, vovisse. In Plinii Epistolis ad Trajanum, tales istæ nunciatoriæ leguntur. Vide. *Lips.*

Illud] Exercituum ac provinciarum defectionem, quam merebantur suis sceleribus. *Bern.*

Nec erat] Cum omnes se digniores tacite agnoscerent, metuebant sine discrimine omnes, ne cui tanquam futuro successori jurarent. *Idem.*

Nec erat discrimen ullum pavoris]

I. e. mali principes omnium omnino provinciarum præsidumque defectionem æque metuebant, si non ad præscriptum tempus advenirent nuntii de præstito jurejurando, votisque solennibus in futurum tempus nuncupatis; cum nemo facile esset inter præsides, qui non haberi posset imperio dignior. Jam vero, quod Sallustius ait in Catil. cap. 7. 'Regibus boni, quam mali, suspectiores sunt; semper his aliena virtus formidolosa est.' *Schwarz.*

Quisquis est dignior] In codicibus Mss. Salisburgensi, Guelpherbytano, Patavino, et meo, item in libro Vossiano, et nunc in editione Arntzeniana, pro voce *quisquis*, legimus *quisque*. Vir doct. Arntzenius hanc lectionem elegantem veramque habet, idemque tradit, *quisque*, etiam in aliis scriptoribus, vel centies pro *quisquis*, seu *quicunque*, poni. Conferatur idem ad Victor. de Cæs. p. 405. Non nego, *quisque* et *quisquis* inter se permutari solere; sed nullam majorem elegantiam in ista permutatione agnosco, neque quidquam video necessitatis, cur vulgatissimam lectionem ejiciam. Confer notam nostram ad LXIX. 3. *Idem.*

Tarditas differt] Verbum *differt*, quia conjungitur cum nominibus *mora* et *tarditas*, notat hoc loco, 'remoratur,' vel 'impedit:' quanquam et alias sæpe significat, 'interturbat,' 'disturbat,' 'in diversum fert.' Ita explicat hoc verbum Donatus ad Terent. Andr. II. 4. 5. 'Orationem sperat invenisse se, qua differat te.' Ad quem locum etiam Westerhovius: 'Differri,' inquit, 'proprie dicitur res, quæ, ubi conjuncta antea erat, in partes diversas agitur, et dissipatur.' Sic apud eund. Terent. Adelph. II. 4. 40. Pamphila parturiens, 'Miseram me!' ait, 'differor doloribus.' Etiam Plaut. Epid. I. 2. 15. 'Quin edepol egomet clamore defatigor, differor.' *Idem.*

Ubique jurari] Post vota jurari solitum imperatori a magistratu, populoque, ἐς τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ, Dio lib. LVIII. 'de conservanda et tuenda salute Cæsaris, dirasque non facienti imprecabantur:' addebantque, 'Salutem, honoremque imperatoris et Augusti antiquiorem sibi chariorem-que futurum suis liberis.' Sueton. Cal. c. 15. Tacit. Annal. XV. Denique et 'in acta ejus,' Tacit. Annal. XVI. 22. 1. Suet. Tib. c. 26. et 67. et 'in agenda jurabant.' Dio lib. LVII. Lege sis Lips. Excurs. ad Tacit. Annal. XVI. Plin. Epist. lib. X. passim. Mos hic mutui jurisjurandi obtinet adhuc in Gallia, et Argentorati, inque inaugurandis nostris principibus. *Bern.*

Juraveris] Vel in consulatu, vel in ista Deorum obtestatione. *Lips.*

Nemo hoc sibi non præstat] Bene Baunius: Nemo est, quin sua caussa id faciat, non tua. Plinius supra, XLVIII. 2. 'Scis enim, sibi quemque præstare, quod te videat,' &c. Vide ibi notam. In quatuor codicibus Mss. transponuntur istæ voces, *non sibi*. In antecedentibus verbis, pro *ubique jurari*, codex Vaticanus 3461. habet *undique jurari*. Et Weinrichius, pro verbis, *cum ipse juraveris omnibus*, incongruenter edidit, *cum spe juraveris omnibus*. Schwarz.

Nemo hoc sibi non præstat] *Nemo hoc non sibi præstat* V. *Livin.*

Sibi præstat] Sua caussa facit, non tua. *Lips.*

Non tui facimus amore, sed nostri] At Cic. de Fin. II. 24. ex Stoicorum sententia: 'Amicitiæ vero,' inquit, 'locus ubi esse potest, aut quis amicus esse cuiquam, quem non ipsum amet propter ipsum? Quid autem est amare, e quo nomen ductum amicitiæ est, nisi velle, bonis aliquem affici quam maximis, etiamsi ad se ex iis nihil redeat?' Sed vide notam nostram proxime sequentem. *Schwarzius.*

Non utilitas nostra, sed fides] In his fere nimis argutatur Plinius, aut certe sequitur placita Carneadis, qui, si Lactant. Instit. Divin. v. 17. audimus, omnia hominum officia 'utilitate' metienda docuit. Contra quam ὑπόθεσιν disputat Cic. de Offic. II. 3. cum de 'utili' ageret: 'In quo verbo,' inquit, 'lapsa consuetudo deflexit de via, sensimque eo deducta est, ut honestatem ab utilitate secerneret, et constitueret, honestum esse aliquid quod utile non esset; et utile, quod non honestum: quo nulla pernicies major hominum vitæ potuit afferri.' In alteram vero partem digressi Stoici aliquando, nimis subtiliter, a virtutis et honestatis bono omnem utilitatis jucunditatisque respectum abstrahi divellique posse, tradiderunt; utpote qui, secundum Cic. de Fin. II. 14. 'honestum' id intelligebant, 'quod tale est, ut, detracta omni utilitate, sine ullis præmiis fructibusve, per se ipsum possit jure laudari; honestum esse faciendum, quia decet, quia rectum, quia honestum est, etsi nullum consecuturum emolumentum esse videatur.' Itaque Plinius Carneadis more loquitur: 'Amamus quidem te, istud tamen non tui facimus amore, sed nostri,' &c. Quæ oratio, nisi apparens utilitas a vera et publica utilitate distinguatur, nimis apertam præ se fert φιλαυτίας professionem. Contra vero Stoicus sic ista dicturus fuisset: 'Amamus te, idque non nostri amore, non utilitatis nostræ caussa, facimus, sed amore tui, et propter virtutis tuæ præstantiam; nec unquam illucescat dies, quo pro te vota nuncupet non fides nostra, sed utilitas, Cæsar.' Sed et hæc Stoica loquendi ratio, singularis quidem severitatis, et magni animi, speciem præ se ferre videtur; re vera tamen inutili jactantiæ, et magniloquentiæ, quam rei veritati, est propior. De qua re ex instituto egi n dissertatione de Abstractione Metaphysica in Doctrina Morum. Quod si itaque rem ipsam, non acumen oratorium, secundum rei veritatem, sensumque communem, spectes; rectius statuimus, omne bonum morale debere esse honestum; omne vero bonum honestum simul et utile esse et jucundum. Ex qua norma sic explicanda est Plinii sententia: 'Amamus quidem te, istud tamen non tui tantum facimus amore, sed etiam nostri; nec unquam illucescat dies, quo pro te nuncupet vota, non simul fides nostra, sed sola utilitas.' *Idem.*

Non utilitas] Sensus, Nunquam sit ille dies, ut vota nostra nuncupemus, sola fide inducti, quam principibus debemus; sed magis utilitate propria suasi, quam a te capimus, et ideo diuturnum æternumque, si possit, esse te velimus. *Lips.*

Turpis tutela principis] I. e. non decora, nec gloriosa est tutela principis, quando cives ita principem suum tuentur, ut ei tutelam istam, tanquam beneficium collatum, adscribere, hocque nomine eundem sibi obligare, velint. Rationem, cur turpis videatur talis tutela, capio ex Seneca, cui major dicitur ille, qui servavit, quam qui servatus est. Libro enim primo de Clement. c. 19. 'Servavit quidem nemo,' inquit, 'nisi major eo, quem servavit.' De verbo 'imputare,' vide ad XX. 2. et XXXIX. 3. Gestieram legere, *Turpis tutela principis, principi quæ potest imputari;* sed destituor indicio veterum codicum. Annotante Arntzenio, ista Plinii verba quondam ita exposuit Perizonius: 'Turpiter et non ex utilitate omnium princeps regit ac tuetur rempublicam, cui cives fidem suam possunt imputare.' *Schwarz.*

Turpis tutela] Turpis respectu principis tutela subditorum, quoties ipsi subditi eandem tutelam ipsi possint exprobrare. *Patarol.*

Cui potest] *Cui,* nempe principi.

Hoc argute dicit: Turpis est defensio, aut nuncupatio pro salute ejus principis, cui hanc possis imputare, id est, quam ejus caussa suscipias, et quam velut beneficium inscribas. At illa tutela pulchra et gloriosa, quam sua caussa subditi suscipiunt. *Lips.*

Queri libet] In codice Vaticano 3461. scriptum est, *Queri licet.* Schwarz.

Secreta] Sermones occultos, aut sensus. *Lips.*

Quos odimus] Nisi mali; nam hi, conscientia suggerente, sciunt malos de se sermones esse. Quid boni? bonos, eadem teste. *Idem.*

Bonis, quæ malis] *Bonis et quæ malis* V. C. R. *Livin.*

Bonis, quæ malis] I. e. Si bonis principibus eadem, quæ malis solet esse, cura esset scrutandi secreta nostra, et arcana animi sensa, &c. Codices Mss. (ut taceam aliquot libros excusos,) partim habent *bonis et malis;* partim, *bonis ac malis.* Nihil refert, quam ex his tribus lectionibus amplectaris, cum omnes istæ loquendi rationes optimis etiam scriptoribus Latinis sint communes. Difficile tamen est definire, quæ ab ipso Plinio dimanaverit. Interim eam, quam recepi, jam promulgarunt Catanæus, Aldus, Junta, Cratander, R. H. et P. Stephani, Gryphius, Ascensius, Sichardus, Navius, Livineius, Boxhornius, Cellarius, Arntzenius, Gesnerus. Sic vero loquitur etiam Cic. v. g. de Offic. III. 18. 'Eadem utilitatis, quæ honestatis, est regula.' Et ipse Plin. Paneg. XXXVI. 3. 'At fortasse non eadem severitate fiscum, qua ærarium, cohibes.' *Schwarz.*

Ubique admirationem] Domi, in foro, circulis, conviviis. O optabiles fidasque istas privatas, super publicas omnes laudationes! Ac Senec. de Clement. I. 19. de his affectibus audiamus: 'Quid pulchrius est, quam vivere optantibus cunctis, et vota nunc sub custode nuncupantibus? si paulum valetudo titubavit, non spem hominum excitari, sed metum? nihil esse cuiquam tam pretiosum, quod non pro salute præsidis sui commutatum velit? omne, quod illi evenit, sibi quoque evenire deputet?' *Lips.*

Aris focisque] I. e. μετωνυμικῶς laribus et penatibus, ut recte interpretatus est Lipsius. Non enim sermones habere credebantur cum aris et focis, sed cum Diis, quos in domesticis aris et focis venerabantur. Hi Dii vocabantur etiam 'Genii focorum,' 'privati,' et 'domestici Dii,' πατρῷοι θεοὶ, θεοὶ κατοικίδιοι. Seneca vero de 'sermone hominum cum Deo,' i. e. de precationibus et votis, Epist. 10. 'Sic,' inquit, 'loquere cum Deo, tanquam homines audiant!' *Schwarz.*

Aris focisque] Apud lares, sive Deos penates. *Lips.*

Sermones] Laudes gratesque de te dicentium, vota pro te concipientium. *Idem.*

Mollissimis] Verecundissimis. *Id.*

Mollissimis illis auribus parci] Si quis locus in Panegyrico Plinii, hic certe mihi difficilis videtur, ut mirer, cur eum sicco pede transierint commentatores recentiores. Cellarius hæc verba ita interpretatur: 'Scires, verecundis tuis auribus parci, nec omnes laudes et precationes enuntiari, quas animo de te concipimus.' Quæ interpretatio haudquaquam placet; cum extra contextum orationis locum quidem habere possit; at neque cum antecedentibus, neque cum sequentibus verbis Plinii, conveniat. Quod si enim in locis secretis admirationi et amori principis boni, item gaudio et exultationi, liberius atque intemperantius indulgetur; quomodo dici potest, abstineri ibi a laudibus, aut parci ejus auribus, qui nimias laudes æquo animo ferre non potest? Parum abest, quin suspicer, excidisse potius parti-

culam *non;* quasi dixerit Plinius, Si privatis domesticisque nostris de te sermonibus interesses, in eosque inquireres; scires, tunc a nobis optima quæque de te dici, et tibi optari, adeoque mollissimis et modestissimis auribus tuis, quæ publicas laudes ferre non possunt, illic non parci. Nec res inusitata et nova est, in aliis etiam scriptoribus antiquis particulam negandi omissam identidem animadverti; cum hujusmodi exempla permulta vel in solis Pandectis juris observarit Iauchius, in Meditationibus Criticis de Negationibus Pandectis Florentinis partim recte vel male jam adjectis, aut detractis, partim etiamnum adjiciendis, aut tollendis, aut transferendis. Sed mihi venit in mentem, annon vulgata lectio nibilo minus possit tolerari, si sic explicetur: Scires, in istis privatis nostris de te sermonibus votisque nihil maledicentiæ, nihil querelarum, afferri, quibus aures tuæ offendi possint. 'Parcere' enim 'auribus' dicimur, siquando veremur eas res proferre, quæ graves molestæque acciderent audienti, aut quibus aures ejus offenderentur; breviter, quas invitus audiret. Quinctil. Declam. VIII. 4. 'Parcimus auribus matris.' Idem Declam. XIX. 3. 'Jam meis auribus nemo parcebat.' Sed nec hæc mihi satisfacit interpretatio; propterea quod nullius maledicentiæ, nullarumque querelarum mentio, vel antecedit, vel subsequitur; adhæc nec tunc aures Trajani satis commode dicerentur mollissimæ. Sic nec quidquam proficere videbor, si ista verba non ad aures Trajani, sed ad aures conjugum, liberorum, et Deorum domesticorum, referre velim. Anceps itaque hæreo in hoc loco, et ægre fero, nullum etiam codicem Ms. majus lumen his verbis afferre; nisi putes, in tribus Vaticanis codicibus, 3461. 1775. et 1776. ubi pro verbo *scires*, particula *si* scripta est, tacite indicari quendam hujus loci defectum. In quibusdam vero libris quod pro *illis* legi *istis*, nihil ad rem facit; quamvis ego pro *illis* malim legere *illic*. Interim mihi nunc satis est, posse alios fortasse ad feliciorem hujus loci explicationem excitari. *Schwarzius.*

Quod ibi] Domi et in secreto. *Lipsius.*

Intemperantius] Utrumque ibi libere et effuse, et amor, et odium se prodit atque erumpit. *Idem.*

Ubi liberius] *Ubi liberalius* Livin. in textu; sed in margine, *ubi liberius* C. G. probe. *Rittersh.*

Ubi liberius malos odimus] I. e. uti privatim et domi cum conjugibus et liberis nostris, item et apud penates, liberius audaciusque odium nostrum adversus principes malos effundimus; ita ibidem amoris quoque nostri affectum erga principes bonos laudationibus atque precationibus quasi immoderatius exerimus, impensiusque demonstramus. Pro voce *liberius*, non solum editiones haud paucæ, sed ipsi etiam codices Mss. exhibent *liberalius*. Fateor, me a suffragio codicum Mss. ægerrime recedere; si tamen rem exactius considero, magis huc quadrat *liberius*, quam *liberalius*. Hoc enim proprie pro 'benignius,' et 'humanius,' item 'magis ingenue,' ponitur. Sic ipse Plinius noster supra, XLVIII. 2. 'Tanto liberalius,' i. e. benignius et comius, 'voluptatis hujus,' quam ex te videndo frequentandoque capimus, 'copiam præbes.' Cic. Verr. III. 85. conjungit 'benigne ac liberaliter;' et de Orat. I. 31. 'Ingenuus et liberaliter educatus.' Contra vero, *liberius*, quod velut respondet antecedenti adverbio *intemperantius*, est, sine metu, erectius, fortius, et audacius; ac cum his *συνωνύμοις* etiam aliquando componitur. Atque ita jam alii, quos partim aliorum codicum auctoritate, partim ratione, inductos fuisse puto,

publicarunt vocem *liberius*, nominatim Catanæus, Cuspinianus, Stephani, Gryphius in editione an. 1542. Ascensius, Elzevir, Boxhornius, Cellarius; nunc etiam Arntzenius et Gesnerus. Hanc lectionem etiam probavit Rittershusius noster. Ceterum, in codice Vaticano 1475. Patavino, et libro Vossiano, pro *intemperantius*, legitur *temperantius*; et in codice Vaticano 3461. et Guelpherbytano, pro *odimus*, scriptum est *audimus*; utrinque mendose. *Schwarz*.

CAP. LXIX. *Quantum maximum*] Codex Salisburgensis et meus habent *quantum maxime*. Sed retinenda est lectio, quam ceteri libri omnes confirmant. Ea enim non tantum Plinio, sed et aliis optimis auctoribus linguæ Latinæ convenit. Plin. Epist. III. 21. 'Dedit enim mihi, quantum maximum potuit, daturus amplius, si potuisset.' Quam lectionem Cortius ex vetustioribus libris Mss. impressisque recte vindicavit Plinio; cum Sichardus et Gryphius edidissent *Quantum maxime potuit*. Similiter loquitur Plin. Epist. VI. 12. 'Vectio Prisco, quantum plurimum potuero, præstabo.' Cic. in Lælio, c. 20. 'Tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorumque distantia.' Liv. l. XXII. c. 3. 'Quantam maximam vastitatem potest, cædibus incendiisque consuli procul ostendit.' Ceterum inter duas antecedentes voces, *tamen affectus*, copula *et* omissa est in codice Patavino. *Idem*.

Illo die] Quo nempe designabantur et renuntiabantur novi magistratus. In cod. Vatican. 3461. et 1775. item et in Guelpherbytano, et libro Vossiano, particula *ideo* his duobus verbis sic præponitur, *ideo illo die*. Sed nemo non videt, illud additamentum supervacaneum esse, nec quadrare; quantumvis etiam interpunctionem mutes. Interim hic habes exemplum vocis alienæ, orationi intrusæ. Si quem vero usum præbere possit illa particula, putarem, eam natam esse ex pronomine *eo*, cum fortasse pro *illo die*, olim scriptum fuerit *eo ipso die*. Lipsius suspicatus est, an non hic exciderint aliqua, et perierint, quæ de affectus notis. Sed ego nullum sentio hiatum, nullum defectum. Nonne enim satis signi erat, quantum amarent Trajanum, et quam præclare de ejus æquitate et bonitate sentirent Romani, quando Plinius commemorat, omnes candidatos cum lætitia, aut cum spe, ex comitiis discessisse, neminem tristatum, aut de Trajano questum esse? Sic nempe Plinius hæc cum superioribus conjungit: Licet non intersis domesticis nostris de te sermonibus, neque in eos inquiras, ut nostri erga te amoris magnitudinem cognoscere possis; hujus tamen affectus et judicii nostri experimentum maximum, quantum quidem præsens capere potuisti, die illo comitiali cepisti, &c. *Idem*.

Die, quo] Ambigo leviter, an non hic defectio aliqua: et perierint, quæ de affectus notis. Etsi postea tamen aliquid, sed posthæc tarde. *Lips.*

Solicitudini] Dum fit designatio, et dum pendent. *Idem*.

Pudorique] Post repulsam. *Idem*.

Lætitia] Quod designati. *Idem*.

Nemo consolandus fuit] Nempe quasi propter ignominiam quandam et contumeliam injuriamque acceptam. Ut experimentum capiamus, quam corrupti codices Mss. maxime in posteriore parte Panegyrici Pliniani, ad nos pervenerint; non possum dissimulare, in codicibus Vaticanis 1475. et 1776. in Parisiensi, Salisburgensi, utroque Veneto, Patavino, et in libro Vossiano, pro *consolandus fuit*, inquinate scriptum esse *consulendus fuit*. Schwarz.

Nec ideo segnius] Livineius in margine ex conjectura annotavit, forte legendum, *nec eo segnius*. Et sane ita loquitur Liv. XLV. 10. 'Nec eo

segnius judicia ex decreto coram his facto Rhodi exercebant:' et Sueton. Ner. c. 20. 'Neque eo segnius adolescentulos equestris ordinis . . . elegit.' Nihilo minus vulgatam lectionem recte tuetur Arntzenius, quia ipse Plin. Epist. III. 18. 'Non ideo tamen,' inquit, 'segnius precor, ut quandoque veniat dies.' Idem Epist. VI. 20. 'Nihilo segnius ego intentus in librum.' Nepos in Datame, c. 2. 'Bellum indixit Thyo; in quo, cum ab Ariobarzane, præfecto Lydiæ et Ioniæ, totiusque Phrygiæ, desertus esset, nihilo segnius (i. e. æque alacriter et promte) perseveravit, vivumque Thyum cepit:' ubi Heinsius ad Ovid. Met. II. 809. rescribendum putavit *nihilo secius;* ostenditque, crebrius has voces, *segnius*, et *secius*, inter se permutari, quanquam etiam in citato Nepotis loco, *nihilo segnius*, retinere malim. *Idem.*

Senatum circumirent] *Consulatum circumirent* Livin. in textu; sed in margine, *Senatum circumirent* V. egregie. *Rittersh.*

Senatum] *Consulatum.* Inepte: cum veteri libro, *senatum* lego. *Lips.*

Senatum circumirent] *Consulatum circumirent.* Unus liber scriptus, *Senatum circumirent, senatui supplicarent*, quod egregium videtur Livineio; non mihi, qui nullum fere video discrimen inter *circumire senatum*, et *senatui supplicare.* Grut.

Senatum circumirent] Ante editas nostras observationes in omnibus libris, pro vocabulo *senatum*, excusum fuit *consulatum;* quod Jac. De la Baune et Cellarius interpretati sunt, 'ambirent, peterent, consulatus honorem.' In uno vetere codice repererat Livineius *senatum circumirent.* Quæ lectio egregia visa est ipsi Livineio et Lipsio; eaque nunc confirmatur suffragio codicum Mss. Vaticanorum, Parisiensis, utriusque Veneti, Salisburgensis, Patavini, Guelpherbytani, mei, et libri Vossiani, atque alterius Gudiani. Equidem hæc ipsa lectio jam a Livineio indicata quidem, et probata, nondum tamen in contextum admissa, minus se probavit Grutero, opinanti, nullum fere discrimen fore inter 'circumire senatum,' et 'supplicare senatui.' Sed nescio, quomodo vulgata lectio, et sigillatim nomen consulatus, possit hic locum habere. Dum enim Plinius loquitur de juvenibus, sine dubio non solius consulatus, sed et præturæ, et ædilitatis, aliorumque magistratuum, honores intelligit. Deinde nusquam invenire potui, candidatos, qui honores publicos, aut alia beneficia, petebant, dictos esse, 'circumivisse honores' ipsos, sive 'consulatum,' sive 'præturam,' sive 'ædilitatem;' bene tamen dicebantur 'circumire alios homines, consules, prætores,' ceteros magistratus, et senatores, equites Romanos, omniumque ordinum homines, quos comiter appellarent, et assidue ac diligenter rogarent, ut horum favorem, et suffragandi studia, sibi adjungerent; at, mutata reipublicæ libertate, omnis potestas magistratuum constituendorum, ut supra jam monui, ad principem, et, pro hujus voluntate, ex parte ad senatum, pervenerat; qui senatus, sub Trajano cumprimis, maxime etiam rogandus fuit a candidatis, ut ab eodem commendarentur principi. Sic vero jam Cic. Attic. XIV. 21. dixit, 'Antonium circumire veteranos, ut acta Cæsaris sancirent.' Pro quo, idem Cic. Fam. I. 8. utitur verbo 'convenire:' 'Nostrum studium,' inquit, 'extabit in conveniendis magistratibus et senatoribus.' Aliquando etiam verbo 'circumire,' in eadem re simpliciter usi sunt, sine additis personis, quas circumibant; prout Cœlius apud Cic. Fam. VIII. 11. in simili argumento simpliciter dixit: 'Furnius et Lentulus, ut debuerunt, quasi eorum res esset, una nobiscum circumierunt, et laborarunt.' Etsi vero nullum dis-

crimen esset inter duas illas loquendi formulas, 'senatum circumirent,' 'senatui supplicarent;' cur tamen non, ad denotandum ingens studium honorum modeste diligenterque petendorum, quod tum Trajanus commendabat candidatis, plura συνώνυμα conjungi cumularique potuerunt? prout et Liv. I. 47. Tarquinius dicitur 'circumire et prensare minorum maxime gentium patres.' Et quot verba non in simili caussa cumulat ipse Plin. Epist. II. 9. 'Itaque prenso amicos, supplico, ambio domos, stationesque circumeo; quantumque vel auctoritate, vel gratia, valeam, precibus experior.' Hujus ergo loci emendationem etiam dignam habuerunt viri docti, Arntzenius et Gesnerus, cui jam lubentes subscriberent. *Schwarzius.*

Sperarent honores] In codice Guelpherb. pro *sperarent*, scriptum est *spectarent*; quæ vero variatio levitati librarii debetur; quanquam et alibi ista verba non raro confundantur. *Idem.*

Petissent] Ut is commendaret. *Lipsius.*

Quo quidem in loco] Hæc vel proprie explicari possunt, Quo quidem in loco comitiorum; vel potius translate, Qua quidem opportuna occasione, et quo tempore, i. e. in qua petitione magistratus. Sic enim nomen 'locus,' pro occasione et tempore sumi, res tralatitia est. Cic. Fam. II. 17. 'Locus esse videtur tecum expostulandi.' Terent. Adelph. II. 2. 8. 'Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum.' Heaut. IV. 6. 22. 'obsecundare in loco.' *Schwarz.*

Quisque candidatorum] Triplex hujus pronominis lectio occurrit in libris. Codices Mss. Vaticani habent *quisquis*. Parisiensis, Venetus 2. Guelpherbytanus, item in excusis, Plantinus, Bernegger, Hackius, Behrius, Ceva, produnt *quisquam*. *Quisque* vero extat in cod. Salisburgensi, Veneto 1. et Patavino, itemque in ceteris libris excusis omnibus. In meo codice hic locus mancus est, deficientibus aliquot vocibus. Interim ista variatio facile existere potuit ex compendio scripturæ *Quisq*. Inde enim alius librarius *quisque*, alius *quisquis*, alius *quisquam*, effinxit. Cf. notam nostram ad LXVIII. 5. Singulæ vero hæ voces, quasi per accidens, hic locum habere posse videntur; quanquam simplicius et planius esset pronomen *quisquam;* nisi forte Plinius evitare voluerit concursum vicinum syllabæ *quam: quisquam candidatorum, quam principum.* Pronomen *quisque* Arntzenius potissimum vindicavit Plinio; neque ego caussam video, cur hoc loco eandem lectionem sæpius jam evulgatam rejiciam. *Idem.*

Quisque candidatorum] Forte, *quisquam candidatorum*. Livin.

Uno die] Scilicet ambitus et comitiorum. *Idem.*

Uno die] Quo ambit quisque et humiliter petit. *Lips.*

Senatus candidatus] In codice Vaticano 3461. et Guelpherbytano, pro casu secundo, *senatus*, vitiose scriptus est casus tertius, *senatui*. Opportune ostendit occasionem hujus mendi Arntzenius, dum monet, concursum ejusdem terminationis, *senatus*, *candidatus*, offendisse librarium; quem ut evitaret, scripsisse *senatui*. Cum vero Plin. Epist. VI. 19. omnes vulgati libri habuissent, 'Caussa subitæ caritatis, ... proximis comitiis honestissimas voces senatui expressit;' nollem, Cortium ibi casum tertium, 'senatui,' mutasse in secundum, 'senatus.' Sed et in hoc nostro loco nihili facio transpositionem subsequentium verborum, quæ in codicibus Vatic. Guelpherb. et in libro Vossiano, sic collocata sunt, *An aliud a te senatus reverentia obtinuit, quam ut juvenibus, &c.* Schwarz.

Judicas] Designas, et eligis, quia nempe sententiis nostris tuam aptas. *Lips.*

Clarissimæ gentis] Forte, *clarissime genitis*. Livin.

Clarissimæ gentis] Magis velim cum libris aliis, *clarissime genitis*. Lips.

Clarissimæ gentis] Berneggerus, et, qui hujus editionem locupletiorem excudit, Hackius, ediderunt *juvenibus clarissime genitis*. Secuti nempe sunt Lipsium, qui magis voluit cum libris aliis, *juvenibus clarissime genitis*. Sed nullum librum neque manu scriptum, neque, præter duos nominatos recentiores, typis excusum, vidi, in quo legerim *juvenibus clarissime genitis*. Solus Livineius in margine editionis suæ annotarat, sic forte legendum esse. Quæ vero necessitas requirit, ut exturbemus lectionem evidentem, atque omnium aliorum librorum auctoritate stabilitam? Et quam majorem elegantiam complectitur ista insolens loquendi ratio, cujus nullum exemplum ex bonis scriptoribus mihi succurrit? At fere similiter, ac Plinius, dixit Vell. II. 30. 'M. Perperna, gentis clarioris, quam animi.' *Schwarz.*

Debitum generi honorem] Equidem, etiam reipublicæ liberæ tempore, omnino in tribuendis honoribus publicis, maxime ratio habita est generis, et priscæ nobilitatis. Qua de re Sallust. Catil. c. 23. 'Antea,' inquit, 'pleraque nobilitas invidia æstuabat, et quasi pollui consulatum credebant, si eum, quamvis egregius, homo novus adeptus foret.' Et Marius apud eund. Sallust. Jug. LXXXV. 37. 'Nobilitas omnes honores non ex merito, sed quasi debitos, a nobis repetit.' Nihilo minus tamen, periculoso maxime tempore, aliquando magis virtutis, quam nobilitatis, habita est ratio; quod suo exemplo comprobat Cic. in Pison. c. 1. 'Homini populus R. non generi; moribus, non majoribus meis; virtuti perspectæ, non avitæ nobilitati, deferebat.' *Idem.*

Ante, quam deberetur] Etsi omni fere tempore Romæ nobilibus, præ aliis, aditus patebat ad honores; ordinarie tamen haud ante eis deberi honores perhibebant, quam candidati annos ætatis comitiali lege præscriptos assecuti essent, aut alioqui meruissent. Id testatur Pacat. in Paneg. cap. 7. 'Ductam esse rationem ipsorum etiam videmus annorum. Cujus quidem rei tanta fuit cura majoribus, ut non solum in amplissimis magistratibus adipiscendis, sed in præturis quoque, aut ædilitatibus capessendis, ætas spectata sit petitorum, nec quisquam tantum valuerit nobilitate, vel gratia, vel pecunia, qui annos comitiali lege præscriptos festinatis honoribus occuparit.' Singularis igitur indulgentia Trajani erat, quod hic candidatis nobilibus, etiam ante annos legitimos, et ante meritorum maturitatem, honores offerret. Dicebatur illa lex 'annalis' sive 'annaria;' de qua P. Manutius, Anton. Augustinus, et alii. Miror ergo, Lipsium hæc noluisse ad annales leges, aut ætatem, referre. *Idem.*

Ante, quam] Non ad annales leges, aut ætatem refero, sed quod in honorem solum nobilitatis eos crearet. Generi eorum hoc das, inquit, et quia tali stirpe nati, quæ meruit; etsi nondum ipsi. *Lips.*

Ante, quam deberetur] Anno trigesimo nondum expleto. Quanquam et consules in juventute creati. 'Augustus anno vicesimo.' Suet. c. 26. 'Nepotes Augusti, Caius et Lucius principes juventutis anno quincto et decimo.' Tacit. Annal. I. 3. et vetus lapis: CAIVM. P. R. CONSVLEM. CREAVIT. ANNOS. NATVM. XIIII. In lapide Ancyrano Augustus ait: HONORIS MEI. CAVSSA. S. P. Q. R. NEPOTES. MEOS CAIVM. ET. LVCIVM. ANNVM. QVINCTVM ET. DECIMVM. AGENTES. CONSVLES. DESIGNAVIT. VT. EVM. MAGISTRATVM. INIRENT. POST. QVINQVENNIVM. EX. EO

DIE. QVO. DEDVCTI. IN. FORVM. Libera vero republica consulatus nemini delatus, nisi a quadragesimo anno: excepto tamen Scipione Majori: et nemo eundem magistratum, nisi decennio vertente, gerere potuit, si velis eximere Fabium Maximum. *Bern.*

Antequam deberetur] Ante annos a legibus præstitutos; v. g. ad ineundam ædilitatem requirebatur supra trigesimum annum; ad præturam, supra quadragesimum; ad consulatum, supra quadragesimum tertium. *Patarol.*

Posteros libertatis] I. e. posteros virorum clarissimorum, qui libera republica floruerunt. *Idem.*

Posteros libertatis] Reliquam illam prolem ævi liberi, et illorum, qui in libertate magni fuerunt, e Cassiis, Juniis, Fabiis, natos. *Lips.*

Terret] Nam ut ille ait, jam 'olim monstrum est in nobilitate senectus.' *Idem.*

Nec terret] I. e. Cæsar non terret crudelitate et comminatione bonos, ut contundat ac deprimat rectos vividosque animos, ne audeant se proferre; nec ipse pavet ac timet eos, tanquam insidiatores, aut futuros successores. Nam, ut Plinius, proximo cap. LXVIII. dixit: 'A malo principe tanquam successor timetur, quisquis est dignior,' i. e. melior. Sic Herodian. I. 13. refert, Commodum imperatorem neminem non metuisse, et a limine velut insidiatorem submovisse, quemcunque aut probitas, aut disciplina ulla, etiam mediocris, illustrarit. In proxime antecedentibus verbis, ubi omnes libri bene habent *posteros libertatis*, in libro Vossiano annotatum est, *posteræ libertatis;* quæ lectio extat in codice Patavino. *Schwarz.*

Festinatis] Etiam ante ætatem, aut certe maturitatem et merita. *Lips.*

Majoribus suis reddit] I. e. restituit in locum et statum majorum, hisque illos existimatione et dignitate adæquat. Cic. post Redit. in Senatu, c. 1. 'Qui denique nosmet ipsos nobis reddidistis,' i. e. nos in pristinum statum dignitatis et fortunæ restituistis. Cf. supra, LXI. 7. In proximis verbis, ubi vulgo recte legitur, *si quid usquam*, in codice Veneto 1. et Guelpherbytano, scriptum est, *si quid unquam*. Schwarz.

Reddit] Dignos iis facit, titulis et imaginibus suis æquat. *Lips.*

Et refovet] In libro Gudiano 1. particula *et* est deleta, et pro composito verbo, *refovet*, simplex est repositum, *fovet;* sed nescio, num ex ingenio, an vetere codice quodam. Simplici quidem verbo alias etiam sæpius in simili argumento utitur Plinius; v. g. supra, XXVI. 6. 'Hic fiducia sui procreatos larga manu fovet, auget, amplectitur.' Et XLIV. 6. 'Rectos et vividos animos non, ut alii, contundis ac deprimis, sed foves et attollis,' &c. Nihil tamen hic contra constantem omnium librorum consensum est mutandum. Habet enim Plinius etiam compositum illud verbum, supra, XVIII. 1. 'Disciplinam castrorum lapsam extinctamque refovisti.' Epist. III. 18. 5. 'Studia prope extincta refoventur.' Vell. CXIII. 2. 'Ad refovendas ex itinere exercitus vires.' *Schwarz.*

Sunt in honore hominum] Livineius et Lipsius reponendum censuerunt *Sunt in ore hominum, et in ore famæ.* Grut. Discurs. Polit. ad Tacit. c. 33. p. 296. hæc verba sic refert, *Sunt in honore hominum, et in ore famæ.* Ex vulgata lectione id unum mihi scrupulum injecit, quod ex nullo auctore probatæ Latinitatis mihi adhuc exemplum succurrit, ubi aliquis dicatur *in honore hominum* esse. Etenim, vel absolute dicitur, 'magno in honore esse;' uti apud Cic. Bruto, cap. 7. 'Hippias Eleus in honore magno fuit;' et alibi passim; vel, si exprimendi illi fuerint, a quibus aliquis honoratur, tunc non casus secundus,

sed tertius, additur; v. g. Sunt in honore hominibus; prout idem Cic. Bruto, c. 33. loquitur: 'Qui epilogus tanto in honore pueris nobis erat, ut eum etiam disceremus.' Neque enim necesse est, ut ibi verba, 'pueris nobis,' pro ablativis consequentiam designantibus habeamus. Clare Ovid. Fast. III. 122. 'Hic nostris magno tunc in honore fuit.' Vel casus quartus adjungitur per præpositionem 'apud;' v. g. 'Sunt in honore apud omnes homines.' Sic Cic. Quæst. Tuscul. I. 2. 'In summo apud Græcos honore geometria fuit.' Idem Catil. III. 1. 'Esse apud nos posterosque vestros in honore debet is dies.' Quæ cum ita sint, negari non potest, multo quidem commodiorem, et usu linguæ Latinæ frequentiorem, videri illam loquendi formulam, quam Livineius et Lipsius ex conjectura suggesserunt; interim, quia nullus prorsus liber huic emendationi favet; jam vero, quod bene monuit Baudius, non statim, si quid aptius nobis videtur, substituendum est; nolens volens duxi vulgatam lectionem retinendam. *Idem.*

In honore famæ] Forte, *in ore famæ.* Livin. præclare. *Rittersh.*

In honore famæ] Ego velim legere, *in ore famæ,* Sallust. p. 3. pr. 'In ore agens gentibus, populo, civitati.' Pluscula ego ad Hist. III. Taciti, not. 46. et Annal. XIV. not. 148. verbis, 'Non in ore vulgi agere.' *Lips.*

In honore famæ] Sic 'in ore hominum agere,' Tacit. Histor. III. 36. Dialog. de Orat. II. Hist. 73. 77. 'in ore ejus jugulatur,' h. e. in conspectu. *Bern.*

Indulgentia Cæsaris] *Indulgentia* est hic casus sextus, et reddi potest, 'per indulgentiam et bonitatem Cæsaris.' Post hæc verba Lipsio videtur vox deesse, *extracta,* aut similis; quod participium, etsi signo critico vocabuli aliunde adsciti notatum, receperunt Cellarius, Gotschlingius et, in priore editione, Gesnerus. Neque iis potest deesse exemplorum similium auctoritas. Sic enim Cic. in Pison. c. 8. 'Tu ex tenebricosa popina consul extractus.' Verum, non expedit, voces alienas inserere antiquis scriptoribus, nisi quarum quædam supersunt vestigia, aut quas flagitat necessitas. Neutra vero ratio hic valet. Nullus enim codex antiquus in hoc Plinii loco, nulla editio, nisi paucorum, quos Lipsianam conjecturam secutos jam indicavi, comprobat hanc intercalationem. Præterea, nec necessitas quædam eandem requirit: cum etiam ex usu linguæ Latinæ absolute dici possit, 'nomina magna ex tenebris oblivionis esse in honore;' prout Cic. in Vatin. cap. 9. dixit: 'Fuisti tribunus plebis, sed intolerandus ex cœno, nescio quo, atque tenebris, tyrannus.' Videtur enim in his particula *ex* statum priorem designare, *ex tenebris,* i. e. post tenebras; uti Cic. ait in Bruto, cap. 92. 'Cotta ex consulatu,' i. e. post consulatum, 'est profectus in Galliam.' Nec ignota est illa concisa et quodammodo abrupta loquendi ratio, qua Plinius aliquando usus omittit verbum, quod forte alii ad pleniorem sententiam, aut structuram, requirerent. Sic supra, LXIII. 1. dixerat, 'Revertor jam ad consulatum tuum; etsi sunt quædam, ad consulatum quidem pertinentia, ante consulatum tamen.' Quis non particulæ *tamen* forte adhuc subjiceret participium 'gesta,' aut simile? *Schwarz.*

Cæsaris] Satis fracte hoc dicitur: videaturque vox deesse *extracta,* aut similes. *Lips.*

Cujus hoc est] *Cujus est* Livin. in textu; sed in margine, *cujus hæc intentio est* C. G.

Cujus hoc est] Cuspinianus, Gryphius, Sichardus, Gruterus, H. Stephanus, Elzevir, Rivinus, Boxhornius, Cellarius, Hearne, duabus voci-

bus, nescio unde adscitis, locupletiorem hunc locum ediderunt, *Cujus hæc intentio est, ut nobiles et conservet, et efficiat.* Cellarius statuit, hæc supplementa forte ex glossa adhæsisse. Possint tamen hæc admitti, si vox, 'intentio,' non pro proposito, sed pro summo studio et nisu, sumatur, ac pronomen *cujus*, non ad nomen 'Cæsaris,' sed 'indulgentiæ,' referatur, ita, ut 'indulgentiæ intentio' dicatur, uti paullo post eidem Plin. LXXI. 5. dicitur, 'humanitatis intentio admirabilis,' i. e. vis, efficacia, magnitudo, summusque nisus; quemadmodum ipse Plinius explicat, Epist. IV. 7. 'Sæpe tibi dico, inesse vim Regulo. Mirum est, quam efficiat, in quod incubuit ..... Hanc ille vim, seu quo alio nomine vocanda est intentio, quidquid velis, obtinendi,' &c. Prætermitto plura Plinii loca. In ceteris libris impressis omnibus, haud secus, ac in Cellarii, Arntzenii, et Gesneri editionibus, proditur simpliciter, *cujus est, ut, &c.* Nec sic quidem male, aut minus Latine. Etenim ἐλλειπτικὴ loquendi ratio etiam hic admitti potest, si more Latinorum latenter intelligatur, 'negotium,' 'munus,' 'officium,' 'beneficium,' aut aliud nomen generis ejusdem; prout apud Terent. Adelph. I. 1. 141. plene dicitur, 'Nunc tuum est officium, has bene ut assimules nuptias.' Possit enim etiam ἐλλειπτικῶς dici, 'Nunc tuum est, has bene ut assimules nuptias.' Item, *cujus est, ut, &c.* Codices Mss. parum sani hic habent, nisi quod in ipsis mendis indicia verioris lectionis præbeant. In Parisiensi, et utroque Veneto, scriptum est, *Cujus hæc, ut nobiles et conservet, et efficiat.* In Vaticanis, *Cujus hæc, et* (f. *ut*) *nobiles et conservet et efficiat.* In Guelpherbytano, *Cujus hæc, et conservet, et efficiat.* In Salisburgensi, *Cujus hoc, ut nobiles et conservet, et efficiat.* In meo, *Cujus hoc, et* [f. *ut*] *nobiles, et conservet, et efficiat.* In Patavino legimus, *Cujus est, ut nobiles conservet, et efficiat.* Ex his omnibus variationibus hanc denique lectionem concinnandam adoptandamque existimavi, *Cujus hoc est, ut nobiles et conservet et efficiat.* Assumsi pronomen *hoc*, ne frustra ejus indicium in tot libris superesse videatur. Id enim manifeste suggerunt duo codices; idemque in ceteris codicibus corruptum, *hæc*, quasi oblique adstruit. Talia plenius effert Cic. Fin. III. 2. 'Hoc quidem proprium tuum munus est, ut Lucullus erudiatur.' *Schwarz.*

Efficiat] Jure annulorum dato, ingenuos facit; cumulatis honoribus, nobiles. *Lips.*

CAP. LXX. *Præfuerat prov. quæstor*] Quæstor ille, de quo loquitur Plinius, non ex illis quæstoribus, qui ordinarie proconsulibus, et proprætoribus adjuncti, in provincias consulares et prætorias ibant, ut potissimum curam gererent pecuniæ publicæ colligendæ, et erogandæ; sed ex his fuisse videtur, qui ipsi tanquam præsides 'præessent provinciis quibusdam quæstoriis,' in quibus idem juris et imperii haberent, quod proconsules, aut præsides, in ceteris. Cum enim in hoc argumento progreditur panegyristes noster, § 4. diserte nominat 'præsides provinciarum;' quasi quæstor ille inter eos habendus esset. Atque eandem ob caussam dicitur 'præfuisse provinciæ,' et, 'rexisse provinciam;' quod de ceteris quæstoribus dictum non facile reperitur. Sic vero, florente republica Romana, quæstores provinciis Italiæ, jussu senatus, impositi; cum nulli majores magistratus in easdem id temporis mitterentur, uno tantum proconsule Galliam Cisalpinam obtinente. Vid. Norisius ad Cenotaphia Pisana, Dissert. I. pag. 36. Deinde et Octav. Augustus, teste Dione, lib. LV. pag. 551. 'Quæstores præfecit oræ maritimæ ad urbem;' nempe Ostiensi provinciæ, et quibusdam

aliis Italiæ locis. Unde et Tacit. Annal. IV. 27. 'Erat iisdem regionibus,' inquit, 'Curtius Lupus, quæstor, cui provincia vetere ex more Cales evenerat. Is, disposita classiariorum copia, cœptantem tum maxime conjurationem disjecit.' Ad quem locum videre licet Lipsium. Conferatur præterea Bulenger. de Imper. II. 11. *Schwarz.*

Unus ex candidatis] Non ex supra dictis, ut putavit Catanæus; sed de uno quopiam, qui magistratum petebat, sive præturam, sive consulatum. *Patarol.*

Candidatis] Præturæ, an consulatus. *Lips.*

Inque ea] *In quem ea.* Alius videbit, me hic luscitiosum confiteor, aut cæcum. Legerem, *inque ea civitatis amplissimæ.* Præfuerat provinciæ, et in ea reditus ac vectigalia amplissimæ unius civitatis, pulchre et prudenter fundaverat. *Idem.*

Amplissimæ] I. e. effusissimæ, liberalissimæ, aut fortasse dignissimæ. *Patarol.*

Inque ea civitatis amplissimæ reditus] Olim hæc perquam mendose edita fuere, *unus ex candidatis, in quam ea civitas amplissima reditus egregia constitutione fundaverat.* Neque in residuis codicibus Mss. hæc verba aliter leguntur; nisi quod in unico codice Salisburgensi scriptum est, *inque ea civitas amplissima, &c.* Livineius aversa ave hariolatus est, forte legendum esse, *quem in ea civitas;* quorum verborum sensum non satis capio. Et ipsa vulgaris lectio statim mendi suspecta apparet; propterea, quod minus convenit linguæ Latinæ, dicere, 'in quem,' sive, 'in aliquem fundare reditus;' cum congruentius dicatur, 'alicui,' sive, 'pro aliquo, fundare reditus.' Deinde vulgata lectio sic tribuit 'egregiam constitutionem,' et ipsam fundationem, adeoque majorem laudem, civitati illi, quam quæstori; cujus tamen meritum nunc maxime, et nominatim, erat commendandum. Faceret quidem quodammodo ad testimonium et commendationem, si cui civitas quædam honoris gratique animi caussa certos reditus fundasse atque assignasse dicatur; quanquam ejusmodi exemplum non facile est obvium; nisi quod sciamus, alia honoris monimenta præsidibus identidem a provincialibus fuisse dicata: multo tamen certius splendidiusque erat rei bene gestæ meritorumque monimentum, cum potius istius quæstoris insigne factum et eximium meritum, quam honor ei a provincialibus habitus, diserte allegaretur, isque re vera laudaretur, quod egregia constitutione certos reditus instituerit, quibus provincia illa, et respublica, locupletaretur. Cetera honorum laudumque genera erant sæpe suspecta, tanquam laudes falsæ, atque precibus expressæ. Vide Tacit. Annal. XV. 21. Stare ergo non potest casus nominandi, *civitas amplissima;* qui ad casum gignendi revocandus est, ut cohæreat cum nomine *reditus.* Lubens ergo sequor emendationem Lipsii, quamvis enim nobis adhuc deest codicum Mss. veterumque editionum auctoritas, cum eam in impressis libris adhuc soli receperint Berneggerus, Hackius, Cellarius, Hearne, Gotschlingius, et nunc Gesnerus; eandem tamen emendationem suggerit ipsa sententiæ clarioris constituendæ ratio, analogia linguæ Latinæ, et vestigia melioris lectionis ex ipsis mendis agnoscenda. Cum enim ab initio per compendium videatur scriptum *inq. ea;* hinc inepti librarii effinxere, *in quē*, sive, *in quem ea;* unde, prout dixi, cetera vitia dimanarunt. Ceterum, 'fundare reditus,' explicari potest, 'constituere certos reditus in fundis.' Sic et Cic. pro C. Rabir. quem locum jam Livineius excitavit, 'opes fundatas' dixit: 'Si quis est, judices,' inquit, 'qui C. Ra-

birium, quod suæ fortunæ fundatas præsertim atque optime constitutas opes potestati regiæ libidinique permiserit, reprehendendum putet,' &c. Ubi Turneb. Advers. XXVII. 16. eas opes fundatas intelligit, quæ firmæ stabilesque sunt, non tantum a 'fundamentorum' firmitate notione ducta; sed etiam a 'fundo,' et solo. 'Certissimæ enim,' ait, 'illæ facultates sunt, quæ in fundis sunt constitutæ; non item, quæ in nummis, aut rebus moventibus, non in rebus soli. Hinc et illud Flacci, Epist. I. 15. 'Conspicitur nitidis fundata pecunia villis;' i. e. in fundis et villis posita et constituta.' Etsi itaque Lipsianam emendationem pro viribus asserendam duxi; nihilo minus lectionem vulgatam tueri conatus est Arntzenius; qui simul etiam Isaaci Vossii explicationem hujus loci discussit: cujus vero annotationem, quam hæc charta non commode capit, referam ad Excurs. LII. *Schwarzius.*

Constitutione fundaverat] Seneca de Beneficiis III. 3. 'Amavimus aliquem, et suspeximus, et fundatum ab illo statum nostrum professi sumus.' Cicero pro Rabir. 'Si quis est, judices, qui C. Rabirium, quod suæ fortunæ fundatas præsertim atque optime constitutas opes potestati regiæ libidinique permiserit, reprehendendum putet,' &c. *Livin.*

Egregia constitutione] Quæstori ipsi valde honorifica. *Patarol.*

Allegandum putasti] Latinis 'allegare' proprie idem est, quod mittere, et maxime in rebus privatis; cum de publicis rebus verbum simplex 'legare' usurpetur. Cujusmodi exempla passim sunt obvia. At cum Quinctil. Declam. I. 1. scripsit, 'Si juvenis innocentissimus, judices, uti vellet ambitu (i. e. ostentatione) tristissimæ calamitatis, poterat allegare vobis amissam cum oculis cogitationum omnium temeritatem; sed cum ostendere innocentiam suam moribus malit,' &c. ad illum locum annotavit Schultingius 'allegare' ibi esse, rem proferre, et ostendere, quæ possit facere ad movendum eum, cujus voluntatem nobis secundam cupimus; i. e. Germanice, *Zur bewegungs-ursache anführen.* Quæ explicatio verbi 'allegare' apprime convenit in hunc Plinii locum. Excitatus laudatus jureconsultus etiam alia loca ex Quinctiliano, in quibus eadem notione occurrit idem verbum; v. g. Declam. VII. 'Jam nunc tamen vobis, judices, infirmitatem meam allego, commendo.' Item Declam. XL. 'Parvulos suos ostendit, allegat.' Declam. 340. 'Ego vobis allego etiam illud sacrum prætextatum, quo sacerdotes velantur.' Adde his, ex Sueton. Aug. cap. 5. 'Cum C. Lætorius, in deprecanda adulterii pœna, præter ætatem atque natales, hoc quoque patribus conscriptis allegaret, se esse possessorem ac velut æditunm soli, quod primum D. Augustus nascens attigisset.' Ex eodem Sueton. Aug. cap. 47. 'Urbes quasdam, merita erga populum Romanum allegantes, Latinitate, vel civitate, donavit.' Item ex Plin. Epist. III. 4. 'Implorantes fidem meam, quam essent contra Massam Bæbium experti, allegantes patrocinii fœdus.' Ex eod. Epist. X. 66. 'Ille nihil proferebat, quo restitutum se doceret; allegabat tamen pro restitutione libellum a se Domitiano datum,' &c. *Schwarz.*

Generis tui claritatem] Ne putes, hic Plinium voluisse Trajanum palpare. Eutropius quidem, VIII. 2. 'Successit Nervæ Ulpius Trajanus Crinitus, natus Italicæ in Hispania, familia antiqua magis, quam clara; nam pater ejus primum consul fuit.' Re vera tamen, cum ostendere voluit, sub Trajano principe non deteriorem esse debere conditionem novorum hominum; utitur exemplo ipsius Trajani; utpote qui, etsi antiqua

et clara gente prognatus sit, magis tamen virtutis, quam generis, claritate summum imperii conscenderit fastigium. Ceterum, codex Patavinus, omisso pronomine *tui*, habet *generis claritatem*. Idem.

Qui posteros habere nobiles mererentur] Erravit Baudius, opinatus, hic designari homines spurios, quasi sine patre natos. 'Ii, qui posteros habere nobiles merentur,' non sunt, nisi 'novi homines,' qui honesto quidem, sed non majoribus magistratibus gestis claro genere sunt prognati, sed suæ tantum virtutis, suorumque meritorum, commendatione nobilitatem sibi pepererunt, merenturque, ut nobilitatem istam a se partam posteri quoque digni propagent. Contra, 'qui parentes et majores habuerunt,' nobiles, erant et habebantur apud Romanos jam ipsi nobiles. Sic Plut. Catone Majore, p. 336. testatur, consnevisse Romanos ignobili genere ortos, qui inceperant actibus honoribusque suis inclarescere, appellare 'homines novos,' uti etiam appellarint Catonem. Catonis enim pater fuit 'ignobilis;' ipse 'novus;' posteri ejus extiterunt 'nobiles.' Ad verba, *qui parentes habuissent*, annotavit Isaacus Vossius, in libro sæpius indicato, vocem *nobiles*, quasi legendum esset, *qui parentes nobiles habuissent*. Convenit cum Vossiano libro codex Patavinus. Equidem ista vox *nobiles* ex antecedentibus mente, et ἀπὸ κοινοῦ, est repetenda, attamen non in contextum admittenda; quia nullius alius codicis scripti, aliusque libri impressi, testimonio confirmatur; neque necessario in conciso Plinii stilo est diserte repetenda. Id quod etiam Arntzenius recte observavit. Pro verbo *habere*, Beroaldus edidit *dare*, in hac sententia, *qui posteros dare nobiles mererentur*: non male, ut puto. Pro verbo, *mererentur*, in codicibus Vaticanis, Salisburgensi, Patavino, et meo, itemque in paucis libris impressis, legimus *merentur*; si pro hoc scriptum esset *mereantur*, hujusmodi variationem minus dubitassem recipere. *Idem*.

Mererentur] Virtute propria. *Lipsius*.

Mererentur] Qui ex optime gesta republica familiæ nobilitatem auspicarentur, ut et posteros suos nobiles habere mererentur. *Patarol*.

Hæc nunties] I. e. hæc alleges senatui. Confer notam proximam. Non autem capio acumen, quod librarius codicis Parisiensis quæsivit in sequentibus verbis sic transponendis, *Nec pœnis bonorum, sed malorum præmiis, bonos facias*. Schwarz.

Erexitque animos] I. e. animosiores alacrioresque ostendit. Nepos in Themist. c. 1. 'Quæ contumelia non fregit eum, sed erexit.' Cicero pro Cluent. c. 21. 'Erigebat animum jam demissum et oppressum Oppianicus.' Erexit animos 'ad æmulandum,' i. e. ad illud sequendum magnoque studio imitandum, quod laudari a principe videbat. Pro verbo *videbat*, quod in omnibus reliquis libris exprimitur, Parisienses in editione an. 1643. quam Puteanam alias vocare soleo, item et Jac. De la Baune, evulgarunt, nescio unde, *volebat*. Posset hæc lectio tolerari; sed quis non videt, vulgatam esse præstantiorem? Sed et rejicienda est illa varians lectio, ubi in codice Salisburgensi, pro *erexitque*, repositum est *arrexitque*; et in meo codice *arrisitque*. Idem.

Laudari] Ab imperatore. *Patarol*.

Omnia te scire] Cum præcesserit *quidquid*, per syllepsin numeri sequitur pluralis *omnia*, ubi ordinarie dicendum fuisset, *omne*, sive *id omne*, prout, v. g. loquitur Cic. pro Lege Manil. c. 24. 'Ego autem quidquid in me est studii, consilii, laboris, ingenii; quidquid hoc beneficio populi Romani, atque hac potestate prætoria, quidquid auctoritate, fide, constantia, possum; id omne ad hanc rem conficiendam tibi et populo Ro-

mano polliceor ac defero.' Et alibi passim. Attamen, cum pronomen *quisquis*, et *quidquid*, etiam numero singulari connotet quandam multitudinem, fit aliquando per figuram grammaticam, ut ei etiam nomen aut verbum pluralis numeri subjiciatur. Sic et Plinius noster supra, XLIII. 5. 'Cum privatis facultatibus velut hausta et implicata, retro secum, quidquid attigerant, referrent.' Ubi secundum ordinariam structuram dicendum fuisset *quæque*, sive *quæcunque* attigerant, referrent. Ovid. Fast. I. 117. 'Quidquid ubique vides, cœlum, mare, nubila, terras: Omnia sunt nostra clausa patentque manu.' Codex Patavinus pro istis verbis, *omnia te scire*, habet *omnes scire*. Sequentia verba in loco Pliniano, ita transposita exhibentur in codicibus Vaticanis, ut nomen *Cæsar* adjiciatur præcedenti sententiæ, *Omnia te scire, Cæsar. Utile et salutare præsidibus, &c.* Non male, si quid judicare possum; cum in verbis proxime sequentibus orator non proprie appellet Cæsarem: nihil tamen contra consensum ceterorum librorum innovare audeo. *Schwarz.*

Præsidibus provinciarum] Malim hic legere, *Utile est, et salutare, præsides provinciarum hanc habere fiduciam*, etenim non solis præsidibus, sed et provincialibus, atque in universum reipublicæ, utile erat, præsides istos rem bene gerere. Sed huic mutationi nulli addicunt libri. Post sequentem vero vocem, *sanctitati*, ex codicibus Vaticanis, Veneto 2. et Guelpherbytano, adscivi copulam *et*, quæ male abest libris vulgatis; nec commode ἀσύνδετον hic locum habet. Nescio etiam, quid sibi voluerit librarius codicis Veneti 1. qui exhibet *sanctitati tuæ, industriæ suæ.* Nec pluris facio, quod pro antecedente voce, *paratum*, in libro Vossiano *parata*, et in quibusdam antiquis editionibus, mendose, *paratam;* pro sequente vero adjectivo *maximum, permaximum* legitur. *Idem.*

Sanctitati et industriæ] *Sanctitati industriæ.* Forte, *Sanctitati et industriæ.* Livin.

Judicium principis] *Indicium principis* V. C. *Livin.*

Judicium principis] I. e. honorifica opinio principis, dum princeps judicat aliquem dignum esse honore. Sic Plinius supra, LXIX. 3. 'tum illo ipso tempore, quo judicas de candidatis.' Immo, sic *judicium* non raro pro ipso honore sumi videtur. Cic. Fam. X. 1. 'Te hoc existimare volo, quidquid in eum judicii officiique contuleris, id ita me accipere, ut in me ipsum te putem contulisse.' Idem ibid. XIII. 46. 'Hominem probum existimares, qui patroni judicio ornatus esset.' Plin. Epist. X. 8. 'Cum sciam, domine, ad testimonium laudemque morum meorum pertinere, tam boni principis judicio exornari; rogo, dignitati, ad quam provexit indulgentia tua, auguratum . . . adjicere digneris.' Ad quem locum vide notas Cortii. Summa vero laus erat viri, in quo judicia principis et civitatis conveniebant. Vell. II. 128. de Sejano Ælio: 'In hujus,' inquit, 'virtutum æstimatione jam pridem judicia civitatis cum judiciis principis certant.' Equidem in loco nostro Plinii codex Livineii, pro voce *judicium*, habuit *indicium;* quæ varietas etiam in aliquot antiquis editionibus occurrit; verum vulgatam lectionem jam bene recteque Arntzenius asseruit Plinio. Quid vero pronius fieri potuit, quam ut hæ voces, *iudicium* et *indicium*, *iudices* et *indices*, a librariis pariter atque typographis confunderentur? Cujusmodi exempla colligere velle nos piget. Perperam vero sequentes duæ voces, *suffragium principis*, in meo codice sunt omissæ. *Schwarz.*

Suffragium] Ad honores. *Lips.*

Quamlibet sincera] Vide supra, ad LXI. 2. *Schwarz.*

Etsi non detorquebat] Pro *etsi* in meo

codice scriptum est *si*. Equidem nihil insolitum est, *si* aliquando poni pro *etsi*; sed nihil opus est ut hic aliquid mutetur; neque particula *etsi* per comma est separanda, prout in Arntzeniana editione separatur, et forte aliis: neque enim copula *et* hic locum habet. Verbum 'detorquere' significat, aliquem quasi invitum, et vi quadam, blandiore tamen, deflectere, ut, mutata voluntate, et consilio, a re aliqua mentem avertat. Plinius infra, LXXXII. 6. 'Validior toto corpore animus, quem non fortunæ indulgentia molliat, non copiæ principales ad segnitiem luxumque detorqueant.' Cic. de Offic. II. 10. 'Voluptates, blandissimæ dominæ, majores partes animi a virtute detorquent.' *Idem.*

Hebetabat tamen] Proprie gladii dicuntur 'hebetari,' quando quodammodo retunduntur, ut ne pristinam aciem retineant. Plinius supra, XVIII. 3. 'Gladios etiam incuria hebetari retundique gaudebant.' Deinde μεταφορικῶς etiam ad animos et ingenia hominum transfertur, quorum acies et vis quodammodo minui videtur. Plin. Epist. III. 15. 'Confido, me non sic auribus duci, ut omnes aculei judicii mei illarum delinimentis refringantur: hebetentur fortasse, et paullulum retundantur; evelli quidem extorquerique non possunt.' Idem Epist. VIII. 14. 'Quibus malis ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, contusa sunt.' In meo codice desideratur verbum *hebetabat*. In libro Vossiano scriptum est *habebatque*; in Sichardi editione excusum est, *habetabat*; omnino mendose. Sequens nomen *reputatio* est, consideratio. 'Reputare rem' dicimur, quam nobiscum animo revolvimus et expendimus. Usus est hoc nomine Plinius Major X. 38. 'Harum avium volatus in reputationem ceterarum quoque volucrum nos impellit.' Tacit. Hist. II. 38. 'Sed me veterum novorumque reputatio longius tulit.' *Idem.*

Vides enim] Cellarius ad hunc locum; 'Sic plures librorum. Catanæus, *Quid enim?* Baudio videtur, *Vide enim*. Quoquo modo legas, ethopœia, seu morum expressio, innuitur, quasi dictum sit, 'videlicet.'' Hæc Cellarius. At Catanæus ipse in prioribus editionibus an. 1505. et 1510. edidit, *Vides! si quid bene fecero*. Contra Frobenius an. 1552. Paulus Stephanus, et Petrus Chonet, qui recudere Catanæi commentarium, demum evulgarunt *Quid enim?* Gesnerus, a Cellario, ut opinor, inductus, putavit, pro *Vides enim*, ab ipso forte auctore positum fuisse *Videlicet*, cum non possit concoquere *Vides enim!* Nihilo minus tamen hæc lectio ab omnibus, non solum ceteris impressis, sed etiam Mss. confirmatur; nisi quod in codice Patavino, et libro Vossiano, hæ voces ita sint transpositæ, *Vides; si quid enim bene fecero*. Ego nihil mutandum, aut certe nihil interesse, existimo, sive *vide*, sive *vides*, legas. Hæc verba enim Plinius expressit per διαλογισμὸν, cum certus sermo attribuitur personæ veræ, ac quæ sit præsentis instituti, ita ut persona illa vel loquatur secum, vel cum altera. Confer Voss. Instit. Orat. v. 7. Sic apud Terent. Eunuch. I. 1. 1. Phædria secum loquitur: 'Quid igitur faciam? Non eam, ne nunc quidem, cum arcessor ultro,' &c. ubi Donatus: 'Est διαλογισμὸς, σχῆμα διανοίας. Apparet, et multa tacitum cogitasse adolescentem, et tandem in hæc verba proruppisse.' Jul. Rufinianus de Figuris Sententiarum, pag. 27. 'Dialogismus,' inquit, 'fit ita, cum quis secum disputat, et volutat, quid agat, vel quid agendum putet.' Hujusmodo aliquot exempla affert Rufinianus: primum ex Terentii Eunucho, l. c. alterum ex Virgil. Æn. IV. 534. seqq. ubi Dido, postquam multa secum cogitasset, sic prorumpit: 'En,

quid agam? . . Nescis, (i. e. non vides) heu, perdita, necdum Laomedonteæ sentis perjuria gentis? Quid tum? Sola fuga nautas comitabor ovantes,' &c. Tertium exemplum affert ex Cic. pro Cluent. cap. 26. Quartum ex ejusdem Cic. Verr. I. 'Si populo redimitur, mihi præda de manibus eripitur. Quod est igitur remedium? Quod?' Simili ratione Plinius fingit facitque Romanum quendam, ante tempora Trajani cum alio disputantem, num sub principe duro expediat ambire et capessere honores publicos; qui tandem post multam cogitationem, quasi ex abrupto, in hæc verba erumpat, *Vides enim!* i. e. nosti enim, sive, non nescis, &c. quasi et Romanus iste antea sic disseruerit: Cur ambiam petamque honores publicos? Nihil nunc prodest, fideliter fungi muneribus. *Vides enim*, et nosti, nullas agnosci præmiisque ornari virtutes, nulla merita, &c. Ceterum animadvertimus, veteres, rem inopinatam, seu magnam, cum admiratione narrantes, sæpe dixisse 'Vide!' v. g. Terent. Adelph. II. 2. 20. 'O scelera! Illud vide, ut in ipso articulo oppressit.' Cœlius apud Cic. Fam. VIII. 2. 'Vide modo, inquit.' Cic. Fam. XVI. 5. 'Vide, quanta in te sit suavitas.' Plin. Epist. I. 5. 'Vides, quod periculum, si respondissem bene.' *Idem.*

Vides enim] Ethopœia, quam vocant. *Lips.*

Scietne Cæsar?] Puteolanus, Beroaldus, et nunc Arntzenius, hæc verba sic edidere, *Si quid bene fecero, sciet Cæsar? aut, si scierit, testimonium reddet?* In qua lectione Arntzenius singularem agnoscit elegantiam. Et sane eandem omnes omnino reliqui codices Mss. quos consulere mihi contigit, confirmant. Ceteri libri excusi antehac in sequentem conspirarunt lectionem, *Si quid bene fecero, nesciet Cæsar; aut, si scierit, testimonium non reddet.* Quam tamen lectionem non simpliciter rejiciendam puto. Quod si enim ea vel maxime non ἀμέσως fluxerit ex calamo Plinii; ejus tamen sententiam refert, quæ latet in ea ipsa, quam nunc adscivi, emendatione, si huic quidem figuram ἐρωτήματος demseris. Quia vero existimo, tot residuos codices Mss. non fortuito, nec frustra, tam mirifice in his verbis exprimendis consentire; eorum indicia secutus subscribo Arntzenio, atque recipio sententiam per ἐρώτημα exornatam, eamque dialogismo apprime convenientem. At, quamvis haud ignorem, posse etiam ἐρώτημα fieri, ubi desit particula ἐγκλιτικὴ *ne*, aut alia, quæ serviat interrogationi; v. g. Terent. Heaut. III. 1. 30. 'Prosit, obsit; nihil videns,' i. e. prositne, an obsit; nihilo minus tamen illam ipsam particulam *ne* verbo *sciet* adjungendam duxi, ut fiat *scietne;* primum, quia verisimile est, e transpositione verbi et particulæ istius prognatum esse *nesciet*, quod in tam multis libris prostat; deinde, quia sententia ἐρωτηματικὴ sic multo redditur clarior, quam si omnis particula interrogandi omittatur. Cum vero in sequentibus verbis, *aut, si scierit*, pro particula disjunctiva *aut*, duo codices Mss. Parisiensis nempe, et Venetus 1. satis commode exhibeant copulam *et;* nihil tamen jam muto. Ceterum, pro verbo *sciet*, Cratander quidem, Gryphius, Sichardus, Berneggerus, et Hackius, edidere *nesciat;* hanc tamen lectionem ne quidem vulgatæ congruentem agnosco. Neque sibi constat ea varietas, quæ in Cuspiniani et Rhenani editionibus occurrit, *Si quid bene fecero, nesciet Cæsar, aut, si scierit, testimonium reddet.* Particula enim *non*, ante verbum *reddet* omissa, non convenit cum lectione vulgata; oblique tamen comprobat scripturam jam restitutam, dum innuit, eam particulam etiam defuisse antiquis, quibus Cuspinianus et Rhenanus usi

sunt, codicibus; in quibus tamen verbum antecedens, *scietne*, jam a librario fuerit transformatum in *nesciet*. *Schwarz*.

Male consultis] 'Male consulta,' tanquam 'malefacta,' opponuntur 'recte factis.' Tacito 'mala consulta' dicuntur temeraria et prava consilia, Annal. VI. 6. 'Sævitia, libidine, malis consultis, animus (tyrannorum) dilaceratur.' Sallust. Jug. cap. 92. 'Omnia non bene consulta in virtutem trahebantur.' Plautus dixit 'inconsulta,' Milit. III. 1. 6. 'Nam bene consultum inconsultum est, si inimicis sit usui.' Quod ad duo sequentia verba attinet, in libro Vossiano, pro *polliceretur*, et *deterrebat*, scriptum est *pollicerentur*, . *deterrebant*. Sic etiam in codice Patavino est quidem *pollicerentur*, at nihilo minus sequitur *deterrebat*. Poterat autem numerus pluralis in utroque verbo locum habere, si id utrumque referretur ad nomen *principum*; at nunc in vulgata lectione respicit antecedentes voces, *negligentia*, *malignitas*. Per σύνεσιν vero, sive σύλληψιν, Plinius mox *illos* refert quidem ad *male consulta*, sed intelligit homines qui male consulta faciunt; et *hos* refert ad *recte facta*, sed designat homines qui recte faciunt; prout Pamphilus Terent. Andr. III. 5. 1. 'Ubi illic est scelus, qui me perdidit;' quasi dixisset, ubi est scelestus ille homo? Atque hic Donatus notat, ad intellectum, non ad verba respici, et esse figuram σύλληψιν. Denique, in verbis *quod cupit*, *petat*, codices Vaticani, Veneti, et Guelpherbytanus, pro præsenti habent præteritum *cupiit*. Idem.

At nunc] Scilicet sub Trajano. Male Parisienses an. 1643. Gruterus, et alii quidam, pro *At*, ediderant *Ac*; cum adverbium *At* et sententia requirat, et codices Mss. confirment, et dudum Rittershusius noster adoptandum censuerit. Scilicet antehac recte factis nullum præmium constituebatur, *at nunc ... quæsita virtute dignitas offertur*. Plin. Epist. V. 15. 'Tandem homines non ad pericula, ut prius; verum ad honores, virtute perveniunt.' *Idem*.

Sibi debeat] I. e. virtutibus suis, non favori, acceptum referat. *Patarol.*

Sibi debeat] Suæ industriæ et virtuti, quam princeps honoribus remuneratur. *Lips.*

Accusandi necessitatem] Quis enim bonos repetundarum postulet? quibus provincia solet gratias agere pro bene administrata republica, et eos Romæ per legationes laudare. *Bern.*

Necessitatem remisisti] Hoc dicere voluit Plinius: Provinciales, quibus viros bonos præfecisti, liberasti in futurum quoque tempus a metu injuriarum, et a necessitate accusandi: cum non necesse habeant, aut metuere, ne sibi ab istis bonis viris injuriæ inferantur; aut eosdem apud principem senatumque accusare, quasi provinciam male administrarint. Olim vero, cum non raro avari et improbi præsides procuratoresque provinciis præficerentur, identidem accidit, ut hos, post discessum, propter injurias, et rem male administratam, Romæ per legatos accusarint. Ipse Plinius varia hujus generis exempla suppeditat; v. g. Epistola II. 11. 'Marius Priscus, accusantibus Afris, quibus pro consule præfuit, omissa defensione, judices petiit,' &c. Epist. III. 9. 'Cæcil. Classicus, homo fœdus et aperte malus, proconsulatum in provincia Bætica non minus violenter quam sordide gesserat, eodem anno, quo in Africa Marius Priscus.... Marium una civitas publice, multique privati, reum peregerunt: in Classicum tota provincia incubuit.' Epistola IV. 9. 'Julius Bassus sortitus Bithyniam, rediit reus, accusatus non minus acriter, quam fideliter defensus,' &c. Epist. VII. 33. 'Dederat me senatus

advocatum provinciæ Bæticæ contra Bæbium Massam,' &c. Ceterum simili loquendi formula Plinius etiam in Epistolis utitur; v. g. Epist. I. 15. 'Jam pro se tibi necessitatem ambiendi remittit.' Epist. X. 57. 'Remisit mihi necessitatem perpendendi qualia essent.' *Schwarz.*

Si præfuerint] I. e. Si tam boni justique præsides, aliique magistratus, præfuerint provinciis, quibus ipsæ provinciæ, sive provinciales, de re bene administrata gratias egerint, non necesse habebunt, eosdem præsides, aliosque magistratus, accusare. Neque vero provinciales tantum ipsis præsidibus de re bene gesta, quod ex Tacito Annal. XV. 20. intelligimus; sed etiam Cæsari de missis tam bonis præsidibus, publice privatimque gratias egisse videntur. Quem morem respicit Martial. XII. 9. ad Cæsarem scripto: 'Palma regit nostros, mitissime Cæsar, Iberos, Et placido fruitur pax peregrina jugo. Ergo agimus læti tanto pro munere grates: Misisti mores in loca nostra tuos.' A. Cornelius ille Palma, vir consularis, Trajano gratissimus, fuit præfectus Celtiberiæ, uti alio tempore Syriæ; cujus meminit Dio in Trajano. Immo etiam jam in republica libera solitos fuisse legatos mitti ad senatum Romanum, ut laudarent proconsules, discimus ex Cic. Fam. III. 8. Equidem pro verbo *præfuerint*, non pauci editores evulgarunt *profuerint*; idque reperitur etiam in quibusdam codicibus Mss. ut Venetis, et Guelpherbytano: verum, quam facile fieri potuit, ut præpositiones illæ, *præ*, et *pro*, propter compendium scribendi confunderentur! Nihilo minus codex Parisiensis, Patavinus, et liber Vossianus, distinctis literis, exhibent *præfuerint;* quod in excusis libris prodiderunt etiam Ascensius, Gryphius an. 1542. H. Stephanus, Boxhornius, Th. Hearne, Cellarius, Ceva, et nunc Arntzenius, qui hanc lectionem asserit Plinio; sicuti altera placuit Gesnero. *Idem.*

Præfuerint] *Profuerint* Livin. in textu; sed in margine, *præfuerint* G.

Præfuerint] *Profuerint*. Si provinciarum judicia bona et honesta, honori usuique fuerint apud Cæsarem, nullæ querelæ expectandæ a provincialibus; quia quisque placere iis studebit, et demereri hæc eadem bene agendo, ut Cæsarem amicum habeat, et per eum honores. *Lips.*

Et alioqui] *Et alioquin* V. C. R. *Livin.*

Et alioqui] Iterum cæcutio, neque hæc inter se vincta. Lego omnia, *et liquebit, nihil magis prodesse candidato ad sequentes honores, quam peractos. Optime magistratus magistratu, honore honor, petitur.* Sententiam dedi, fortasse et verba. Scient omnes, inquit, ad futuros honores, priores prodesse: et, si ii bene gesti in urbe aut in provinciis, gradum ad alios esse. *Lips.*

Et alioqui liquet] Omnes codices Mss. habent infinitivum *prodesse*, sine verbo *liquet*, aut alio quodam regente, hunc fere in modum: *Et alioquin nihil magis prodesse ad sequentes honores, quam peractos. Optime magistratus magistratu, honore honor, petitur.* Eandem quoque lectionem edidere Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Cuspinianus, Gruterus, Puteanus, Jac. De la Baune, pluresque, ita quidem, ut nonnulli post adverbium *optime*, quod retrahunt ad participium *peractos;* plurimi, statim post hoc ipsum participium, interpungant orationem. At infinitivus *prodesse* utique indicium facit, aliquam voculam deesse, sive ea exprimenda, sive saltem mente sit intelligenda, a qua is dependeat infinitivus, cum sequente casu quarto participii *peractos*. Catanæus, in commentario suo, verbo *prodesse* subjicit verbum *novimus*, ut opinor, mente supplendum. Etiam Arntzenius nihil tentare voluit, in aperto consensu codicum, et libro-

rum ante Lipsium impressorum; præsertim cum adeo novum non sit, tales infinitivos poni, ubi nullum aliud præcesserit finitum, a quo pendeat. Quem in finem remittit lectorem ad Perizon. ad Sanctium IV. 5. Donatum ad Terent. Eun. III. 1. 1. Scaligerum ad Catull. Com. Beren. pag. 85. et quos laudavit ad Victor. Epit. c. 41. Quamquam fatear, ista exempla omnia non ex asse convenire cum hoc Plinii loco; nisi quod ego ipse hujus generis exemplum annotavi in in hoc ipso Panegyr. ad x. 5. 'Deberi quippe maximo operi hanc venerationem,' &c. quem locum recentiores interpretes, Arntzenius et Gesnerus, sine annotatione præterierunt; mihi vero is non minus dubius videtur. Utcunque enim est, hæc loquendi ratio nihilo minus et aliis, et mihi ipsi, insolentior duriorque est visa, quam ut Plinio recte vindicari queat. Hæc verba alia ex parte auctiora non tantum habet codex Guelpherbytanus, sed etiam edidere Aldus, Philomusus, Cratander, R. et H. Stephani, Gryphius, Ascensius, Sichardus, Navius, Livineius, Boxhornius, et Cellarius; apud quos hæc legimus: *Et alioquin nihil magis prodesse candidato ad sequentes honores, quam peractos optime magistratus. Magistratus magistratu, honore honor, petitur.* Sed in his primo infinitivus *prodesse* adhuc suspensus, et sine fulcro, manet. Deinde, illa quidem triplex repetitio vocabuli *magistratus* admodum est naturalis, et simplicitati grammaticæ facile congruit, nec sententiæ Plinii adversatur; non satis tamen cum concinnitate Plinii convenire videtur. Mavult ille aliquid latenter significare, quam omnia simpliciter exprimere. Pendenti autem infinitivo jam alii mederi tentarunt, dum ex eo verbum finitum formarunt. Sic Rhenanus, jam ante Lipsium, an. 1520. hunc locum ita concinnatum evulgavit: *Et alioquin nihil magis prodest candidato ad sequentes honores, quam peractus optime magistratus. Magistratus magistratu, honore honor, petitur.* Eandem lectionem repetierunt Frobenius an. 1552. Plantinus, et aliæ Lipsii editiones, Paull. Stephanus, Bernegger, Hackius, Ceva. Sed videtur hæc e sola conjectura profecta; quia Rhenanus vetusto caruit codice; alioquin satis lenis est emendatio, si e *prodesse* fiat *prodest*, et ex casu quarto *peractos*, casus primus *peractus*. Hæc posterior correctio, teste Grutero, jam etiam Bongarsio venit in mentem, eademque in margine libri primi Gudiani annotatur. Superest emendatio Lipsii. Hic, exterminato adverbio *alioquin*, substituit verbum *liquebit*, ac, post participium *peractos*, orationem interpungit. Ego lego hæc Lipsii vestigia, ita quidem, ut retineam particulam Plinio usitatam, *alioquin*, eamque in omnibus omnino Panegyrici hujus exemplaribus præsentem; huic vero adjungo verbum *liquet*, cujus indicium quoddam mihi videor invenire in ipsa antecedente particula, *alioqui*. Cum enim in ea literæ *liqu* lateant, quædam pronuntiandi similitudo in utraque voce librario oscitanti occasionem dare potuit, ut verbum *liquet* prorsus omiserit; quæ corruptela deinceps in plura exemplaria dimanavit. Nunc vero illud postliminio restituendum esse, putavi, neque forte invito Plinio, qui sæpius hoc verbo usus elegantem πλαγιασμὸν intulit orationi; v. g. Epist. v. 1. 3. v. 12. 3. Paneg. I. 4. VI. 3. &c. Gesnerus hanc nostram lectionem etiam admisit; nisi quod censuit, verbo *liquet*, eodem jure licere substituere *debet*, quod sententiæ magis convenire videatur. Sed non video, qua ex caussa magis conveniat; cum certe non congruat cum sequentibus verbis, nisi pro casu quarto *peractos*, reponatur casus primus *peracti*. Quis enim dixerit, *Et alioqui debet nihil magis prodesse candi-*

dato ad sequentes honores, quam peractos? Verum, amico placuit, dimisso verbo *liquet*, medelam hujus loci in particula *magis* quærere, et hanc in verbum *mavis* commutare; quod verbum referatur ad Trajanum, sicut proximum verbum *remisisti;* ut sic legatur hic locus, *Et alioqui nihil mavis prodesse candidato, &c.* Quo remedio, et qua emendatione, nihil credit lenius excogitari posse; cum non nisi unica litera, *g*, in *u* convertatur. Sic vero nullum novum verbum aliunde adscisci ait; sic nullam insolentem loquendi formulam obtrudi Plinio; sic nullius nominis casum immutari; sed omnia Plinii verba optime cohærere, dignamque tanto oratore sententiam constituere. Nemo autem negabit, librarios veteres facillime pro *mavis* reponere potuisse *magis*. Simile erratum jam supra, LI. 2. sustuli. At, quamvis satis ingeniosa sit hæc emendatio, ea tamen mihi nondum satisfacit; propterea, quod proxime in eodem argumento sequitur, *Volo ego*. Nec prodest, si cogites, in his, loco pronominis *ego*, forte legendum esse *ergo*. Interim locum hunc adhuc aliis sanandum relinquo, dum verbum [*liquet*] uncinis inclusum exhibeo. *Schwarz.*

Nihil magis prodesse candidato ad sequentes honores, quam peractos] Verbum *prodesse* innuit voculam aliquam deesse; at illud *peractos* mutandum omnino in *peractus;* quemadmodum item videbatur acutissimo judicio Bongarsii. *Grut.*

Quam peractos] Locus hic videbatur aliis obscurus; at sine ulla verborum mutatione, variata tantum interpunctione, illustratur. Præbuit lucem editio Parisiensis an. 1655. a qua solum discessi, quod adverbium *optime* huic periodo retinui. *Patarol.*

Volo ego] In meo codice, et in libro Vossiano, loco pronominis *ego*, ex vulgari librariorum errore invenitur particula *ergo*, cui vero reclamant ceteri libri omnes. Putes, Plinium, cum hæc scriberet, in animo habuisse locum Cic. pro L. Muræna, cap. 21. 'Petitorem ego, præsertim consulatus, magna spe, magno animo, magnis copiis, et in forum et in campum deduci volo,' &c. *Schwarz.*

Codicillos amicorum] I. e. privatas commendationes et laudationes in codicillis perscriptas. Erant enim codicilli minoris formæ codices, ex tabellis ceratis compositi. 'Codicilli,' inquit Burmann. in Præfat. ad Petronium, ut ipsa vox satis efficit, 'codices minuti, et pugillares tabulæ, cera illitæ erant, quas ad quotidianum usum secum circumferre, et ad manum habere, solebant; quibus illa, quæ subito in mentem veniebant, stilo impresso scribebant, et aliis, ad quos ea res pertinebat, mittebant, ut vices epistolarum vel mandatorum agerent. Sic, ubi charta, membrana, et atramentum, non adesset, ut in itinere, in cœna, in senatu, hujusmodi codicillis utebantur. Hinc quoque codicilli sæpe pro epistolis non longis, sed brevioribus, dicuntur, quæ non ad absentes, sed in eadem urbe, vel certe suburbano, morantes mitti moris erat.' Conferas Manut. ad Cic. Fam. IV. 12. IX. 26. *Idem.*

Codicillos] Privatas laudatiunculas interpretatur Lipsius. Schedas intelligo provincialium ad principem, quibus eidem testimonium redderent de re optime a præside gesta. *Patarol.*

Codicillos] Privatas laudatiunculas, qualis illa Martial. ad hunc Trajanum, XII. 9. *Lips.*

Codicillos] Hi sunt testimonia amicorum bene gestæ provinciæ. Arrianus Epictetus III. 9. vocat κωδικέλλους et πινακίδας. Similia Tacit. Agricol. cap. 9. 'Non studiis privatis, nec ex commendatione aut precibus.' Elegantissime in hanc rem Ausonius de se in Grat. Act. ad Gratian. pag. 251. 'Consul ego, Imp. Auguste, mu-

nere tuo; non passus septa, neque campum, non suffragia, non puncta, non loculos: qui non prensaverim manus, nec cum salutantium confusus occursu, aut sua amicis nomina non reddiderim, aut aliena imposuerim: qui tribus non circumivi, centurias non adulavi, vocatis classibus non intremui, nihil cum sequestre deposui, cum diribitore nihil pepigi. Romanus populus, Martius campus, equester ordo, rostra, ovilia, senatus, unus mihi omnia Gratianus.' *Bern.*

Urbana conjuratione] Paucorum aliquot civium. Qua in re peccatum sæpe, Thraseas apud Tacit. Annal. xv. queritur, et censet, 'ut laus falsa, ac precibus expressa, proinde cohibeatur, quam malitia, quam crudelitas.' Et decretum mox interpositum: 'Ne quis ad concilium sociorum referret, agendas apud senatum proprætoribus proveconsulibus grates, neu quis ea legatione fungeretur.' Et fraudes vetari, bonum est; recta illa judicia sperni aut supprimi, non bonum. *Lips.*

Conjuratione] Ambitu, officiis valde solicitis, per amicos et asseclas. *Paterl.*

Eblanditas preces] 'Eblandita suffragia,' Cic. pro Planco; 'laus falsa et precibus expressa,' Tacit. Annal. xv. 21. *Bern.*

Eblanditas preces] I. e. preces et commendationes, per blanditias ac fraudes impetratas. 'Eblanditus,' annumeratur participiis præteritis deponentium, quæ non tantum activam, sed et passivam significationem admittunt. Vide Thomæ Bangii Observat. Philol. lib. I. pag. 676. Sic hoc participio etiam usus est Cic. pro Plancio, cap. 4. 'Eblandita illa, non enucleata, esse suffragia.' *Urbana conjuratione*, i. e. ambitu et factione, gratiaque, aliquot senatorum Romanorum inter se conspirantium. *Decreta civitatum*, et municipiorum, in provinciis, erant quasi senatus consulta a decurionibus municipiorum facta, in honorem præsidum, vel proconsulum, quæ ad horum laudem et commendationem mittebantur Romam; quanquam hæc aliquando fraudis erant suspecta. Vide Tacit. Annal. xv. 21. et 22. Pari ratione etiam decreta ex provinciis proconsulis accusandi caussa mittebantur Romam, teste Plin. Epist. VII. 6. 'Adest provinciæ legatus; attulit decretum concilii ad Cæsarem; attulit ad multos principes viros.' Dicebantur etiam 'psephismata' in provinciis, quæ Romæ 'plebis scita' proprie appellabantur. Idem Plinius Epist. x. 52. *Schwarz.*

Decreta coloniarum] Publica testimonia decurionum, hoc est, quasi senatorum in municipiis et coloniis. Non absimile Cic. pro Sextio: 'Non recito decretum officio aliquo expressum vicinitatis aut clientelæ, aut hospitii publici, aut ambitionis, aut commoditatis gratia; sed recito memoriam perfuncti periculi, prædicationem amplissimi beneficii, vicem officii præsentis, testimonium præteriti temporis.' *Bern.*

Næ suffragiis] Forte, *Ut suffragiis.* Livin.

Næ suffragiis] Assentior Livineio, *ut suffragiis*; et statim, *inserantur*. Etsi possit etiam legi, *Bene suffragiis.* Lips.

Næ suffragiis consularium . . . inserantur] Hanc lectionem suggerunt e codicibus Mss. Vaticanus 3461. Guelpherbytanus, et liber Vossianus; in impressis, Frobenius an. 1552. ita quidem, ut illud *næ*, per *e* simplex, *ne* exprimant. *Næ* tamen, itidem cum conjunctivo, *inserantur*, exhibent Cellarius et Arntzenius; ceteri libri scripti omnes habent, *Ne . . . inseruntur.* Plurimi impressi produnt, *Næ . . . inseruntur.* Codex Venetus 1. perperam habet *Ne . . . insequuntur.* Possumus acquiescere in lectione quam recepi, quamque Plinio vindicavit

Arntzenius; quanquam vir doctissimus noluerit dissimulare, totum locum sibi admodum esse suspectum, vel ideo, quod Plinius noster, et optimi auctores, nunquam *næ* utantur, nisi ubi pronomen sequatur. Sic Plinius supra, XVI. 5. 'Næ ille, sive interfuso mari,' &c. XXVII. 2. 'Næ ille in tam brevi tempore effecerit.' Epist. VII. 12. 'Næ tu, cum hoc legeris,' &c. Tursellinus tamen, et alii, largiuntur, saltem apud comicos particulam *næ* aliquando sine adjuncto pronomine reperiri. Leon. Malaspina, in Emendationibus suis ad Ciceronis Epist. ad Atticum, et nominatim ad VI. 1. p. 136. ad hæc verba, 'Næ tu me solicitudine magna liberaris,' negat, ante Vallæ tempora apud Latinos *næ* diphthongo scriptum inveniri; inque eo totus est, ut probet, nos hodie decipi, qui Vallam sequamur; cum veterum exemplarium lectio, itemque vetustorum primæque notæ grammaticorum præcepta, aliud doceant. Alios, qui eidem sententiæ Malaspinæ faveant, citat Burmannus ad Quinctil. Declam. VI. 9. p. 1618. Sed, quanquam concedam, particulam *næ*, tunc etiam, ubi asseverandi notionem habet, ac pro 'sane,' 'profecto,' et similibus, ponitur, in plurimis residuis codicibus scriptis, simpliciter per *e*, et sine diphthongo, exaratam apparere; nondum tamen inducor, ut rejiciam vulgarem scripturam per diphthongum *æ;* quia hanc requirit analogia: cum hæc particula ex Græca origine deducatur, ubi omnino *vai* scribitur. At pauci supersunt codices, ubi diphthongus *æ*, etiam in aliis vocabulis, pro eo, ac par erat, distincte diserteque exprimatur. Ceterum, quid Livineius tentarit in hoc Plinii loco emendando, nolo jam commemorare. Ego, ubi primum Observationes meas ad disquirendum proponerem, Lipsii conjecturam secutus, hunc ipsum locum sic concinnandum putavi, *Bene suffragiis consularium virorum urbes, populi, gentes, inseruntur.* Pro *Ne* enim, vel *Næ*, rescribendum arbitratus sum *Bene;* et pro *inserantur*, retinendum *inseruntur*, quod in plurimis libris scriptum excusumque deprehenditur. Quid enim facilius fieri potuit, quam ut ex particula *Bene*, prima syllaba *Be*, in fine antecedentis versus a negligente librario sit prætermissa, et saltem altera syllaba *ne*, in principio sequentis versus expressa? Jam vero, si restituatur integra vox *Bene*, neque nexui verborum, neque integritati sententiæ, aliquid deest: cum orator his verbis quasi rationem reddat præcedentis sententiæ, aut quasi consectario utatur, haud secus, ac paullo superius dixerat, 'Optime magistratus magistratu, honore honor, petitur.' Videntur etiam hæ qualescunque rationes valuisse apud Gesnerum, cum hanc emendationem, Lipsiano ingenio debitam, non indignam habuerit, quam jusserit excudi: non tamen eas approbare potui Arntzenio; cui hoc in loco tanto lubentius obsequi volui, quanto ægrius solis conjecturis indulgere audeo. Quod denique attinet ad vocabulum, *consularium*, i. e. virorum, qui consulatu perfuncti sunt; pro eo quidem Lipsius legere optavit *clarissimorum virorum*, ut de toto senatu possit intelligi, cum non soli 'consulares' candidatis dederint suffragia; verum, nec in excusis, nec in scriptis libris, talis occurrit varietas; nisi quod librarius in codice Salisburgensi pro voce *consularium*, primum exaraverit *conciliorum*. Ac si vel maxime non soli consulares sint suffragati, illi tamen tunc primarii fuere suffragatores, quorum suffragiis ceteri senatores facile annuerunt. *Schwarz.*

Consularium] Qui in senatu nominant, ac commendant candidatos. Tamen dubito, an non e notis error, veriusque, *Clarissimorum virorum*, de

toto senatu. Nec enim soli consulares suffragia dabant. *Lips.*

Inserantur] *Inseruntur* Livin. in textu; sed in margine, 'forte *inserantur*:' optime. *Rittersh.*

CAP. LXXI. *Assensu senatus*] I. e. approbatione et applausu senatus. Perperam, in Guelpherbytano codice, pro *assensu*, scriptum est *ascensu*; et vox *senatus* penitus omissa; in Salisburgensi autem, et meo codice, legitur *senatu*. Haud secus et in verbis proxime sequentibus, hi duo posteriores codices, pro *candidatis*, vitiose exhibent *candidatus*. Inde intelliges, quantum, maxime in posteriore parte hujus Panegyrici, hallucinati sint librarii. *Schwarz.*

Nominaveras] Designaveras palam. *Lips.*

Osculo] Ut solet in gratulatione et fausta precatione. *Idem.*

Osculo occurreres] Scilicet candidati, si a Cæsare nominati publiceque declarati erant consules, aut alii magistratus, accedebant ad ipsum Cæsarem, in sella curuli sedentem, ut pro honore sibi habito gratias acturi oscularentur ejus manum. Sic enim dicebantur 'ad manus principis accedere.' Nam, referente Vopisco, in Aureliano, cap. 14. cum Valerianus Augustus Aurelianum designaret consulem, Aurelianus 'ad manus (Valeriani) accessit, agens gratias militaribus verbis.' Et ipse Plinius mox indicat, alios Cæsares 'velut affixos curulibus suis manum tantum promsisse.' Ea autem erat humanitas Trajani, ut non hæserit velut affixus curuli, 'neque,' quod Plinius jam supra, XXIV. 2. dixit, 'civium amplexus,' more superborum principum, 'ad pedes suos depresserit; nec osculum manu reddiderit,' h. e. non loco osculi oris manum osculandam præbuerit offerentibus osculum; sed ipse osculaturis 'occurrit osculo,' quasi eos præventurus, aut certe osculanti osculo oris responsurus; vel 'osculum amplexus' redditurus; de quo Plinius infra, LXXXVI. 3. 'Nec temperasti tibi, quo minus exeunti in litore amplexus osculum ferres.' Usurpata ceteroquin oscula fuisse in petitione, in gratiarum actione, gratulatione, atque in omnibus officii et demissionis notis, præter alios, ostendit Lipsius, Elect. II. 6. Vide supra, ad p. 530. *Schwarz.*

Occurreres] Insolitum hoc superbis principibus, qui ad summum præbebant manum, quam cives oscularentur. Noster statim infra. *Patarol.*

Devexus] Forte, *et devexus.* Livin.

Devexus] Inclinans, et pæne descendens e tuo tribunali. Seneca de Tranquillitate: 'Tutiores erunt, superbiam detrahendo, et fortunam suam in planum deferendo.' *Lips.*

Devexus quidem in planum] I. e. deflexus et inclinatus e sella curuli ad æquum planumque locum. Vox hæc jam Ciceroni, Virgilio, et aliis bonis auctoribus, usitata, propria et sæpius de clivo prono et supino, quatenus descendit, ponitur; unde 'devexa collium' et 'montium' dicuntur. Cic. de Divin. I. 45. 'Exaudita vox est a luco Vestæ, qui a Palatii radice in novam viam devexus est.' Item, de loco molliter arduo et adscendente, apud Sueton. Ner. c. 13. 'Nero, curuli residens apud rostra Tiridatem per devexum pulpitum subeuntem admisit ad genua, allevatumque dextra exosculatus est.' Deinde μεταφορικῶς de rebus vergentibus dicitur; v. g. de ætate ad senectutem jam vergente. Cic. Attic. IX. 10. 'Ætas jam a diuturnis laboribus devexa ad otium, domesticarum me rerum delectatione molliit.' Lipsius ista Plinii verba sic exposuit: 'Inclinans, et pæne descendens e tuo tribunali.' Quæritur ergo, an Trajanus, qui tunc in sella curuli sederat, descenderit in planum soli, quasi unus ex gratulantibus senatoribus; an saltem descenderit e sella curuli in planum tribunalis? Jam

vero supra, ad pp. 576. 801. 823. ostendi, imperatorem sedisse super sella curuli, in tribunali posita; tribunal autem fuisse suggestum, tum altum, cum gradibus, quibus adscenderetur; tum etiam amplum, ut in eo non solum sella curulis locum habere, sed et alii homines stare, potuerint. Id quod vel ex solo Martial. xii. 98. intelligitur: 'Sedeas in alto tu licet tribunali, Et e curuli jura gentibus reddas; Adscendit illa basiator,' &c. Puto itaque, Trajanum saltem e sella curuli surrexisse, et e sede ista in planum tribunalis quasi occurrisse candidatis, qui, prout nominati erant consules, per gradus adscenderunt tribunal, ibi gratum animum cultumque suum declaraturi imperatori. *Schwarzius.*

Manum tantum, et hanc] Tres codices Vaticani vitiose hæc referunt, *magnum tantum, et hunc.* Immo et quartus Vaticanus, nempe n. 3461. ac Guelpherbytanus, adhuc vitiosius, *magistratum, et hunc.* Idem.

Manum] Superbiæ, ut ante monui, ad xxiii. 1. Vide Elector. lib. ii. cap. proprio 'de osculis.' *Lips.*

Imputantibus] Quasi beneficium darent eo ipso, quod liceret contingere. *Idem.*

Insolita ante facies] *Insolita facies* Livin. in textu; sed in margine, *insolita ante facies* V. G.

Imputantibus] Quasi hoc beneficium esset. *Patarol.*

Promerent] I. e. porrigerent, præberent. Etiam hoc verbum varie corruptum est a librariis. In codice Veneto 2. Salisburgensi, et meo, lego *promererent.* In Vaticanis, et Guelpherbytano *promerentur.* Beroaldus edidit, *manu tantum . . . promererent.* Omnino tuenda est lectio vulgata. *Schwarz.*

Insolita ante facies] Omnes residui codices Mss. quos consului, itemque Vossianus, et Gudiani libri, atque in impressis Puteolanus, Beroaldus, Cuspinianus, omisso adjectivo, *insolita,* habent *Contigit ergo oculis nostris ante facies.* Contra libri impressi exhibent *insolita facies,* sine particula *ante;* nisi quod Philomusus, et Junta, ista conjungant, prout nunc conjuncta edimus. Existimavi enim, has voces, quæ seorsum in tot libris deprehenduntur, recte conjungi posse, et debere, *insolita ante facies,* i. e. spectaculum antehac inusitatum atque inauditum. De vocabulo *facies,* vide supra, ad p. 632. *Idem.*

Princeps æquatus candidatis] Vulgatior lectio hujus loci est, *Contigit ergo oculis nostris insolita facies: princeps et candidatus æquales et simul stantes.* Sive verba hæc, sive eorum sententiam, spectes; nihil facile indecorum indignumque stilo Pliniano deprehendes. Nihilo minus tamen ea verba jamdudum suspecta haberi cœperunt, quasi potius ex ingenio alicujus correctoris, ac critici, quam e Plinii calamo, fuerint profecta: propterea, quod cum vestigiis corruptæ lectionis, quæ in antiquioribus libris impressis, et in residuis codicibus Mss. observatur, minus conveniunt. Tentarunt igitur alii aliter hunc locum emendare, ut is cum antiquis vestigiis propius congruere videretur; quorum emendationes in Excurs. liii. recenseo. Ut vero meæ emendationis rationes reddam, easque judicio lectorum submittam; visum est, varias hujus loci lectiones ex codicibus Mss. bona fide annotare. Nempe in codice Parisiensi, et Veneto 1. scriptum est, *Contigit ergo oculis nostris ante facies: princeps candidatus equitus, et simul stantis.* In codicibus Vatt. 1475. 1775. et 1776. et in Veneto 2. *princeps equitus candidatus, et simul stantis.* In codice Patavino *princeps candidatus equitis, et similis stantis.* In libro Vossiano, *princeps et candidatus equitis et simul stantis.* In codice meo, *principis æquitatus candidatus et simul stantis.* Similiter scriptum est in codice

Salisburgensi; nisi quod vox *equitatus* ab initio *e* simplex habeat. In codice Vaticano 3461. et in Guelpherbytano, quem ex illo descriptum esse puto, adhuc vitiosius scriptum est, *principis equitum candidati, et simul stantis.* Primo igitur malo nunc adsciscere casum nominandi, *princeps*, quam casum gignendi, *principis;* non ideo tantum, quia ille in octo codicibus Mss. et in Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Cuspiniani, Aldi, Ascensii, Navii, plurimumque aliorum libris, diserte exprimitur; sed etiam, quia alibi quoque apud Plinium in simili formula semper casus rectus, secundum structuram grammaticam, subsequitur; v. g. xxxv. 1. 'Memoranda facies: delatorum classis permissa omnibus ventis, coactaque vela tempestatibus pandere!' Vocem enim *facies*, in structura grammatica horum verborum proxime sequitur nominativus, 'classis.' Sic LVI. 6. 'Decora facies: consulis, multa post sæcula, tribunal viridi cespite extructum!' LXXXII. 3. 'Fœda facies: cum P. R. imperator alienum cursum, alienumque rectorem, velut captâ nave, sequeretur!' Deinde in voce *equitus*, et *equitatus*, sine dubio latet participium *æquatus*. Illo enim ævo, quo hi codices sunt scripti, diphthongus *æ*, vulgo per *e* simplex, et in meo codice aliquando per ę Gallicum, scribi solita est. Facile itaque colligas, *equitus*, et *equitatus*, postliminio converti debere in *equatus*, sive *æquatus;* cum in *equitus*, unica litera media *a* ab inerte librario mutata sit in *i;* (sicut Scioppius invenit 'impetrire' scriptum, pro 'impetrare;') et in voce *ęquitatus*, syllaba aliena intrusa. Sicut vero alias, dato uno absurdo mendo, facile sequuntur plura; ita vides, etiam hoc in loco ex voce corrupta *ęquitus*, plura menda dimanasse. Hinc enim alius librarius, qui capere non potuit, quid sibi vellet *equitus*, procudit usitatius vocabulum *equitis;* rursus alius ex nomine singulari effinxit plurale *equitum*, quia opinabatur, rectius, aut tolerabilius, dici *candidatus equitum*, quam *candidatus equitis*. Gronovius hinc effinxit adverbium *æquitus*, et Arntzenius *æqui tum*. Quod si vero legendum est *princeps æquatus*, sequitur necessario, ut in sequente voce non nominativus singularis numeri *candidatus*, quamvis is in decem codicibus Mss. exaratus sit, sed dativus pluralis *candidatis*, locum habere possit; inprimis, cum copula *et* in nullo codice Ms. præterquam in unico libro Vossiano, inter voces *princeps candidatus*, intercedat; quanquam deinceps in variis libris impressis aliunde sit adscita. Neque vero miraberis, scriptum esse *candidatus*, cum scribi debuisset *candidatis*, quoniam similem errorem jam sub initium hujus capitis observarim. Nihil autem refert, sive dicas *princeps candidatis æquatus*, sive *princeps æquatus candidatis*. Verbum 'æquare' accommodatissimum est huic argumento. Sic Plinius supra, LXI. 3. 'Quanquam illos non potuisti tibi æquare, cum velles.' Et xxxv. 4. 'Idem Titus numinibus æquatus est,' &c. Quod si igitur jam recte se habent hæc antecedentia verba, *princeps æquatus candidatis*, sequitur ex naturali necessitate structuræ grammaticæ, ut genitivus participii *stantis*, in nominativum *stans* converti debeat, ut cohæreat cum verbis antecedentibus. Unde adeo ex ipsis vestigiis scripturæ corruptæ, quæ strictissime prosecutus sum, feliciter existit hæc pulchra et perspicua Plinii sententia, *Contigit ergo oculis nostris insolita ante facies: princeps æquatus candidatis, et simul stans!* Antehac locum hunc ita legendum existimaram, *Contigit ergo oculis nostris insolita ante facies principis æquati candidatis, et simul stantis.* Cujus lectionis rationes, si lubet, cognosces ex Excurs. LIII. Arntzenius locum hunc ita concinnandum cen-

suit, *princeps et candidatus æqui tum et simul stantes, intueri parem accipientibus honorem, qui dabat.* Hujus emendationis rationes transtulimus in citatum Excurs. Verum dijudicent alii, utrum mea, an Arntzeniana lectio, propius conveniat cum vestigiis veteris scripturæ; sensus vero utriusque est idem. *Idem.*

Princeps æquatus candidatis, et simul stans; contigit, &c.] *Princeps et candidatus equitis simul stantes, &c.* Variant libri, ut in caussa dubia testes. In V. scriptum, *candid. equitus et simul stantis;* in C. R. editum, *equitis et simul stantis;* in G. quod correctores resipiat, *æquales et simul stantes.* Mihi placeat, *candid. Equitis* (E majuscula, id est, equestris ordinis) *simul stantes*, deleto *et*. Mox ubi est *honore qui dabat*, lego in omnibus, *honorem:* probe. Sed et transposuerim verba, ac rescripserim, *qui honorem dabat*, claro et perspicuo sensu. *Livin.*

Æquatus] *Æquales.* Hoc mihi placeat, et est pro sensu. At libri tamen plerique, *equitis*, vel *equitus simul* habent; ut omnino censeam fuisse, *et candidatus ejus, simul stantes.* Erant enim 'candidati Cæsaris,' et ita in lapidibus nominantur: quos is produceret et commendaret. Nam *de candidato equitis*, id est, equestris ordinis, quod quidam suggerunt, alienum, et ineptum est. *Lips.*

Contigit intueri] Verbum *contigit* hoc in loco prætermiserunt omnes libri, qui mihi innotuere. Nolo quidem is videri, qui Plinium ex meo ingenio meisque verbis loqui cogam: opinor tamen, me nihil alienum intulisse orationi Plinianæ, cum hoc ipsum verbum *contigit* receperim, quod jam primis temporibus per negligentiam librarii excidisse, probabilissimum est; et cui prætermittendo forte occasionem dedit hoc ipsum verbum, jam in principio proximi versus positum; quod cum librarius adspexit, putavit, se jam scripsisse, quod adhuc semel scribendum erat. Scio quidem, verba per ἔλλειψιν solere omitti, et ea, quæ ante posita erant, animo repeti debere; sed tunc ἔλλειψις vel vulgari usu nititur, vel aliquid ingenii ostendit; nec frigus, aut obscuritatem quandam, sed concinnitatem lumenque, orationi affert. Jam vero, si hoc in loco verbum *contigit* omittatur, et verbum *intueri* absolute ac sine omni copula ponatur; prout copula *que* demum ab editoribus in posterioribus libris ei adjungi cœpit; nullo sensu assequi possum, quid elegantiæ et concinnitatis e tali ἐλλείψει, et ex omissione verbi *contigit*, nascatur; cum contra ἀναφορὰ, et repetitio hujus verbi majorem omnino perspicuitatem vigoremque huic loco conciliet. Neutiquam volo, aptas ἐλλείψεις tolli ex Plinio; sed et credo, qui aptas ἀναφορὰς ei sustulerit, magnum numerum illustrium ornamentorum eidem sublaturum esse. Unum jam exemplum ante oculos ponam, quod huic loco apprime conveniens videtur. Cap. XVII. 1. 2. ait Plinius, 'Videor jam cernere non spoliis provinciarum, et extorto sociis auro, sed hostilibus armis, captorumque regum catenis, triumphum gravem. Videor, ingentia ducum nomina, nec indecora nominibus corpora, noscitare. Videor intueri immanibus ausis barbarorum onusta fercula,' &c. Jam, si vetustus quidam librarius, vel ex simili oscitantia, vel ex intempestiva corrigendi libidine, omisisset repetitum verbum *videor*, inprimis ante verbum *intueri;* nonne aures innutritæ dictioni Plinianæ, etsi nullus prorsus liber integrum illum locum referret, facile animadverterent, orationi non parum vigoris perspicuitatisque decessisse, et se quondam defectum persentiscere? Quod si Plinius etiam breviores sententias, quas magis animare voluit, frequenter ornavit ἀνα-

φορᾷ· v. g. LX. 2. et 5. Epist. II. 9. 4. 6. &c. cur non etiam longiores sententias simili ἀναφορᾷ ornet, ubi inprimis non eadem est structura grammatica vocum, quæ dependent a verbo priore: prout in hoc loco, verbum *contigit* primum conjungitur cum nomine, *Contigit insolita ante facies;* deinde conjungitur cum alio verbo, *Contigit intueri, &c.?* Utcunque est, nemo negabit, ad explendam Plinii sententiam, omnino necesse esse, ut hoc ipsum verbum, ubi non iterum expressum fuerit, e superiore loco saltem animo repetatur. Jam, si repetendo hoc verbo sentimus, per hanc ipsam repetitionem sententiam Plinii non solum expleri, sed etiam vegetiorem fluidioremque reddi; quis non conjiciat intelligatque hoc verbum non tanquam alienum, et tanquam labem quandam, orationi Plinii inferri; sed excidisse jam olim, et merito jam restitui debere? Si dixeris, in nullis vero libris superesse indicium quoddam hujus verbi, hoc in loco reiterandi; respondeo, superesse tamen, prout jam ostendi, indicium in ipso contextu nexuque orationis. Adhæc, neque alia desunt loca manca et corrupta in hoc Panegyrico, quibus explendis emendandisque nulli adhuc libri, quod valde doleo, remedia attulere; quæ tamen ex contextu probabilissime possunt emendari. Annon, v. g. XX. 4. in omnibus omnino libris legitur, 'Cum abactus hospitum exerceret?' ubi tamen nunc ex contextu judico, legendum esse, *Cum abactus hospitum exercitus.* Taceo jam plura hujus generis exempla. Si cui neque sic quidem ad repetendum verbum, *contigit*, satisfacio, is per me pro lubitu missionem det verbo innoxio. *Schwarz.*

Intueri] *Intuerique* Livin. in margine.

Intueri parem] Hæc verba, interjectis supplementis, sic interpretor: *Contigit oculis nostris intueri principem, qui dabat honorem*, et principem quidem *parem*, sive æquatum candidatis, *accipientibus* eum ipsum honorem. Vulgo ita distinguunt posteriora verba, *parem accipientibus honorem, qui dabat;* ubi tamen comma rectius post participium *accipientibus* collocandum censeo. *Schwarz.*

Vera acclamatione] In codice Parisiensi mendose scriptum est *adamatione*. Nec bene Gryphius an. 1531. ediderat *declamatione;* quod posthæc correxit. De more acclamandi, qui e theatris primum in fora, deinde in senatum et campum, denique in ipsa templa Christianorum, penetravit, alii jam ex instituto egerunt. *Idem.*

Tanto major! Tanto augustior!] Formula laudandi, et gratulandi, atque approbandi dicta aut facta principum, cum admiratione et exclamatione conjuncta; quasi diceret, Bene egisti, et prout magnum augustumque principem decet. Tanto major augustiorque es, quanto rectius hoc dixisti, fecistive! Potest huc etiam referri formula ex Ovidii Met. XIV. 658. 'Tanto potentior!' quando divitem censum Pomonæ Vertumnus miratus est: 'Cultosque intravit in hortos, Pomaque miratus; tantoque potentior, inquit.' Vide Gronovii Observat. II. 21. Sed sunt et aliæ hujus generis formulæ approbandi, principibus et privatis communes; v. g. 'Tanto melior!' 'Tanto fortior!' 'Tanto felicior!' 'Tanto pulchrior!' Plaut. Persa, II. 5. 25. 'Tanto melior!' Idem Trucul. V. 60. 'Tanto melior! Noster esto.' Terent. Heaut. III. 2. 38. 'SYR. Etenim quo pacto id fieri soleat, calleo. CHR. Tanto, Hercule, melior!' Phædr. III. 5. Æsopus, cui quidam puer petulans lapidem impegerat, 'Tanto,' inquit, 'melior!' ubi Æsopus per jocum et fallaciam impudentem audaciam pueri approbat. Quinctil. Instit. Orat. VIII. 2. 'Unde

illa scilicet egregia laudatio, Tanto melior! ne ego quidem intellexi.' Seneca Epist. 31. 'Ad honesta nitentes, quanto magis incubuerint, minusque sibi vinci ac strigare permiserint, admirabor, et clamabo, Tanto melior! Surge, et respira.' Idem de Tranquill. Animi, cap. 15. 'Laudemus toties dignum laudibus, et dicamus, Tanto fortior! Tanto felicior!' Petron. cap. 69. 'Tanto melior! inquit Massa; dono tibi caligas.' Hujusmodi formula aliquando etiam in vituperationem convertitur; v. g. apud Plaut. Menæchm. II. 3. 79. 'Tanto nequior es!' et in Stich. v. 5. 8. 'ST. Totus doleo. SA. Totus? Tanto miserior!' apud Terent. Adelph. IV. 1. 12. 'Tanto nequior!' *Idem.*

Tanto major] In adhortatione et comprobatione formula. Sic in Seneca; 'Multoque audire mavult, Tanto melior, quam Tanto felicior:' et alibi in eodem. *Lips.*

Si se ipse submittat] *Se ipse submittat* Livin. in textu; sed in margine, *si se ipse submittat* V. C. G. R.

Si se ipse submittat] Heinsius in Panegyr. de Magno Rege: 'Majestatem tuam submisisti, ut attolleres.' *Bern.*

Longius abest, quam] *Quam* abest V. *Livin.*

Humilitatis] *Humilitate* Livin. in textu; sed in margine, *humilitatis* V.

Humilitatis] *Humilitate.* Humilis etiam principis altissima tamen conditio. *Bern.*

Quam humilitatis] Animadvertimus etiam hic varietatem. Primæ editiones Puteolani et Beroaldi inutiliter habent *quam humilitas.* Philomusus, nimium, ut opinor, acumen captans, edidit *quam ab humilitate humilitas!* Catanæus, Aldus, Cuspinianus, Stephani, Gryphius, Ascensius, Sichardus, Boxhornius, et alii, *quam ab humilitate.* Rejecta autem præpositione *ab*, simpliciter habent *quam humilitatis*, codices Vaticani, Parisienses, Veneti, Salisburgensis, Guelpherbytanus, Livineii, meus, et Patavinus; atque in impressis libris Rhenanus, Gruterus, Puteanus, De la Baune, Patarol, Arntzenius; quam lectionem etiam stilo Pliniano præ ceteris convenientiorem existimo; quanquam et illa varietas, quam in Plantiniana, Berneggeriana, Hackiana, et forte aliis quibusdam editionibus deprehendimus, *quam ab humilitatis*, admitti possit, nisi codices Mss. sibi refragantes habeat. Tritum autem est, 'humilitatis' nomen apud probatæ Latinitatis auctores in vitio poni, quatenus pro animo abjecto, fracto, et timido, usurpatur, adeoque animo magno et excelso opponitur. Unde Cic. Offic. III. 32. ista conjungit: 'Perspicuum est, quæ timido animo, humili, demisso, fractoque, fiant; ... non esse utilia, quia sint flagitiosa, fœda, turpia.' At apud sequioris ævi scriptores, et potissimum Christianos, 'humilitas' habetur pro virtute, quæ opponatur superbiæ et fastui, et aliquid plus notat, quam solum nomen 'modestiæ.' Vide Cellarium in Antibarb. pag. 178. et in Curis Posterior. p. 244. atque Heumann. Pœcil. tom. I. lib. III. p. 427. Cf. Excurs. IV. ad IV. 5. 'Humile' autem proprie dicitur, quod humi declive est, nec se terra altius tollere potest; deinde ad alia, et maxime ad animum, refertur. *Schwarz.*

Intentio ejus] In codice meo omissum est pronomen *ejus;* quod et fortasse abesse poterat, si ipsius Trajani intentionem, sive ingens studium, magnumque nisum commendandi candidatos, intelligas. At tutius tamen sequimur consensum ceterorum librorum. Sicut nempe apud Quinctilianum sæpe dicitur, 'intentio animi,' 'intentio mentis;' ita etiam dicitur 'intentio operis destinati,' In-

stit. Orat. x. 3. i. e. ardens studium operis destinati perficiendi. Plinio, Epist. i. 3. 2. dicitur 'intentio rei familiaris,' i. e. magna cura et studium rei familiaris. Sic hoc loco *intentio humanitatis* dicitur 'magnitudo humanitatis,' ejusque declarandæ et per varios gestus exprimendæ studium. Est enim *intentio* ab 'intendo,' i. e. valde tendo, μεταφορᾷ ab arcu desumta. Hinc Cic. Cat. c. 11. 'Intentum animum, tanquam arcum, habebat.' Sic *intentio* aliquando sumitur pro magna attentione, et ardenti studio audiendi et legendi; v. g. apud Plin. Epist. ii. 5. 2. iv. 9. 11. &c. Si vero pro scopo, proposito, fine, sumatur, ad suspectæ Latinitatis exempla referri solet. *Idem.*

Intentio] Expressio, cum veritate et acrimonia. *Lips.*

Orationi] Qua gratulabaris honorem candidatis. *Idem.*

Vocem, manum] Seneca Epist. viii. 'In senatu candidato vocem et manum commodare.' *Idem.*

Vocem, manum] Quia quasi latentes voce et manu producit atque ostendit, Senecæ Epist. viii. 9. de Tranquil. cap. 3. dicit, 'extrahere candidatos.' Adde Plin. Epist. iii. 20. Lips. ad Tacit. Annal. iv. 7. *Bernegger.*

Manum commodares] Librarii in codicibus Mss. Veneto 2. Salisburgensi, et meo, pro *commodares,* reposuere *commendares.* Immo librarii codicis Vaticani 3461. et Guelpherbytani, ut verbo *commendares* etiam affingerent idoneos casus nominum, sic casus istos inflexere, *quippe cum orationem oculis, voce, manu, commendares.* Verum recte retineri potest lectio vulgata; quam ceteri codices Mss. et omnes impressi confirmant. *Commodares,* i. e. orationi, qua commendabas candidatum senatui, vocem gestusque accommodares, et aptares. Quinctil. Instit. Orat. xi. 3. ubi de pronuntiatione et gestu oratoris agit, 'Cum valeant multum,' inquit, 'verba per se, et vox propriam vim adjiciat rebus, et gestus motusque significet aliquid, profecto perfectum quiddam fieri, cum omnia coierunt, necesse est.... Cum sit autem omnis actio in duas divisa partes, vocem, gestumque; quorum alter oculos, altera aures movet; prius est, de voce dicere, cui etiam gestus accommodatur.... Apta pronuntiatio est, quæ iis, de quibus dicimus, accommodatur.' Et inferius, 'Ad hæc commodanda manus est.' *Schwarz.*

Ut si alii eadem ista mandasses] Particulæ *ut si* ponuntur pro 'ac si,' 'quasi.' Vide ad xxv. 4. Lipsius et Baudius hæc verba sic explicant: 'Tanquam privato alicui istud præcepisses, qui tibi obsequeretur.' Ceva: 'Ac si alius pro te id faceret privatus.' Venit hic mihi in mentem, an Plinius fortasse respexerit quæstorem Cæsaris, sive quæstorem principis, cujus erat, nomine principis in senatu recitare orationes. Cujusmodi quæstoris mentionem facit Sueton. Aug. c. 65. 'Augustus de filia absens, ac libello, per quæstorem recitato, notum senatui facit.' Idem Ner. cap. 15. 'Orationes ad senatum missas, præterito quæstoris officio, per consulem plerumque recitabat.' In Tito, c. 6. 'Orationes in senatu recitabat etiam quæstoris vice.' Tacit. Annal. xvi. 27. 'Oratio principis per quæstorem ejus audita est.' Erant hujusmodi quæstores quasi cancellarii vice, ac sine dubio operam dabant, ut principis orationes vivide, et pro dignitate ejus, apte recitarent. Verum, sicuti ipsi Lipsio ista sua explicatio non satisfecit; ita nec mea mihi conjectura satis placet, cum, nescio quid obscuritatis in hoc loco Pliniano superesse videatur. Lipsius autem deinceps putavit, hunc Plinii locum rectius ita lectum iri, *ut si alius*

eadem ista mandasset; quorum verborum explicationem videre licet in commentario Lipsii. Satis apta hæc foret correctio, dummodo vetusto quodam indicio suffulciretur. Utcunque est, nihil dubito profiteri, hunc locum mihi adhuc perobscurum videri; cujus obscuritati neque e codicibus Mss. neque e commoda conjectura, remedium certum afferre queam. In codice Salisburgensi, pro numero singulari *alii*, ab altera manu superscriptum est *aliis;* sed non video, quæ major lux loco huic inde affulgeat; nisi putes, ita explicari debere, *ut si aliis* (quam senatoribus nutui tuo sponte obsequentibus,) *eadem ista mandasses.* Ceterum, cur a vulgari horum verborum interpunctione recesserim, non certe nullas rationes habuisse mihi videor. *Idem.*

Alii eadem] Privato, qui tibi obsequeretur. Sed puto rectius lectum iri, *ut si alius eadem ista mandasset.* Tu, inquit, omnia ita comiter et benigne faciebas, tanquam si non a te hoc beneficium, sed ab alio acceptum gratulareris. Nemo enim nimis gaudet aut exsultat in eo, quod ipse confert. *Lips.*

Omnes comitatis numeros obibas] I. e. omnes partes comitatis explebas, atque peragebas. Ita Cicero conjungit ista nomina, Nat. Deor. II. 13. 'Cui nihil abest, quodque undique aptum atque perfectum expletumque sit omnibus suis numeris et partibus.' Idem Offic. III. 3. 'Illud officium, quod rectum Stoici appellant, perfectum atque absolutum est, et, ut iidem dicunt, omnes numeros habet.' Quinctil. in principio Procemii Instit. Orat. lib. VIII. 'Rationem inveniendi,' inquit, 'atque inventa disponendi, per omnes numeros penitus cognoscere, ad summam scientiæ necessarium est.' Ad quem locum Turnebus: 'Hæc phrasis,' inquit, 'ducta est ab opinione Pythagoræ, qui existimavit, omnia constare numeris, et numeris perfici; unde, quod absolutum est, dicitur habere suos numeros.' Equidem Lipsius in Comment. ad Senec. de Benef. VII. 1. putat, proverbium, 'omnibus numeris perfectus,' ex palæstra esse ortum, ubi motus illi, et formationes, flexusque membrorum, ad 'numeros' fieri dicuntur: verum et palæstrici magistri hoc nomen a philosophis et mathematicis deductum ad artem suam applicare potuerunt. A Pythagoræis eandem loquendi formulam acceperunt etiam Stoici, et inprimis ad describendum officium perfectum accommodarunt. Ex quorum mente etiam Cic. de Fin. IV. 20. 'Alia peccata plures, alia pauciores quasi numeros officii præterennt.' Uti enim omnibus numeris perfectum est, cui nihil addi, et in quo nihil desiderari, potest; ita is excessum inducit, qui addit; defectum, qui adimit. *Schwarz.*

Suffragatores candidatorum nomina] In omnibus scriptis impressisque libris legimus, *Cum suffragatorum nomina, honore, quo solent, exciperentur:* verum, jam Lipsius rescribendum censuit, *Cum suffragatores nomina honore, quo solent, exciperent; tu quoque inter excipientes eras.* Immo ego mihi prorsus persuasum habeo, non solum pro casu gignendi, *suffragatorum,* rescribendum esse casum nominandi, *suffragatores;* sed et nomen *candidatorum,* itemque verbum activum *exciperent,* postliminio esse restituendum, ut sic hæc verba legamus, *Cum suffragatores candidatorum nomina honore, quo solent, exciperent, &c.* Non enim nomina *suffragatorum* plausu et honore excipiebantur; sive putes, per *suffragatores* significari omnes senatores, qui consensu suo senatorio, quasi suffragiis, comprobabant designationem candidatorum a principe factam; sive intelligas speciatim illos *suffragatores,* qui commendarunt maxime principi candidatos, et pro his intercesserunt; de quibus loqui-

tur Plin. Epist. III. 20. et de quibus non nihil annotavit Cortius ad Sallust. Jug. c. 65. Utique multo probabilius est, candidatorum, quam suffragatorum, nomina plausu et laude fuisse excepta a senatoribus, apud quos unos tunc suffragandi jus superfuit. Ergo et restituendum est vocabulum *candidatorum*, utpote ad quos, non vero ad suffragatores, pertinent sequentia verba. Sane enim non suffragatoribus, sed candidatis, apud principem perhibebatur testimonium. Candidati præterea, teste Seneca Epist. III. non *suffragatores*, solita appellatione tunc vocabantur viri boni, et viri optimi. Adhæc *candidatorum*, non *suffragatorum*, vita comprobabatur a principe. Recte ergo scripsit Lipsius: Ipsi suffragatores honorifice excipiebant nomina candidatorum, qui nomine et ordine citabantur. Princeps igitur ipse mira comitate non solum designabat candidatos, sed simul etiam quasi inter suffragantes laudantesque erat, et haud secus ac senatores, assensum suum declarabat. Quodsi igitur hæ duæ voces, *suffragatores candidatorum*, cum sequente verbo *exciperent* restituantur, omnia melius fluunt, et cum contextu pariter orationis, ac re ipsa, conveniunt. Magna, fateor, audacia est, in antiquis auctoribus loca corrupta sine consensu codicum veterum corrigere velle: hujusmodi tamen audaciæ culpam, quam non parum vereor, diminuet ipsa melioris sententiæ constituendæ necessitas, et vestigia quædam occasionis, unde jam olim error ortus tot libros commacularit. Ab iis autem faciliorem veniam mihi polliceor, qui et hujus loci corruptelam, ejusque verisimilem occasionem, et rationes adversus vulgatam lectionem a me allatas, non superficiario, sed exacto studio, perlustrarint expenderintque. Ne quis vero miretur, quomodo fieri potuerit ut negligens vel imperitus librarius, cum minus attenderet dictitanti, cumque forte non ea quæ audiret, sed quæ cogitaret, scriberet, confuderit duas voces in unam; ita, ut priori tantummodo terminationem posterioris appinxerit; ejus rei varia exempla sic se invenisse in antiquis codicibus, testatur Scioppius in Arte Critica; v. g. apud Plaut. Cistell. 'Nihil amare injurium est:' ubi 'amare' scriptum est, pro 'a matre.' In Milite, 'An heriatus nescis?' pro, 'An heri artus nescis?' In Bacchid. 'præco:' i. e. 'pro æquo.' In Epid. 'Facitote plateæ pateant,' i. e. 'Facite, totæ plateæ pateant.' In Symmacho, 'Crediderit,' pro 'credidi; erit.' In Petronio, 'labra humerosque sopitionibus pinxit,' i. e. 'labra humerosque sopiti titionibus pinxit.' Alibi, 'Occasio numero,' pro, 'occasionum vero.' 'Prosumpserit,' i. e. 'proprium sumserit,' &c. Vides ergo, similem corruptelæ occasionem etiam huic loco Pliniano accidere potuisse. Postquam vero pro duabus vocibus, *suffragatores candidatorum*, una vox, *suffragatores*, mendose fuit reposita, facillimum fuit ut etiam verbum *exciperent* in *exciperentur* mutari cœperit, ut cum nomine jam corrupto magis conveniret. Posset quidem verbum passivum *exciperentur* retineri, si nomen *suffragatores* omitteretur; sed cum hoc in omnibus libris habeatur, quamvis non debito casu positum, id penitus abjicere non audeo. *Idem.*

Suffragatores] *Suffragatorum.* Hoc intelligi potest ex ejusdem Plin. Epist. III. 20. ubi rationem hanc comitialem ita explicat: 'Citato nomine candidati; silentium summum, dicebat ipse pro se, vitam suam explicabat, testes et laudatores dabat. Addebat quosdam ex suffragatoribus: illi graviter et paucis loquebantur. Plus hoc quam preces proderat.' Itaque suffragatores prodibant, et loquebantur: apparetque cum plausu et favore (ut tunc mores ad levitatem vel adulationem inclinabant) exceptos. Apparet, inquam, ut hæc est

lectio, quam mihi immutare tamen suadeat animus, ac scribere, *cum suffragatores nomina honore, quo solent, exciperent, tu quoque.* Ipsi, dico, suffragatores nomina excipiebant: quorum? nempe candidatorum, qui nomine et ordine (ex verbis jam Plinii) citabantur. Princeps igitur ipse, mira comitate, quasi inter suffragantes laudantesque erat. *Lips.*

Senatorius assensus] Hoc voluit dicere Plinius: Princeps Trajanus in laudandis commendandisque candidatis æque assensum præbebat, ac ceteri senatores, qui suffragium ferebant; quasi et ipse senator esset, ac suffragaretur; non princeps, a cujus arbitrio, si vellet, tota res dependeret. Sic Tiberius, cum jam imperator esset, at adhuc civiliter ageret, referente Suetonio c. 29. 'Dissentiens in curia a Q. Haterio: Ignoscas, inquit, rogo, si quid adversus te liberius, sicut senator, dixero.' Cf. supra ad II. 4. *Schwarz.*

Faciebas ergo, cum diceres] Auson. Epigr. ad Theodos. 'Non habeo ingenium; Cæsar sed jussit, habebo. Cur me posse negem, posse quod ille putat? Invalidas vires ipse excitat, et juvat idem, Qui jubet, obsequium sufficit esse meum.' Et olim 'Omnes satis honestos generososque duceret, quibus arma sua signaque pop. Rom. commisisset.' Liv. XXIV. 35. Adde Scipionis dictum XXV. 2. *Bern.*

Optimos] Notetur ritus, adhuc inobservatus. Candidati 'boni,' vel 'optimi,' acclamabantur, ad nomen. Senecæ hinc lux, Epist. III. 'Itaque verbo illo quasi publico usus es, et sic amicum dixisti, quomodo omnes candidatos viros bonos dicimus.' *Lips.*

Optimos] In senatu, ubi principis suffragia, candidati producti dicebantur 'boni,' vel 'optimi viri.' *Bern.*

Ipsorum] Candidatorum. Itaque ex his palam est, superiora, uti dixi, legenda. *Lips.*

Judicium] Quia senatus tales elegerat. *Idem.*

Ornari qui se] *Ornarique se.* Ipsum senatum, cui sic credebas. *Idem.*

Ornari qui se] Antehac ex sola conjectura, pro *que*, legendum putavi *qui*; cum vulgo ubique legeretur *ornarique se.* Nunc duo codices Vaticani huic conjecturæ accedunt, qui et eodem ordine, quem ego nunc sequor, hæc verba produnt. Recte ostendit Arntzenius contra Gesnerum, non opus esse ut particula comparativa *quam* his verbis intrudatur: *qui ornari, quam se, non illos magis, quos laudabas, lætabatur.* Particula enim *magis* etiam aliquando poni solet, ubi non sequatur *quam.* Sic Plinius supra, XLVII. 5. 'Non Capitolium, ipsaque illa adoptionis tuæ sedes, magis publica, magis omnium.' Sed nec pronomen *se*, quod Gesnerus opinatus est, hic est casus sextus, verum quartus. Ceterum, haud probare possum, quod in superioribus verbis liber Vossianus et codex Patavinus, loco pronominis *ipsorum*, reposuerunt *temporum*, hoc modo, *nec temporum modo vita a te, &c.* innuit enim Plinius, mores candidatorum a Trajano fuisse comprobatos laudatosque. *Schwarz.*

CAP. LXXII. *Illa ipsa ordinatio comitiorum*] Vetere comitiorum ratione longo intervallo reducta, et suffragiis per tabellas revocatis. Lege auctorem Epist. III. 20. *Livin.*

Ordinatio] Solennis et vetus illa precatio, quam usurpat is, qui comitiis præerat et moderabatur. Cic. pro Murena: 'Quæ precatus sum a Diis immortalibus, more institutoque majorum, illo die, quo L. Murenam consulem renunciavi, ut ea res mihi, magistratuique meo, populo plebique Romanæ bene ac feliciter eveniret.' Et appellat mox 'solennem comitiorum precationem.' Ordinatio

hic igitur, dispositio et creatio magistratuum in hunc annum. *Lips.*

Ordinatio comitiorum] I. e. celebratio comitiorum in meliorem ordinem redacta. Respicit Plinius fortasse illam ordinationem comitiorum, de qua agit Epist. III. 20. ubi monet amicum Messium, comitiorum ordinem, cura Trajani, esse immutatum, neque per aperta suffragia, sed tacitam tabellam, creari magistratus; cum antea senatores excesserint manifestis illis apertisque suffragiis licentiam concionum; nec tempus loquendi, nec tacendi modestiam, nec denique sedendi dignitatem, custodierint. 'Ordinare,' est constituere, disponere; id, quod turbatum est, in ordinem adducere, sive, ut Cic. in Fragm. Timæi, c. 3. loquitur, 'ex inordinato aliquid in ordinem adducere.' Vell. II. 124. 'Primum principalium Tiberii operum fuit ordinatio comitiorum.' Plin. Epist. VIII. 24. 'ordinationem status civitatis' opponit ejus 'eversioni.' 'Quam turpe,' inquit, 'si ordinatio eversione, libertas servitute, mutetur!' Ceterum Thomas Hearne monuit, ab initio hujus capitis, pro *Nam*, aliter legi *Jam*. Quam variationem etsi in codicibus Mss. non deprehenderim, ea tamen mihi magnopere placet; neque insolitum esse, istas particulas inter se permutari, jam supra ad p. 535. ostendi. Ceterum nescio cur in utraque editione Gesneriana, pro *eveniret*, excusum sit *evenerit*. Schwarz.

Bene ac feliciter] Solennis precandi formula, tum in comitiis habendis, tum deliberando in senatu. *Putarol.*

Tibi: nonne] In omnibus libris excusis quondam hæc verba perperam transposita erant, ita ut pronomen *tibi*, demum post particulam interrogandi *nonne*, legeretur. Equidem, jam Lipsius, et, testante probanteque Grutero, Bongarsius, viderant, monuerantque, illud pronomen *tibi* in suum locum reponendum esse; quia, quod ex sequentibus verbis liquet, Trajanus tunc hac precandi formula usus erat: 'Bene ac feliciter eveniat senatui, reipublicæ, mihi!' Ex singulari enim modestia postremo loco mentionem sui fecerat, adeoque publicam salutem propriæ caritati anteposuerat; nihilo minus, quantum memini, Cellarius demum primus ex Lipsii Gruterique monitu, in editis libris verum ordinem restituit; qui nunc etiam omnium superstitum codicum Mss. auctoritate, si ab uno codice Patavino discesseris, comprobatur. *Schwarz.*

Tibi: nonne tale est] *Nonne tibi tale est.* Planissime transposita voce legendum, *tibi*, *nonne tale.* Nam hæc formula erat, 'Senatui, reipublicæ, mihi.' Se ipsos in ea comprecatione semper includebant, ut in Ciceronis illis verbis, et alibi. Occurrit hoc Ennii: 'ea ut mi, Reique et fidei, regno, vobisque Quirites Se fortunatim, feliciter, ac bene vortant.' *Lipsius.*

Tibi: nonne tale est] *Nonne tibi tale est.* Edit. Rhen. *Tibi: nonne tale est.* Hoc et in tractatu ad l. II. de Orig. Jur. de Magistratibus, qui commentario de regulis adjectus est, jam olim notavimus. *Faber.*

Tibi: nonne tale est] Nihil est certius conjectaneo, quod dudum libro suo adlevit Bongarsius, legendum scilicet voce transposita, *eveniret nobis, reipublicæ, tibi; nonne tale est, &c.* Sicque nuper etiam legendum, conjecit Lipsius: adeo nulli præclusa est ad veritatem via. *Grut.*

Deos denique] Negligentia est librariorum, qui in codicibus Vaticanis 1776. et 1475. item in Parisiensi et utroque Veneto, reposuere *eos denique obsecrare;* similiterque in Salisburgensi, Patavino, et meo, *eosdemque obsecrare;* nisi quis suspicetur, excidisse fortasse quædam verba antecedentia, quæ ad *Deos* spectarint. Certe, raro fieri solere, ut in duabus

duntaxat rebus enumerandis particula *denique* usurpetur, jam supra LXVI. 5. observavi. Unde opinor, Livineium in margine editionis suæ annotasse, pro *Deos denique*, forte legendum esse *Deosque*. Sed nihil in his mutare audeo. *Schwarz.*

Deos denique obsecrare] Forte, *Deosque obsecrare*. Livin.

Uni tibi] Inf. XCIV. 3. 'Simplex cunctaque ista complexum unum omnium votum est, Salus Principis.' Adde Messalæ verba, in Sueton. Aug. c. 58. *Lips.*

Uni tibi] Alibi etiam in hanc sententiam loquitur Plinius; v. g. supra XXIII. 5. 'Ut in unius salute collata omnium vota! cum sibi se ac liberis suis intelligerent precari, quæ pro te precarentur.' Infra XCIV. 2. 'Non te distringimus votis: non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non opes, oramus, non honores: simplex cunctaque ista complexum unum omnium votum est, Salus Principis.' Idem Epist. X. 44. 'Solennia vota pro incolumitate tua, qua salus publica continetur, suscipimus.' Et Epist. 60. 'Precati Deos, ut te generi humano, cujus tutela et securitas saluti tuæ innisa est, incolumem florentemque præstarent.' Seneca de Clement. I. 19. 'Quid pulchrius est, ... quam nihil esse cuiquam tam pretiosum, quod non pro salute præsidis sui commutatum velit? omne, quod illi contingit, sibi quoque evenire deputet?' In antecedentibus verbis, *si brevius sit optandum*, codex Guelpherb. pro *sit*, habet *est*. Schwarz.

Fuit tempus] Sub malis principibus. *Lips.*

Alia adversa] Dissidebant enim, et princeps senatum minui vel perire, ipsi principem optabant. *Idem.*

Si posses] I. e. si tu posses felix esse sine nobis. *Schwarz.*

Votorum] Publicorum, de quibus supra: an quæ ipse Trajanus in senatu nunc concepit? *Lips.*

Judicium nostrum] I. e. bonam opinionem et existimationem de te nostram, pro qua te omni felicitate et honore dignum judicamus. Sic nomine 'judicii' utitur Plin. Epist. IV. 8. 1. et X. 8. 1. Mendum est in codice meo, ubi librarius pronomen *nostrum* omisit; sed et mendum typographicum est in editione Hackiana, ubi pro *nostrum*, excusum est *nostrorum*. Schwarz.

Exitus] Violentus, aut fœdus. *Lipsius.*

Exitus] Caii, Claudii, Neronis, Galbæ, Vitellii, Domitiani. *Bern.*

Priorum principum exitus] Nam plerique, et omnes fere, violenta morte perierunt, ab ipsis civibus occisi. *Patarol.*

Acclamationes] *Exclamationes* V. Non placet: inf. quoque 'acclamationum nostrarum fidem.' *Livin.*

Acclamationes] Hanc lectionem publicarunt Catanæus, Aldus, Cuspinianus, Junta, Cratander, Gryphius, Sichardus, H. Stephanus, Livineius, Gruterus, Elzevir, Puteanus, Boxhornius, Baunius, Cellarius, Hearne, Patarol, Ceva, Gesnerus; eadem confirmatur consensu cod. Guelpherb. Patavini et libri Vossiani. Quæ lectio cum, nec diffitente Arntzenio, rei de qua agitur sit convenientior, eam non invitus admisi; quanquam dissimulare nolim, ceteros codices Mss. omnes, quibus usus sum, antiquioresque editiones, pro voce *acclamationes*, exhibere *exclamationes*; itemque Ciceronem ipsum, de Orat. III. 26. hac posteriore voce pro illa priore uti: 'Quare *bene*, et *præclare*, quamvis nobis sæpius dicatur; *belle* et *festive*, nimium sæpe nolo: quanquam illa ipsa exclamatio, *non potest melius*, sit velim crebra,' &c. *Schwarz.*

Hæc fateremur] In codice Patavino et libro Vossiano, pro verbo *fateremur*, extat *faceremus*; sed non est cur quidquam hic corrigamus. *Idem.*

Nosti necessitatem servitutis] I. e. ipse sub duris principibus vixisti, et servitutem ferre necesse habuisti. Servitus enim affert necessitatem; necessitas tollit arbitrium. Sic et supra dixit Plin. XLIV. 1. 'Vixisti nobiscum, periclitatus es, timuisti; quæ tunc erat innocentium vita.' Et LV. 2. 'Si velimus cum priorum temporum necessitate certare, vincemur. Ingeniosior est enim ad excogitandum simulatio veritate, servitus libertate, metus amore.' *Idem.*

Nosti] Cum et tu sub malo principe viveres, nempe Domitiano. *Paterol.*

Nosti] Nam et ipse paullo ante inter servientes. *Lips.*

Quando simile] In codicibus Vaticanis, Venetis, Parisiensi, Salisburgensi, Patavino, meo, et in libro Vossiano, præfixa copula *et*, legimus *et quando simile aliquid audisti.* Invenerat etiam Livineius hanc copulam in antiquo exemplari, malebatque rescribere *ecquando simile.* Quæ quidem mutatio in codicibus Mss. satis frequens est; si quid tamen hic mutare velim, malim *at quando*, quam *ecquando*, reponere. Nec raro enim particulas quoque *et* atque *at* inter se permutari, jam alii observarunt. Sic Heinsius in versu 570. libri III. Silii: 'His Venus; et contra genitor sic deinde profatur.' Et in vers. 325. lib. I. Æn. Virgilii: 'Sic Venus; et contra Veneris sic filius orsus;' utrobique maluit legere, *at contra.* Schwarz.

Et quando dixisti] Forte, *Ecquando dixisti.* Livin.

Metus] Dogma pulcherrimum est in Plutarchi Demetrio: 'Non fidendum honoribus istis, qui decernuntur sic vulgo: Τὰ γὰρ αὐτὰ, inquit, καὶ δεδιότες ψηφίζονται, καὶ φιλοῦντες, *eadem enim et timentes decernunt, et amantes.* At unum argumentum esse veræ benevolentiæ, si ii, quibus dantur, conscii sibi sint, factis et virtute meruisse.' *Lips.*

Multa quidem excogitat metus] Tacit. Annal. IV. 31. 'Nec occultum est, quando ex veritate, quando adumbrata lætitia, facta imperatoris celebrentur.' Adde Plutarch. in Demetrio cap. 39. Tubam Pacis clariss. Bernegg. p. 110. *Frischm.*

Quæsita ab invitis] I. e. affectata, et multo labore magnaque cura accersita; quæ nativis, et quasi ipsi naturæ et voluntati, adversantur. Propert. III. 24. de candore non nativo, sed per artem et curam adscito, 'Cum tibi quæsitus candor in ore foret.' Idem I. 15. 'Tu potes externos manibus componere crines, Et longa faciem quærere desidia.' Ubi Passeratius ait, 'faciem longa desidia quærere,' dici, formam sibi conciliare et parare velle longa inertique mora; quia, ut ait comicus, mulieres 'dum comuntur, dum moliuntur, annus est;' quæritur enim, quod natura abest. Sic et Ovid. Art. Am. III. 199. 'Scitis et inducta candorem quærere cera.' Tacit. Annal. VI. 50. ubi de Tiberii dissimulatione disserit: 'Idem animi rigor; sermone ac vultu intentus, quæsita (i. e. affectata) interdum comitate, quamvis manifestam defectionem tegebat.' Verum ex illa ipsa artificiosa affectataque significatione, v. g. gaudii et venerationis, primum ac præcipuum fictionis simulationisque argumentum peti potest; quod docet Scipio Claramontius de conjectandis cujusque moribus, IX. 4. 6. Quo refert illos versus Horat. de Arte Poët. vs. 425. seqq. ubi poëta de simulante adulatore agit: 'Clamabit enim, Pulchre, bene, recte! Pallescet; super his etiam stillabit amicis Ex oculis rorem; saliet, tundet pede terram. Ut qui conducti plorant in funere, dicunt Et faciunt prope plura dolentibus ex animo; sic Derisor vero plus laudatore movetur.' *Schwarz.*

Aliud solicitudinis] Male omiserunt

has duas voces Beroaldus et Catanæus. Ceterum, hic abstracta ponuntur pro concretis; quasi dixerit Plinius, Aliud hominum solicitorum, aliud securorum, ingenium est. Cujusmodi exempla alia passim in hoc Panegyrico obvia sunt; nos quædam jam supra annotavimus ad XXXVIII. 2. *Ingenium* autem *μετωνυμικῶς* pro 'inventione' poni videtur, quia ingenio potissimum competit inveniendi et excogitandi facultas. *Idem.*

Neutrum simulationes expresserint] Pro singulari, pluralem numerum *neutra*, in libro suo annotavit J. F. Gronovius. Ego, si quid mutandum esset, reponerem *neutram*, ut referretur ad vocabulum *inventio;* sed nulla opus est mutatione. Sic Plin. Epist. II. 11. 'Stabat modo consularis; modo septemvir epulorum; jam neutrum.' Idem Epist. III. 9. 'Dari sibi diem, et edi crimina, postulabat: neutrum impetravit.' Epist. IX. 31. 'Laudem pariter et gratias agam? neutrum satis possum.' Sic etiam Cicero loquitur de Fin. III. 15. 'Ut essent eorum alia æstimabilia, alia contra, alia neutrum.' Apud eundem Cic. Offic. I. 1. Gronovius aliique legendum censuerunt, 'Quoniam utrumque, et Socratici, et Platonici, esse volumus.' Mirum vero non est, simulationem adumbrare quidem posse gaudium et tristitiam; revera autem et constanter exprimere non posse; quia, quod Cicero ait, de Orat. III. 57. 'Sine dubio in omni re vincit imitationem veritas;' et quia simulatores magis quidem connituntur, et ingenium intendunt ad certos affectus imitandos; sed ex illo ipso nimio studio velamentum fictionis et affectati affectus magis pellucet. Hinc bene Tacit. Annal. IV. 31. 'Nec occultum est, quando ex veritate, quando adumbrata lætitia, facta imperatoris celebrentur.' Et Quinctil. XII. 1. 'Prodit se, quamlibet custodiatur, simulatio, ne unquam fuerit tanta eloquendi facultas, ut non titubet ac hæreat, quoties ab animo verba dissentiant.' Latinus Pacat. cap. 37. 'Fingit quidem, ut scimus, timor gaudium; sed ita intimos mentis affectus proditor vultus enuntiat, ut in speculo frontium imago extet animorum.' Confer supra ad LV. 2. *Idem.*

Simulationes] Tibullus: 'difficile est imitari gaudia falsa, Difficile est tristi fingere mente jocum.' Nazarius: 'Fingit quidem timor gaudium; sed ita intimos mentis affectus proditor vultus enunciat, ut in speculo frontium imago exstet animorum.' *Lips.*

Sua verba miseri] Bene Cic. de Orat. III. 57. 'Omnis motus animi suum quendam a natura habet vultum, et sonum, et gestum; totumque corpus hominis, et ejus omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsæ.' Et cap. 58. 'Aliud enim vocis genus iracundia sibi sumat; acutum, incitatum, crebro incidens. . . . Aliud miseratio ac mæror: flexibile, plenum, interruptum, flebili voce. . . Aliud metus: demissum, et hæsitans, et abjectum. . . . Aliud vis: contentum, vehemens, imminens quadam incitatione gravitatis. . . . Aliud voluptas: effusum, lene, tenerum, hilarum, ac remissum.' *Schwarz.*

Utque jam maxime] Varie hic locus, et potissimum in antiquis editionibus corrupte legitur. Sic in Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Aldi, Philomusi, Rhenani, Juntæ, R. et H. Stephanorum, Boxhornii, et forte aliorum exemplaribus editum est, *Ut quæ jam maxime ab utrisque dicantur.* Hic vides *quæ* pro *que* editum; nec solum pronomen *eadem,* sed etiam ultima verba, *aliter dicuntur,* esse omissa. Cui lectioni codex quoque Patavinus accedit. In Guelpherbytano et meo codice scriptum est, *Utque jam maxime eadem ab utrisque dicantur*, verbis ultimis, *aliter dicuntur*, itidem omis-

sis. Quam lectionem etiam Gryphius, Gruterus, Puteanus, et Baunius evulgarunt; quanquam apud Gruterum ex errore typographi, pro *utrisque*, excusum est *utriusque;* ipse vero Gruterus maluit legere, *ut quam maxime eadem ab utrisque dicantur, aliter dicuntur.* Adoptassem hanc Gruteri conjecturam; quia nihil facilius fieri potuit, quam ut particulæ, *que* ac *jam*, in unam vocem, *quam*, coaluerint; et quia nemini dubium esse potest, apud optimos auctores usitatissime dici *quam maxime*, et *cum maxime*, vel *quum maxime.* Verum, quoniam codices non contemnendi hanc nostram lectionem habent, cujus explicatio etiam locum habere potest, presse secutus scripturam veterem, hæc verba retinui, *utque jam maxime eadem dicantur, aliter dicuntur.* Quæ scriptura extat in codicibus Vaticanis, Parisiensi, utroque Veneto, et libro Gudiano 2. In Salisburgensi a prima quidem manu tantum hæc verba scripta erant, *utque jam maxime eadem dicantur;* ab alia tamen manu reliqua verba, *aliter dicuntur*, sunt addita. Posset huc etiam referri liber Vossianus, nisi pro *que* scriptum sit *quæ*, et *dicantur* pro *dicuntur.* Interim hanc ipsam lectionem, quam recepi, jam etiam prodidere Plantinus, Bernegger, Hackius, Patarol, Arntzenius; et his accenseri etiam posset Cuspinianus, nisi pro particula *que* edidisset *quæ.* In nostra vero lectione me ab initio unice solicitum habuit particula *jam;* quæ mihi vel prorsus abundare, adeoque rejici posse; vel cum antecedente particula *que*, in particulam *quam* mutari debere, videbatur, cum inprimis in antiquis codicibus particulæ, *jam*, *tam*, *nam*, *quam*, propter quandam similitudinem, haud raro inter se permisceantur: nihilo minus tamen, cum ea ipsa particula *jam*, in omnibus omnino libris, cum scriptis tum excusis, reperiatur; nisi quod Gesnerus conjecturam Gruteri secutus eam omiserit; eandem nondum abjicere ausus sum. Ita vero ista Plinii verba explicare velim: *Utque*, i. e. et licet *jam* (in isto simulationis statu) *eadem dicantur ab utrisque*, scil. a miseris et felicibus; tamen *aliter*, h. e. interprete Lipsio, alia asseveratione, intentione, vultu, sono, et spiritu, *dicuntur.* Tralatitium autem est, particulam concessivam *ut*, pro 'quamvis,' sive 'licet,' haud raro poni, ita quidem, ut ei modo particula adversativa *tamen* subjiciatur; modo omittatur, v. g. apud Ovid. ex Ponto III. 4. 'Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas;' et apud Cic. Attic. XII. 22. 'Nam quid de me dicam? Cui ut omnia contingant, quæ volo, levari non possum.' Heumannus, indulgens ingenio, credidit hæc scripsisse Plinium: *Habent sua verba miseri, sua verba felices; nec sunt eadem, quæ cum maxime ab utrisque dicuntur.* Hanc veram esse sententiam Plinii, facile largior: utrum vero etiam hæc verba satis cum vestigiis veteris scripturæ conveniant, dubito. *Idem.*

Maxime eadem ab utrisque dicantur] *Maxime ab utrisque dicantur* Livin. in textu; sed in margine, *maxime eadem ab utrisque* C. G. *aliter dicuntur* V. C. optime. *Rittersh.*

Utque jam maxime eadem ab utrisque] Non sugillo scripturam istam; capior tamen legere, *ut quam maxime, &c. Grut.*

Aliter dicuntur] Alia asseveratione, intentione, et vultu. *Lips.*

CAP. LXXIII. *Quæ in*] Bene se habet hæc lectio: at errata librariorum sunt, ubi in Vaticano, 3461. item in Veneto 2. et Guelpherb. legitur *quæ non;* atque in meo codice, *quo non. Schwarz.*

Non amictus cuiquam] Codex Patavinus et liber Vossianus habent *non metus cujusquam.* Verum vocabulum *metus* in hunc locum non convenit;

cum nemo tunc metum domo extulerit; eamque omnes reliqui libri, scripti pariter atque impressi, habeant *amictus*, ac cum præterea exemplis constet, Romanos ad affectus suos ostendendos variis occasionibus vestimenta sua jactare et concutere solitos esse. Non est ergo, cur lectionem vulgatam deseramus. Sic Ovid. Amor. III. 11. 73. seqq. indicat, aliquando jactationem togarum in spectaculis circi locum habuisse, dum e. g. spectatores significare voluerint, inertem agitatorem quadrigarum revocandum esse a cursu: 'Favimus ignavo; sed eum revocate, Quirites, Et date jactatis undique signa togis. En revocant! at, ne turbet toga mota capillos, In nostros abdas te licet usque sinus.' Sic jactatio togarum signum explosionis et displicentiæ fuisse videtur. Martialis quoque, XIII. 99. respicit morem togarum in theatro jactatarum: 'Delicium,' inquit, 'parvo donabis dorcada nato; Jactatis solet hanc mittere turba togis.' Qui versus paullo obscuriores, interprete Oct. Ferrario, de Re Vest. II. 34. significare videntur, dorcadem, sive damam, animal timidum, in aream missum, nullo canum terrore, sed sola togarum jactatione, agitatum esse a spectatoribus; vel ludicri caussa dorcadem, subjecta toga, et jactata, in sublime missam esse. Sed aliquando etiam moris fuit, ut, pro diversa vestium motione et agitatione, compellarentur et advocarentur ii, qui accedere et adesse jubebantur. Sic Virgil. Æn. VIII. 711. seqq. Nilum inducit, fugientes et victos vestium agitatione et motu ad se vocantem: 'Contra autem,' inquit, 'magno mœrentem corpore Nilum, Pandentemque sinus, et tota veste vocantem Cæruleum in gremium latebrosaque flumina victos.' Adhæc agitatione et concussione vestium dabatur aliquando etiam signum admirationis et applausus. Sic Eunapius in Juliano Sophista, pag. 129. refert, proconsulem Romanum, gravem judicem, admiratum eloquentiam Proæresii, exsiluisse, plausisse manibus, et prætextam concussisse, juvenis ad morem. Etiam Dio Cassius lib. LXI. pag. 699. narrat, Nerone in theatrum progresso, habitu citharœdi, ac publice canente, totum populum spectantem, admirationis favorisque testandi caussa, plausisse manibus, et vestimentis. Præcipue autem ingentis lætitiæ indicium fuit jactatio togarum; quod ex hoc loco Plinii patet, quem imitatus esse videtur Mamertinus in Grat. Act. Juliano Aug. c. 39. 'Vidimus,' inquit, 'attonitos admirantium vultus, multiformes lætantium status, varios corporum motus. Clamores inconditos profundebat laudandi effusa libertas: tripudiabat crebris saltibus multitudo. Nimiæ lætitiæ decoris sunt et gravitatis immemores. Illa jactatio togarum, illa exultatio corporum, nescientibus pæne hominibus, excitabatur. Omnem modestiam populi, omnem verecundiam tui, gaudia effrena superaverant.' Sic hodie aliquando videas, in publica solennique lætitia, multos e plebe pileos suos in sublime jactare. Quin etiam apud veteres non nunquam vestium jactatio e contrario metus et indignationis signum fuit. Huc refertur, quod in Act. Apost. XXII. 23. legimus, plebem impiam, cum audiisset divum Paullum Hebraice concionantem, indignationem et iracundiam suam vestimentis hac illac jactatis prodidisse. Taceo nunc alia exempla. Itaque, pro diverso jactandarum vestium modo, diversaque caussa, etiam diversorum affectuum indicium fuit ejusmodi vestium jactatio. Vide Franc. Bernardinum Ferrarium de Veterum Acclamationibus et Plausu, II. 6. *Idem.*

Non amictus] Mamertinus Juliani laudatione: 'Nimiæ lætitiæ decoris

sunt et gravitatis immemores. Illa jactatio togarum, illa exultatio corporum, nescientibus pæne hominibus excitabatur.' *Lips.*

Habitus] Corporis habitudinem intelligo. *Patarol.*

Non habitus] Behrius censuit, pro voce *habitus*, legi debere *cinctus;* cujus correctionis nullam idoneam caussam video. *Habitus* hoc loco non vestitum, sed gestum vultus et corporis, simulque motum animi, respicit. Sic Quinctil. xi. 3. in uno eodemque loco nomen illud ad utramque hominis partem refert. 'Affectus omnes,' inquit, 'languescant, necesse est, nisi voce, vultu, totius prope habitu corporis, inardescant.' Et ibidem inferius, 'Ex ingressu vultuque perspicitur habitus animorum.' *Schwarz.*

Quem modo] Forte, *quem domo.* Lips.

Quem modo extulerat] Lege, *quem domo extulerat.* Rittersh.

Modo extulerat] Lipsius conjecerat, pro *modo*, forte legendum *domo*. Arrisit hæc conjectura Rittershusio, et Baudio, eandemque ediderunt Bernegger, Hackius, Ceva. Sed locus hic nulla eget correctione; cum eadem vox *domo* facile subaudiri possit; ut est apud Terent. Heaut. iv. 4. 23. 'Efferant (domo) quæ secum huc attulerunt.' Recte adeo se habet, omniumque codicum Mss. ceterorumque librorum auctoritate confirmatur, particula *modo;* quam verò nolim cum Arntzenio exponere, 'paullo ante, cum in servitute viverent;' sed, 'paullo ante, cum domo exirent in curiam.' Nec habuit satis caussæ vir doctus, cur offensus fuerit verbo *extulerat;* cum Perizonius conjecerit, *quem modo attulerat.* Potuisset quidem hoc verbum hic locum habere; sed et ii bene dici poterant non retinuisse amictum, et corporis animique habitum, *quem*, i. e. qualem, qualiterque compositum, domo extulerant, qui mox præ gaudio jactarant togas, et inter precationes Trajani tam commemorabiles, tantoque erga rempublicam amore plenas, itemque inter tam lætas senatus acclamationes, jam hilariorem corporis animique habitum, gestu et vocibus ostenderant. Neque insolens videri potest, aliquem dici non solum amictum, sed etiam vultum, et gravitatem, affectumque, efferre domo. Sic enim Cic. Epist. vii. 18. 'Jam ista tua culpa est, qui verecundiam tecum extuleris, et non hic nobiscum reliqueris.' Idem pro P. Quint. cap. 31. 'Quam existimationem, quam honestatem, in judicium tuum attulit; eam liceat ei secum ex hoc loco efferre.' In meo codice, et Salisburgensi, pro *extulerat*, numerò multitudinis scriptum est *extulerant.* Schwarz.

Inde resultantia] Præter caussam Behrius existimavit, particulam *inde* in verbum *adde* mutandam esse; quæ particula non tantum ad locum, sed etiam ad tempus, refertur; eademque, uti alii scriptores, ita cumprimis Plinius noster, ad consequentia denotanda, et ad sententias connectendas, frequenter utitur; v. g. Paneg. viii. 4. xxii. 3. et passim. Verbum 'resultare' de echo, et repercussione soni vocisque, usurpant auctores Latini; v. g. Tacit. Annal. i. 65. 1. 'Cum barbari læto cantu, aut truci sonore, subjecta vallium, aut resultantes saltus, complerent.' Frequentius poëtæ: Virgil. Æn. viii. 305. 'Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant.' Claudian. Consul. Olybr. vs. 175. 'Collesque canoris Plausibus impulsi septena voce resultant.' Gesnerus censet, esse hypallagen, pro 'resultantes tectis voces.' Virgil. Æn. v. 150. 'Pulsati colles clamore resultant.' Vide avunculum nostri, xi. 19. 2. 'Apibus inimica et echo, resultante sono.' *Idem.*

Tecta] Curiæ. *Lips.*

Tantis clamoribus] Pone sexcentos una clamantes: et adde actuarios, et laticlavios, quibus jus veniendi in senatum. *Idem.*

Quis tunc] Elzevirii, Th. Hearne, et pauci alii recentiorum, pro *tunc*, edidere *nunc.* Verum *tunc* plurimæ ceterarum editionum, plurimique codicum Mss. huic loco asserunt. Has vero particulas etiam alibi non raro inter se confundi, jam animadvertit Burmannus ad Quinctil. Instit. Orat. p. 492. *Schwarz.*

Exsiluisse sensit] Codex Venetus 1. his inserit pronomen *se: Quis exsiluisse se sensit?* Et nescio, an huc etiam referenda scriptura codicis Parisiensis, Veneti 2. et mei, *Quis exsiluis se sensit?* Putes, sic etiam in ceteris libris impressis scriptisque pronomen *se* exprimi debuisse, cum non desint exempla, ubi infinitivus modus perfecti temporis, in *-se* exiens, per compendium scribendi simul illud ipsum pronomen designarit. Haud tamen necesse existimo, ut ubique sic exprimatur; cum constet, in oratione obliqua accusativos pronominum, *se, me, te, illum, nos, vos,* frequenter omitti solere; cujusmodi exempla annotavit Cortius ad Plin. Epist. IX. 13. 16. ad Sallust. Catil. XXXI. 7. et ad Cic. Fam. II. 13. 4. Etiam Gronov. Observ. II. 7. quædam exempla suppeditat, ubi pronomen *se* subaudiendum. Quid? quod fortasse hic etiam subaudiri possit *eum;* quasi dictum sit, *Quis eum exsiluisse sensit?* Etenim præ nimio gaudio nemo advertisse videtur, quid ipse fecerit; quid fecerint alii. Huc pertinent illa Mamertini verba, ad initium hujus capitis citata, quibus ille hunc Plinii locum æmulatus videtur: ‘Illa jactatio togarum, illa exultatio corporum, nescientibus pæne hominibus, excitabatur.’ De verbo *exsiluisse* jam supra, ad LXVI. 1. non nihil annotavi. *Idem.*

Instinctu quodam] In codicibus Mss. Vaticano 3461. Veneto 2. et Guelpherb. pro *quodam* scriptum est *quædam*, quasi legere debeamus, *Multa fecimus sponte;* plura instinctu; quædam et imperio. Sed nihil innovandum est in lectione vulgata. *Sponte* aliquid facere dicuntur, qui libera voluntate et scientes prudentesque agunt. Sic Varro de L. L. v. 7. ‘Spondeo, a sponte; nam id valet, voluntate.’ Ab his diversi sunt, qui cæco naturæ suæ, vel externo aliorum hominum instinctu, sive instigatione, aut quasi vi et imperio affectuum suorum, quibus non facile resisti potest, agunt. Hujusmodi opposita legimus, v. g. apud Terent. Andr. IV. 2. 9. ‘Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga.’ Adelph. I. 1. 49. ‘Hoc patrium est potius, consuefacere filium, sua sponte recte facere, quam alieno metu.’ Item apud Cic. de Nat. Deor. II. 12. ‘Platoni placet, duos esse motus; unum suum, alterum externum: esse autem divinius, quod ipsum ex se sua sponte moveatur, quam quod pulsu agitetur alieno.’ Sic vero etiam cupiditati, gaudio, aliisque affectibus, dominium et imperium, ac quædam cogendi vis, aliquando tribui solet. Cic. Paradox. v. ‘Illa cupiditas honoris, imperii, provinciarum, quam dura est domina! quam imperiosa! quam vehemens! Cethego . . . servire coëgit eos, qui sibi esse amplissimi videbantur.’ Ennodius Epist. v. 16. ‘Magna sunt gaudiorum imperia: expers est continentiæ hilaritas, et in vocem gestit erumpere.’ *Idem.*

Instinctu quodam] Nam animus in gaudio emicans et subsultans, corpus ignarum et pæne invitum eo ducit. *Lips.*

Nam, quanto magis] *Non quanto magis* V. *Livin.*

Nam quanto magis] In duobus codicibus Venetis, item Parisiensi, Salisburgensi, meo, et in libro Vossiano,

pro *Nam*, repositum est *Non*; quod commodiorem locum habuisset in proxima sententia, ut legeretur, *Non ergo modum ei tua saltem modestia imposuit*. Verum, neutrius loci lectio vulgata est sollicitanda; nam sic sæpius librarii *num* et *non* confuderunt. Vide supra, ad XLIX. 4. et LVIII. 3. Id vero annotare lubet, Plinium ordinarie scribere potuisse, *Nam, quanto magis a te reprimebatur* gaudium nostrum, tanto magis *exarsimus*. Verum vocabulum 'gaudium,' æque ac particulæ 'tanto magis,' per figuram ἐλλείψεως explicari suppplerique debent. Ad eum fere modum ἐλλειπτικῶς loquitur Tacit. Hist. I. 14. 'Ea pars morum ejus, quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat;' i. e. tanto magis, vel eo magis, adoptanti placebat. Sic et Columella IV. 18. 'Ipsa hortulorum descriptio quanto minoribus modulis est insita; (tanto magis) fatigationem veluti minuit.' Aliquando sola particula 'tanto' omittitur, 'magis' latente in subsequente comparativo; v. g. apud eundem Columell. V. 7. 'Omnes arbores quanto altius arantur, et circumfodiuntur; (tanto) majore fructu exuberant.' Similiter apud Tacit. Hist. III. 18. 'Propinqua mœnia quanto plus spei ad effugium, (tanto) minorem ad resistendum animum dabant.' Nonnunquam sola particula 'magis' prætermittitur; ut apud Liv. I. 25. 'Eo majore cum gaudio; quo (magis) prope metum res fuerat.' Plenius dixit Celsus, fere sub finem Præfat. lib. I. 'Quibus tanto magis omnis observatio necessaria est; quanto magis obnoxia offensis est infirmitas.' *Schwarz.*

Tua potestate] Qui materiam dare potes, non potes. *Lips.*

Nec in nostra] Quia a vi gaudii auferimur, ut a subito torrente. *Idem.*

Nec in nostra] Scil. potestate. Sic vero ista verba explicari posse credo: Sicuti liberum est tibi, et in tua potestate positum, nobis præbere materiem lætitiæ; ita tamen nec in tua, nec in nostra potestate situm est, modum nostræ lætitiæ imponere. *Schwarz.*

Acclamationum nostrarum fidem] 'Fides,' cum hominibus, tum rebus, tribuitur. Si tribuitur homini, est officium et virtus ex justitia præstantis ea, quæ se præstaturum promisit, aut alioqnin præstare debet. Cui 'fidei' opponitur 'dolus,' 'infidelitas,' 'perfidia.' Sin rebus tribuatur, dicitur pro earum veritate et certiore ratione; prout Tacit. Annal. VI. 22. 'fidem artis;' et Hist. IV. 78. 'fidem ominis,' &c. dixit. Sic 'pactorum fides,' Cic. de Offic. I. 7. dicitur 'dictorum conventorumque veritas.' Unde idem ex Stoicorum opinione tradidit, 'fidem' appellatam, quia scilicet vere sincereque 'fiat.' Sic Plinius noster, XXIII. 6. 'gaudii fidem' dixit, i. e. gaudii veritatem, sive per ἓν διὰ δυοῖν, gaudium verum. Vide supra, ad p. 541. Ergo 'fides' et 'veritas' aliquando tanquam συνώνυμα conjunguntur, atque opponuntur imaginibus, simulacris, ostentationi, ac rebus fictis; v. g. apud Plinium nostrum, Epist. VII. 17. 'Historia non ostentationi, sed fidei veritatique, componitur.' Sic etiam in præsenti loco acclamationum 'fidei' pari notione respondet 'veritas' lacrymarum. Quam frequens vero possit esse ostentatio lacrymarum, docet experientia, traditque Seneca de Tranquill. c. 15. 'Plerique,' inquit, 'lacrymas fundunt, ut ostendant, et toties siccos oculos habent, quoties spectator defuit, turpe judicantes, non flere, cum omnes faciant.' Præter necessitatem igitur, et contra consensum omnium librorum, Lipsius hariolatus est, annon legendum, *lacrymarum ubertate*, pro *veritate*. Cui tamen obsecuti Bernegger, et auctor editionis Hackianæ, istam hariolationem Lipsianam in contextum Pane-

gyrici recepere. *Schwarz.*

Veritate] Non enim fictæ illæ, aut expressæ. Quod si tamen, *ubertate?* Lips.

Veritate] Rectius putem *veritate*, ut respondeat præcedenti, *fidem*. Bern.

Demissumque gaudio] Si sic legas, ad pudorem mistum gaudio referendus hic gestus; nam ille in laude, quæ titillat et suaviter afficit, vultum tamen submittit. At si de gaudio solo, legerem *remissumque*, id esset, hilarem et diffusum gaudio vultum; cujus proprium scilicet 'dilatare,' unde et 'lætitia:' sicut contrahere, et angustare, doloris, unde 'angor.' *Lips.*

Demissumque gaudio vultum] Si sic legamus, Lipsius gestum hunc ad pudorem gaudio mistum censuit referendum. Sin de solo gaudio intelligamus, legere maluit *remissumque gaudio vultum;* i. e. hilarem et diffusum gaudio vultum; sive, ut Petron. cap. 91. vocat, 'solutum gaudio vultum.' Quam conjecturam etiam secutus est Bernegger, et editio Hackiana. Sed neque hic locus medicina eget, cum vulgata lectio omnium librorum auctoritate suffulciatur, et rei ipsi conveniat. Plinius enim loquitur de veritate lacrymarum et humescentibus oculis Trajani gaudentis: jam autem hominis præ gaudio lacrymantis vultus recte dici potest *demissus;* quanquam librarii in codice Guelpherbyt. Salisburgensi, et Veneto 2. obvio errore scripserint *dimissumque*. Quis vero nescit, lacrymas, cum dolori, tum gaudio, esse communes? Liv. v. 7. narrat, 'certatim patribus plebique manasse gaudio lacrymas.' Idem XXXIV. 50. cum de oratione a T. Quintio habita dixisset, 'Has,' inquit, 'velut parentis voces cum audirent, manare omnibus gaudio lacrymæ, adeo, ut ipsum quoque confunderent dicentem.' Hinc et Demea Terent. Adelph. III. 3. 55. 'Oh, lacrumo gaudio!' Ad quem locum Donatus: 'Immoderata,' inquit, 'lætitia, maxime parentum, lacrymas habet.' Apul. Met. I. p. 146. 'Tunc ego sensi, naturaliter quosdam affectus in contrarium provenire; nam et lacrymæ sæpicule de gaudio prodeunt.' De variis lacrymarum caussis vide Cœl. Rhodig. XII. 4. Et Alexander Aphrodis. Problem. XXXII. disquirit, cur, qui et dolent, et gaudent, lacrymentur. *Schwarz.*

Sanguinis] Sanguis in ore signum externum est, quo indicatur pudor, qui intro residet, atque animæ affectus est. *Patarol.*

Sanguinis in ore] Rubuisse vult Trajanum pudore. Rubor enim ex animi pudore nascitur, et quoties naturæ aliquid honesto pudore dignum occurrit, commoto sanguine cutem tingit, sive, ut naturæ indagatores dicunt, tacta pudore sanguinem pro velamento tendit, uti erubescens sibi manum ante faciem opponit. *Bern.*

Utque nunquam frontem tuam abstergeres] Locus hic varie corruptus est. Primum, adverbium *nunquam* in omnibus quidem codicibus Mss. quibus usus sum, pluribusque editionibus, inveni; at, pro eo, licet eadem notione, *non unquam* animadvertit Livineius, hocque magis ad numerum oratorium facere arbitratus est. Porro vero, *non nunquam* edidere Catanæus, Philomusus, R. et H. Stephani, Cratander, Gryphius, Sichardus, Rivinus, Kirchmaierus. Denique Livineius tradit, se etiam in quibusdam libris deprehendisse pessime positum, *nunquam non;* quod mihi tamen offendere non contigit; nisi, quod observaverim, Herm. Rayanum, in notis suis censuisse, *nunquam non* esse legendum. Jam, quod ad verbum *abstergeres* attinet, id non solum in nullo codice Ms. superest, sed etiam in antiquioribus libris impressis Puteolani, Beroaldi, Aldi, Cuspiniani, Juntæ, Rhenani, et Navii, desideratur. Tandem eam lectionem, quam

nunc damus, Plantinus, Gruterus, Paul. Stephanus, Bernegger, Elzevir, Puteanus, Hackius, Baunius, Cellarius, Patarol, Gesnerus, Arntzenius, et forte quidam alii, exhibuere. Quis vero non videt, quam dubia hæc lectio videatur? Quid jam Livineius et Lipsius de eadem monuerint, ex horum notis patet. Credo quidem, Plinium dicere voluisse, Precati sumus, ne unquam tibi deesset tam nobilis caussa pudoris et lacrymarum; sive, prout Baunius interpretatur, ut perpetuo hujusmodi lacrymæ, i. e. plenæ pudoris et verecundiæ, ex oculis tuis manarent; sive, quæ explicatio Cellarii est, ut semper tibi materia sit tales pietatis et verecundiæ lacrymas præ gaudio fundendi: verum, an ejusmodi sententia ex hac ipsa lectione facile commodeque fluat, et an verbum *abstergeres* ex ipsius Plinii calamo dimanarit, valde dubito. Cogitabam aliquando, annon hic legendum, *utque nunquam frontem tuam fingeres;* i. e. simulares gaudium, fingeresque gaudii lacrymas, sive, ut Claudianus loquitur, 'lacrymosa gaudia;' sed semper vere sincereque gaudendi, et præ gaudio lacrymandi, caussam occasionemque haberes. Sic enim Seneca de Tranquill. cap. 15. in eo ipso loco, ubi de lacrymis fictis, et ostentationis caussa fusis, agit, 'Illa inutilis est humanitas, flere, quia aliquis filium suum efferat, et frontem suam fingere.' Id unum adhuc moneo, in codice Patavino, et libro Vossiano, pro *utque*, inveniri expressis literis *ut quæ;* i. e. utpote quæ lacrymæ. Unde fortasse ista sententia sic brevissimis expleri queat, *ut quæ nunquam frontem tuam indecent;* quod verbum, *indecent*, Plinianum est, Epist. III. 1. Verum, ne sic quidem aliquid certi habeo; mihique adeo hic locus, in tam manifesto tot codicum Mss. defectu, et in tanta librorum excusorum varietate, omnino dubius, neque adhuc satis sanatus videtur; atque ipse etiam Arntzenius ingenue fatetur, expedire se non posse. *Schwarz.*

Utque nunquam] *Utque non nunquam* G. *Livin.*

Frontem tuam abstergeres] *Abstergeres* Livin. in textu omisit, sed in margine notavit ex G.

Nunquam frontem tuam abstergeres] Si auctorem capio, hoc voluit, precatos se, ut pudorem eum nunquam poneret, quem lacrymis testatus senatui esset. Estque 'abstergere frontem,' pudorem ponere, et tanquam abstergere, id est, *ἀποτρίψασθαι τὴν αἰδῶ*, ut ab eadem mente 'perfricare frontem' proverbio dicimus. Martial. 'Aut cum perfricuit frontem posuitque pudorem.' Bene ergo *nunquam*, aut *non unquam*, legitur, quod ad numeros meis auribus melius, falso *nonnunquam*, pessime in quibusdam, et in contrarium prorsus *nunquam non*. Proxime *hoc ipsum* tantundem est, atque apud Græcos, *τόδ' ἐκεῖνο*. Euripides Medea: Τόδ' *ἐκεῖνο, φίλοι παῖδες, (Μητὴρ κινεῖ καρδίαν, κινεῖ δὲ χόλον,) Σπεύσατε θᾶσσον δώματος εἴσω.* Anapæsti sunt, quos totidem Latinis reddidi: *Hoc ipsum, ágite o pueri, (Mater animos incit, bilemque movèt) Properate fores ocius intro.* Plutarchus Consolat. ad Apollonium: Τοῦτο *μὲν ἐκεῖνο, τῷ Μίδᾳ λέγουσι τὸν Σειληνὸν τὸ πρῶτον μηδὲν ἐθέλειν εἰπεῖν.* In editis vitiose est *ἐκείνῳ*. Lucianus Nigrino: *ἀλλ' ἐκεῖνο, ὦ ἑταῖρε, ἤδη τραγικοὺς, ἢ καὶ νὴ Δία κωμικοὺς φαύλους ἑώρακας ὑποκριτάς*; Polybius Hist. lib. III. *Ἔφη γὰρ καὶ μηδεμίαν μὲν εἰληφότας πεῖραν ἐπὶ τοῦ παρόντος τῶν ὑπεναντίων, αὐτὸ δὲ τοῦτο, γινώσκοντας, ὅτι μέλλουσι πρὸς Καρχηδονίους κινδυνεύειν, ἀναμφισβήτητον ἔχειν τὴν τοῦ νικᾷν ἐλπίδα.* Invenio et *illud* eodem sensu usurpatum. Plin. Epist. III. 13. 'Sed quid ego hæc doctissimo viro? Quin potius illud, anne quæ putaveris corrigenda.' Cynthia apud Propert. IV. 7. 'Si piguit portas ultra proce-

dere, at illud, Jussisses lectum lentius ire meum.' Corrupte *illuc* est in editis. Male ergo qui *hoc ipsum* hic exponebat, scilicet Capitolium. *Livin.*

Utque nunquam] Hæc clausula inter mutilas aut corruptas; nam meliores libri illud *abstergeres* mox non habent: nec vero eo facit. Quid enim *abstergeat?* lacrymas? eæ in genas delabuntur, non in frontem ascendunt. Pudorem, inquies; non solet abstergi, nec potest: velari in eo frons aut vultus solet, nec aliter. *Lips.*

Frontem tuam abstergeres] *Frontem tuam.* Insere *abstergeres* G. recte. *Rittersh.*

Frontem tuam abstergeres] Hic non hærerem cum docto viro. Nam certe pudibundi manu frontem abstergere solent. *Bern.*

Hoc ipsum] Pariter corruptum: tentabam *hoc templum*. Sed explicet etiam aliquis, *Hoc ipsum* nos rogemus has sedes: quid *hoc ipsum?* nempe quod dico de lacrymis. *Lips.*

Hoc ipsum has sedes nos] Hunc locum quoque corruptum habuit Lipsius, et, mutato pronomine *ipsum*, reponendum putavit, *Hoc templum, &c.* Quam conjecturam nimia facilitate amplexi sunt Bernegger et Hackius, qui edidere *Hoc templum ipsum:* Kirchmaierus, Weinrichius, et Gesnerus, *Hoc ipsum templum.* Christophorus Behrius eandem emendationem commendavit, atque interpretatus est 'templum capitolinum.' Sed tunc senatus cum principe, non in capitolio, sed in curia, congregatus erat; quæ tamen ipsa curia, cum per auguria esset constituta, etiam *templum* vocari potuisset; dummodo hoc nomen in antiquis codicibus reperiatur. Sine autem suffragio codicum Mss. nulla hic opus esse correctione, ipse tandem agnovit Lipsius, cum moneret, sic etiam explicari posse, *Hoc ipsum nos . . . interrogemus,* nempe *hoc ipsum*, quod dico de lacrymis. Sic fere Terent. Heaut. III. 1. 83. 'Id quæro, tibi qui (i. e. quomodo,) filium restituam.' Atque ibid. v. 1. 70. 'Illum hoc rogitato simul, quamobrem id faciam?' Cic. Famil. XIII. 1. 'Ac te illud primum rogo, ne quid invitus mea caussa facias.' In his enim similibusque exemplis, pronomina, *hoc*, *id*, *illud*, *hoc ipsum*, quasi per pleonasmum poni animadvertimus. Deinde Behrius loco pronominis *nos*, legere maluit *nostras*, ut esset, *Hoc ipsum has sedes nostras interrogemus;* i. e. hæc nostra subsellia senatoria. Verum neque huic mutationi ullus liber favet; ac, cum Plinius δεικτικῶς et quasi cum ostensione dicat, *has sedes*, possunt sic etiam, sine additamento τοῦ *nostras*, subsellia senatoria intelligi. Cum vero primus casus pluralis pronominis *nos* in omnibus omnino codicibus nostris extet, et satis commode cum verbo *interrogemus* conjungi queat, illum loco movere non audeo; etsi haud diffiteor, mihi magis placere casum tertium, *nobis*, qui cum participio *responsuras*, connectatur, cum in non paucis libris, v. g. Aldi, Cuspiniani, Juntæ, Philomusi, Rob. et Henr. Stephanorum, Gryphii, Ascensii, Sichardi, aliorumque, excusus reperiatur. Nihil autem facio, quod pro *interrogemus*, in codice Patavino, et libro Vossiano, scriptum est *interrogamus;* præterea, quod in codice Vatic. 3461. et Guelpherbytano, pronomen *tuas* hunc in modum interseritur, *has sedes tuas nos quasi, &c.* Immo, in utroque hoc codice, per insignem librarii oscitantiam, prorsus prætermittuntur hæ voces, *ne unquam principis lacrymas? at senatus sæpe viderunt.* Quæ verba in ceteris omnibus libris inveniuntur; iis autem prætermittendis occasionem dare potuerunt verba vicina, *viderint*, et *viderunt.* Perperam etiam codex Salisburgensis et meus, pro *at senatus*, habent

ac senatus. Denique antepenultima hujus capitis vocula, *non*, a librario in meo codice temere est omissa. *Schwarz.*

Viderintne unquam] Ita, et quidem Augusti ipsius, in caussa simili, cum pater patriæ dictus. Vide Sueton. cap. 58. *Lips.*

Onerasti] Cf. supra not. ad XXIV. 1. *Schwarz.*

Posteros nostros] Senatores, qui post nos erunt. *Lips.*

CAP. LXXIV. *O te felicem*] Istas acclamationes in senatu Trajano factas, ne interciperet oblivio, in publica acta mittendas et incidendas in ære senatus censuit. Brisson. Formul. II. 1. 2. 7. Mox, LXXV. 1. *Bern.*

Animum] Prima felicitas Platoni est in bene consulendo; quod est animi opus, eruditione multarumque rerum experimento instructi: altera in vigore sensuum et corporis, quem membra et sensuum instrumenta parant: tertia in rerum gerendarum fortuna, quam provida largitur solertia: quarta in honore et gloriæ celebritate, quam opinio bonitatis gignit: quincta in bonis ceterisque rebus ad usus humanitatis, quam rerum affluentia affundit. *Bern.*

Sed animum] Nempe virtutibus præditum, et ob has omni felicitate dignissimum. Vulgus felicitatem in opum et divitiarum possessione collocat. Rectius docet Seneca Epist. 45. felicem beatumque non eum esse, quem vulgus appellat; 'ad quem pecunia magna confluxit; sed illum, cui bonum omne in animo est, erectum, et excelsum, et mirabilia calcantem.' Et Cic. Quæst. Tuscul. v. 15. 'Da divitias, honores, imperia, opes, gloriam; si fuerit is, qui hæc habet, injustus, intemperans, timidus, hebeti ingenio et nullo; dubitabisne eum miserum dicere?' In editione Gryphii an. 1542. et paucis aliis, pronomen *tuas*, post *opes*, omittitur. *Schwarz.*

Felicitate] Necesse enim est, ut, qui felicitate dignus creditur, maximis etiam præditus virtutibus videatur; quo fit, ut vere etiam sit felix, cum nil feliciorem faciat, quam virtus. *Patarol.*

Dignum videri] Immo, ea demum vera felicitas est, felicitate non tantum dignum videri, haberique, sed re vera dignum ea esse. Ita vero verbum 'videtur' non tantum de iis dicitur, quæ adhuc dubia et incerta sunt; sed etiam non raro ab oratoribus, partim ex studio numeri oratorii, partim ex usu juris, transfertur ad ea, quæ certa et explorata sunt. Ita nempe apud Romanos institutum erat, teste Cic. Quæst. Acad. IV. 47. 'qui testimonium diceret, ut arbitrari se diceret, etiam quod ipse vidisset; quæque jurati judices cognovissent, ut ea non esse facta, sed ut videri, pronuntiarent.' Quoniam enim sæpe accidit, ut in factis, etiam evidentissimis, fallantur mortales, et in rebus multa sint incerta; hinc ista loquendi modestia in jure Romano invaluit. Vide Brisson. de Formul. lib. II. pag. 195. Quod de numero oratorio dixi, eo pertinet, ut recordemur, Ciceronem inprimis, ejusque imitatores, ob numeri suavitatem, frequenter adhibuisse illam formulam, 'esse videatur,' et similes: quem numerum obtrectatores Ciceronis, et Ciceronianorum, notarunt; non, quod optimus non esset, sed quod eis nimium familiaris, et ibi quoque quasi de industria quæsitus, ubi verbum *videri* proprie locum non haberet. Vide Manutium ad Cic. Fam. I. 8. Sic certe observamus, oratorem hunc præstantissimum vel in sola oratione pro lege Manilia undecim sententias conclusisse per, 'esse videatur.' Unde auctor Dialogi de Oratoribus, cap. 23. 'Nolo irridere .. illud tertio quoque sensu in orationibus pro sententia positum, *esse videatur*.' Cf. Quinctil. Instit.

Orat. x. 2. *Schwarz.*

Dignum videri] Id est, non est felix, qui in magna fortuna est, sed qui habetur et est (ob virtutes) ea dignus. *Lips.*

Dicta sunt] In codice Patavino et in Vossii libro legimus *dicta sint.* Schwarz.

Inprimis hoc] Pronomen *hoc*, in codicibus scriptis et antiquioribus libris excusis, desideratur; idque nec simpliciter necessarium est; quia tamen jam a Catanæo, Cuspiniano, Philomuso, Ascensio, R. Stephano, Gryphio, Sichardo, aliisque, expressum est, et secundum ea quæ ad LXXIII. 6. monui, satis commode locum habere potest, non rejiciendum existimavi. *Idem.*

In primis hoc] *In primis* Livin. in textu; sed in margine, *in primis hoc* C. G.

Crede nobis] Serio te laudantibus. *Lips.*

Crede tibi] Cui animus dicit, laude dignum esse. *Idem.*

Crede nobis] Bene Ceva: Crede sinceritati nostræ, ac testimonio animi tui; nam utroque confisi hæc diximus. Nempe, *crede nobis*, ex animo, non ex inani opinione, neque ex quodam adulandi studio, te felicem prædicantibus, *crede tibi*, utpote tuæ tibi felicitatis ac dignitatis conscio. Cod. Vaticanus 3461. et Guelpherbyt. habent *Crede et tibi.* Schwarz.

Fiducia nostri] I. e. cum diximus *crede nobis*, diximus hoc confisi conscientiæ nostræ dictitanti, nos ex animo te habere et prædicare felicem; ac, dum diximus *crede tibi*, adhuc majore fiducia animi tui id diximus; quia certum habuimus, te ipsum tuæ felicitatis et dignitatis esse conscium, et introspicere vitam tuam, atque intelligere quid merearis: neutrubi simulatio locum habet. *Idem.*

Alius enim fortasse alium] Nescio cur Rittershusius, pro voce *alius*, rescribere maluerit *aliquis.* Perfrequens est illa loquendi ratio: Cic. Fam. VII. 24. 'Habes Sardos venales, alium alio nequiorem.' Sallust. Jug. LIII. 8. 'Milites alius alium læti appellant.' Quinctil. I. 1. 'Præstat ingenio alius alium.' In Vossiano libroscriptum est, *Alius cum fortasse alium.* In codice Patavino, *Alius cum fortasse; ipsum se nemo decepit.* Ceterum, Plin. LXII. 9. dixit, 'Singuli decipere et decipi possunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.' *Idem.*

Alius enim fortasse alium] Insignis sententia uno verbo laborare videtur. Rescripserim *aliquis*, pro *alius.* Rittersh.

Ipsum se nemo] Nam simulata virtus alteri imponit, non autem simulanti. *Lips.*

Dabat vocibus] Qui dabat? nempe conscientia ipsius principis, meriti, et non meriti testis. *Idem.*

Dabat vocibus nostris fidem] Dabat, i. e. faciebat, et addebat, fidem. Equidem non raro hac formula utuntur optimi auctores, 'fidem alicui dare;' sed tunc maxime, si quando notat, sancte promittere, et polliceri; v. g. apud Terent. Hecyr. I. 2. 37. 39. 'PA. Si mihi fidem das, te tacituram, dicam. PH. Fidem do; loquere.' Cic. Fam. v. 11. 'Quamcunque ei fidem dederis, præstabo,' i. e. Quidquid ei meo nomine promiseris, præstabo, et efficiam. At hoc loco, 'dare fidem vocibus,' idem est ac verbis afferre, conciliare, et firmare, fidem, ut nempe istæ voces crederentur veræ laudes, veræ acclamationes, et precationes. Sic et Ovid. Fast. II. 20. loquitur: 'Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.' Rarior est hæc loquendi ratio. Ovidius, in simili argumento, Trist. IV. 5. 14. dicit, 'famæ conciliare fidem.' Quærit vero hic Lipsius, quid tunc acclamationibus et precationibus senatorum Romanorum dederit conciliarit-

que fidem, ut tanquam veræ et sinceræ crederentur? R. potissimum testimonium conscientiæ bonæ Trajani principis optimi; cum hic intellexerit, sciveritque, se istis non indignum esse. Quærit porro, quid istiusmodi vocibus detraxerit fidem? R. testimonium conscientiæ malæ malorum principum; cum hi non potuerint non nosse et agnoscere, tantas laudes, tamque lætas voces, in se non convenire. *Schwarz.*

Credebant sibi] I. e. conscientiæ suæ. Librarius codicis Guelpherb. perperam omisit pronomen *sibi;* cujus tamen singularem ἔμφασιν hoc in loco agnoscimus. Sic Minucius Felix cap. 24. 'Fieri malunt alieni erroris accessio, quam sibi credere.' *Idem.*

Sibi] Conscientiæ suæ, quam sceleribus, odioque in cives inquinatam, et noxiam, noverant. *Patarol.*

Super hæc] I. e. præter hæc, præterea. Plinius Epist. IV. 26. 'Vir gravissimus, doctissimus, disertissimus, super hæc occupastisimus.' Epist. IX. 25. 'Viri gravissimi, eruditissimi, ac super ista (i. e. præterea) verissimi.' Amat hanc formulam etiam Liv. II. 27. 'Super hæc timor incessit Sabini belli.' Idem XXX. 1. 'Super hæc bellicæ laudes consulatus compotem fecerant.' XL. 23. 'Hæc super cetera tristem adventum in Macedoniam regi fecerunt.' *Schwarz.*

Quis] In codicibus Venetis, Parisiensi, Salisburgensi, Patavino, et libro Vossiano, scriptum est *Qui.* Constat quidem, pronomen *qui* etiam pro *quis* poni; sed tunc magis, si, ut ita loquar, adjective, quam si substantive, usurpetur. Quod Taubmannus ad Virgil. Eclog. II. 19. exemplo Terentii declarat: 'Quis fuit igitur? PYTH. Iste Chærea. TH. Qui Chærea?' Sed in his fere perpetuo variare codices, nec multum interesse; veteres quidem certos fuisse elegantiæ suæ, et ubi *qui*, ubi *quis*, præstaret, usu fuisse doctos, licet nos sæpe in his fluctuemus, observavit Burman. ad Phædr. I. 13. 6. Conferas Bentleium ad Horat. Sat. I. 4. 4. Nolui ergo jam à vulgata lectione recedere. *Idem.*

Aut principi] Malim *principe*, et mox *amante.* Lips.

Principi diceret] Maluit Lipsius *principe*, et mox *amante.* Et sane codex meus habet *principe;* immo codex Patavinus, et liber Vossianus, *de principe;* sed *amanti* ubique expressum est. Constitueret quidem Lipsiana emendatio sententiam non incongruentem; majus tamen acumen in vulgata lectione latere arbitror. Patet enim, neminem facile ausurum, principi mediocriter amanti in os dicere, *Sic te ament Dii, quemadmodum tu nos?* Hoc enim idem foret ac si diceret, Te mediocriter saltem ament Dii, quemadmodum tu nos mediocriter amas! Multo minus liceret, hoc principi malo et offenso in os dicere; foret enim hoc satyrice dictum. Inde vero accidisse puto, ut quidam librarii reposuerint *principe*, et *de principe;* quia forte inepte opinati sunt, oportere hæc verba penitus cum proximis vocibus, *de se*, convenire. Ceterum Gesnerus existimavit, hoc membrum, *Quis hoc . . . amanti*, non loco suo positum, tenebrarum aliquid orationi offudisse; reponendum post alteram formulam, *Nos sic amarent Dii, quomodo tu.* Nam sic demum recte inferri, *Quis hoc* posterius *de se; aut utrumque* hoc *principi diceret mediocriter amanti?* Verum, dissentientibus omnibus libris, nihil adhuc muto. In codice Guelpherbytano prorsus absunt hæ tres voces, *aut de se;* utinam deesset et sequens, eaque quarta vox, *aut!* Hæ enim quatuor voces tunc videntur commode locum suum obtinere posse, si præcesserit, *precati sumus, ut sic te amarent Dii, quemadmodum nos te, et tu nos!* Quod si autem

ista verba, *aut de se*, sint retinenda, nescio an sic fortasse explicari possint: *Quis* princeps, mediocriter amans, *aut de se*, hoc diceret, Sic me ament Dii, quemadmodum ego vos; *aut quis* alius *diceret principi mediocriter amanti, Sic te ament Dii, quemadmodum tu nos?* In codice Patavino verba hæc, *sed Dii, quemadmodum princeps*, prorsus sunt omissa, quia nomen *princeps* bis occurrit. *Schwarz.*

Hæc fuit summa votorum] Supra, 'Ut qui scias, hanc esse beneficiorum principalium summam, si illis et non uti licet.' *Livin.*

Estne verum] Opineris, particulam *ne* vel prorsus hic abundare, omittique posse, vel pro 'nonne' positam esse. At existimo illud *ne* hoc loco omnino dubitationi inservire. Sicut enim Plinius supra, LXXIII. 2. dixerat, 'Quis exsiluisse sensit?' ut significaret, præ nimio gaudio neminem fere animadvertisse, quid ipse fecerit, quid fecerint alii; ita nunc etiam quasi dubitans ait, verumne est, an in ista publica lætitia, et inter acclamationes solennes, dixerint, 'O nos felices!' *Schwarz.*

Inter ista] Quædam enim consueverant peculiaria verba precibus interponere, dum acclamarent imperatoribus, qualia hic, 'O nos felices!' et illa apud Lampridium in acclamationibus Alexandri, 'Dii te servent!' et quæ majora sunt apud magnum panegyrist. in acclamationibus Magni Regis, 'Deus te conservet!' *Bern.*

Non jam] In codice Parisiensi particula *non* negligenter prætermissa est. Nec minus perperam in codice Guelpherbytano librarius transiluit sequentia verba, *Sed Dii, quemadmodum princeps.* Schwarz.

Pie merita] Omnes codices nostri, præter Guelpherbytanum et librum Vossianum, habent *pie merita.* Neque dissentiunt veteres editiones quæque. Primus suspicatus est Lipsius, an non *pietate* fuerit depravatum compendio scripturæ. Unde Boxhornius, Kirchmaierus, Cellarius, Hearne, et Gesnerus, Lipsianam conjecturam recepere; cui conjecturæ favere videtur codex Guelpherbytanus, in quo scriptum *præ merita.* Putes enim, particulam *præ*, ex compendio *ptæ*, superscripta lineola, natam esse, cum legi rescribique debuisset *pietate.* Neque enim alias in codice illo diphthongus *æ* per duas literas exprimi solet. Nemo facile rejiciet vocabulum *pietate;* dummodo huic loco evidentiore auctoritate antiquitatis asseri possit. Certe similiter dixit Virgil. Æn. II. 690. 'Si pietate meremur.' Et Ovid. ex Ponto II. 6. 'Laudem pietate mereris.' In libro Vossiano, pro *pie merita*, annotatur *promerita;* cui lectioni locum dedit Arntzenius; quam et ego admitterem, dummodo constaret, eam non tam ex ingenio Vossii, quam ex antiquo codice, dimanasse. Interim, propter consensum tot librorum, lectionem vulgatam adhuc integram relinquo. Sicuti vero Plinius Romanam rempublicam dicit 'civitatem religionibus deditam;' ita et Cic. pro Domo sua, cap. 49. dixit, 'Disce ab homine religionibus dedito.' *Idem.*

Pie merita] Suspicio, an non *pietate* fuerit depravatum compendio scripturæ. Cic. 'Deorum numine tantum hoc imperium et natum est, et auctum, et retentum.' Addit omnes gentes 'pietate et religione superatas.' *Lips.*

Nihil felicitati] Tacit. Agricol. cap. 44. 'Quid aliud adstruere fortuna poterat?' *Bern.*

Felicitati suæ] In codice Vaticano 3461. item in utroque Veneto, Salisburgensi, Patavino, et libro Vossiano, scriptum est *felicitatis suæ.* Veniat alicui in mentem, hanc lectionem sic exponi posse: nihil felicitatis putat adstrui posse suæ, scil. felicitati. Sed minus placet hæc expositio. Et quam facile fieri potuit, ut litera pri-

ma, *s*, ex pronomine *suæ*, a negligentibus librariis fini quoque antecedentis nominis *felicitati* adpingeretur? Magis arridet scriptura codicis Parisiensis, *nihil felicitatis sibi putat adstrui posse*. Neque sic tamen satis caussæ video, cur damnem lectionem vulgatam. *Adstrui*, hic significat, addere, adjicere. Ita sæpius Noster; v. g. Epist. III. 2. 'Magni æstimo, dignitati ejus aliquid adstruere.' Epist. IV. 17. 'Quantum ille famæ meæ domi, quantum in publico, quantum etiam apud principem, adstruxit.' Paneg. XXXV. 4. 'Perquam magna quædam edicto Titi adstruxerat.' Ad quem locum vide notam nostram. *Schwarz.*

CAP. LXXV. *Publica acta*] Hæc, explicante Lipsio, in Excursu ad Tacit. v. 4. erant tabulæ, sive commentarii, in quibus perscribebantur res rationesque populi, judicia publica, supplicia, comitia, ædificia, nativitates, illustres mortes, matrimonia, divortia. Quæ acta a scribis tabellariisque confecta videntur, et ad atrium Libertatis in tabellario asservata. Hujusmodi actorum publicorum mentio fit ab ipso Plinio Epist. v. 14. a Sueton. Tib. c. 5. Claud. c. 41. Calig. c. 8. item a Tacito Annal. XII. 24. XIII. 31. XVI. 22. et passim. Vocabantur etiam simpliciter 'acta,' item 'diurna,' quia in dies conficiebantur. Origo hujusmodi actorum tribuitur Servio Tullio, qui ea instituit, ut numerum natorum defunctorumque nosset. Ab his distincta erant 'acta senatus,' sive 'acta patrum,' in quibus breviter perscribebatur, quidquid apud patres in senatu diceretur et ageretur. Quorum meminit Sueton. Aug. c. 5. Tib. c. 75. item Tacit. Annal. v. 4. Val. Max. VII. 2. 6. Hæc publicanda instituit Jul. Cæsar, notante Sueton. Cæs. c. 20. 'Inito honore, primus omnium instituit, ut tam senatus, quam populi, diurna acta conficerentur et publicarentur:' quanquam Augustus postea, eodem referente Sueton. Aug. c. 36. voluit, ne acta senatus publicarentur; non etiam, ne conficerentur. Quæ in gratiam eorum, quibus Lipsius ad Tacitum non mox præsto est, fere ex eo repetenda duxi. Etsi igitur vix dubium est, quin jam illo tempore omnia senatus dicta, decreta, et res gestæ, in acta mitti consueverint; bene tamen monet Lipsius, senatum videri tunc decrevisse, ut istæ acclamationes senatus, præter morem, etiam in 'acta publica,' sive 'urbana,' referrentur, ut vulgus quoque ea sciret; cum ex adverso 'acta senatus' non publicarentur. *Idem.*

Publica acta] Quid? nonne igitur omnia senatus decreta, aut seria magis dicta, 'in acta' mittebantur? certe: et erant huic rei 'actuarii,' et 'acta senatus' in Tacito aliisque crebro leguntur. Vide me in Annal. v. Tacit. Sed nota, quod ait *publica acta:* ea autem sunt 'populi,' quæ alio nomine 'urbana.' Nempe decretum, ut vulgus quoque ea sciret, et in publicis illis actis scripta legerentur, præter morem. *Lips.*

Incidenda in ære] Verbum 'incidere' referendum est inter ea, quæ eodem sensu varie construuntur, et modo dativum habent, modo accusativum cum præpositione, et modo ablativum, item cum præpositione. De hujusmodi verbis agit Thomas Bangius Observ. Philolog. lib. II. pag. 1017. et 1227. Laur. Valla Eleg. III. 8. de hoc ipso verbo hæc commentatur: '*In marmore* incisæ sunt literæ, *in gemma, in lapide, in ligno, in auro;* non autem, *in marmor, in gemmam, in lapidem, in lignum, in aurum.* E diverso, *in æs*, non *in ære;* ita enim apud omnes auctores, quantum inveni, semper scriptum est. Liv. III. 57. 'Priusquam urbem egrederentur, leges decemvirales, quibus tabulis duodecim est nomen, in æs incisas, in publico proposuerunt.' Sed quid

exempla ponimus paucorum, quod omnes facere affirmamus?' Hæc Laur. Valla; cujus vero observatio dudum a Bangio l. c. et a Vossio de Arte Gramm. VII. 65. labefactata est. Habent quidem casum accusandi probati auctores; v. g. præter Livium, Cic. Philipp. I. 10. 'Quod erit ita gestum, id lex erit, et in æs incidi videbitis;' at idem etiam casum auferendi adjungit in Verr. IV. 65. 'Id non modo tum scripserunt, verum etiam in ære incisum nobis tradiderunt.' Plin. Hist. Nat. XXXIV. 9. 'Usus æris ad perpetuitatem monimentorum jam pridem translatus est tabulis æreis, in quibus publicæ constitutiones inciduntur.' Sueton. Cæs. c. 28. 'Lege jam in æs incisa, et in ærarium condita.' At in Aug. cap. 101. 'Indicem rerum a se gestarum vellet incidi in æneis tabulis, quæ ante Mausoleum statuerentur.' In vetustissima tabula ænea de Bacchanalibus, quæ nunc Vindobonæ asservatur: UTEI. HOCE. IN. TABOLAM. AHENAM. INCEIDERETIS. Plinius noster supra, LV. 1. 'Quando non trabibus, aut saxis, nomen tuum, sed monimentis æternæ laudis, inciditur.' Idem Epist. VIII. 6. 13. 'Senatusconsulta de iis rebus facta in ære inciderentur, idque æs figeretur ad statuam loricatam D. Julii.' Sic Aldus, Gryphius, Cratander, Sichardus, Cortius, qui similiter *in ære* reperit in codicibus Mss. quanquam non nulli alii ibidem habeant *in æs*. Eodem in loco, paullo inferius, idem Plinius, 'Incisa et insculpta sunt publicis æternisque monimentis prætoria monimenta Pallantis, sic quasi fœdera antiqua, sic quasi sacræ leges.' Leges et orationes, in æs, aliasque materias, incidi consuevisse, pluribus comprobat Matthæus Ægyptius in Explicat. Tabul. de Bacchanalibus, p. 164. seqq. *Schwarz.*

Ante, orationes] Immo eæ non in æs tantum, sed aurum argentumque incisæ, et lectione publica repetitæ. Vide me, si lubet, super hoc more ad Annal. XIV. Taciti, haud procul initio. *Lips.*

Acclamationes quidem nostræ] Particula *quidem*, in codicibus Vaticanis 1775. et 3461. item in Guelpherbytano, omissa est; sed male, cum singularem ἔμφασιν addat orationi, et explicari possit: Quod vero ad acclamationes nostras attinet, &c. Sic usurpatur etiam in proximo capite LXXVI. 3. 'Ceteri quidem defixi, et attoniti.' Cic. Verr. IV. 33. 'Hoc simulacrum Dianæ, translatum Carthaginem, locum tantum hominesque mutarat, religionem quidem pristinam servabat.' Nepos in Phocione, c. 3. 'Caussam apud Philippum regem verbo, re ipsa quidem apud Polyperchontem, jussus est dicere.' *Schwarz.*

Nec senatus] Non senatus, quia erant adulatoria, ideoque viris ingenuis turpia et indigna: non princeps, quia falsa erant et mendacia, et ex timore prolata; non ex voto, nec ex rei veritate. *Patarol.*

Nec princeps, possent] Hæc vulgatissima est lectio, et plurimis etiam codicibus Mss. conveniens. Codex autem Salisburgensis habet verbum singularis numeri, *posset*. Cod. Vaticanus 3461. Parisiensis, et Guelpherbytanus, retinent verbum in numero multitudinis, *possent;* sed in eodem numero etiam exprimunt nomen antecedens *principes*. Schwarz.

Nec princeps] *Nec principes C. Livin.*

In vulgus exire] Hæc lectio ab omnibus codicibus nostris confirmatur, excepto codice Patavino, in quo scriptum est *in singulas exire;* et excepto libro Vossiano, in quo annotatum est *in singulis exire*. Nihilo minus Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Aldus, Junta, Rhenanus, Philomusus, Cratander, Rob. Stephanus, Navius, Kirchmaierus prodidere *in singulis exire;* item Gryphius, Sichardus, Navius, H. Stephanus, Livineius, Elzevir, et Boxhornius, qui tamen ve-

riorem lectionem, *in vulgus exire*, simul in margine, aut inter variantes lectiones, annotavere. Immo, Ascensius, ut formulæ convenirent, etiam sequenti sententiæ præpositionem *in* præposuit, *in singulis exire, et in posteris prodi*. Primi veram lectionem, *in vulgus exire*, evulgarunt Cuspinianus, Plantinus, Gruterus; quos et ceteri sunt secuti. Mireris, unde illa vox *singulis*, quæ nihil fere commune habet cum voce *vulgus*, irrepserit, totque inquinaverit libros; nisi putes, fortasse inertem quendam librarium, qui, quæ cogitarit, non quæ debuerit, scripsit, vocem *singula* ex initio hujus capitis adhuc habuisse in animo; ex corrupto autem hujus codice mendum hoc sensim in alios etiam libros propagatum esse. Credo itaque, eum, quisquis quocunque colore usus insolentem istam lectionem excusaverit, aut vindicatum iverit Plinio, operam et oleum perditurum esse. Contra vero perspicue et usitato dicitur res *exire in vulgus*, quæ divulgatur, et editur emanatque in vulgus. Sic Cic. pro Sex. Roscio, cap. 1. 'Oratio mea exire atque in vulgus emanare poterit.' Sueton. Galba, c. 20. 'Ante paucos dies exierat in vulgus.' Nepos Dat. c. 6. 'Si in turbam exisset, ab homine tam necessario se relictum.' Potuisset etiam solum verbum *exire*, pro *divulgari*, locum habere; uti apud Nepot. Agesil. c. 2. 'Fama exierat;' et apud Sueton. Ner. c. 53. 'Exiit opinio.' *Schwarz.*

In vulgus] *In singulis* Livin. in textu; sed in margine, *in vulgus* C. G. probe.

In vulgus] Quod factum, in acta publica mittendo. *Lips.*

Posteris] Nempe in æs incidendo, et perpetuando. *Idem.*

Pietatis nostræ adhiberetur testis] In Salisburgensi et meo codice, pro secundo casu, positus est tertius, *pietati nostræ*. Credas, casum tertium, propter verbum *adhiberetur*, posse admitti; prout Terent. Phorm. IV. 5. 2. 'Quin mihi testes adhibeam;' præfero tamen hic casum gignendi *pietatis*, quem ceteri libri confirmant, ac qui dependet a nominibus *testis* et *conscius*. Auctor ad Herenn. III. 20. 'Si ejus rei multos dixerit testes et conscios esse,' &c. *Schwarz.*

Non tantum post ipsos] Nihil quidem rarum est, particulas, 'non tantum,' 'non solum,' 'non modo,' postponi sententiæ, neque eis ex vulgari usu respondere particulas, 'sed etiam;' v. g. Cic. Attic. II. 21. 'Ipse etiam sibi, non iis solum, qui aderant, displicebat.' At rarius omnino fit, ut tunc ne quidem particula 'etiam,' sive 'quoque,' ut tamen fit in proximo Ciceronis exemplo, præmittatur. Sic enim Plinius dicere potuisset, *audere nos de bonis malisque principibus*, etiam vivis et florentibus, *non tantum post ipsos*, h. e. post ipsorum mortem, *judicare*. Sed talia hic saltem subaudienda sunt. Atque ita etiam Cicero aliquando, illud 'etiam,' sive 'quoque,' in priore membro non ponit; v. g. Philipp. II. 5. 'Hæc tu homo sapiens (etiam,) non solum eloquens, apud eos, quorum consilio sapientiaque gesta sunt, ausus es vituperare.' Curt. l. IX. c. 1. 'Ebore Macedoniam Græciamque, non nostras tantum domos, replebimus.' In codice Patavino, et libro Vossiano, pro *tantum*, legitur *tamen*; sed hujusmodi varietas, ex compendio scripturæ orta, frequenter harum particularum confusionem induxit codicibus. Ceterum judicia hominum post mortem principum, aliorumque, plerumque sunt liberiora; inde Cic. pro M. Marcello, c. 9. 'Servi igitur iis etiam judicibus, qui multis post sæculis de te judicabunt; et quidem haud scio, an incorruptius, quam nos; nam et sine amore, et sine cupiditate, et rursus sine odio, et sine invidia, judicabunt.' Idem fere similiter ad Q. Fr. I. 1. 'Non est tibi his solis utendum exis-

timationibus ac judiciis, qui nunc sunt, hominum; sed iis etiam, qui futuri sunt: quanquam illorum erit verius judicium, obtrectatione et malevolentia liberatum.' *Idem.*

Post ipsos] Cum jam mortui; etsi, o bone Plini, libertas ea tantum sub bonis, et de bonis: in malis, judicia quidem, sed non libera aut publicata. *Lips.*

Et ante nos gratos] *Ante*, i. e. antea, antehac, v. g. sub Domitiano, aliisve illaudatis principibus. Lipsius e conjectura annotaverat, placere, pro vocibus, *nos gratos*, si reponatur *non ingratos*. Quam conjecturam in contextum admisit editio Berneggeriana, item et Hackiana. Totus hic locus, secundum structuram grammaticam, ita est ordinandus atque explicandus: 'Ut experimento cognosceretur, et ante (i. e. etiam antehac) nos (quidem) gratos, sed miseros, fuisse; quibus (scil. nobis) antea non licuit, (sive non datum fuit per malignitatem quorundam superiorum principum,) probare, (sive demonstrare,) nos esse gratos.' Illud pronomen *quibus* hic commode resolvi potest in 'dum nobis' sive 'quippe nobis;' i. e. dum nobis nulla occasio fuit gratæ mentis nostræ declarandæ. Sic non solum alii boni auctores loquuntur; sed et ipse noster Plinius passim; v. g. in proximo c. LXXIV. 4. 'Quid felicius nobis; quibus (i. e. dum nobis) non jam illud optandum est, ut nos diligat princeps; sed Dii, quemadmodum princeps?' Idem XCII. 4. 'Nam, quod eum potissimum mensem attribuisti, quem tuus natalis exornat, quam pulchrum nobis! quibus (i. e. dum nobis) edicto, quibus (i. e. dum nobis) spectaculo, celebrare continget diem illum triplici gaudio lætum.' Hæc adeo sententia ad Plinium, aliosque illius temporis senatores, et viros bonos, referenda est. *Schwarz.*

Nos gratos] Placeat, *non ingratos*; etsi nec aliter sententia valde dissidente, sed sic clariore. *Lips.*

Antea] Principum plerisque pessimis; nisi quod Tito vivo multæ exclamationes dictæ, et mortuo tantæ a senatu gratiæ laudesque actæ, quantæ nec vivo unquam nec præsenti. *Bern.*

Quo nisu] *Quo nixu* Livin. in textu; sed in margine, *quo nisu* G.

Quo nisu] In codicibus Mss. Vaticano 3461. Parisiensi, Salisburgensi, Guelpherbytano, et utroque Veneto, item et in antiquioribus quibusdam editionibus, legimus *nixu*; in ceteris codicibus, ac jam in excusis Beroaldi, Catanæi, et Aldi libris, *nisu*. Nimirum, quia hoc nomen descendit a verbo 'nitor,' i. e. magno studio et labore conor, quod in perfecto habet 'nisus sum,' et 'nixus sum;' hinc illud ipsum nomen etiam utroque modo scribitur. Grammatici quidem discrimen notant. Diomedi melius videtur 'nisus' dici, a nitendo; ut 'nisus,' 'enisus,' dicatur de quovis qui allaboravit aut viribus conatus est; 'nixus,' et 'enixa,' ad partum referatur. Alii volunt, ut 'nixus' ad corpus referatur; 'nisus' ad animum, i. e. conatus. Sed jam Vossius de Arte Gram. v. 31. docuit, hoc discrimen neutiquam esse perpetuum; et bene Arntzenius vix quidquam interesse putat; nisi quod in blandiore Latinitate, 'nisus' malit præferre. Ceterum in hoc loco Plinii codex Patavinus, pro *nisu*, vitiose scriptum habet *jussu*. Schwarzius.

Expostulatum est] Pro hoc in libro primo Gudii annotatum lego *conquestum est*. Etiam Catanæus in notis refert, alios habere *conquestum est*; atque idem in margine annotaverat Schoonhovius. Verum puto, illud *conquestum est* non nisi e glossis imperitorum hominum prognatum esse; prout idem verbum, inter alias glossas scriptas adhuc in exemplari Phi-

lomusi, quo utor, explicationis caussa, super *expostulatum est*, scriptum esse deprehendi. Jam verbum 'expostulare' alibi quidem significat, queri de injuria, apud eum qui fecit; sed hæc significatio hic locum non habet; ubi 'expostulare' nihil aliud significat, quam efflagitare, etiam atque etiam rogare, valde vehementerque postulare. Sic Cic. hoc verbo sæpius quidem pro 'queri,' aliquando tamen etiam pro 'valde postulare,' usus est; v. g. pro Q. Roscio, c. 17. 'Vix tu, Fanni, a Ballione, aut aliquo ejus simili, hoc expostulare auderes, et impetrare posses.' Sueton. Tib. cap. 13. 'Coactus est, tam suis, quam matris impensissimis precibus, reditum expostulare.' Idem Domit. cap. 23. 'Expostulatis ad pœnam pertinacissime cædis auctoribus.' Tacit. Annal. XV. 17. 'Ille Armeniam quoque diversis præsidiis vacuam fieri expostulabat.' In proximis verbis, *ne affectus nostros*, codex Guelpherb. pro particula *ne*, habet *ut*; quod mendum est; nisi putes, utramque particulam, *ut ne*, ibi olim sedem habuisse. *Idem.*

Supprimeres] Quia nolebas publicari vel incidi. *Lips.*

Exemplo provideres] Unicus Gesnerus, contra auctoritatem omnium librorum, eorumque scriptorum pariter atque excusorum, edidit *exemplum provideres.* Sed quid opus est emendatione? Plinius ita hic locutus est, uti Epist. III. 9. 6. 'Provisum (i. e. cautum est) hoc legibus, intermissum tamen.' Cic. Verr. v. 48. 'Ne publice a populo Romano spoliarentur, officiis ac fide providerunt.' Tacit. Hist. I. 29. 'Provisum adoptione videbatur.' Ergo 'in posterum providere exemplo,' est consulere posteritati, sive posteræ ætati, per exemplum, quod sequatur. Sed possis fortasse rectius hoc Plinii loco in nomine *exemplo* agnoscere dativum, prout idem, Epist. II. 7. eadem notione dixit, 'Quo quidem honore non modo defuncti memoriæ, dolori patris, verum etiam exemplo, prospectum est.' Pari enim modo dicitur, 'providere vitæ,' 'saluti,' 'reipublicæ,' &c. Sic Cic. Nat. Deor. I. 2. dixit, 'a Diis vitæ hominum consuli, ac provideri, et prospici.' In codice Vaticano 3461. et Guelpherbytano, tota hæc sententia, *denique ut in posterum exemplo provideres*, perperam est omissa. *Schwarz.*

Habeantque muneris tui] I. e. habeantque id muneris tui, sive beneficii. Pertinet hæc dictio ad ἐλλειπτικὰς formulas, quibus desunt vocabula 'negotium,' 'res,' et similia; aut quæ supplendæ per pronomina neutrius generis, 'hoc,' 'id,' 'illud;' de quibus agit Sanctius in Minerva, cap. IV. p. 689. Sic noster etiam supra, LII. 5. 'Pateris,... illius, quod benefacias, muneris esse, qui te dedit.' Cic. de Leg. II. 3. 'Tanquam id habuerit operis ac muneris.' Ovid. Trist. I. 6. 'Si quid adhuc ego sum, muneris omne tui est.' Idem Met. XIV. 125. 'Meque fatebor Muneris esse tui.' Pro proximo verbo *discernere*, in codice Patavino, et libro Vossiano, scriptum est *decernere*. Id.

Decipi non potuerunt] Nempe simulato gaudio, fictisque laudibus et acclamationibus. Plinius supra, LXII. 9. 'Singuli decipere et decipi possunt; nemo omnes, neminem omnes, fefellerunt.' Codex Parisiensis, pro *poterunt*, habet *possint*. Idem.

Non deserendum] Vide quam inepte librarius in codice Salisburgensi, et meo, corruperit inverteritque has voces, dum pro iis reposuit *sed non ad secundam.* Item non minus librarius codicis Patavini turbavit hunc locum, *iter, sed bonam famam non deserendam;* unde *deserendam* etiam annotatur in libro Vossiano. Ceterum, refero huc, quæ Plinius scripsit Epist. IV. 29. 'Instituere, vel reducere, ejusmodi exemplum, non nisi severi; institu-

tum reductumve exercere, etiam levissimi possunt.' *Idem.*

Quid nunc ego super ea] In codice Patavino, et libro Vossiano, transpositæ sunt duæ priores voculæ, *Nunc quid ego.* Facile autem intellectu est, *super ea* hic significare 'præter ea.' Vide supra, ad LXXIV. 4. In sequentibus, 'pro senatu precer,' aut explicari potest, Vice et nomine senatus precer; sicut præpositio *pro* aliquando vicarium munus notat; v. g. 'pro consule,' 'pro prætore fuit,' &c. (confer not. ad LXV.) aut, 'pro senatu' idem valet ac, in senatu, coram senatu, præsente senatu; v. g. Quinctil. Instit. Orat. IV. 4. 'Codicem tribunus plebis ipse pro concione legit.' Confer not. ad p. 868. *Idem.*

Tunc oculis protulisti] Oculis nempe lacrymantibus, de quibus Plinius dixerat LXXIII. 4. 5. Pro *tunc*, in codice Parisiensi, et in Gruteri ac Pataroli editione, legitur *nunc;* quæ frequens est harum particularum confusio. Livineius, loco verbi *protulisti*, maluit *prætulisti.* Sed non video, cur abjiciamus vulgatam lectionem, eamque hucusque ab omnibus libris confirmatam. Verbum 'proferre,' pro profiteri et declarare, sæpe quidem conjungitur cum hujusmodi formulis, proferre in lucem, proferre in notitiam aliorum, &c. sed eadem notione etiam absolute ponitur; v. g. apud Quinctil. Inst. Orat. XI. 1. 'Profert mores plerumque oratio, et animi secreta detegit.' Apud eund. Declam. 332. 'Aperui pectus, et conscientiam protuli, et, qua rerum natura patitur, viscera pæne mea in conspectu vestro sunt.' Tacit. Hist. III. 37. 'Pro Vitellio conquerentes suum dolorem proferebant.' *Idem.*

Oculis protulisti] Forte, *oculis prætulisti.* Livin.

Oculis protulisti] Lacrymando. *Lips.*

Ames illum diem, et tamen vincas] I. e. nunquam sine jucunditate memineris illius diei, in quo te tuaque merita tot votis atque acclamationibus sumus prosecuti; et tamen eum pluribus meritis et majore lætitia vincas. Pro copula *et*, meus codex habet *ut;* et pro *tamen*, codex Patavinus, ac liber Vossianus *tum.* Sic etiam pro subsequente *audias*, codex Salisburgensis et meus referunt *audies.* Schwarz.

Vincas] Majora faciendo, majora audiendo. *Lips.*

Ob eadem] Exputare non possum, qua pertinacia omnes nostri codices scripti, ac præterea in excusis libris, Puteolanus, Beroaldus, Cuspinianus, et Philomusus, has duas voces omiserint. Recte Arntzenius: 'Non video, quomodo abesse possint, et oratio est mere Pliniana.' Immo, in meo codice simul etiam verbum *dici* prætermissum est, ita, ut sine sensu ibi hæc legam, *eadem enim nisi facta non possunt.* Schwarz.

CAP. LXXVI. *Quam antiquum*] I. e. quam antiquis moribus simile! Sic Plinius supra, LXI. 1. 'Equidem illum antiquum senatum contueri videbar.' Epist. VII. 33. 'Nerva etiam sæculo est gratulatus, cui exemplum simile antiquis contigisset.' Epist. II. 9. 'Erucius Clarus, vir sanctus, antiquus, disertus.' Antiquus, i. e. similis antiquis. Sub finem hujus capitis, 'Ut antiquus aliquis magnusque consul,' &c. Sic, 'Quam consulare!' i. e. quam conveniens muneri consulis. Infra, XCIII. 1. 'Consulares animos debilitat.' Alias 'consularis' dicitur, qui consulatu jam perfunctus est. *Idem.*

Quam antiquum] De eadem re, Plin. Epist. II. 11. 'Jam hoc ipsum, quam pulchrum et antiquum, senatum nocte dimitti, triduo vocari, triduo contineri?' Ideo autem *antiquum*, quia olim assidue senatus habitus, et res omnes in eo agitatæ, et decretæ; at sub principibus rariores conventus, quia illi ad se trahebant

præcipua rerum, et patres in speciem convocabant interdum. Atque Augustus dies certos habendo senatui definivit: de quibus Tranquillus c. 35. *Lips.*

Triduum totum] Auctor Epist. II. 11. 'Jam hoc ipsum pulchrum et antiquum, senatum nocte dimitti, triduo vocari, triduo contineri.' Lege reliqua, et omnino omnem eam epistolam. *Livin.*

Triduum totum] In Marii Prisci Africæ proconsulis et ministrorum ejus accusatione et condemnatione, qua de Secundus dicta epistola. *Bernegger.*

Triduum totum] Assidua frequentia, quemadmodum fieri solebat bonis reipublicæ temporibus. Quare noster, Epist. II. 11. 'Pulchrum, et antiquum, senatum nocte dimitti, triduo vocari, triduo contineri.' *Pasarel.*

Sub exemplo tui] Hæc vulgata est lectio, in codicibus Mss. et libris impressis, si a paucis discesseris. Cuspinianus, Gryphius, et in margine H. Stephanus, hanc variationem, nescio an ex primi editoris, an jam veteris cujusdam librarii ingenio, procusam, protulerunt *sub exemplo patientiæ tuæ sedit.* Baudius quidem ait, se hanc lectionem observasse in codice Lugdunensi; sed non intelligit, nisi editionem Gryphianam. Quæ variatio arrisit quidem Conr. Rittershusio; at aliis editoribus, neque id sine caussa, probare se non potuit. Ex adverso, in codice Veneto 1. et in Patavino, scriptum inveni, *sub exemplo tuo sedit.* Quam lectionem quin promulgarim, parum abfuit; quia ea analogiæ et usui linguæ Latinæ utique convenientior videtur. Etenim non alii solum auctores sic loquuntur, v. g. Plaut. Mostell. III. 2. 87. 'De exemplo meo ipse ædificato.' Ovid. Epist. Heroid. XVII. 97. 'Disce meo exemplo formosis posse carere,' &c. sed et ipse Plinius Epist. VII. 11. 'Nec vero coguntur imitari meum exemplum;' ubi certe non dixit, *exemplum mei.* Equidem scio, passim, ac sigillatim a Gellio XX. 6. et a Ger. Jo. Vossio Art. Gramm. VII. 57. item a Perizonio ad Sanct. II. 53. varia annotari exempla, in quibus genitivus pronominum, 'mei,' 'tui,' 'sui,' passivo sensu usurpetur; interim tam insolenter dici videtur, *sub exemplo tui*, quam insolenter diceretur, 'sub præsidio tui,' 'consilio tui,' 'labore tui.' Nihilo minus tamen a consensu tot librorum nondum discedere volui; cum inprimis etiam Trajanus apud Plinium similiter sine dissensu ullius libri loquatur, Epist. X. 29. 'Nam et tu dabis operam, ut manifestum sit illis, electum te esse, qui ad eosdem mei loco mittereris.' Quis enim hic non ex vulgari usu, et ex analogia, exspectasset, *meo loco?* Talia exempla fortasse cum Gellio referas ad 'auctoritatem quandam vetustatis non nimis anxie, neque superstitiose, loquentis.' Et quid? si Plinius forte utroque modo dicere solitus est, *exemplo tuo*, et *exemplo tui.* Sic sane utroque modo dixit, *sub exemplo*, et aliquando sine præpositione *sub.* Hanc enim frequentius adjungit; v. g. supra, LIII. 5. 'Futuros imperatores sub exemplo præmonere.' Cf. Epist. I. 15. II. 6. III. 18. VI. 5. Interdum tamen istam præpositionem *sub* omittit; v. g. Epist. III. 9. 'Facit hoc Homerus, multique illius exemplo.' Epist. IX. 9. 'Quintianum diligi decet exemplo ipsius.' Ceterum in his verbis Plinius respicit caussam illam, qua Marius Priscus, Africæ proconsul, cum suis ministris a provincialibus accusatus repetundarum, agente pro Afris caussam Plinio nostro, et Corn. Tacito, damnatus est a Trajano, qui huic caussæ triduanæ interfuit; quam descripsit ipse Plin. II. 11. et 12. quæ epistolæ omnino cum hoc loco Pliniano sunt conferendæ. *Schwarz.*

Sub exemplo tui] *Sub exemplo patientiæ tuæ* C. G. Livin. optime. *Rittersh.*

Sedit] Tralatitium est, apud Romanos totum senatum, ubi convocatus erat, consedisse. Tunc Trajanus, tanquam consul, senatui in sella curuli præsedit. Et credo, non solum alterum consulem, sed etiam fortasse consules designatos, et alios magistratus majores, in sellis curulibus sedisse; ceteros senatores in subselliis, hoc est, sedibus aliquantum humilioribus. Cic. Catil. I. 7. 'Quid? quod adventu tuo ista subsellia vacua facta sunt; quod omnes consulares, simul atque adsedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt?' Unde senatum a Pompeio 'longum subsellium,' quia forte in scamnis longis sedebat, dictum esse, innuit Cic. Fam. III. 9. Ceterum, de formula, 'agere consulem,' vide supra, ad c. XV. *Schwarz.*

Nihil præter consulem ageres] Non principis libera auctoritate, sed consulari moderatione, senatorum sententias expectando. *Patarol.*

Interrogavit quisque] Quidam codices, ex solita confusione, pro *quisque*, habent *quisquis*. Sed quid audio? An in senatu, præsidente quidem Trajano consule, cuique licuit interrogare, quod placuit? Tale quid non invenio ab aliis auctoribus annotatum, neque ab ipso commemoratum Plinio Epist. II. 11. et 12. ubi sigillatim hunc consessum senatus descripsit. Solius illius, qui præsedit senatui, fuit, interrogare. Gell. IV. 10. 'Erat jus senatori,' inquit, 'ut, sententiam rogatus, diceret ante, quidquid vellet alius rei, et quoad vellet.' Tacit. Annal. XIII. 49. 'Licere patribus, quoties jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent expromere, relationemque in ea postulare.' Ergo licebat quidem aliis quibuscunque senatoribus, si interrogati essent a consule præsidente, quidquid e republica fore crederent, loco sententiæ promere, et postulare, ut res aliqua a consule referretur; sed non licebat ipsis referre, et interrogare. Relationis adeo et interrogationis jus ordinarie soli competiit magistratui præsidenti; nisi quod deinceps etiam imperatoribus jus secundæ, tertiæ, quartæ, quinctæ relationis, daretur, ut in quovis senatu possent de duabus, tribus, quatuor, quinque rebus, quibuscunque vellent, etiam non consules, facere relationem, et sententias rogare; quo tamen jure Trajanus uti noluit, nisi ipse esset consul. Quæ cum ita sint, non dispicio, quomodo vulgata lectio, qua quisque dicitur interrogasse quod placuit, conveniat cum moribus senatoriis illius temporis? Sed vide ad quam conjecturam me deducant vestigia scripturæ quorundam codicum. In codice Salisburgensi et meo, pro *interrogavit*, deprehendo, scriptum esse *interrogares;* deinde, quod postea distinctius annotabo, in omnibus codicibus Mss. et in nonnullis antiquis impressis, desidero ultimas duas voces hujus periodi, *tutum fuit.* Hinc magna mihi suboritur suspicio, hunc totum locum in vitio cubare. Quod si vero liceat tantisper indulgere ingenio, ex his ipsis vestigiis corruptæ scripturæ hunc ipsum locum in ordinem redigere velim, ut cum Plinii sententia, et cum illius temporis ritibus, melius congruat. Sic autem legere gestio: *triduum totum senatus sub exemplo tui sedit; cum interea nihil præter consulem ageres, id est, interrogares. Quisque, quod placuit, sentire, dissentire, discedere, et copiam judicii sui reipublicæ facere.* Sic ultimis vocibus, *tutum fuit*, quæ in omnibus codicibus Mss. desiderantur, non opus esset, cum isti infinitivi verborum, per usitatissimam enallagen historicam, loco indicativorum imperfecti temporis ponerentur, quasi Plinius scripsisset, *Quisque, quod placuit, sen-*

tiebat, dissentiebat, discedebat, &c. Est quidem ista enallage historicis frequentissima; a qua tamen nec poëtæ, neque oratores, sunt alieni. Galba apud Cic. Epist. x. 30. 10. 'Antoniani me insequi; nostri pila conjicere velle.' Cf. Cic. Attic. vii. 4. 'Pompeius ... de triumpho hortari,' &c. Lat. Pacat. Paneg. c. 35. 'Milites caussam publicam manu agere, in hostes gladiatoria desperatione pugnare, nec gradu cedere. At ubi impulsa acies, ire præcipites,' &c. Vide Servium ad Virgil. Æn. ii. 683. cf. et Cortium ad Sallust. Catil. vi. 4. Deinde, ut verbum *interrogares*, in duobus scriptis codicibus obvium, connecterem cum antecedente sententia, et sigillatim cum verbo *ageres*; interponendas has particulas duxi, *id est*, sive *hoc est:* quæ admodum familiares sunt Plinio; v. g. Paneg. viii. 3. 'Te filium sibi, hoc est, unicum auxilium fessis rebus, assumsit.' xxx. 5. 'Igitur inundatione, id est, ubertate, regio fraudata.' Cf. lxi. 7. Epist. vi. 29. 3. vii. 12. 1. et passim. Facile autem literæ, i. e. quibus *id est* significabatur, tandem per inertiam librariorum excidere potuere; quanquam et per solam copulam *et*, aut, prætermissis omnibus assumentis, per *ἀσύνθετον*, verbum *interrogares*, antecedenti *ageres* adjungere possis; uti Plinius supra, xxvii. 1. dixit: 'Talis es, ut sub te liberos tollere libeat, expediat.' Quomodo autem Plinius melius exprimere potuisset, Trajanum tunc in senatu nihil præter consulem egisse, sive nihil egisse, nisi quod consulis munus postularit; quam si dixisset, eum in senatu duntaxat interrogasse et consuluisse senatores? Hæc enim summa erat officii consularis in senatu. Cf. Plin. supra, lx. 1. Verum, adhuc etiam verbum *sentire* adsciscendum duxi, quod propter simile verbum *dissentire*, excidisse puto. Jam autem hoc ipsum de rara temporum felicitate sub imperio Trajani commemorat Tacit. Hist. i. 1. 'ubi sentire, quæ velis, et quæ sentias, dicere liceat.' Alii aliam explicandi hujus loci viam per me ineant. *Schwarz.*

Discedere, et copiam] Liber Vossianus habet *descendere;* codex Venetus 2. *discere;* utrinque vitiose. Non quidem hic dicitur, quod jam Lipsius animadvertit, cuivis licuisse, cum placuerit, e curia discedere; quoniam senatus ordinarie non discessit e curia, nisi ab eo, qui præsederat senatui, in hæc verba dimitteretur: 'Nihil vos moramur, P. C.' 'Nemo vos tenet, P. C.' Cic. ad Q. Fr. ii. 1. 'Tum ille se negavit senatum tenere.' Et sic Cicero etiam concionem dimisit, Catil. iii. 12. 'Vos, Quirites, quoniam jam nox est, veneramini illum Jovem, custodem hujus urbis, ac vestrum, atque in tecta vestra discedite.' Verum, *discedere* hic illi dicuntur, qui vel ipsi jam ante dixerant sententiam, vel in alterius sententiam pedibus ierant; si post ab alio meliorem sententiam afferri crederent, dimissa priore sententia, ei, cujus sententia sibi melior visa est, accesserunt. Cujusmodi discessionis clara exempla peti possunt ex Plin. Epist. ii. 11. 'Cum fieret discessio,' inquit, 'qui sellis consulum adstiterant, in Cornuti sententiam ire cœperunt: tum illi, qui se collegæ adnumerari patiebantur, in diversum transierunt.' Præsidente autem et referente principe, sententiam ipsi etiam consules ferebant, ut ceteri senatores, teste Tacito Annal. iii. 17. 'Copiam judicii sui reipublicæ facere,' est, judicium suum consiliumque impertiri patriæ, et pro bono publico sententiam dicere. Ita et Cicero dixit, de Orat. iii. 33. 'facere civibus omnibus consilii sui copiam.' *Idem.*

Discedere] Non quidem e curia; sed pedibus ire in hanc illamve sententiam. Cui libertati mox opponit 'sedentariam assentiendi necessita-

tem.' *Lips.*

Tutum fuit] Hæ duæ voces, uti jam dixi, absunt ab omnibus, quos consului, codicibus Mss. absunt etiam a Puteolani, Beroaldi, et Rhenani, exemplaribus impressis. Eas nec tunc desideraveris, si vulgatam hujus loci lectionem ita corrigas, atque explices, prout modo ostendi. Neque rationem satis idoneam excogitare possum, quæ his vocibus omittendis præbuerit occasionem. Sin retinueris lectionem vulgatam, quemadmodum nos jam retinuimus, eæ voces omnino necessariæ sunt ad explendam hujus loci sententiam. Formula alioqui perquam familiaris est Plinio; v. g. Paneg. XVIII. 2. 'Tutum est, reverentiam; tutum caritatem, mereri.' LIII. 3. 'Insectari malos principes, tutum est.' LVI. 7. 'Imminere minacibus ripis, tutum quietumque,' &c. *Schwarzius.*

Dinumerati] Utra pars præpolleret. Neque enim hoc ad infrequentiam senatus retulerim, cum ad impediendum decretum dicebatur, 'Numera senatum.' Festus, in iis vocibus. *Lips.*

Dinumerati] Dinumeratis sententiis, consul eam, in quam plures pedibus ierant, pronunciabat, 'Hæc pars major videtur.' Sen. de Benevol. cap. ult. Sic διαριθμεῖν τὰς γνώμας ab Appio decemviro postulavit Lucius Cornelius apud Halicarnass. lib. XI. Alias 'sententiæ eo plerumque inclinant, quo inclinat rex.' Consule Gruter. Discurs. cap. 37. Tacit. Annal. I. 74. *Bern.*

Dinumerati sumus] Quibus de caussis numerari solitus sit senatus, docet Festus de Verborum Significatione: 'Numera senatum, ait quivis senator consuli, cum impedimento vult esse, quo minus faciat senatusconsultum, postulatque, ut aut res, quæ referuntur, dividantur, aut singuli consulantur; aut si tot non sint senatores, quo numero liceat præscribi senatusconsultum.' *Schwarz.*

Non prima] Imperatoris, vel ejus, cui ex ejusdem jussu primus loquendi locus contigisset. *Patarol.*

Non prima] Vide tyrannos, quibus senatus pro imagine aut umbra erat: unum dicere ex composito jubebant, et quod ipsi vellent; atque unum tantum. *Lips.*

Sed melior] Fortasse per accidens; nam et tunc in ea ipsa Marii Prisci caussa, de qua loquitur Plinius, rectum existimatum id est, quod pars major censuerat. Jam vero, quod Seneca de Vita Beata, c. 2. ait: 'Non est, quod mihi illud, discessionum more, respondeas, Hæc pars major esse videtur; ideo enim pejor est: non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora plurimis placeant.' Questus est ipse Plinius, numeratas tunc quoque sententias, non ponderatas esse. Lib. enim II. Epist. 12. 'Sed hoc pluribus visum est. Numerantur enim sententiæ, non ponderantur: nec aliud in publico consilio potest fieri. Nam cum sit impar prudentia, par omnium jus est.' Sic idem, Epist. V. 13. 'Singulos, integra re, dissentire fas est; peracta, quod pluribus placuisset, cunctis tuendum.' Cum itaque Plinius nihilo minus dicat, tunc vicisse 'sententiam meliorem;' nescio an non hoc loco loquatur oratorie, ita, ut huc quodammodo referre possim, quod Cicero de rhetoribus dixit, in Bruto, cap. 11. 'Concessum est rhetoribus, ementiri aliquando in historiis, ut aliquid dicere possint argutius.' *Schwarz.*

At quis antea loqui . . . audebat] Plinius de temporibus Domitiani, Epist. VIII. 14. 'Iidem nos prospeximus curiam, sed curiam trepidam et elinguem; cum dicere, quod velles, periculosum, quod nolles, miserum esset,' &c. In codice Patavino, et libro Vossiano, pro *At quis*, legitur *Et quis;* in Parisiensi, et utroque Veneto *Aut quis;* sed nihil vides, nisi

errata librariorum. *Idem.*

Sedentariam assentiendi necessitatem] Sub malis principibus necesse habebant senatores, quamvis inviti, cum censerent, assentiri uni illi, qui ex composito id unice, quod voluissent ii principes, censuerat. Vocat Plinius *mutam et sedentariam assentiendi necessitatem*, a modo assentiendi: quia apud Romanos in senatu interrogati sententiam variis modis assensum suum præbuere. Complectitur plures mores Vopiscus in Aureliano, c. 20. 'Interrogati plerique senatores sententias dixerunt; deinde, aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in sententiam euntibus, plerisque verbo consentientibus, conditum est senatusconsultum.' Nimirum senatores, qui interrogati sententiam dicere volebant, exsurgebant e suis sedibus, et stantes dicebant; at, cum dicendi finem fecissent, adsidebant. Inde Sallust. Catil. LI. 1. 'Postquam Cato adsedit.' Quia vero non omnes senatores longa oratione dicebant sententiam; plurimi huic alterive sententiæ jam dictæ 'assentiebantur;' idque sedentes, vel uno verbo, 'adsentio' paucisve aliis pronunciatis. Idem Sallust. Catil. LII. 1. 'Postquam Cæsar dicendi finem fecit, ceteri verbo, alius alii, varie assentiebantur.' Similiterque 'sedentes,' aut 'nutu,' aut 'porrecta et elevata manu,' assensum suum significabant. Cic. Fam. v. 2. 'Nulla est a me unquam sententia dicta in fratrem tuum; quotiescunque aliquid est actum, sedens iis assensi, qui mihi lenissime sentire visi sunt.' Tacit. Hist. IV. 4. 'Ea omnia Valerius Asiaticus, consul designatus, censuit. Ceteri vultu manuque; pauci, quibus conspicua dignitas, aut ingenium adulatione exercitum, compositis orationibus assentiebantur.' Sed et alii, sine dicta sententia, pedibus se conferebant ad eorum partes, quibus assentiebantur: unde dicti sunt, 'ire,' sive 'pedibus ire,' sive 'discedere in alicujus sententiam,' 'accedere alicui,' &c. Sallust. Catil. L. 4. 'Tum D. Junius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat, ... supplicium sumendum decreverat: isque postea permotus oratione C. Cæsaris, pedibus in sententiam Tib. Neronis iturum se dixerat.' Ad quem locum vide Cortium. Liv. XXVII. 34. 'Censores M. Livium (antea ignominiose damnatum) tonderi, et squalorem deponere, et in senatum venire, ... coëgerunt. Sed tum quoque, aut verbo assentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat, donec cognati hominis eum caussa stantem coëgit in senatu sententiam dicere.' E quibus satis intelliges, cur Plinius *mutam*, cur *sedentariam*, dixerit *assentiendi necessitatem.* Alias etiam 'sedentarii' opifices dicuntur, qui sedendo operam suam peragunt. Inepti librarii hanc vocem varie corrupere apud Plinium: in codice Veneto *edentariam;* in Salisburgensi *silentiariam*, in meo *sedentiarum*, effinxere. Sic et in antecedentibus verbis, *miseros illos*, pronomen *illos* in codice Guelpherb. omissum; et pro *primi interrogabantur*, scriptum est *primum interrogabantur.* In sequentibus verbis, pro verbo *perpetiebantur*, Puteolanus edidit *petebantur;* et æque mendose librarius in codice Patavino *perpetrabantur* reposuit. *Idem.*

Sedentariam] Cum nec interrogarentur, nec surgerent ad dicendum; sed nec (ut in pluribus sententiis) discessio fieret. 'Sedentes' igitur assentiebantur: quomodo? manu aut voce. Nempe illa sublata, et hanc in unum verbum solventes, 'Assentio,' aut 'Idem.' *Lips.*

Unus solusque] A principe jussus loqui, ideoque etiam sententiam suam pronuntiare coactus ad ejusdem mentem, quam inde omnes sequi tenebantur, seu pedibus, seu voto; cum tamen interne eandem improbarent,

utpote iniquam et legibus dissonam. *Patarol.*

Fortasse] Syllabam retraham, *At fortasse.* Lips.

Fortasse imperator] Non video, cur Lipsius retrahere voluerit syllabam, ut fieret, *At fortasse imper.* Cui conjecturæ nec ullus suffragatur liber. Et librarii mendum est, qui pro voce *imperator*, in codice Guelph. rescripsit *imperium*. Schwarz.

Ad reverentiam ejus componebatur] I. e. quamdiu imperator (Domitianus) senatui intererat; forte ita se fingebat, ita formabat parabatque, ut senatum revereri videretur. Minus apte Catanæus hic cogitavit de lectica, qua Domitianus delatus sit in senatum. 'Componi res' proprie dicitur, quæ construitur, et in decentem ordinem redigitur. Eleganti formula dicitur de iis, qui ipsi se ad simulandum aliquid, aut dissimulandum, instruunt, ac comparant. Sic Plin. Epist. II. 20. de Regulo, ad gravitatem et dubitationem simulandam se parante, 'Componit vultum, intendit oculos, movet labra,' &c. Idem Epist. III. 16. de Fannia, dissimulante tristitiam, 'Se dolori dabat; satiata, siccis oculis, composito vultu, redibat.' Tacit. Annal. XIII. 20. 'Paris histrio tunc compositus ad mœstitiam.' Aliquando tamen dicitur et de iis, qui citra simulandi aut dissimulandi animum, vel studio, vel natura, ad aliquid parantur, et apti sunt. Quinctil. Instit. Orat. II. 8. 'Erit alius historiæ magis idoneus, alius utilis studio juris, alius compositus ad carmen.' Germani dicunt, *Er ist darzu aufgelegt.* Cic. Verr. I. 11. 'Perficiam, ut nemo unquam post hominum memoriam paratior, vigilantior, compositior ad judicium venisse videatur.' *Idem.*

Se recipiebat in principem] I. e. dimissa brevi modestiæ simulatione, redibat ad auctoritatem et potestatem principalem, ita, ut nihil ex consilio ac consensu senatus, omnia suo pro arbitrio, ageret. Sic dicimus, 'recipere se ad frugem,' et 'redire ad frugem.' 'Princeps' vero hic μετωνυμικῶς ponitur pro principali auctoritate et potestate, uti apud Sueton. Tib. cap. 33. 'Paullatim principem exseruit, præstititque.' Plinius supra, II. 8. 'Agnoscit, sentitque, sibi, non principi, dici.' Et mox in hoc capite, 'Nihil infra se putabat, nisi quod infra consulem esset,' i. e. infra consulis dignitatem. In codicibus Vaticanis 3461. et 1776. scriptum est *In imperatorem principem;* sed vox *imperatorem*, quam ex glossa irrepsisse puto, recte abest a ceteris libris omnibus. *Idem.*

Consularia officia abigere] I. e. omnes partes muneris et officii consularis missas facere, et quasi ex fastidio rejicere. Pro verbo *abigere*, Livineius maluit legere *abjicere;* prout Plinius supra, LXV. 3. dixit, 'consulatum abjicere per edictum.' Sed huic mutationi nullus liber favet, atque utrumque verbum, *abigere* et *abjicere*, rem eandem potest notare; quod recte animadvertit Arntzenius. *Abigere* est quasi per vim, aut contemtum, res personasve nobis ingratas ac molestas repellere. Sic dicuntur 'muscæ abigi,' Phædr. IV. 23. Plinius supra, XLI. 1. dixit, 'delatores abegisse.' Horat. Epist. I. 15. 19. Vinum 'generosum et lene requiro, Quod curas abigat.' *Idem.*

Consularia officia] Quæ complexus Ovid. ad Sext. Pompeium: 'Aut reget ille suos, dicendo jura, Quirites, Conspicuum signis cum premet altus ebur: Aut populi reditus positam componet ad hastam, Et minui magnæ non sinet urbis opes; Aut ut erunt patres in Julia templa vocati, De tanto dignis consule rebus aget: Aut feret Augusto solitam natoque salutem, Deque parum noto consulet officio.' *Bern.*

Abigere] Forte, *abjicere.* Livin.

Ille vero] Mirum est, cum Plinius de Trajano præsente loquatur, cur non, sicut in principio hujus capitis, principem in secunda persona alloqui pergat; aut cur non saltem hoc loco pro *Ille vero*, dixerit *Hic vero*. An forte hoc factum ex eo, quod Plinius in limando hoc Panegyrico diu occupatus fuisse, et ei alias sententias demsisse, alias inseruisse, videtur? Qua de re dixi non nihil supra, ad cap. 39. In Vossiano libro, et codice Patavino, voces hæ sic transponuntur, *Ille vero consul ita, &c.* Schwarz.

Infra consulem] In antiquis editionibus Puteolani, Beroaldi, Aldi, Juntæ, Cuspiniani, Rhenani, Philomusi, proditum est *infra eos;* quam lectionem etiam recenter admisit Arntzenius, eamque superstites Mss. codices, quorum mihi copia facta est, præter unicum, repræsentant omnes. At jam Catanæus, in prima quidem editione, omissa voce *consulem*, ediderat *nisi quod infra esset;* in subsecutis autem editionibus evulgavit *nisi quod infra consulem esset.* Atque hanc ipsam lectionem publicarunt quoque Cratander, R. et H. Stephani, Gryphius, Ascensius, Sichardus, Gruterus, pluresque subsecuti editores. Et recte jam Livineius in margine monuit, pro *eos*, eximie legi *consulem*, ac fontem mendæ esse obvium. Veteres nempe, quod vulgo constat, si siglis, compendiosæ scripturæ caussa, uterentur, vocabulum *consul* in omnibus casibus singularis numeri, per has solas literas COS. atque in omnibus casibus pluralis numeri per COSS. designarunt. Id librarii postea etiam in Gothica scriptura, et minore charactere, aliquando sunt imitati, ut scriberent *cos.* quo modo hoc nomen evidenter expressum est in unico codice Salisburgensi, ubi denotat *consulem*. Quas siglas cum non attenderent intelligerentque rudiores librarii, illud *cos.* perperam converterunt in *eos*. Hinc illa corruptela tot libros inquinavit. Cum igitur, agnito erroris fonte, veram et commodissimam vocem Plinio vindicamus, non obtrudimus invito Plinio, quod censuit Arntzenius, id, quod modo nobis elegantius videtur; sed Panegyricum Plinii a manifesto mendo librariorum, et ab insolenti loquendi ratione, cujus nonnulli commentatores nimis videntur amantes, jure meritoque liberamus. *Idem.*

Infra consulem esset] *Infra eos esset* Livin. in textu; sed in margine, *infra consulem esset* G. eximie et fons obvius mendæ.

Præcursorum] Apparitorum, et anteambulonum. *Lips.*

Præcursorum tumultus] In codice Patavino, et meo, item et in libro Vossiano, non *præcursorum*, sed *percussorum*, scriptum est; sed recte locum suum tot reliquorum librorum consensu tuetur lectio vulgata. Præcursores enim, ut bene interpretatur Lipsius, erant præambulones, et apparitores, qui, ut viam aperirent præmunirentque principi incedenti, turbam submovebant. Alioqui 'præcursores' etiam in militia dicebantur milites quidam expediti, qui ante signa præcurrerent. Salmas. de Re Milit. Rom. cap. 13. Apud Cic. Verr. v. 41. 'præcursores' conjunguntur cum 'emissariis,' qui emittuntur, aut subornantur, aut vexandi alterius caussa, aut arcana aliorum cognoscendi. *Schwarz.*

In limine] Dubites, utrum in limine domus suæ, sive palatii, ubi habitabat; an in limine curiæ, Trajanus consultasse dicatur aves. Utique magistratus Romani videntur consuevisse rem divinam facere, atque aves, aut exta, consuluisse, priusquam ingrederentur curiam. Appianus Alexandr. de Bell. Civil. l. II. p. 501. ubi cædem Julii Cæsaris commemorat, ait, quendam Cæsari, 'ante curiam sacrificanti,' obtulisse tabellas, insidiarum indices; sed illum ni-

hil moratum statim introiisse. Mox idem Appianus diserte narrat, fuisse morem magistratibus curiam intraturis, prius οἰωνίζεσθαι, *aves consultare*, sive auspicum opera uti. Etiam Sueton. Cæs. cap. 81. refert, Cæsarem, pluribus hostiis cæsis, cum litare non potuerit, introiisse curiam, spreta religione. Alius vero quodammodo ritus erat, quem, referente Sueton. Aug. cap. 35. instituit Augustus, ut senatores prius, quam considerent, ture ac mero supplicarent apud aram ejus Dei, in cujus templo coiret senatus. Putavit Lipsius, id fortasse etiam fieri potuisse in 'auguratorio,' quod Aur. Victor posuerit in regione palatii. Sed videntur Romani privatis etiam auguriis aliquando usi esse. Narrat Plutarchus in Vita Tiberii et Caii Gracchi, pag. 832. Tiberium Gracchum, tribunum plebis, ea die, qua cæsus est, antequam in capitolium, ad concionem populi ibi habendam, et ad leges suas ferendas, domo prodierit, simulac illuxerit, adhibuisse pullarium cum avibus, et escam eis objecisse, &c. De hujusmodi pullario disserit Cic. de Divin. II. 34. 'Attulit in cavea pullos is, qui ex eo ipso nominatur pullarius. Hæ sunt igitur aves, internuntiæ Jovis. . . . Cum pascuntur, necesse est, aliquid ex ore cadere, et terram pavire; terripavium primo, post terripudium, dictum est; hoc quidem jam tripudium dicitur. Cum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nuntiatur.' Festus de Verbor. Signific. sub voce 'puls:' 'Bonum augurium esse putabant, si pulli, per quos auspicabantur, comedissent; præsertim, si iis edentibus aliquid ab ore decidisset.' Quin et 'tripudium solistimum,' auspicium ad rem suscipiendam optimum esse, docet Servius ad Virgilii Ecl. VIII. 30. Neque tamen nego, etiam tunc ex volatu et voce avium capi auspicium potuisse. Interim probabilius mihi videtur, Trajanum tunc in limine palatii, antequam egrederetur, aves consultasse. In codice Vaticano 3461. et Guelpherbytano, pro *consultare*, scriptum est *consalutare*; et in codice Patavino, ac libro Vossiano, pro voce *monitus*, *monita*. Idem.

Consultare] Notetur, an de more publico, an Trajani privato? Nihil sane rei majoris, nisi auspicato, Romani aggrediebantur: quod tamen in domus egressu id semper factum, haud subeunt nunc exempla. Nisi istuc facit, quod Victor in Regione Palatii 'auguratorium' ponit. At potuit privatim, et ex more suæ gentis deditus huic superstitioni esse; nam in Alexandro Lampridii legas, 'ὀρνεοσκόπος (*augur*) magnus fuit, ut et Vascones, et Hispanorum et Pannoniorum augures vicerit.' *Lips.*

Consultare] Ex religione, ad auguria captanda. *Paterol.*

Perturbabatur] Forte, *proturbabatur*. Livin.

Submovebatur] A lictoribus, vel ab ipsa officii turba. Lucanus, seu quis alius, ad Pisonem: 'nec enim tibi dura clientum Turba rudisque placet, misero quæ freta labore, Nil nisi summoto novit præcedere vulgo.' *Lips.*

Nemo perturbabatur] Hæ duæ voces exulant e meo codice; quæ vero in ceteris omnibus inveniuntur. Livineius in margine editionis suæ annotaverat, pro *perturbabatur*, forte legendum *proturbabatur*. Et sane nihil insolitum est, istas præpositiones, *pro*, *per*, et *præ*, in compositione, propter scribendi compendia, sæpe confundi. Lipsianæ editiones, item Berneggeriana, Hackiana et Gesneriana, amplexæ sunt *proturbabantur*; at, si quid judicare possum, sine auspicio alicujus codicis, et sine necessitate. Non est dubium, quin per verbum 'proturbare' major quædam vis et impetus depellendi, quam per solum

verbum 'submovere' denotetur. Itaque credo, tunc demum cum verbo 'submovere' apte conjungi posse verbum 'proturbare,' si hoc illi hunc in modum subjungatur, *Nemo submovebatur, nemo proturbabatur*. Quam vero collocationem in nullo libro deprehendimus. Retinemus igitur verbum *perturbabatur;* nam homines etiam multitudine comitantium, et solo clamore ac strepitu lictorum, aliorumve apparitorum perturbari et terreri potuerunt, etsi nondum submoverentur. Hinc Plinius infra, LXXXIII. 7. de uxore Trajani: 'Quam parca comitatu! quam civilis incessu! . . . An, cum videat, quam te nullus terror, nulla comitetur ambitio, non et ipsa cum silentio incedat?' *Schwarz.*

Tanta viatoribus quies, tantus pudor fascibus] I. e. tam quieti viatores; tam modesti, et silentes ac quasi pudibundi, lictores, qui fasces præferebant! De *viatoribus* huc referam, quæ jam annotavit Cellarius: 'Viatores,' i. e. apparitores, ministri publici, et ipsi forte lictores. Alibi tamen distingui 'viator' et 'lictor' videntur; et apud Liv. II. 56. tribunus 'viatorem,' consul 'lictorem,' mittit. Proprie autem hi ministri 'viatores' dicti, qui senatores e villis et rure in senatum arcessebant, ut Tullius de Senectute, c. 16. et Columella Præfat. Operis, p. 7. id nomen interpretantur. Cf. quæ supra, ad XXIII. et ad LXI. annotavimus. Confer etiam Pataroli notam. *Idem.*

Viatoribus] Magistratus olim Romani, jam publicis muneribus defuncti, agriculturæ operam dabant extra Romam, cumque publicum consilium desiderabatur, a villis arcessebantur in senatum, ex quo, qui arcessebant, dicti 'viatores.' Columell. in Præfat. lib. XV. Plin. N. H. XVIII. 3. Cic. de Senect. Erant ergo 'ministri publici,' Græcis κλήτορες, jurisconsultis aliquando 'ministeria,' nonnunquam 'officia' et 'officiales,' interdum 'executores' lib. I. cap. fil. official. sæpissime 'apparitores.' Valgius Ruffus apud A. Gell. XII. 3. eosdem fere existimat esse cum lictoribus, et hos ex illorum collegio: Livius tamen lib. II. 'viatores' tribunis, 'lictores' consulibus adsignat: nec aliter Varro in rerum humanarum l. XXI. apud Agell. XIII. 12. 'In magistratu,' inquit, 'habent alii vocationem, alii prehensionem, alii neutrum.' 'Vocationem,' ut cons. et ceteri, qui habent imperium: 'prehensionem,' ut tribuni plebis, et 'alii, qui habent viatorem: neque vocationem, neque prehensionem, ut quæstores et ceteri, qui neque lictorem habent, neque viatorem.' *Bern.*

Fascibus] Lictoribus fasces deferentibus. Differebant autem 'viatores' a 'lictoribus:' primo, quia 'lictores' ligabant, et securi etiam feriebant; 'viatores' autem non item: deinde, quod 'lictores' consulum fere, et prætorum, tantum erant; 'viatores' autem etiam minorum magistratuum: tertio, quia 'lictores' magistratum solum anteibant; 'viatores' autem hac illacque cursitabant, etiam extra urbem, ad hos vel illos accersendos. *Patarol.*

Aliena] Occurrentis divitis alicujus, aut magistratus. *Lips.*

Ipsius quidem officium] I. e. Ipsius Trajani comitatus tam modicus, &c. *Officium* hoc loco μετωνυμικῶς notat eos, qui ex officio comitabantur principem; uti apud Sueton. Claud. c. 2. 'Sine solenni officio,' i. e. comitatu et honore, 'lectica in capitolium latus est.' Ovid. ex Ponto, IV. 4. 41. 'Inde domum repetes, toto comitante senatu, Officium populi vix capiente domo.' Aliquando *officium* etiam pro solis officialibus ac ministris magistratuum dici consuevit. In codicibus Parisiensi, Salisburgensi, Veneto 1. Patavino, et libro Vossiano, item in Puteolani, et Beroaldi, editionibus,

omissa particula *tam*, proditum est *officium modicum;* at in codice Parisiensi, et aliis quibusdam, etiam copula *que* adjungitur sequenti particulæ, *tamque temperatum;* quam copulam lubens admisi. *Schwarz.*

Officium] Ipsi, qui deducunt, aut comitantur. Ovidius: 'Substitit hic, agmenque suum turbæque sequentis Officium, placido visus dimittere vultu.' Suetonius, Seneca, alii. *Lips.*

Modicum] Non frequens aut magnum: ut divites illi agmina tota solent trahere. *Idem.*

Aliquis magnusque consul] *Aliquisque magnus consul* Livin. in textu; sed in margine, *aliquis magnusque consul* V.

Antiquus aliquis magnusque consul] *Consul magnus*, qualis erat in pristina reipublicæ libertate. Olim vulgo editum est, *antiquus aliquisque magnus consul.* Verum in codicibus Vatic. Parisiensi, Salisburgensi, Guelphico, et utroque Veneto, copula *que* sequenti voci *magnus*, idque commodius, subjungitur. Denique, in codice Vaticano 1475. in Patavino, et libro Vossiano, item et in Puteolani, Beroaldi, Philomusi, ac Rhenani libris impressis, pro verbo *incedere*, vitiose proditum est *intercedere.* Schwarz.

Incedere videretur] *Intercedere videretur* edit. Rhenan. sed *incedere videretur* Faber.

Cap. lxxvii. *Iter illi sæpius*] Pronomini *illi*, quod respicit Trajanum, inertes librarii literam *s*, forte ex initio sequentis vocis *sæpius*, affricuere; unde in codicibus Mss. Parisiensi, utroque Veneto, Salisburgensi, Patavino, et libro Vossiano, pro *illi*, legitur *illis;* quod mendum etiam in Puteolani librum transfusum est. Vocabulum vero *iter*, a supino 'itum,' verbi 'eo,' dictum, modo locum, per quem itur, modo actum et laborem eundi, modo jus eundi, notat. Si locum eundi, modo longum et peregrinum significat; ut est apud Plin. Epist. ii. 17. 'Iter arenosum, gravius et longius:' modo significat breve iter, etiam intra ipsam urbem: sicut enim urbs Roma in quatuordecim regiones ab Augusto divisa erat; ita quævis regio etiam certa itinera, sive loca, habebat, per quæ iretur, quæ et dicta sunt 'plateæ.' Tacit. Annal. xv. 38. de hujusmodi itineribus veteris urbis: 'Obnoxia,' inquit, 'urbe arctis itineribus, hucque et illuc flexis.' Plinius supra, lii. 6. 'Ingentes hostiarum greges per capitolinum iter, magna sui parte velut intercepti, divertere via cogebantur.' Seneca Epist. 31. simul de urbanis et peregrinis itineribus: 'Turba servorum lecticam tuam per itinera urbana ac peregrina portantium.' Deinde *iter* actum eundi et proficiscendi, cum in urbe, uti in hoc Plinii loco; tum extra urbem et in peregrinis terris, significat. Sic Plinius Paneg. xx. 1. 'Iter inde placidum ac modestum.' Quo pertinent etiam formulæ Plinianæ: 'itineri præparari,' 'iter facere,' 'iter peragere,' &c. Terent. Phorm. iii. 3. 34. de itu in urbe, 'Dicam in itinere.' Phædrus de Æsopo, circumeunte domos in urbe, iii. 19. 'Tum circumeunti fuerat quod iter longius, Effecit brevius: namque recta per forum Cœpit redire.' Tandem *iter* etiam designat jus eundi; v. g. apud Cic. pro Sex. Rosc. Amer. c. 9. 'Ne iter quidem ad sepulcrum patrium reliquit.' Pomponius de Sepulcro Violato, l. 6. 'Legibus prædiorum vendundorum cavetur, ut ad sepulcra, quæ in fundis sunt, iter ei, aditus, ambitusque, funeris faciundi caussa sit.' Hinc servitutes itineris ad sepulcrum, apud jurisconsultos; qui, ubi de servitutibus prædiorum agunt, etiam solicite *iter*, a 'via,' et 'actis,' distinguunt. Cf. præter alios, Bynkershœck Observat. Juris Rom. cap. iv. 7. De translatis significationibus vocis 'itineris' nihil attinet hoc loco agere. *Schwarz.*

Iter illi] *Iter illis* edit. Rhenan. sed *Iter illi* Faber.

Sæpius] Bene. Nusquam frequentior sit, quam ubi se consulem ostendat, et juris distributorem: fruendæ enim justitiæ caussa, uti olim reges, sunt constituti. Cic. Offic. II. 12. Hinc Homerus eos vocat δικασπόλους, θεμιστοπόλους. Adde Lips. in Monit. Pol. II. 9. *Bern.*

In forum] Ad jus dicendum. *Lipsius.*

In forum] Ad caussas audiendas, jusque civibus præstandum. *Patarol.*

In forum, . . et in campum] In campum Martium ibat Trajanus, ut comitia obiret; in forum, ut jus diceret. De campo Martio non nihil supra dixi ad LXIII. 2. Librarius, in codice Patavino, particulam *tamen* in *tum* mutavit, et sic ista verba interpunxit, *Iter illis sæpius: in forum frequenter, tum et in campum.* Sed nihil hic mutandum censeo. Quamvis Trajanus non tanquam imperator, sed tanquam consul, hic dicatur forum campumque frequentasse; imperatores tamen, si vellent, non solum in curia senatorum cognitionibus intererant, sed etiam in foro interveniebant prætorum judiciis, atque aliquando in eodem tribunali sedebant; immo interdum etiam domi jus dicebant. Sueton. Aug. c. 33. 'Ipse jus dixit assidue, et in noctem non nunquam: si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans.' Ad quem locum vide Casaubonum. Tacit. Annal. I. 75. de Tiberio: 'Nec patrum cognitionibus satiatus, judiciis assidebat, in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret.' Sueton. Claud. c. 14. 'Jus, et consul, et extra honorem, laboriosissime dixit, etiam suis suorumque diebus solennibus,' &c. Etiam Dio Cassius l. LX. p. 667. refert, Claudii tantam assiduitatem in jure dicendo fuisse, ut singulis ferme diebus, aut cum toto senatu, aut solus, in foro quidem utplurimum, sed et alibi, sedens pro tribunali jus reddiderit. Sueton. Domit. c. 8. 'Jus diligenter et industrie dixit. Plerumque et in foro pro tribunali extra ordinem ambitiosas centumvirorum sententias rescidit,' &c. Vide, quæ ad LXXX. 1. de cognitionibus annotabimus. *Schwarzius.*

In campum] Martium, ubi comitia habebantur, et consules, aliique magistratus, renuntiabantur. *Patarol.*

Comitia consulum] I. e. comitia consularia, in quibus novi, et jam destinati, consules solenniter creabantur, et renuntiabantur. Quid tunc in ejusmodi comitiis agi consueverit, copiose exposui ad LXIII. 1. *Schwarz.*

Ipse; et tantum] *Ipse tantum* Livin. in textu; at in margine, *ipse et tantum* R.

Et tantum ex renuntiatione] In Lipsianis, Gruteri, Parisiensium, et Pataroli editionibus, copula *et* præmittitur voci *tantum*; quam copulam *et* recepi; quia ab ultima litera pronominis *ipse*, atque a prima litera vocis *tantum*, absorpta fuisse videtur. Sic et in codice Patavino, et libro Vossiano, pro *quantum prius*, legitur *quam prius*; quod posset locum habere, si non plures codices faverent lectioni vulgatæ. Novi vero consules, uti tunc in curia a principe, quasi suffragantibus et consentientibus patribus, 'destinabantur honori;' i. e. magistratu hoc digni censebantur; ita deinceps in campo Martio, ab eodem principe, solenniter renuntiabantur, sive declarabantur. Unde Plin. Paneg. XCII. 3. 'Tuo judicio consules facti, tua voce renuntiati sumus: ut idem honoribus nostris suffragator in curia, in campo declarator, existeres.' Confer eandem notam ad LXIII. 1. Putes, hic *destinationem* pro *designatione* poni. Eadem notione Sueton. Domit. cap. 11. usus est participio 'destinatus:' 'Occidit Flavium Sabinum, quod eum comitiorum con-

sularium die destinatum perperam præco non consulem ad populum, sed imperatorem, pronuntiasset.' Ipse Plinius noster, Epist. IV. 17. vocat C. Cæcilium 'consulem designatum;' mox de eodem dicit, 'hic ipse, cui destinatus est, honor,' &c. Idem Epist. X. 84. 'Ego a destinatis censoribus, quid sentirem, interrogatus.' Accurate tamen loquendo, discrimen videtur fuisse inter 'destinationem,' et 'designationem.' Etenim illi proprie 'destinari' magistratui dicebantur, qui adhuc saltem in curia a principe et senatu digni judicati erant, ut in campo Martio eligerentur, et crearentur, renuntiarenturque. 'Designati' autem 'magistratus' erant, qui jam in campo erant electi, et declarati; sed ut demum post aliquot menses munus suum inirent. Hinc toties apud historicos occurrunt 'designati consules,' 'designati ædiles,' et alii magistratus. Sic vero Plinius de destinatione in curia, ubi destinati acclamationibus excipiebantur, loquitur Paneg. XCV. 2. 'Vos proxime destinationem consulatus mei his acclamationibus approbastis.' Sic etiam 'destinari' apud Tacit. Hist. II. 1. aliquid minus est, quam eligi, aut designari: 'Materia sermonibus intemperantia civitatis, donec unus eligatur, multos destinandi.' *Schwarzius.*

Ex renuntiatione] Ex eorundem electione per suffragia civium, quæ iisdem liberum, in quem voluissent, conferre. *Patarol.*

Ex destinatione] Ex designatione; nam princeps faciebat; et nunc Trajanus, ut consul, ipse renunciabat. *Lips.*

Ut ipse] Cum esset candidatus consulatus. *Patarol.*

Ante consulis steterat] Nempe ante sellam curulem consulis. Vide LXIV. 1. 'Cum tu, mirantibus cunctis, accedis ad consulis sellam.' § 2. 'Imperator ergo, et Cæsar, et Augustus, pontifex maximus, stetit ante gremium consulis, seditque consul, principe ante se stante.' H. Stephanus, Boxhornius, Cellarius habent *ante consules steterat;* sed contra auctoritatem codicum Mss. et contra verba Plinii ex Paneg. LXIV. 2. modo excitata. *Schwarz.*

Ipse juraverat princeps] Vide idem c. LXIV. 1. 'Adigendum te præbes in verba principibus ignota.' § 2. 'Quin etiam consul sedens principi stanti præivit jusjurandum, et ille juravit, explanavitque verba, quibus caput suum, domum suam, si sciens fefellisset, Deorum iræ consecraret.' Adde etiam c. LXV. *Idem.*

Ut illud] *Ut id et illud* V. *Livin.*

Legum reverentia] Martialis Epist. X. 72. 'Non est hic dominus, sed imperator, Sed justissimus omnium senator.' *Bern.*

Ut principem] Cujus imperium omnibus magistratibus majus, quippe mitigare et intendere leges potest. *Idem.*

Respondebat] Codex Patavinus, et liber Vossianus, habent *credebat.* Schwarz.

Se consulem] Cujus jus est stare legibus, et omnia suis magistratibus cognoscenda remittere. At Claudius cuncta legum ac magistratuum munia in se trahebat. *Bern.*

Magistratus jus] Solita confusione quidam codices Mss. nempe Vaticanus 3461. Guelphicus, et Venetus 1. *vis* habent, ubi *jus* legi debebat. Sic et liber Vossianus, pro *imminuta,* profert *immutata.* In his verbis singularis laudatur moderatio Trajani, qui noluerit uti principis potestate in judiciis, cum contra de Augusto Tacit. Annal. I. 2. 'Munia senatus, magistratuum, legum, in se trahere, nullo adversante.' Et de Claudio idem Annal. XI. 5. 'Cuncta legum et magistratuum munia in se trahens princeps.' *Schwarz.*

Aucta etiam] In codice Parisiensi

scriptum est *aucta vero.* In codice Guelpherbytano hæ voces sic leguntur, *aucta equidem: pleraque, &c.* Perplacet lectio codicis Parisiensis; sed ob hujus solius auctoritatem, cum nulla urgeat necessitas, nolo dimittere lectionem vulgatam. Mox, ubi vulgo legitur, *ad prætores remittebat*, codex Vaticanus 3461. et Guelpherbytanus, habent singularem numerum *prætorem;* sed huic mutationi adversantur sequentia verba, 'ut collegas vocaret.' *Idem.*

Collegas vocaret] Olim Romæ omnes magistratus majores videntur 'prætores' dicti; vel quod ceteros honore præirent, vel quod aliis præessent. Asconius ad Cic. Verr. I. 14. 'Veteres omnem magistratum, cui pareret exercitus, prætorem appellarunt.' De consulibus sigillatim Cic. de Leg. III. 3. 'Regio imperio duo sunto; iique præeundo, judicando, consulendo, prætores, judices, consules, appellantor.' Cum vero consules frequentibus bellis avocarentur, peculiaris magistratus, qui 'prætor' audiit, creatus est A. U. 387. teste Liv. VI. 42. et quidem comitiis centuriatis, auspiciisque iisdem, quibus consules. Ob negotiorum autem multitudinem A. U. 510. etiam alter creatus est 'prætor,' qui 'peregrinus' audiit, quod inter cives et peregrinos jus diceret; uti ille, qui inter solos cives jus dicebat, 'prætor urbanus.' Livius Epit. lib. XIX. Postea et plures sunt creati. Julius Cæsar prætorum numerum ad sedecem auxit. Dio lib. XLIII. Auxit et Augustus numerum prætorum. Sueton. Aug. c. 37. Insignia prætoris fuere sex lictores cum fascibus, saltem extra urbem; alias duo. Censorinus de Die Nat. c. 24. 'M. Plætorius, tribunus, plebis scitum tulit, in quo scriptum est, Prætor urbanus, qui nunc est, quique posthac fuat, duos lictores apud se habeto, isque usque ad supremam jus inter cives dicito.' Val. Max. I. 1. 9. 'Qui prætor, a patre suo, collegii Saliorum magistro, jussus, sex lictoribus præcedentibus arma ancilia tulit.' Ad insignia prætorum pertinuit etiam toga prætexta, sella curulis, et tribunal; item hasta, et gladius: quorum indicia faciunt, Liv. VII. 1. Tacit. Annal. I. 75. Seneca de Brevitate Vitæ, cap. 11. Quia vero prætores orti erant e consulari munere, et auspicia multaque insignia cum consulibus habebant communia; hinc appellati sunt 'collegæ consulum.' Liv. VII. 1. ubi de origine præturæ et curulis ædilitatis agit: 'Patricios magistratus curulibus sellis prætextatos, tanquam consules sedentes, nobilitas sibi sumsit; prætorem quidem etiam jura reddentem, et collegam consulibus, atque iisdem auspiciis creatum.' Quanquam deinde hic honos etiam cum plebe communicatus est; cum A. U. 417. Q. Publius Philo primus e plebe prætor fieret; ut Livius auctor est, VIII. 15. De prætoribus, collegis consulum, Cic. Attic. IX. 9. 'Prætores autem ita rogantur, (creantur) ut collegæ consulum sint; quorum majus est imperium.' Gellius XIII. 15. ex M. Messalæ auguris libris de auspiciis: 'Collegæ non sunt censores consulum, aut prætorum; prætores, consulum sunt. .. Prætor, etsi collega consulis est, neque prætorem, neque consulem, jure rogare potest; ut quidem nos a superioribus accepimus, aut ante hæc tempora servatum est: quia imperium minus prætor, majus habet consul, et a minore imperio majus, aut major collega, rogari (i. e. creari) jure non potest.' Vide reliqua apud Gellium. Itaque Trajanus antiqui juris videri voluit retinentissimus; quoniam, dum consul esset, prætores etiam collegas compellare dignatus est. *Idem.*

Prætores] Magistratus summæ auctoritatis in urbe, qui jus assidue *dice-*

bant, omnibusque, tum urbanis, tum provincialibus rebus, præerant, singuli vel istis, vel illis: unde et prætores urbani, et peregrini, a prima institutione vocati. Primo quidem unus tantum prætor fuit, qui urbanus; mox additus peregrinus. Rebus inde cum imperii magnitudine crescentibus, usque ad decem et octo creatos legimus. De ipsorum dignitate Lucanus lib. III. 'Non proxima (consuli) lege potestas Prætor adest.' *Patarol.*

Ut collegas vocaret] Messalla de auspiciis apud Agellium XIII. 14. 'Maxima auspicia sunt consulum, prætorum, censorum. Neque tamen eorum omnium inter se eadem, aut ejusdem potestatis, ideo quod collegæ non sunt censores consulum, aut prætorum, prætores consulum sunt.' Iterum: 'Prætor etsi collega consulis est, neque prætorem neque consulem rogare jure potest.' Ipse Agellius, 'sed et collegam esse prætorem consuli docet, quod eodem auspicio creantur.' *Livin.*

Ut collegas] Messallæ verba vide apud Agellium XIII. 14. quibus docet, 'Collegam esse prætorem consuli, quod eodem auspicio creantur.' *Lips.*

Ut collegas] Cum consules avocarentur bellis finitimis, neque esset, qui in civitate jus reddere posset, factum, ut prætor quoque crearetur, qui urbanus appellatus est, quod in urbe jus dicebat. Cic. Fam. X. 12. Liv. lib. XXXIII. Dio, lib. LVIII. Pomp. lib. II. et de Orig. Jur. Hic alter fere consul, sed apparatu minori. *Bern.*

Ita sentiebat] Et quidem prætores consulum collegæ dicebantur, ut est apud Gell. III. 15. *Patarol.*

Tantum dignationis] *Tantumque dignationis.* Livin.

Non amplius] Id est, tanto faciebat honorem præturæ, ut non pluris æstimaret 'collegam principis' dici, quam 'prætorem.' *Lips.*

Non amplius] I. e. non majus, sive præstantius. Plin. Epist. II. 13. 'Licet tribuas ei, quantum amplissimum potes; nihil tamen amplius potes amicitia tua.' Idem Epist. III. 21. 'Dedit enim mihi quantum maximum potuit, daturus amplius, si potuisset.' In codice Patavino, pro *esse censeret*, scriptum est *cresceret.* Schwarz.

Ad hoc] I. e. præterea. Sic legimus in codicibus Vaticanis, Parisiensi, Venetis, Guelphico, Patavino, et libro Vossiano; ut taceam nunc libros excusos. In quibusdam tamen est, *ad hæc.* Nihil quidem refert, utram amplectaris lectionem, et in tanta confusione codicum difficile est definire, quam lectionem e calamo auctoris profluxisse credas. Interim jam Goclenius Observat. Linguæ Latinæ, pag. 81. docuit, *ad hoc*, pro 'præterea,' esse Livii, Sallustii, et Taciti. His addere etiam potes Plinium, quamvis, cum in Panegyrico, tum in Epistolis ejus, promiscue, *ad hoc*, et *ad hæc*, positum animadvertas. *Idem.*

Ad hoc] *Ad hæc* Livin. in textu; sed in margine, *Ad hoc* V.

Assiduus] Prisco more, et Augusti exemplo, de quo Suetonius: 'Ipse jus dixit assidue, et in noctem non nunquam: si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans.' Mos in principe numquam satis laudandus. *Lips.*

Labore refici] Equidem Servius, apud Cic. pro Murena, cap. 9. dicitur putasse, 'consulatum esse assiduitatis et operarum quotidianarum;' ipse tamen Cic. ibidem: 'Ista,' inquit, 'nostra assiduitas, Servi, nescis, quantum interdum afferat hominibus fastidii, quantum satietatis.' Nihilo minus Trajanus tam forti et generoso fuit animo, ut istiusmodi consulatus labore non fatigari, sed refici, videretur. Recte ergo Seneca Epist. 81.

dixit, 'Generosos animos labor nutrit.' *Schwarz.*

Idem sudoris insumit] Pro simplici verbo *sumit*, quod vulgo editum est, elegantius compositum, *insumit*, occurrit in codicibus Mss. Vaticano 3461. Parisiensi, et utroque Veneto. Cujus verbi vestigia etiam relicta sunt in depravata scriptura codicis Guelpherbytani, Salisburgensis, et mei. In illo enim exaratum est *insunt;* in his duobus *insinuit;* in Patavino *insinuavit*. Idem verbum, *insumit*, ex vetere codice annotavit Livineius, et in margine posuit H. Stephanus; recteque jam in contextum admisere Gryphius, Sichardus, Arntzenius. Sic Quinctil. Instit. Or. III. 4. 'Plurimum in consiliis ac judiciis insumebatur operæ.' Tacit. Annal. XVI. 23. 'Quia portui Ephesiorum aperiendo curam insumserat.' In Dialogo de Orator. cap. 29. 'In notitia vel rerum, vel hominum, vel temporum, satis operæ insumitur.' Ipse Cic. de Invent. II. 38. 'Quid sumtus in eam rem, aut laboris, insumserit,' &c. *Idem.*

Insumit] *Sumit* Livin. in textu; sed in margine *insumit* V. G.

Deseruit] Vacat, et se impendit. *Lips.*

Deservit, aut sufficit] I. e. interprete Lipsio, *vacat, aut par est.* 'Deservire,' est valde, sive omnino, servire: præpositio enim, *de*, in compositione aliquando auget significationem simplicium verborum; ut in 'deamare,' 'demirari,' 'decertare,' 'devitare,' et in aliis generis ejusdem. Cic. Fam. XVI. 18. 'Indulge valetudini tuæ; cui quidem tu adhuc, dum mihi deservis, servisti non satis.' Plinius supra, L. 1. 'Nec unius oculis flumina, fontes, maria, deserviunt.' Idem Epist. VII. 7. 'Quod deservire studiis non potes.' Verbum 'sufficere' eleganter notat, parem esse, satisfacere. Sic Plinius infra, LXXX. 6. 'Fungeris enim, sufficisque mandanti.' VI. 23. 'Spondeo, sollicitudini tuæ, spei meæ, magnitudini caussæ, suffecturum.' X. 19. 'Filium inprimis suffecturum indulgentiæ tuæ,' i. e. interprete Buchnero, non imparem futurum sustinendis, quæ per indulgentiam tuam in eum confers. Statius Silv. V. Protrept. ad Crispinum: 'Vade, puer, tantisque enixus suffice donis.' Vide autem, quemadmodum argumentetur Plinius! Quis, inquit, expetitis honoribus, h. e. iis honoribus, quos multo studio expetiit, et ambiit, ita se impendit, iisdemque ita par est; uti imperator noster, Trajanus, deservit, et par est consulatui obeundo, quem tamen non nisi invitus et recusans suscepit? Nam supra, LX. 4. dixerat Plinius: 'His tot tantisque rationibus, quanquam multum reluctata verecundia principis nostri, tandem tamen cessit.' *Schwarz.*

Sufficit] Par est. *Lips.*

Quippe etiam Fortunæ videbatur] Ita omnes nostri consensu, V. excepto, in quo est *quippe omne Fort. &c.* Reponebam timide, *quippe enim Fort.*, ut supra dixerat, 'nempe enim hi sunt, quos senatus elegit.' Nunc sententiam muto, et originem mendæ ab exscriptorum compendiis repeto. Valde enim sunt vicina *oe*, *et*, quorum hoc 'etiam' valet, illud 'omne;' nam ecce haud longe infra, ubi est, *ævum omne, &c.* in V. exaratum est *ævum et*, vitiose. Panegyrico quoque incerti in Constantinum pro *omnem* itemque Pacati in Theodosium pro *omnes*, liquido et integre in V. B. *etiam* perscriptum. *Livin.*

Fortunæ videbatur indignum] In his verbis referendis sibi constant omnes libri typis excusi; at in scriptis occurrit quædam varietas. In codicibus, Vaticano 3461. Veneto utroque, Guelpherbytano, Patavino, et libro Vossiano, pro *fortunæ*, legitur *fortuna;* quæ vox prorsus omissa est in

Salisburgensi et meo codice. In Parisiensi, locus hic ita exprimitur: *Quippe etiam fortuna videbatur indignus, si posset honores dare, quos gerere non posset;* quæ lectio non inepta videtur, si cumprimis pro casu accusandi *quos*, resumatur casus nominandi *qui*. Nec dum tamen necessarium esse puto, ut lectio vulgata loco suo exturbetur. *Schwarz.*

Facturus consules doceat] Magnopere velim legere, *Facturus consules, consules esse doceat;* quia vero huic conjecturæ nullus addicit liber, satis est, vocem eam mente repetere. 'Docere' vero potuit Trajanus exemplo, consiliis, monitisque, quid esset, consules esse et agere. *Idem.*

Doceat] Exemplo suo, consules agere. *Lips.*

Accepturisque amplissimum honorem] Intolerabile erratum aliquot codices Mss. contaminavit, dum in Vatican. Venetis, Salisburgensi, Guelphico, Patavino, meo, et libro Vossiano, item et in excusis Catanæi et Philomusi *Accepturusque* legitur. Aliquantum tolerabilius librarius in codice Parisiensi reposuit *Accepturosque;* quod et in editionibus Puteolani, Beroaldi, Aldi, Cuspiniani, Juntæ, Rhenani, Cratandri, R. Stephani, Sichardi, Navii, occurrit: etenim, quod Arntzenius annotavit, nonnulli observarunt, veteres aliquando etiam casum quartum personæ cum verbo 'suadere' et 'persuadere' junxisse; v. g. 'quis te persuasit?' Qua de structura quippe egit Burmannus ad Phædr. I. 15. et ad Petron. cap. 46. Sed Plinium tam insolitam loquendi rationem sectatum esse, ego non credo; cum inprimis animadvertam, eum alibi constanter usitatam horum verborum structuram cum casu tertio retinere. Catanæus quidem in prima editione etiam prodiderat *accepturusque;* at in editionibus sequentibus veriorem lectionem, *accepturisque* promulgavit; quam etiam exhibuere, Gryphius 1542. H. Stephanus, Livineius, ceteri. Quod reliquum est, Plinius per *amplissimum honorem* designat consulatum. Etsi enim etiam ordo senatorius frequenter vocaretur 'ordo amplissimus;' (vide Plin. Ep. x. 3. 20. et 21.) tamen et consules vocabantur amplissimi, et consulatus præcipue appellatus est 'magistratus amplissimus.' Sueton. Aug. cap. 26. 'Tertium decimum consulatum biennio post ultro petiit: ut Caium et Lucium, filios, amplissimo præditus magistratu, suo quemque tirocinio duceret in forum.' *Schwarz.*

Quod daturus sit] Bene recteque se habet hæc lectio, in omnibus libris excusis evulgata, etsi enim pro hac legatur in codicibus Mss. Vatican. Venetis, Parisiensi, Guelpherbytano, Patavino, et libro Vossiano, *quod dabit;* hæc tamen variatio stare non potest. At in Salisburgensi codice, et meo, recte scriptum est, *quod daturus sit.* Idem.

Quod daturus sit] *Quod dabit* Vi Livin.

Sic fit, ut illi] *Sic, ut illi* Livin. in textu; sed in margine, *Sic fit, ut illi* V. C. G. R. forte, *fiet.* Recte Livin. inserit *fiet.* Ritt.

Sic fit] Navius et Livineius omiserunt verbum *fit;* quanquam hic in margine annotarit, se illud invenisse in vetere suo codice; item in Cuspiniani, Gryphii, et Rhenani, libris impressis; se tamen malle legere *sic fiet.* Etsi vero sic utique legatur in codice Parisiensi; retineo tamen lectionem vulgatam, quæ omnium, quos inspexi, ceterorum codicum Mss. suffragiis comprobatur. Plinius supra, LII. 1. 'Sic fit, ut Dei summum inter homines fastigium servent.' LXV. 1. 'Sic fit, ut tibi plus (licere) velimus.' Sed et cum futuro, XX. 5. 'Ita fiet, ut non absumat, quod pudeat edicere.' *Schwarz.*

CAP. LXXVIII. *Ut susciperes*] Codex Patavinus, et liber Vossianus, ha-

bent *ut acciperes;* sed minus apte; librarius enim non nisi ultimum verbum præcedentis capitis adhuc habuit in animo, *quid acceperint.* Quid vero frequentius Plinio, quam, 'suscipere consulatum, magistratum, imperium?' Ceterum, ingenti defectu laborat meus codex, et Salisburgensis; in utroque enim ab initio hujus capitis usque ad hæc verba, 'Hæc nempe intentio tua,' omnia desunt. In codice tamen Salisburgensi ista verba deficientia ab alia, eaque antiqua, manu postliminio margini sunt adscripta. *Schwarz.*

Rogavit et jussit] Erant ergo δεήσεις μεμιγμέναι ἀνάγκαις, ut Plato loquitur Epist. 7. πειθανάγκαι, ut Cic. Att. IX. 16. ut Suet. Tit. c. 5. 'Suppliciter nec non et minaciter efflagitare.' Germ. **ich bitt dich, du must es thun.** *Bern.*

Et jussit] 'Jubere' Donatus ad Terent. Andr. III. 3. 1. interpretatur, 'vehementer et firme velle;' et forte sic etiam dixit Cic. Fam. VII. 2. 'Valde jubeo gaudere te.' Sed Plinius id verbum omnino hoc loco refert ad 'imperium civile.' Atque idem etiam dixit supra, IV. 2. 'Parens noster privatas gratiarum actiones cohibet et comprimit; intercessurus etiam publicis, si permitteret sibi vetare, quod senatus juberet.' Tritum est, alias in republica libera, senatum Romanum 'censere,' et 'decernere,' dictum esse; at populum, 'jubere.' Inde Cic. ad Brut. 4. 'Quod nondum senatus censuit, nec populus jussit; id arroganter non præjudico.' Hinc populus non solum hac formula rogari consuevit, 'Velitis, jubeatis, Quirites;' sed etiam, si legem, vel aliud quid rogaretur, sic respondit, 'Volumus jubemusque.' Liv. XXX. 43. et Gellius v. 19. Adi et Brissonium de formulis. Nec tamen id verbum prorsus alienum a patribus. Liv. XLII. 21. 'Caius Licinius prætor consuluit senatum, quem quærere ex rogatione vellent. Patres ipsum eum quærere jusserunt.' Sub imperatoribus, cum comitia ad senatum translata essent, is etiam in jura populi successit; sive, ut verius loquar, umbram illorum jurium repræsentavit. Vide Gravinam lib. sing. de Romano Imperio, § 16. *Schwarz.*

Non adulationis esse] Quæritur, quomodo verbum illud senatus, 'jubemus,' ut consulatum suscipias, potuerit esse 'verbum adulationis?' Si nimirum senatus non serio, nec boni publici caussa, id jussisset; sed ideo tantum, quoniam putarit, id gratum fore principi. Jam vero innuit Plinius, tunc jussui huic, tanquam adulationi, Trajanum non obsecuturum fuisse. *Idem.*

Obsequio tuo crede] I. e. Ideo crede, quia obsequendum ducis senatui jubenti; neque vero ei obsecuturus esses, si intelligeres, hoc non esse nisi adulationis verbum. Sic Plinius supra, LXXIV. 2. 'Crede nobis, crede tibi.' Et X. 2. 'Eoque magis liberos concupisco, quos habere etiam illo tristissimo sæculo volui; sicut potes duobus matrimoniis meis credere.' Sic VI. 8. 'Quam vim habeat offensus, crede ei, quam in amore habet.' Et VII. 31. 'Idem, quam reverenter, quam fideliter, amicos colat, multorum supremis judiciis credere potes.' Alioqui vocabulum 'obsequium' fere respondet Gallicæ voci, *complaisance.* Inde 'obsequium' reperimus aliquando etiam de superiore erga inferiorem usurpatum. Sic Cicero de suo obsequio erga fratris filium, Attic. X. 4. 'Alter ... indulgentia videlicet nostra depravatus eo progressus est, quo non audeo dicere... Omne meum obsequium in illum fuit cum multa severitate.' De eodem filio fratris, Attic. X. 11. 'Ea, quæ mihi quidem, qui illum amo, sunt his ipsis malis, in quibus sumus, miseriora, non sunt ab obsequio nostro, non; suas radices habent.' In codice Patavino *lego,*

Obsequio tuo credo; in qua lectione primum sperabam inveniri posse luculentiorem Plinii sententiam; sed, re penitus pensitata, nihil muto. *Idem.*

Obsequio tuo] Crede, inquit, nos jubere, non adulari; quo modo? obsequendo. Si facis et suscipis, ostendis te credere, serio nos sic velle: et volumus certe. *Lips.*

Exigere a te] Codex Parisiensis habet *exigeret a te;* non prorsus incommode: satius tamen est, lectionem retinere vulgatam. In verbis sequentibus, *aut tu præstare,* pronomen *tu* non pauci libri scripti et impressi prætermiserunt; quod tamen hic singularem ἔμφασιν habet, ut opponatur *senatui.* Schwarz.

Aut tu præstare] *Aut præstare* Livin. in textu; sed in margine, *aut tu præstare* G.

Ceterorum] Notes illa Horatii in Od. I. 4. II. 3. 14. *Bern.*

Illorum etiam, qui] *Illorum omnium qui* Livin. in textu; sed in margine, *illorum etiam qui* V. C.

Illorum etiam] Pro particula *etiam,* vocabulum *omnium* non paucos occupavit libros impressos; sed parum utiliter. Rescribo ex codicibus Mss. Vaticanis, Venetis, Parisiensi, Salisburgensi, et Guelpherbytano, *Principum, illorum etiam, qui, &c.* Atque hanc ipsam particulam *etiam,* loco *omnium,* jam evulgarunt Cuspinianus, Lipsius, Gruterus, Parisienses, Berneggerus, Hackius, Patarol, Ceva, Arntzenius, Gesnerus; eandemque in margine annotarunt, Gryphius, Sichardus, H. Stephanus, Livineius, et Rivinus. At prorsus absone scriptum est in codice Patavino, et libro Vossiano, *omnes;* quam vocem etiam exhibent Puteolanus, Beroaldus, Rhenanus. *Schwarz.*

Ævum omne] Nisi libri impressi nobis veram hujus loci lectionem servassent; eum jam non nisi ex qualicunque conjectura emendare possemus. Miro enim consensu omnes residui codices Mss. quorum usus nobis contigit, itemque impressi Puteolani, Beroaldi, et, quod mirum est, Cuspiniani, pro voce *ævum,* produnt *equum,* aut *ẹquum,* sive *æquum.* Verum autem vocem, *ævum,* primi promulgarunt, Catanæus an. 1506. Aldus, Junta, Rhenanus, Philomusus, ceteri. *Ævum* autem, quod alias Quinctiliano Instit. Orat. XI. 1. dicitur 'ævum sæculorum omnium,' hoc loco est ætas et vita hominis. Sic Horat. Sat. II. 6. 97. 'Vive memor, quam sis ævi brevis.' Idem Epist. I. 18. 108. 'Et mihi vivam, quod superest ævi.' Sallust. Jug. cap. I. 'Falso queritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla atque ævi brevis,' &c. Seneca Epist. 99. 'Omnes, quantum ad brevitatem ævi, et juvenes, et senes, in æquo sumus.' Justin. II. 4. 'Servatæ in omne ævum virginitatis admiratio.' Ceterum refero huc sententiam Plinii, ex Epist. II. 10. 'Habe ante oculos mortalitatem, a qua adserere te hoc uno monimento potes; nam cetera, fragilia et caduca, non minus, quam ipsi homines, occidunt, desinuntque.' *Idem.*

Ævum omne] 'Quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, memoriam nostri quam maxime longam efficere par est.' Sallust. Catil. c. I. *Bern.*

Moderationis scilicet justitiæque monimentis] Moderatio et justitia duæ sorores, columnis insignium principalium geminis, mutuo se amplexu comprehendentibus, designatæ. Sic enim clementiam vocat Claud. in Theo. 'Nonne vides, ut nostra soror Clementia tristes Obtundat gladios?' *Bern.*

Quæ prima] Suspiceris, vocem *prima,* pro voce *plurima,* ex compendio scribendi prognatam esse; cum integra hæc vox, *plurima,* adscripta sit primo Gudii libro; cumque in codice Veneto 2. *p̄lma,* item et in Philomusi editione, *p̄ria,* extet. Verum, non

necesse est, cur a reliquorum librorum manifesta scriptura recedamus. *Prima* enim *monimenta* hic dicuntur primaria, et præcipua, quæ aliis omnibus præferuntur; prout Plinius in hoc ipso Panegyrico, LIII. 2. loquitur: 'Hoc primum,' i. e. præcipuum, 'erga optimum imperatorem piorum civium officium est.' Et LXXXIII. 1. 'Habet hoc primum magna fortuna.' Similiter Sallust. XXXVI. 4. 'Domi otium atque divitiæ, quæ prima mortales putant, affluerent.' Idem Jug. XLI. 1. 'Otio atque abundantia earum rerum, quæ prima mortales ducunt.' Et XXIV. 2. 'Interim, quæ bello opus erant, prima habere.' Ubi, annotante Cortio, codex Basil. 1. *præmia;* et Guelpherb. 2. *plurima*, habent. Pro *statuere*, codices Vaticani habent *constituere;* quam lectionem non contemnendam puto. In verbis sequentibus, *consul potest*, Lipsius, pro *potest*, reponendum censuit *potes;* quam Lipsii conjecturam recepere Cellarius et Th. Hearne: cum tamen tertia persona, *potest*, in omnibus ceteris libris extet, recteque retineri queat. *Schwarzius.*

Potest] Malim, *potes.* Lips.

Intentio tua] Supra, 'Cæsaris hæc intentio est, ut nobiles et conservet et efficiat,' id est, studium et contentio. Iterum, 'non tam humanitas tua, quam intentio ejus admirabilis videbatur.' Epist. IV. 7. 'Hanc ille vim, seu quo alio nomine vocanda est intentio, quidquid velis, obtinendi, si ad potiora vertisset, quantum boni efficere potuisset?' Rursum III. 5. de Plinio avunculo, 'Hac intentione tot ista volumina peregit.' Et alibi frequenter. *Livin.*

Intentio tua] In meo codice non legitur *intentio,* sed *inventio;* verum supervacanea permutatione. Recte enim se habet *intentio*, quæ hoc loco non propositum, et scopum; sed, more Plinii, aliorumque istius ævi scriptorum, intentionem virium animi et corporis, sive contentionem et singulare studium, significat. De quo nomine dixi ad LXXI. 5. In codice Patavino, et libro Vossiano, non scriptum est *intentio tua*, sed *intentio tibi;* verum vulgata lectio per me in possessione maneat. *Schwarz.*

Primum invenit] Statim post reges expulsos summum magistratum appellare 'consules' placuit, 'ut consulere se civibus suis debere meminissent.' Florus I. 9. Ergo Plinius 'nomen consulis' intelligit. *Patarol.*

Non est minus civile] I. e. statui liberæ civitatis conveniens, et dignum bono cive, publicæque libertati et æqualitati consentaneum. Sueton. Aug. cap. 51. 'Clementiæ civilitatisque ejus multa et magna documenta sunt.' Ad quem locum Casaubonus: Etsi affines virtutes sunt hæ duæ; longe tamen differunt. Ac 'clementia' quidem nota virtus; 'civilitas' vero, quam Græce dixeris ἰσονομίαν, virtus est, quæ civi convenit, qua civis est. Cum enim civitas æquo jure constet, civis, qua civis, virtus est, æquabilitatem juris tueri cum ceteris. 'Civilitatis' exempla varia exponit Sueton. Aug. a cap. 53. ad finem cap. 56. Sic vero et Plinius de Trajano, Paneg. II. 7. 'Jam, quid tam civile, tam senatorium?' Et c. LXXXVII. 1. 'Civile hoc erat, et parenti publico convenientissimum.' Vide supra, ad XXIX. 2. *Schwarz.*

Civile] Moderatum, æquabile, et cive dignum. *Lips.*

Habes] In codice Veneto 1. perperam exaratum est *Habet;* quam tamen lectionem etiam evulgavit Bannius. In Salisburgensi, et meo, adhuc ineptius *Habent;* quanquam in Salisburgensi ab alia manu superscriptum sit *Habes.* Idque *Habes* omnes ceteri, quos consuluimus, codices, immo et plurimi impressi, referunt. Primus in margine annotavit Livineius, forte legendum *Habe.* Publicavit hanc lectionem Lipsius, quam-

vis non indicaverit, unde eam acceperit: neque tamen eum secuti sunt, nisi Boxhornius, Bernegger, Hackius, Cellarius, Patarol, Gesnerus, Arntzenius. Arridet mihi hæc lectio, et tantum non necessaria videtur, si quis putet, his verbis adhortationem contineri, ut Trajanus suscipiat quartum consulatum. At, si paullo accuratius contextum orationis expendo, nondum ipsa adhortatio, sed tantum rationes, quæ præmittuntur adhortationi, et quibus Trajanus induci possit ad istum consulatum suscipiendum, his ipsis verbis continentur. Ipsa enim adhortatio demum sequitur sub finem hujus capitis: 'Annuas, Cæsar, optantibus,' &c. Præterea, jam ante Trajanus verecundiæ horum virorum, qui consulatum tertium acceperant, habuit rationem; quod intelligimus ex c. LX. 5. 'Noverat moderationem hominum, noverat pudorem, qui non sustinerent tertio consules esse, nisi cum ter consule.' Ergo Plinius nunc recte dicere potuit, 'Habes etiam rationem verecundiæ collegarum tuorum.' Quæ cum ita sint, nullam adhuc video necessitatem, ut repugnem tot codicum editionumque suffragiis; a quibus nunquam, nisi cunctanter et verecunde, recedere cupio. *Schwarz.*

Rationem verecundiæ] Ter tecum consules verecundabantur, quia tibi pares, quorum reverentiæ tu mederis quater consul. *Bern.*

Collegarum tuorum] I. e. eorum, qui tecum tertio consules fuere. Sicut enim Trajanus, antiquum reipublicæ liberæ morem secutus, in consulatu suo 'prætores' appellavit 'collegas;' quod Plinius supra tradidit, LXXVII. 4. ita multo magis 'consules;' neque solum eum, qui ordinarium, sed illos etiam, qui suffectum consulatum cum ipso gesserunt, 'collegas' appellasse credendus est. De quibus Trajani collegis Plinius dixit LX. 5. et LXI. 6. Quinam vero isti tertio consules fuerint, ad citatum Panegyrici locum, et ad LXI. 1. disquirere conatus sum. Licet tamen etiam adire Theod. Jansonii ab Almeloveen Fastos Rom. consulares, a viro doctiss. et perindustrio, Jo. Lud. Uhlio, an. 1740. Amstelædami auctiores correctioresque editos; ubi ad annum centesimum post Christum natum p. 180. recenset hujus anni consules ordinarios, et suffectos. *Schwarz.*

Onerosa erit] I. e. instar magni oneris erit modestiæ et verecundiæ *illorum*, collegarum tuorum. Pro *illorum*, codex Salisburgensis, item Patavinus, et meus, eodem sensu habent *eorum*. Illud vocabulum 'onerosum' aliquoties in hoc Panegyrico occurrit; v. g. XLIV. 4. LVIII. 2. XCI. 4. Eodem modo Plinius utitur verbo 'onerare;' v. g. LXXIII. 6. et XXIV. 1. ad quem locum vide notam nostram ad p. 541. *Idem.*

Donec te consulem videant] Nemo non agnoscet, videri ad sententiam Plinii clariorem reddendam requiri, ut legamus, *Donec te consulem* quarto (sive, rursus) *videant*. An, et quomodo, ejusmodi voces exciderint, dicere non possumus; in nullo enim codice Ms. ac ne quidem libro excuso, talium vestigia deprehendimus. Certe, sic jam visum est Livineio, forte excidisse *quartum;* idem et visum Lipsio, ac placuit Rittershusio. Arntzenius, etsi ab omni mutatione abstinet, censet tamen, non incommodam fore emendationem, si siglis expressus fuerit numerus, *donec te consulem IV. videant;* ut ultima linea in *m* sequens *v* absorbuerit. Id quidem forte fieri potuisset sequiore ævo; sed, temporibus Plinii, 'quatuor,' vel 'quartum,' non per siglas IV. sed per IIII. designabantur. In codice Parisiensi, et Veneto 2. vitiose scriptum est *te consule videant.* Significanter vero dicit Plinius, *donec te consulem videant;* i. e. donec obeant primum novi consulatus tui diem, et vo-

tis, gaudio, gratulatione, celebrent. Ita is scribit Aur. Paullino, Epist. IX. 37. 'Ne aliter, ac velim, accipias, nisi te Calendis statim consulem videro..... Vides, quam non delicata me caussa obire primum consulatus tui diem non sinat; quem tamen hic quoque, ut præsens, votis, gaudio, gratulatione, celebrabo.' Ceterum Trajanus, secundum Fastos Romanos, quartum consulatum gessit anno post natum Christum centesimo primo, una cum collega Sexto Articuleio Pæto. *Idem.*

Te consulem] Quartum, et fortasse is numerus excidit. *Lips.*

Neque enim] Tacit. Agric. cap. 39. 'Ne privati hominis nomen supra principis attollatur; et principis honor in cujusquam contumeliam verteretur; omnes sufficiunt obsequio.' Hist. IV. 8. *Bern.*

Annuas, Cæsar, optantibus] Pro *annuas*, sive *adnuas*, in codice Patavino, et libro Vossiano, mendose scriptum est *adimas;* sed facile apparet, quomodo rudis librarius in hoc mendum inciderit. In medio enim verbo, *adnuas*, literæ intermediæ, *nu*, totidem lineolis constant; quot lineolis in verbo, *adimas*, constant literæ intermediæ, *im;* inprimis, ubi litera *i*, more antiquo, nullo puncto superscripto notaretur. 'Annuere' proprie notat, nutu capitis signum assensus sui dare. Hinc Cic. de Orat. II. 70. 'Id quoque toto capite annuit Silus.' Cui contrarium est 'abnuere,' et 'renuere,' i. e. rejecto capite negare. Utrumque respicit Plin. Epist. I. 7. 'Ego simili nutu, ac renutu, (tanquam Jupiter apud Homerum,) respondere voto tuo possum.' Tribuebant enim mythologi etiam Diis, et maxime Jovi, 'nutum,' tanquam significationem voluntatis et potestatis divinæ; unde et Numinis appellatio. Sic Cicero pro Sext. Roscio Amer. cap. 45. 'Jupiter optimus maximus, cujus nutu et arbitrio cœlum, terra, mariaque reguntur.' Virgilius de Jove, Æn. IX. 106. 'Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum.' Plinius Paneg. c. LXXII. 3. 'In fine votorum adjecisses, ut ita precibus tuis Dii annuerent,' &c. Idem Epist. I. 22. 'Superest, ut promissis Deus annuat.' Epist. VII. 24. 'Si Deus annuisset.' *Schwarz.*

Apud Deos adesse] Olim vulgo legebatur, *apud Deos esse consuesti;* sed jamdudum Livineius et Lipsius viderunt, pro luxata voce *esse*, legi debere *adesse*. Cui tamen emendationi nondum locum dedere in contextu, nisi, post observationem nostram, primi eam receperint Gesnerus et Arntzenius. Verbum vero hoc compositum nunc confirmatur auctoritate codicum Mss. Parisiensis, utriusque Veneti, Salisburgensis, et mei; meritoque est restituendum. Quemadmodum enim Plin. Epist. III. 9. 33. dixit, 'alicui apud judicem adesse,' i. e. alicujus caussam coram judice agere atque tueri; ita etiam hoc loco dixit, *alicui precanti adesse apud Deos*, i. e. ejus preces et vota suis adjuvare, ac Diis commendare. Sic *adesse* etiam generatim dicitur, pro auxiliari, juvare, favere. Cic. Fam. VI. 14. 'Ego tuis rebus sic adero, ut difficillimis, et Cæsari pro te, sicut adhuc feci, libentissime supplicabo.' Plin. Epist. I. 12. 'Affuit Deus voto, cujus ille compos,' &c. Pro *consuesti*, in Guelpherb. cod. legitur *consuevisti*. Idem.

Apud Deos adesse consuevisti] *Apud Deos esse consuesti.* Trunca vox et luxata, *esse*. Diffingam ego et restituam, *adesse*. Supra, 'qui utilitatibus fisci contumaciter adessent.' Epist. II. 11. 'Ego et Cornelius Tacitus adesse provincialibus jussi.' Seneca de Beneficiis IV. 15. 'Jam illi semel iterumque affui.' Iterum V. 8. 'quo modo nemo, quamvis pro se dixerit, affuisse sibi dicitur,' &c. Rursum, VI. 25. 'Omnes isti beneficia sua

detestabili via ducunt, qui Deos contra eum advocant, cui affuturi sunt.' Et alibi passim. Sed venit in mentem, placere posse et *superesse*, quo Suetonius usus Aug. c. 56. 'cunctari enim se, ne, si superesset, eriperet legibus eum,' &c. et Arnobius crebro. Adversus Gentes III. 'Ludentis est dicere, Deos nobis superesse custodes, quos suspicio finxit nostra, non explorata veritas comprehendit.' Iterum, 'Unctionibus (inquit) superest Unxia.' Ejusdem operis lib. IV. 'Quis Libentinum, quis Liburnum, credat libidinum superesse tutelis?' Frustraque est Agellius, qui I. 22. hoc significatu Latinum negat. *Livin.*

Adesse consuesti] *Esse consuesti.* Corrigebam, *adesse consuesti;* quod et aliis placuit. Sententia est: Tu Cæsar, qui adesse nobis apud Deos precantibus soles, et vota nostra tuis juvare: ecce, nunc concede, quod a te, non a Diis, petimus, et a te pendet. *Lips.*

Potes ipse] *Potens es* Livin. in textu; sed in margine, *potes ipse* V.C.R. forte, *potens es ipse.*

Quorum potes ipse] Horum verborum varietas quædam occurrit in scriptis impressisque libris. In Salisburgensi codice, et meo, legitur, *quorum potes ipsorum;* in Salisburgensi tamen ab alia manu pro *ipsorum*, repositum est *ipse*. Codex Patavinus, et liber Vossianus, mendose habent *quorum potes esse votorum.* Aldus, Sichardus, et Livineius edidere *quorum potens es votorum.* Gryphius an. 1542. R. et H. Stephani, Boxhornius, Cellarius, Th. Hearne, Gesnerus, *quorum potens es ipse votorum.* At reliqui codices Mss. utique habent *Quorum potes ipse, votorum.* Quam lectionem jam quoque publicarunt Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Cuspinianus, Philomusus, alii, et novissime Arntzenius. Totum hunc locum sic explico, *Annuas, Cæsar, optantibus*, nempe iis, qui ter consules fuere, et qui, ne tibi pares esse velle videantur, nunc optant, ut quartum consulatum suscipias; hosque, *quibus apud Deos adesse*, et quorum vota Diis commendare, *consuesti*, jam *facias compotes votorum, quorum* quidem votorum eosdem compotes facere *ipse potes;* dum unice a tua voluntate dependet, ut consulatum quartum suscipias. Si qui tamen *optantes* non ad istos tertio consules, sed generatim ad Plinium et senatores omnes, referre malint; hi sibi me minus adversantem habebunt. Qui vero non statim animadverterunt ἐλλειπτικὴν loquendi rationem, qua usus est Plinius, illi nescii, unde penderet casus gignendi *quorum*, ex verbo *potes*, effinxere *potens es.* Sed nihil frequentius est ista dicendi ratione; v. g. Cæsar, de Bello Gallico I. 7. 'Quam maximis itineribus (scil. contendere) potest, in Galliam interiorem contendit.' Sallust. Jug. c. 13. 'Jugurtha quam maximas (armare) potest, copias armat.' Sic et recte dici potest, *Quorum potes, votorum nos compotes facias*, i. e. quorum votorum compotes nos facere potes, eorum nos facias compotes. Itaque Behrius, Gedanensis, non satis caussæ habuit, ut hæc Plinii verba sic emendare vellet, *Annuas, Cæsar, optantibus, quique apud Deos esse consuesti, quod jam potes ipse, votorum compotes facias.* Schwarz.

CAP. LXXIX. *Fortasse sufficiat tibi*] In codice Vaticano 3461. scriptum est *Fortasse tibi sufficiet.* In aliquot codicibus Mss. et editis libris perperam deest pronomen *tibi;* quo tamen ægre carere potest contextus orationis, ubi pronomina, *tibi* et *nobis*, quasi ἀντίθετα, eleganter sibi opponuntur. *Idem.*

Sufficiat tibi tertius] *Sufficiat tertius* Livin. in textu; sed in margine, *Sufficiat tibi tertius* G.

Ille nos] Tam laudabiliter gestus. *Lips.*

Ille nos instituit] I. e. tertius ille consulatus tam laudabiliter a te gestus quasi illecebris nos adeo delicatos fecit, ac consuefecit, &c. Plinius supra xLIV. 2. 'Itaque sic imbuti sumus, ut, quibus erat summa votorum, melior pessimo princeps, jam non possimus, nisi optimum, ferre.' Optime interpres Germanicus: *Du hast uns darinn so gereizet und verwöhnet, dass wir dich gern einmahl nach den andern, und immer wieder zum consul haben wollen.* Schwarz.

Iterum iterumque] In codic. Vatican. 3461. et 1775. item et in Guelpherbytano, male omissum est *iterumque;* quod altero loco ponitur. Namque, si particula *iterum*, saltem semel ponitur, notat ut plurimum, 'secundo;' ut apud Nepot. Hannib. c. 5. 'T. Sempronius Gracchus, iterum consul,' i. e. secundo consul; atque ita passim: quod vero hic locum habere non potest, cum Trajanus secundum tertiumque consulatum jam gessisset: at si ista particula sic repetatur, *iterum iterumque*, tunc significat 'sæpius,' non solum apud poëtas, sed etiam oratores; v. g. Virgil. Æn. II. 768. 'Creusam Nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.' Stat. Theb. I. 695. 'Latoiden votis iterumque iterumque canamus.' Ipse noster Paneg. xxvIII. 6. 'Majorem infantium turbam iterum atque iterum jubebis incidi.' Nazarius Paneg. Constant. c. 37. 'Iterum atque iterum moneas revertentem.' Immo et istæ particulæ, 'iterum et sæpius,' identidem conjunguntur; v. g. Cic. Fam. XIII. 42. 'Id ut re experiatur Lucceius, iterum et sæpius te rogo.' Idem pro Lege Manil. c. 11. 'Testis est iterum et sæpius Italia.' *Idem.*

Remissius istud] I. e. Languidius, nec tam acriter vehementerque istud optaremus, atque peteremus. Sallust. Jug. c. 53. 'Nam dolus Numidarum nihil languidi, neque remissi, patiebatur.' Cic. de Orat. I. 60. 'Jam diu multo dicis remissius et lenius, quam solebas.' Codex Vaticanus 3461. et Guelphicus, ac quædam editiones, pro *istud*, habent *illud*, eodem quidem sensu. In verbis sequentibus particulæ, *adhuc non*, ponuntur pro *nondum*. Sic et Cic. Fam. IX. 7. 'Istud adhuc prædium suum non inspexit.' *Idem.*

Experimentum tui nobis, quam usum] Male legitur in Vaticano 3461. *experimentum tui, quam visum, negari.* Sed et in Guelphico codice prætermissum est pronomen *nobis*. Hoc voluit dicere Plinius: Tolerabilius foret, quartum consulatum tuum nobis negari, si te nunquam antea habuissemus expertique essemus consulem; tunc enim ignoravissemus, te tam bonum sapientemque esse consulem; at, postquam tuæ sapientiæ atque humanitatis tam luculenta jam cepimus experimenta, gravius molestiusque nobis accideret, si te non amplius consule uti possemus. Sicut enim, quod in proverbio dicitur, ignoti nulla facile est cupido; ita e contrario, post datum tam boni consulatus experimentum, augetur in nobis desiderium videndi te iterum iterumque consulem. Sic Plin. Epist. IX. 33. 'Crescit audacia experimento.' Tacit. Hist. I. 11. 'Africa, et legiones in ea, . . contentæ qualicunque principe, post experimentum domini minoris.' Notio vocabuli 'usus' patet ex Paneg. II. 5. 'dignosque nos illius usu probemus.' Ad quem locum confer, si lubet, Excurs. nostrum II. *Idem.*

Usum] Utilitatem jam notam. *Lipsius.*

Audiet] A senatu acclamationes similes? atque ipse respondebit. *Idem.*

Audiet, reddet] I. e. Audiet, reddet voces, sive acclamationes, et pias precationes, quas proxime audiit, et reddidit? Copulam *et* interserunt

his duobus verbis H. Stephanus, Elzevir, Boxhornius, Rivinus, Cellarius, Hearne, Ceva, Gesnerus. Potest illa non incommode tolerari, putarique eam ipsam absorptam fuisse ab ultima syllaba verbi *audi*ET. Talia exempla plura affert Scioppius in Arte Critica, p. 68. et 80. ubi vocula, vel syllaba in principio vocis, omissa est, quod eadem præcedentem vocem clauserit. Sic in Nepote scriptum, 'deinde Celiam,' pro 'deinde Deceliam;' apud Plautum, 'Vacuum esse ist ac ætate Diis decebat noxiis,' i. e. ista ætate TE Diis; apud Sallust.' magis extollere,' pro 'magis se extollere,' &c. Sed nihil necesse est hic de ejusmodi emendatione cogitare. Hujus generis ἀσύνδετα apud Plinium sæpius occurrunt. Neque in ullo codice Ms. neque in aliis libris impressis, præter annotatos, copula *et* inter hæc duo verba animadvertitur. In his autem Plinius denuo videtur brevi προσωποποιΐᾳ, seu, si mavis, ἠθοποιΐᾳ, uti, per quam figuram vel rempublicam vel senatum facit desiderantem, optantemque, ut Trajanus suscipiat quartum consulatum. Vide ad pp. 818. 827. *Schwarz.*

Affectus nostros . . . cohibere] Menda librariorum sunt, qui in codice Guelphico, pro *tentabitque*, *tractabitque*, et in Vaticano 3461. *effectus*, pro *affectus*, pinxere. Quomodo Trajanus voluerit reprimere nimium gaudium senatorum et civium Romanorum, innuit Plinius supra LXXIII. 3. 'Num ergo modum ei (gaudio) tua saltem modestia imposuit? nam, quanto magis a te reprimebatur, exarsimus; non contumacia, Cæsar; sed ut in tua potestate est, an gaudeamus; ita in quantum, nec in nostra.' Et, IV. 2. 'Parens noster privatas gratiarum actiones cohibet et comprimit.' *Idem.*

Pietati senatus] In codice Patavino, et exinde in libro Vossiano, pro *pietati*, scriptum est *pietatis;* sed proba est omnium ceterorum librorum lectio; quamvis et casus gignendi possit locum habere. 'Pietas' hoc loco est reverentia et amor erga principem, cum singulari studio ejus colendi laudandique conjunctus; cum qua pietate certare modestiam principis dicit Plinius. Lipsius nomini *pietati* verbum *erit* præmittendum, idque ex fine antecedentis verbi *poterit*, revocandum censet, ut legatur *Erit pietati senatus, &c.* Satis speciosa et probabilis hæc est correctio; cujus exempla quædam ex Scioppio modo exposui: nondum tamen ipse Lipsius illud *erit* in sua exemplaria admiserat; recepere autem posthæc Boxhornius, Cellarius, Hearne, Gesnerus, sine ullius quidem codicis Ms. aut alius libri impressi suffragio. Fateor quidem, neminem labem aspersurum esse Panegyrico Pliniano, quisquis illud verbum substantivum adsciverit; puto tamen, non opus esse ista insitione, cum sit ἐλλειπτικὴ loquendi ratio, in qua solum verbum substantivum præsentis temporis *est* omissum, animoque supplendum est; cujus ἐλλείψεως exempla centum et plura in Plinii Panegyrico et Epistolis observantur. Cui rei vel solum initium capitis insequentis documento esse potest; utpote ubi, vel intra tres versus, *est* ter omittitur. Idem hic fit; nempe, postquam Plinius quasi quæsierat, annon Trajanus in suscipiendo consulatu quarto tentaturus sit cohibere affectus senatorum Romanorum, ut solitus sit, nec potuerit; tum sequitur simplex sententia, tanquam 'meditatio,' ut vocatur recentioribus quibusdam rhetoribus: scilicet, pulchrum tale esse certamen pietatis senatus et modestiæ principis. Arntzenius recte etiam dimisit illud *erit;* censet vero cum Perizonio, verba ista per exclamationem efferri posse. Et sane ita Gruterus hæc verba signo exclamandi et admirandi notavit; itemque Patarol, qui clarius istam ex-

clamationem in Italica versione expressit: *O felice et nobil duello della pietà del senato, colla modestia del principe, vinca dessa, o sia vinta!* Verum ego opinor, Plinium, si voluisset ut ista sententia per exclamationem efferretur, verba aliquantum aliter collocaturum fuisse. *Idem.*

Pietati] Omnino revocanda vox, e fine prioris, *erit pietati;* et interrogatione efferenda clausula. *Lips.*

Felix speciosumque certamen] P. Syr. 'Humanitatis optima est certatio.' Victor, c. 35. 'Utrinque pudore ac modestia decertabatur, rara in hominibus virtute.' Plinio Epist. VII. 7. 'honestissimum certamen.' Adde Symmach. Epist. I. 86. IV. 49. *Bern.*

Speciosumque certamen] I. e. pulchrum, eximium, illustre. Vide ad XVIII. 1. *Schwarz.*

Seu fuerit victa, seu vicerit] Scilicet felix et speciosum erat certamen, si illa pietas senatus vinceret modestiam principis; cum nempe tanta esset Trajani bonitas, ut ultro cesserit, ac ipse quasi obsecutus sit voluntati et affectibus senatus, quo hic pietatem suam publice testari, ejusque monimenta illustria ad omnem posteritatem transmittere posset. Non minus autem felix pulchrumque certamen erat, si pietas senatus a modestia principis vinceretur, ac quasi cohiberetur, ne erumperet in tot laudes et acclamationes, aliaque honoris signa; quoniam nihil felicius illustriusque reipublicæ accidere potest, quam tam modesto uti principe, qui ne promeritos quidem honores laudesque admiserit; tantum abest, ut majores pluresque honores, præter meritum, ultro sibi arrogarit. Pertinet huc, quod Athalricus, rex Gothorum, apud Cassiodor. Epist. VIII. 15. ad senatum urbis Romæ scripsit: 'Pudorem non habet victi, cujus votum contingit a principe superari.' Certo modo huc etiam accommodari potest, quod apud Vell. II. 37. Tigranis, regis Armeniæ filius, dixit Cn. Pompeio: 'Non esse turpe, ab eo vinci, quem vincere esset nefas; neque ei inhoneste aliquem submitti, quem fortuna super omnes extulisset.' *Idem.*

Incognitam quandam] I. e. prævideo, et quasi anticipo lætitiam quandam incognitam, sive novam et inusitatam, inauditamque. 'Præsumo,' est animo et spe anticipo, ac cogitatione repræsento. Plin. Epist. II. 10. 'Ut tandem percipias gaudium, quod ego olim pro te non temere præsumo.' Idem Epist. IX. 3. 'Ego beatissimum existimo, qui bonæ mansuræque famæ præsumtione perfruitur.' Ad quem locum notavit Buchnerus, Plinio, et aliis sequioris ævi scriptoribus, 'præsumtionem' esse fiduciam certam animi, qua in futurum nobis tam firmiter et indubitate promittimus aliquid, ut jam 'præsumere,' seu ante capere, ac, licet spe et cogitatione tantum, frui videamur. Mendum est in meo codice, et in Rob. Stephani editione, ubi pro *proximaque* est *proximamque.* Quod mendum etiam fuit in Salisburgensi codice; sed ab alia manu est sublatum. *Idem.*

Tam imbecilli ingenio] Nescio quam varietatem in his verbis quæsierint librarii. In codice Patavino, et libro Vossiano, pro *imbecilli,* scriptum est *indocili.* In Vaticano 3461. et Guelpherbytano, *modicello.* In Parisiensi, Salisburgensi, Venetis, et meo, *tam modicelli ingenii,* vel *modicillo ingenio.* Equidem 'indocilis' est vox usitata, neque huic loco incongruens; at vox 'modicillus' utique rarior est, et, quantum constat, hucusque ex unico Suetonii loco cognita; ubi in Vita Neronis, c. 48. legitur, 'Decubuit super lectum modicella culcitra;' quanquam et hic locus dubius videtur, cum, teste Torrentio, itemque Burmanno, non pauci libri ibi habeant *modica.* Utcunque est, non satis caussæ video, cur lectionem vulgatam,

quam antiquæ ceteræque omnes editiones promulgarunt, in ista codicum inconstantia, abjiciamus. Vocabulo 'imbecillus, a, um,' pro quo auctores promiscue dicunt 'imbecillis, e,' Plinius in Epistolis aliquoties usus est; v. g. I. 12. 'Licet imbecillum me putes.' IV. 7. 'Imbecillum latus.' IV. 18. 'Accidit hoc imbecillitate ingenii mei.' In verbis sequentibus, *meliorem consulem speret*, codex meus habet *præbet*. Mallem, ut pro *præbet* invenissem *præstet*, cum hoc cum verbis sequentibus multo melius conveniret. *Idem.*

Alius labores, si non continuos desidiæ] Forte, *cont. lab. si non des.* Livin.

Si non continuo] *Continuos.* Scribe, *continuo se.* Lips.

Si non continuo] *Si non continuos.* Bella est emendatio Bongarsiana, *si non continuo se desidiæ;* quod et deinde Lipsio in mentem venit. *Lips.*

Continuo se desidiæ dedisset] Negotium nobis facessunt librarii, his verbis partim transpositis, partim corruptis. In codice Vaticano 3461. et Guelpherbytano, hæc sine sensu legimus, *Alios labores si non continuos desidiæ ac voluptati dedisset.* In Parisiensi, *Alius si labores non continuos d. a. v. d.* In Veneto 1. *Alius sibi non continuos labores.* In Veneto 2. Salisburgensi, Patavino, et meo, *Alius labores si non continuos desidiæ ac voluptati dedisset;* quam lectionem etiam antiquiores, et plurimi sequentes libri impressi, evulgarunt; nisi quod nonnulli, pro *continuos*, expresserunt *continuo.* Sed jam felici ingenio animadvertit Lipsius, pro *continuos*, scribendum esse *continuo se.* Et Gruterus testatus est, hanc quoque bellam fuisse emendationem Bongarsianam. Sic autem inveni, jam an. 1515. a Junta fuisse excusum, *Alius labores, si non continuose desidiæ ac voluptati dedisset.* Junta alias non facile discedit a lectione Aldi Manutii; hic tamen sine Aldi exemplo prodidit illud, *continuose;* quod forte repererat in vetusto quodam codice, nec tamen animadverterat, in eo latere duas voces separandas ac discernendas, *continuo se.* Amplector omnino hanc lectionem, quam etiam in libro priore Gudiano annotatam observo; et cujus saltem vestigium quoddam retinuere omnes illi libri scripti et impressi, qui *continuos* exhibent. Necessariam hanc puto emendationem, quam ex Lipsiana conjectura jam etiam receperunt Hearne et Gesnerus; ἄτοπον enim est, et insolens, dicere, *labores continuos dare desidiæ.* Et quis serio dixerit, homines desidiosos, qui nihil agunt, et otiosi sedent, laborare, sive labores dare desidiæ? Hoc autem recte dicitur, 'dare,' vel 'dedere, se languori et desidiæ.' Cic. de Offic. I. 34. 'Cum relaxare animos et dare se jucunditati volent, caveant intemperantiam. . . . Nihil autem magis cavendum est senectuti, quam ne languori se desidiæque dedat.' Plin. Epist. I. 2. dixit, 'desidiæ indormire.' Neque alicui scrupulum moveat, quod hic 'labores' dicuntur 'recreari,' cum alias ordinarie 'homines' dicantur 'ex laboribus' sive 'a laboribus recreari.' Est ista metonymica loquendi ratio, quando 'labores,' i. e. laborantes, dicuntur recreari. Sic Plinius Major, Hist. Nat. XXII. 15. 'Urticæ semen lassitudines,' i. e. lassatos, 'recreat.' Idem XXXVI. 34. 'Gagates lapis . recreat vulvæ strangulationes.' *Schwarz.*

Curis exsolutus] In codice Salisburgensi, et meo, vocabulum *curis*, quod in ceteris libris omnibus præsto est, desideratur; præterea, non in his solum, sed etiam in Vaticano 3461. et Patavino, pro *exsolutus*, inscite scriptum est *exsolutis;* quanquam in Salisburgensi ab alia manu utrumque mendum est emendatum. *Solutus*, sive *exsolutus curis*, est, curis relevatus, sive liberatus. Sic Tacit.

Annal. XII. 42. 'Ni prætoriarum cohortium cura exsolverentur.' Plinius Epist. III. 5. 'In itinere, quasi solutus ceteris curis, huic uni vacabat.' Epist. I. 22. 'Tandem Deus me hac solicitudine exsolvat; qua liberatus Laurentinum meum repetam.' *Idem.*

Tam diligens temperamenti] I. e. tam amans et studiosus temperamenti, sive moderationis. Nepos in Epaminonda, cap. 3. 'Adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur.' Cic. pro Cœlio, cap. 30. Q. Pompeius vocatur 'castissimus vir atque omnis officii diligentissimus.' 'Temperamentum' est modus, et moderatio, ac 'temperamentum tenere,' 'servare,' 'sequi,' idem est, ac tenere medium. Familiaris loquendi formula Plinio, Tacito, aliisque istius ævi scriptoribus. Plinius Paneg. III. 1. 'Quod temperamentum omnes in illo subito pietatis ardore servavimus, hoc singuli quoque meditatique teneamus.' Ibid. X. 3. 'At quo, Dii boni, temperamento potestatem tuam fortunamque moderatus es!' Cf. Plin. I. 7. 8. III. 1. 6. VI. 29. 7. *Idem.*

Precibus occurrat] Commune erratum in residuis codicibus Mss. jamdudum radices egit; cum ubique pro *precibus* exaratum sit *præsidiis;* in meo autem codice, et Salisburgensi, nec hoc, nec illud nomen, appareat, ut jam olim vetustate exolevisse videatur; nisi quod posthæc alia manus Salisburgensi alleverit *præsidiis;* quam lectionem etiam multi libri typis excusi propagarunt. Vocabulum autem *precibus* demum saltêm in margine editionum suarum annotarunt Gryphius anno 1531. Sichardus, H. Stephanus, Livineius, Rivinus; in contextum vero receperunt idem Gryphius an. 1542. Plantinus, Gruterus, Bernegger, Puteanus, Boxhornius, et, qui post hos edidere hunc Panegyricum. Catanæus quidem sic explicat, *civitatum præsidiis occurrat:* quod Trajanus præsidio esset civitatibus, missis in eas militibus, ne ab hostibus infestarentur, et quod provideret ne civitates afficerentur injuria a præsidiis Romanorum; mihi tamen ista loquendi ratio se minus probat. Cum itaque nullam nossem inire rationem, qua inveteratam lectionem speciose assererem Plinio, admisi posteriorem *precibus;* propterea quod 'occurrere desideriis provinciarum,' et 'occurrere precibus singularum civitatum,' in genere commodissime conveniunt; et quod bene recteque dici potest 'occurrere precibus,' i. e. sponte subvenire et satisfacere precibus; ut est apud Cic. pro Deiotaro, cap. 14. 'Occurrere ipsa misericordia tua solet supplicibus et calamitosis, nullius oratione evocata.' Ad quæ verba recte annotarunt Patricius et Abramus, 'occurrere,' dici, antevertere et quasi obviam ire; prævenire supplicantium vota, precibus obviam ire, neque expectare dum rogetur. De verbo 'occurrere' jam nonnihil annotavi ad p. 561. *Idem.*

Civitatum precibus, occurrat] *Civitatum præsidiis occurrat* edit. Rhenan. sed Gryphius habet *civitatum precibus occurrat:* non male. *Juret.*

Civitatum precibus, occurrat] *Civitatum præsidiis occurrat* Livin. in textu; sed in margine, *civitatum precibus occurrat* G. vere.

Audiendo] Fortasse *adeundo,* etsi illud quoque similem habere potest sensum. *Lips.*

Tandemque] Ut sub Domitiano solet, sese includente. *Lips.*

Legationum turba] I. e. turba legatorum, sive multi legati. 'Legationes' enim μετωνυμικῶς pro legatis ponuntur; uti officium pro officialibus, servitia pro servis, nobilitas pro nobilibus, vicinitas pro vicinis, &c. Sic Cicero in Q. Cæcilium, cap. 4. 'Omnium civitatum totius

Siciliæ legationes adsunt.' Nepos Epam. cap. 6. 'Cum omnium sociorum convenissent legati, coram frequentissimo legationum conventu sic Lacedæmoniorum tyrannidem coarguit.' Victor Epitom. cap. 41. de Constantino Cæsare: 'Audire legationes et querimonias provinciarum.' *Turba legationum*, exclusa ab aditu Domitiani, vel alius superbi principis, qui noluit statim admittere legatos, et provinciarum querimonias audire, dicitur 'obsedisse fores principis,' i. e. non hostiliter palatium circumdedisse; uti apud Nepot. Hannib. cap. 12. legati Romanorum dicuntur 'multitudine domum Hannibalis circumdedisse,' ut is undique obsideretur; sed ante fores palatii principalis præstolata esse, donec admitteretur, vel egredienti principi libellos exhibere, aut querimonias provinciarum in via exponere, posset. 'Obsidere,' et 'insidere,' sunt quidem alias verba ad rem militarem pertinentia; proprie enim notant, occupare sedendo, et quasi ex insidiis expectare exeuntes aut prætereuntes; sed deinde etiam ad alios expectantes applicantur. Vide ad XXVI. 1. ubi hæc legimus: 'Observare principis egressum in publicum, insidere vias, examina infantium, futurusque populus solebat.' Sic et v. 4. 'Omnis turba, quæ limen insederat.' Seneca de Ira, III. 37. 'Custodit litigatorum turba limen obsessum.' Tacit. An. XVI. 10. 'Pollutia, quia aditu Neronis prohibebatur, egressus obsidens,' &c. *Schwarz.*

CAP. LXXX. *Quid*] Est vox interrogandi et admirandi, quæ absolute posita cumprimis usum habet in connectendis sententiis; cujus aliquot exempla supra, ad p. 669. indicavi. *Idem.*

In omnibus cognitionibus] Omnes codices Mss. hanc lectionem confirmant, præter codicem Salisburgensem et meum; in quibus mendose scriptum est, *in omnibus conditionibus;* quanquam in Salisburgensis margine sit annotatum, alios legere *in omnibus cognitionibus.* Illud miror, quomodo aliud mendum tot inquinaverit libros impressos, ut in iis legatur, *Quid? in omnibus excogitationibus.* Equidem jam an. 1513. Cuspinianus veram lectionem in ipso contextu evulgavit, *Quid? in omnibus cognitionibus;* nihilo minus tamen, etiam post Cuspinianum, Junta, Rhenanus, Philomusus, Cratander, R. Stephanus, Ascensius, et Navius, adhuc edidere *excogitationibus;* quam ipsam ineptam lectionem similiter in contextu retinuere Gryphius an. 1531. Sichardus, Livineius, H. Stephanus, Elzevir, Rivinus; quamvis in margine, et inter variantes lectiones, annotarint meliorem, *cognitionibus;* quam ceteri tandem aperte sunt amplexi. Dicitur vero hic 'cognitio,' judicium extra ordinem, et a jure ordinario distinguitur. Fuere enim 'cognitiones' propriæ principum, et senatus; sed et præsidum provinciarum. Itaque et verbum 'cognoscere,' apud veteres jurisconsultos est, jus dicere extra ordinem; ac sæpe de principibus, etsi non essent consules, occurrit. Hinc jureconsulti 'sacras cognitiones' vocant; et 'sacrum cognitorem,' qui Cæsaris jussu de re quæ cognitionis sit, vice ejus judicet. Hujusmodi 'cognitionum' a Trajano susceptarum luculenta exempla affert Plinius, VI. 31. ubi narrat, se evocatum in consilium fuisse a Cæsare ad Centumcellas, ubi variæ inductæ fuerint 'cognitiones,' quæ virtutes judicis per plures species comprobarint. Plura de his cognitionibus tradunt jureconsulti, et passim ad Sueton. v. g. in Julio Cæsare, cap. 23. in Claudio, cap. 25. in Nerone, cap. 15. commentatores annotarunt. Cf. Salmas. de Modo Usu-

rarum, pag. 111. seqq. Frustra vero Behrius opinatus est, pro *omnibus cognitionibus*, rescribendum esse *principalibus cognitionibus;* intelliguntur enim omnes illæ cognitiones, quibus ipse interfuit princeps. *Idem.*

Cognitionibus] *Excogitationibus* Livin. in textu; sed in margine, *cognitionibus* V. C. G.

Cognitionibus] *Excogitationibus* edit. Rhenan. sed *cognitionibus* Faber.

Mitis severitas] Cujus est, 'qui peccatis ita abstinet, tanquam parcat nemini: ceteris vero, tanquam ipse quotidie peccet, ignoscat.' 'Ignoscere pulchrum Jam misero, pœnæque genus vidisse precantem.' Claud.

Mitis severitas] I. e. severitas mansuetudine temperata. Judici, et præcipue principi, necessaria est severitas; sed, quod Papirius, apud Liv. VIII. 36. censuit, 'temperandum ingenium est, et severitas miscenda comitate:' quanquam, judice Plin. Epist. IV. 3. 'Non minus difficile, quam magnum est, severitatem pari jucunditate condire, summæque gravitati tantum comitatis adjungere.' Sic etiam, quod Seneca de Clement. I. 3. ait, 'Nullum ex omnibus magis clementia, quam regem, aut principem, decet.' Sed nec hæc debet esse nimis remissa et profusa. Sicut enim ex nimia severitate odium; ita ex clementia et indulgentia nimia facile contemtus oritur, prorsus ut Quinctil. Instit. Orat. II. 2. de præceptore ait: 'Non austeritas ejus tristis, non dissoluta sit comitas: ne inde odium, hinc contemtus, oriatur.' 'Dissolutus' translate dicitur, qui supra modum est remissus, turpiter negligens, iners, et quasi nullis rationis ac moderationis vinculis adstrictus; pertinetque tam ad personas, quam ad res. De personis Cicero in Catil. I. 2. 'Cupio, me esse clementem; cupio, in tantis reipublicæ periculis, me non dissolutum videri.' Idem de Offic. I. 28. 'Negligere, quid de se quisque sentiat, non est solum arrogantis, sed etiam omnino dissoluti.' Idem pro Quinctio, cap. 12. 'Quis tam perditus ac profusus nepos... sic dissolutus fuisset, ut fuit Sex. Nævius?' De rebus; Cic. ad Brutum, epist. 3. 'Illud consideres, ne tua liberalitas dissolutior videatur.' Sic Cicero alibi vocat 'dissoluta et perdita consilia,' 'dissoluta judicia,' 'consuetudinem dissolutam.' Quinctil. 'comitatem dissolutam;' Plin. Epist. IV. 9. 'sententiam dissolutam;' et hoc loco 'clementiam non dissolutam.' *Schwarz.*

Non dissoluta] Hæc est indulgentiarum frequentia, quæ quidvis aliud quam clementia. *Bern.*

Locupletando] Non, ut tyranni, ideo judicas ut damnes, et bona ad fiscum tuum trahas; non fructus, sed æquitas sola tibi finis. *Lips.*

Non locupletando fisco sedes] I. e. non eo fine judicia exerces, et cognitionibus vacas, ut ex mulctis pœnisque reorum fiscum locupletes ditesque; quæ prima fuit cura avarorum principum. De discrimine 'ærarii' et 'fisci' vide supra, ad XXXVI. 1. Verbum 'sedere' forense est, et μετωνυμικῶς notat 'judicare.' Sic loquitur Ulpian. leg. 2. § 43. D. ad Senatuscons. Tertullianum: 'Ubi primum prætoris copiam habuit, huic rei sedentis.' Sed et hæc est antiquiorum scriptorum dicendi ratio. Cic. ad Q. Frat. III. 4. 'Quid plura de judicibus? Duo prætorii sederunt.' Propert. III. 19. 27. 'Minos sedet arbiter Orci.' Idem IV. 12. 19. 'Aut si quis posita judex sedet Æacus urna.' Ovid. Met. XI. 157. 'Monte suo senior judex consedit.' Phædr. I. 10. 'Tunc judex inter illos sedit Simius.' Plinius noster, Epist. VI. 31. de Trajano, cum suscepisset cognitionem: 'Consederat auditurus.' Hinc, 'sedere in aliquem,' ab-

solute est, alicujus judicem esse. Cic. pro Rabir. cap. 5. 'Modo vos iidem in A. Gabinium sedistis.' Advocatorum autem caussas agentium, et litigatorum, erat 'stare:' hinc Noster mox, 'Stant ante te litigatores.' Atque idem de patrono caussæ, Epist. I. 23. 'hunc omnibus sedentibus stare.' Cœperunt tamen aliquando etiam sedentes agere caussas; prout Quinctilian. Instit. Orat. XI. 3. meminit eorum qui sedentes agunt: 'nam et fere,' inquit, 'fit hoc in rebus minoribus, et iidem impetus actionis esse non possunt,' &c. Plura his de rebus suggerit vir celeberrimus, et humanioris jurisprudentiæ consultissimus, Ever. Otto, in Jurisprudentia Symbolica, pag. 237. item Jugler, in erudito schediasmate de Judice Sedente. Baudio autem prorsus intempestive in mentem venit, annon in hoc Plinii loco, pro *sedes*, legendum sit *studes*. Schwarz.

Sedes] Pro tribunali. *Lips.*

Sententiæ tuæ pretium] Catanæus, in prioribus editionibus, item Paullus Stephanus, et Jac. Chouet, pro voce *pretium*, evulgaverunt *præcipuum*. In codice Salisburgensi et meo pronomen *tuæ* omissum, et subsequens verbum, *judicasse*, in *vindicasse* mutatum est. Prior varietas foret tolerabilis; altera prorsus est inutilis; ideoque in codice Salisburgensi utraque ista lectio ab alia manu est emendata. Plinius vero innuere voluit, Trajanum nullo alio sub præmio, nullo lucro fructuque alio, obiisse judicia, quam ut recte judicaret. Qua in sententia sequitur Stoicos, qui docuere, virtutem non esse mercenariam, sed esse sibi pretium. Hinc Seneca Epist. 81. 'Virtutum omnium pretium in ipsis est: non enim exercentur ad præmium; recte facti merces est, fecisse.' Idem de Vita Beata, cap. 9. 'Interrogas, quid petam ex virtute? ipsam. Nihil enim est melius, ipsa pretium sui est.' Idem de Clement. I. 1. 'Recte factorum verus fructus est, fecisse; nec ullum virtutum pretium illis extra ipsas est.' Ovid. ex Ponto II. 3. 33. 'Mercede caret, per seque petenda est Externis virtus incomitata bonis.' In his tamen sententiis latere magniloquentiam quandam Stoicam, ostendi in dissert. de abusione abstractionis metaphysicæ in doctrina morum: certum enim est, virtutem veram simul et honestam esse, et jucundam, et utilem; eumque, qui attributa ista separaverit, haud veram virtutis rectique officii ideam habere; nisi intelligat, nullam jucunditatem, utilitatemque, quærendam esse, quæ non cum virtute sit conjuncta. *Schwarz.*

Bene judicasse] Stoam sapit, quæ 'honesta non in mercedem colit.' Eadem ille Stoic. Ep. 81. 'Recte facti, fecisse merces est.' Idem Clem. I. 12. 'Recte factorum verus fructus sit, fecisse, nec ullum virtutum pretium dignum illis extra ipsas sit.' Claudian. 'Ipsa quidem virtus pretium sibi solaque late Fortunæ secura nitet.' Tacit. Annal. II. 'Conscientia facti (vel ut Lips. ad marg. *factis*) satis est.' *Bern.*

De fortunis suis] Post hæc verba, in codice Salisburgensi, et meo, sine ullo usu, adduntur hæ particulæ, *non solum;* quæ videntur in contextum irrepsisse e glossis; quando fortasse super verba ista, *de fortunis suis*, minus utiliter scriptum fuit, *non solum de fortunis*. Schwarz.

De tua existimatione] Proba hæc est lectio, et in pluribus codicibus Mss. ac libris impressis obvia; etsi in Vaticano 3461. scriptum, et in quibusdam impressis excusum sit, *tua æstimatione;* itemque in codice Patavino, et libro Vossiano, *tua extimatione;* adhæc, in Salisburgensi codice, et meo, *tui existimatione*. P. Faber Saniorianus, in brevibus notis ad Panegyricum Plinii, quæ editioni Pari-

siensi an. 1648. subjiciuntur, putavit legendum esse, *sed de sua existimatione soliciti;* ob id quod sequitur, 'quam quid de moribus sentias.' Admisit hanc lectionem Boxhornius, Kirchmaierus, et Minellianus editor; atque ita etiam legere optavit Christoph. Behrius. Jam quidem 'existimatio' activæ et passivæ significationis est, uti plurima nomina verbalia quæ in *io* exeunt. Active significat 'opinionem' et 'judicium;' sive, quod quis de alio homine aut re sentit et judicat. Sic ponitur apud Terent. Prolog. Heaut. vs. 25. 'Arbitrium vestrum, vestra existimatio, valebit.' Plinius Major, Hist. Nat. XI. 16. ubi duas opiniones recenset de progeneratione apum, 'Propior vero,' inquit, 'prior existimatio fieret, ni rursus alia difficultas occurreret.' Plinius noster, Epist. II. 5. 'In ceteris actionibus existimationi hominum diligentia tantum et fides nostra; in hac etiam pietas, subjicietur.' Passive ad 'famam' et 'dignitatem' pertinet, et Gallorum voci *renom, réputation,* respondet. Sueton. Cæs. cap. 75. 'Carminibus maledicentissimis laceratam existimationem suam civili animo tulit.' Plin. Epist. II. 9. 'Mea existimatio, mea dignitas, in discrimen adducitur.' Pro re nata possit utralibet significatio ad hunc locum applicari. Nempe, si cum Fabro, Boxhornio, et aliis legas *de sua existimatione soliciti;* tunc, 'existimatio' notaret famam, et, ut ita loquar, reputationem. Sed nullus codex Ms. neque antiquiores editiones habent illud pronomen, *sua.* Cum vero utique in plurimis scriptis impressisque libris legamus *de tua existimatione,* hic multo commodiorem locum habet notio activa, ut significetur opinio et judicium; sive id, quod Trajanus judicet sentiatque, de vita ac moribus litigatorum. Hoc Trajani judicium multo magis verebantur litigatores isti, quam omnem aliam sui existimationem. Inde Plin. Epist. X. 8. dixit, 'ad testimonium laudemque morum suorum pertinere, tam boni principis judicio (i. e. existimatione) exornari.' Hinc 'existimationes' et 'judicia' conjungit Cic. ad Q. Frat. I. 1. 'Non est tibi his solis utendum existimationibus ac judiciis, qui nunc sunt, hominum, sed iis etiam qui futuri sunt.' Sæpissime autem a librariis confundi nomina 'existimationis' et 'æstimationis,' itemque verba 'existimare' et 'æstimare,' jam annotarunt Casaubonus et Burmannus ad Sueton. Aug. cap. 3. et Arntzenius ad Aur. Victor. Cæs. cap. 28. *Idem.*

Existimatione] *Æstimatione* Livin. in textu; sed in margine, *existimatione* C.

Existimatione] Tam te scilicet reverentur, tuamque virtutem, ut malint opum jacturam, quam famæ, apud te facere. *Lips.*

De tua existimatione] *De tua æstimatione* edit. Rhen. sed *de sua æstimatione,* ob id quod sequitur, 'quam quid de moribus sentias.' *Faber.*

De moribus sentias] Nescio qua intemperie acti librarii in codicibus Vaticanis, Parisiensi, Veneto 1. Patavino, et libro Vossiano, pro *sentias,* reposuerint *sententies.* 'Sententiare' est verbum medii ævi, et plus quam ferreæ Latinitatis; quod Gerardus de Schueren, Cancellarius Cliviensis, in antiquo Glossario an. 1477. Coloniæ impresso, interpretatus est, *mit den sinnen wat ordelen.* Carolus Cangius in Glossario Latin. explicat id verbum, 'sententiare,' per 'sententiam proferre,' 'opinionem promere;' ejusque verbi affert exempla ex Alberto Stadensi an. 1179. ex Rigordo an. 1209. et aliis similibus. Sed retinendum est melioris Latinitatis verbum *sentias,* i. e. 'existimes,' 'judices.' Interim ex hujusmodi corruptelis colligimus, quibus sæculis isti codices sint scripti, et quemadmo-

dum jamdudum ex uno corrupto exemplari prodierint plura. *Schwarz.*

O vere principis, atque etiam consulis] *Vere* dicitur hic pro 'revera;' aut, si ita mavis, adverbium *vere*, per enallagen ponitur pro adjectivo *veri.* Sic supra, XXXVI. Plinius: 'Nunc templum illud, nunc vere Deus.' Sic et Terent. Eunuch. III. 4. 58. 'Tum pol ego is essem vere, (Eunuchus,) qui simulabar.' Item Eumenius pro Restaur. Schol. cap. 6. 'Constantii, vere principis juventutis, incredibilem erga juventutem Galliarum suarum solicitudinem atque indulgentiam mirari satis nequeo.' Multa exempla hujusmodi enallages, per quam adverbia pro adjectivis apud probatæ Latinitatis auctores ponuntur, jam enumerarunt grammatici, quæ nunc repetere, supervacaneum duco. Ergo non necesse habuere Ascensius, Gryphius anno 1542. H. Stephanus, Rivinus, Hearne, et forte alii, pro *vere*, reponere *veri*. Sigillatim Hearne satis frigidam reddidit orationem, qui præterea particulam exclamandi *o* prorsus omisit. Dicitur autem ἐλλειπτικῶς, *o vere principis, atque etiam consulis*, scilicet, opus, munus, aut simile. Mirum vero est, cur in omnibus, quibus usus sum, codicibus Mss. itemque in editis exemplaribus Puteolani, Beroaldi, Rhenani, et Philomusi, pro voce *consulis*, legamus *decoris*. Non dispicere possum, quid huic varietati introducendæ dederit occasionem; nisi quod suspicer, jam olim quendam, in codice suo, supra, vel juxta vocabulum *consulis*, supplendæ ἐλλείψεως caussa, tanquam glossam scripsisse nomen *decus;* quasi animo ita supplenda essent ista Plinii verba, *O vere principis, atque etiam consulis, decus!* Cum deinde ex tali codice alius rudis librarius describeret exemplar, opinatus *decus*, loco *consulis*, poni debere, hoc nomen *consulis* plane omisit, et pro eo, *decus* in *decoris* convertit, ut cum nomine *principis* conveniret. Hinc varietas ista in tot superstites codices derivata est. Rursus alius librarius, cum in aliquo codice adhuc vocem *consulis*, in alio *decoris* inveniret, pro sapientia sua conatus est istas variantes lectiones conciliare, atque inde effinxit, *O vere principis, atque etiam consularis decoris!* Quam lectionem publicavit Cuspinianus, et in vetere codice suo invenit Livineius. Sed neque hæc nobis placet; inprimis, cum tunc conjunctim legendum videatur, *O vere principalis atque etiam consularis decoris!* Admitto ergo vulgatam lectionem, quam etiam Arntzenius Plinio asseruit; publicavit vero primum Catanæus an. 1506. deinde Aldus, Junta, Cratander, R. et H. Stephani, ceterique omnes; nec minus Rhenanus et Philomusus in margine annotarunt. *Schwarz.*

O vere principis] Forte, *Hoc vere principis.* Livin.

Consulis] *Consularis decoris* V. C. *Livin.*

Æmulas civitates] Qui morbus, etsi in publica illa servitute, civitates tenebat: queriturque de sua Græcia Plutarchus. Sed et Tacitus notat, quasdam 'ad exitium inter se discordes.' *Lips.*

Reconciliare æmulas civitates] Codex Vaticanus 3461. habet verbum simplex *conciliare.* Exempla æmularum civitatum Græciæ affert Tacit. Annal. III. 60.-63. *Schwarz.*

Tumentesque populos] In utroque codice Veneto, Salisburgensi, meo, Patavino, et libro Vossiano, scriptum est *timentesque;* quam lectionem etiam edidere Puteolanus, et Aldus. Ceteri omnes libri, scripti pariter atque impressi, habent *tumentesque;* quin et in codice Veneto 1. Salisburgensi, et Patavino, ab alia manu prius mendum est emendatum. Atque ita jam observavit Drackenborch ad Sil. II. 626. familiarissimum id librariis, ut voces 'timor' ac 'tumor,'

'timere' ac 'tumere,' 'timidus' ac 'tumidus,' aliaque similia, in libris scriptis invicem confundant. *Tumentes* vero populi, non tantum irati, sed et rebus secundis elati, atque ad seditionem insurgentes, dicuntur. Sic Cic. Attic. XIV. 4. 'Tument negotia;' quæ nondum eruperunt, sed erupturasunt. Plinius supra, XXVIII. 3. 'Antea principes tumentibus plebis animis congiarium objectabant.' Ad quem locum vide quæ de verbo 'tumere' annotavi. Ceterum, sequens verbum 'compescere' Plinius supra, LVI. 7. eodem modo adhibuit: 'Hostilemque terrorem, non armorum magis, quam tegarum, ostentatione compescere.' *Idem.*

Intercedere iniquitatibus] I. e. contradicere et resistere magistratuum iniquitatibus, easque impedire et cohibere; metaphora ab 'intercessione tribunorum plebis' sumta. Cujus generis exempla quædam annotavit Livineius. Plinius supra, XXV. 5. 'Intercedere casibus;' ad quem locum conferre licet notam. *Idem.*

Intercedere iniquitatibus magistratuum] Nam Marium Priscum Africæ proconsulem, et Cæcilium Classicum Bæticæ, quamvis defunctum, passus est repetundarum damnari, et Julii Bassi Bithyniæ proconsulis acta rescindi, darique a senatu jus omnibus, de quibus ille aliquid constituisset, ex integro agendi, dumtaxat per biennium. Meminit auctor epistolis sparsim. *Livin.*

Intercedere] Irrita iniqua decreta facere, et nulla. *Lips.*

Iniquitatibus magistratuum] Sententiis iniquis magistratuum, seu sceleribus præsidum; quemadmodum non modo Marium Priscum, Africæ, et Julium Bassum, Bithyniæ proconsules viventes, sed et Cæcilium Classicum, Bæticæ, jam defunctum, accusari passus est. Noster, Epist. II. 11. III. 4. et 9. et IV. 9. *Patarol.*

Infectumque reddere] H. e. interprete Lipsio, iniqua decreta facere irrita et nulla, eorumque effectum tollere. Hyperbolicum hoc esse, et nimis oratorium, dicit Bernegger. Sic vero Plinius etiam supra, XL. 3. 'In præteritum ne Dii quidem subvenire possunt; tu tamen subvenisti, cavistique, ut desineret quisque debere, quod non esset postea debiturus.' Nolim vero cum Gesnero requirere, ut pro sequenti verbo *oportuerit*, legatur *oportuerat;* est enim ille modus potentialis, ut grammatici loquuntur, huic loco accommodatissimus. *Schwarz.*

Infectum] Hyperbolicum hoc, et nimis oratorium. Nam in præteritum ne Dii quidem subvenire possunt; ut ipsemet XL. 3. *Bern.*

Velocissimi sideris more] Solem intellige. *Lips.*

Velocissimi sideris more] Solem intelligit *velocissimi sideris* appellatione, qui tam paucarum horarum spatio tantum curriculum conficit. Sed quod Livineius pro *audire*, restituendum putat *adire*, ignoscant mihi manes doctissimi juvenis, non ipsi assentior. Alludit enim ad versum Homericum: Ἠέλιός θ', ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει. Quare nihil mutandum censeo. *Rittersh.*

Velocissimi sideris] Hic sol ἐξαιρέτως appellatur 'sidus;' uti supra, XXIX. 4. 'Sidus alit fruges;' ad quem locum vide notam. Eodem modo etiam 'sidera,' simpliciter posita, identidem notant solem et lunam. Quo Burmannus refert illud Petronii, cap. 119. 'Qua mare, qua terræ, qua sidus currit utrumque.' Tradente Cic. Nat. Deor. I. 11. 'Crotoniates Alcmæo soli et lunæ, reliquisque sideribus, divinitatem dedit, nec sensit, sese mortalibus rebus immortalitatem dare.' Sed impius ille horum siderum cultus omnino est antiquior. Vocat Plinius 'sidus velocissimum:' nam, secundum eundem Cic. Acad. Quæst. IV. 26. 'Licet nobis sol stare

videatur, tanta, tamen incitatione fertur, ut celeritas ejus quanta sit, ne cogitari quidem possit.' Behrius putavit, rectius scribi debuisse, *clarissimi sideris more;* at Plinius solis celeritatem ad Trajani velocem potentiam, promtissimamque voluntatem juvandorum hominum, applicavit. Sic enim jam supra, xxx. 5. dixit: 'Tam velox, Cæsar, potentia tua est, tamque in omnia pariter intenta bonitas et accincta, ut tristius aliquid sæculo tuo passis, ad remedium salutemque sufficiat ut scias.' *Schwarz.*

Omnia audire] Forte, *adire*. Livin.

Omnia audire] Video esse, quibus allubescit *adire;* at quid aliud est *adire,* quam 'invisere?' immo 'audit' etiam sol, 'audiunt' alia sidera; ut fusius ostendimus ad Taciti illa: 'Solem deinde respiciens, et cetera sidera vocans, quasi coram interrogabat, vellentne contueri inane solum?' &c. Annal. XIII. 55. f. *Grut.*

Undecunque invocatum] Gesnerus ad hæc verba, 'Difficile est,' inquit, 'hic statuere, utrum *invocatum* adjective sumere debeamus, pro non vocato; an participii more, precibus advocatum. Utrumque pulchrum, et ad hunc locum aptum.' Negari non potest, utramque rem voci isti subjectam esse. Sic 'invocatus' apud Plaut. dicitur, 'non vocatus,' ἄκλητος, αὐτόματος, Captiv. I. 1. 2. 'Quia invocatus soleo esse in convivio.' Apud Terent. Eunuch. V. 9. 28. 'Postulo, ut mihi tua domus, te præsente, absente, pateat, invocato ut sit locus semper.' Apud Nepot. Cimon. cap. 4. 'Quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret.' Deinde, 'invocatus' etiam dicitur compellatus, imploratus, precibus advocatus. Sic Plinius Epistol. VIII. 4. 'Invocatis Diis, et, inter Deos, ipso, cujus res, opera, consilia dicturus es.' Justin. XVIII. 6. 'Viri nomine cum multis lacrymis et lamentatione flebili invocato.' Mamert. Paneg. Maxim. Aug. cap. 3. 'Cum ad restituendam rempublicam a cognato tibi Diocletiani numine fueris invocatus.' Est enim tunc 'invocatus' participium verbi 'invocare.' Sed a me impetrare non possum, ut hac in re viro doctissimo subscribam, putemque utramlibet significationem hujus vocabuli hic promiscue posse locum habere. Adverbium enim adjectum, *undecunque,* ni fallor, nos urget, ut *invocatum* pro participio habeamus, et interpretemur 'imploratum,' sive 'precibus advocatum.' Etsi enim *undecunque* proprie sit adverbium loci; æque tamen, ac 'unde' et 'undique,' etiam ad personas aliasque res accommodatur, et notat idem quod 'ab omnium locorum gentiumque hominibus.' Cic. pro Flacco, cap. 26. 'Adsunt Athenienses, unde (i. e. a quibus) humanitas, ac doctrina, religio, fruges, leges, ortæ putantur.' Virg. Æn. VIII. 71. 'Laurentes nymphæ, genus amnibus unde est.' Ad quem locum Servius: 'Cum *unde* hodie ad locum referamus, veteres etiam personis applicabant, ita ut ad omne genus, et ad omnem numerum, referrent.' Tacitus, Annal. lib. II. cap. 63. 'Maroboduo undique (i. e. ab omnibus) deserto, non aliud subsidium, quam misericordia Cæsaris fuit.' Quinctil. Instit. Orat. VII. 3. 'Non, undecunque caussa fluxit, ibi culpa est: ut si cui quis profectionem suaserit, ut ad amicum accedat trans mare, et is naufragio perierit.' Vopiscus in Bonoso, cap. 14. 'Si quando legati barbarorum undecunque gentium venissent, ipsis propinabat.' In sequentibus verbis editiones quædam habent *veluti,* pro *velut;* quædam transponunt has voces, *numen velut.* In codicibus Mss. Vaticano 3461. Veneto utroque, Salisburgensi, Guelpherbytano, Patavino, et meo, desideratur vox *numen.* Denique post hæc Vaticanus 3461. et

Guelpherbytanus, habent *Alia etiam crediderim;* ubi rectius in ceteris libris omnibus legimus, *Talia esse crediderim*. Schwarz.

Velut numen, adesse] *Numen velut adesse* Livin. in textu; sed in margine, *velut numen adesse* V. C. G. R.

Talia esse crediderim] Fœda et impia adulatio; quare bene Lipsius, 'Prudentiam, eloquentiam, et omnia alia, a vobis haurimus, quam pietatem.' *Patarol.*

Nutu] Mamertinus pro Consulatu: 'Poëtæ,' inquit, 'ferunt altissimum illum et cuncta potestate cohibentem Deum, qui ditione perpetua divina atque humana moderatur, cum despiciat in terras, habitu oris tempestatum incerta mutare, ejus nutu mundum tremiscere, illius hilaritate turbines abigi, nubes fugari, nitentia per orbem serena refundi.' *Bern.*

Si quando oculos] Ille vero semper, o Plini; et tu hic cum avunculo tuo epicurissas, cui irridendum videtur, 'agere curam rerum humanarum illud,' quidquid est, 'summum.' Sed prudentiam, eloquentiam, et omnia alia, a vobis haurimus, quam pietatem. *Lips.*

Si quando oculos] Sic Jupiter dicebatur despicere in terras, ut homines juvaret. Virgil. Æn. I. 324. 'Cum Juppiter æthere summo Despiciens mare velivolum, terrasque jacentes, Littoraque, et latos populos; sic vertice cœli Constitit, et Libyæ defixit lumina regnis.' Et Æn. XI. 725. 'At non hæc nullis hominum sator atque Deorum Observans oculis summo sedet altus Olympo.' Contra, rejicere et amovere oculos ab iis dicebatur, quibus erat iratus, aut auxilium præbere nolebat. Virgil. Æn. X. 473. 'Sic ait, atque oculos Rutulorum rejicit arvis.' Statius Theb. XI. 134. 'Sic pater omnipotens visusque nocentibus arvis Abstulit, et dulci terræ caruere sereno.' Putat Lipsius, his verbis Plinium epicurissare. Sed Epicurus omnem negabat providentiam divinam. Et annon etiam alii, qui non sequebantur Epicurum, ita loqui potuere? Exemplo sunt Stoici, qui alioquin acres providentiæ divinæ defensores videri volebant: ex horum tamen schola progressus Lucilius, apud Cic. Nat. Deor. II. 66. 'Magna,' inquit, 'Dii curant; parva negligunt.' Et apud eundem, N. D. III. 35. Lucilius Academicus: 'At enim minora Dii negligunt, neque agellos singulorum, nec viticulas persequuntur; nec si uredo, aut grando, quippiam nocuit, id Jovi animadvertendum fuit.' Et c. 39. 'Non curat singulos homines, ne civitates quidem.' Quam vero diversæ et hallucinantes sententiæ veterum philosophorum fuerint de Deo, Deique providentia, per compendium indicat Arrianus, philosophus Stoicus, in Epicteti Dissert. I. 12. cujus verba Latine facta huc transferre libet: 'Quod ad Deos attinet,' inquit, 'sunt qui negent, ullum numen esse. Sunt qui esse doceant, sed otiosum, et nihil procurans, nihilque prospiciens. Sunt tertii, qui tradant, et esse numen, et providere; sed non nisi magnis et cœlestibus, non vero terrestribus rebus. Quarti tradunt, numen et terrenarum et cœlestium rerum curam gerere; sed generalem, et ad omnes pertinentem; non vero privatim et seorsum ad singulas res conditas spectantem. At quincti, ex quorum numero Ulysses fuit, et Socrates, sic statuunt, et alloquuntur Deum: Te, O Deus, nec in minimo motu latebo, aut fallam!' Nos Christiani, per Dei clementiam, rectius sapimus, et certius sentimus de divina providentia. Quid vero mirum, Plinium, hominem Christianæ veritatis expertem, etiam opinatum esse, Jovem suum magis cœlestium, quam terrestrium humanarumque rerum, curam gerere, et ad has saltem identidem respicere dignari? *Schwarz.*

Demisit in terras] Et Epicurum sa-

piunt hæc Virgilii: 'Cum Jupiter æthere summo Despiciens mare velivolum, terrasque jacentes.' *Bern.*

Fata mortalium] Beneficio aliquot codicum Mss. nempe Vaticani 8461. Veneti 2. Salisburgensis, Guelpherbytani, Patavini, mei, et libri Vossiani, hanc lectionem adscivi, cum in ceteris libris, pro voce *fata*, legamus *facta*. Utrum vero etiam tres reliqui codices Vaticani *facta*, an *fata*, habeant, definire non possum, cum nihil ad hunc locum annotatum deprehenderim. In meo codice saltem supersunt vestigia verioris lectionis, quod ibi lego, *fatalia mortalium*. Frequentissimo errore librariorum voces istas, 'facta,' et 'fata,' inter se permisceri, præter alios, jam annotavit Drackenborch ad Sil. I. 277. et XI. 9. Non admisissem hanc novam lectionem, nisi eamdem tot codices Mss. indicassent, et nisi ipsa Plinii verba vulgatæ lectioni adversari viderentur. Etenim, 'cura' quidem 'factorum mortalium,' itemque 'fata mortalium,' non vero ipsa 'facta mortalium,' numerari possunt 'inter opera divina.' Adhæc loquitur Plinius de Jove, cujus existimabatur, dispensare fata hominum. Sic Arrianus ad Epictetum, I. 12. 'Indigne feres et impatienter ea, quæ constituta sunt a Jove? quam ipse cum Parcis præsentibus, ac definito curriculo volventibus ac definientibus, nativitatis tuæ sortem descripsit.' Latinus Pacatus, Panegyr. ad Theod. Aug. cap. 18. 'An, ut illi majestatis tuæ participi Deo, (Jovi,) feruntur assistere Fata cum tabulis; sic tibi aliqua vis divina subservit, quæ, quod dixeris, scribat, et suggerat?' Claudianus de Bello Gildon. vs. 202. 'Iret adhuc in verba dolor, nisi Jupiter alto Cœpisset solio: voces adamante notabat Atropos, et Lachesis jungebat stamina dictis.' Ad quem locum Barthius: Parcas, inquit, Jovi amanuenses et dictorum ejus exscriptrices facit antiquitas, ut scilicet in fatorum illico numerum venirent, quæ elocutus esset summus Deorum. Atque ita Martiano Capellæ de Nupt. Philol. lib. I. pag. 17. 'Parcæ dicuntur librariæ superum, archivique custodes.' Cum primum hanc varietatem lectionis proderem, eam viri docti haud duxerunt recipiendam. Gesnerus, 'Facta mortalium,' inquit, 'retineo; sermo est de judicante Trajano; quod non pertinet ad *fata*, sed ad *facta*.' Sed sermo omnino ἀμέσως est de Jove, parente mundi; ad quem quomodo mythologi retulerint *fata*, jam indicavi. Arntzenius autem de his Plinii verbis, 'Sensus est,' inquit, 'inter divina opera posuisse Jovem, ut curaret id quod in terris agerent homines.' Certe, si ita locutus esset Plinius, res extra controversiam foret. At ex vulgari lectione, Jupiter non dicitur *curam factorum mortalium*, sed ipsa *facta mortalium*, inter *opera divina* numerasse. Num *facta mortalium* sunt *opera divina?* Potuit, fateor, Jupiter dici 'e cœlo demittere oculos in terras,' ut consideraret facta et actus mortalium; sed potuit etiam ideo despexisse in terras, ut *fata mortalium*, pro ipsorum meritis, moderaretur. Et sic *fata mortalium* recte numerarentur inter opera divina. Illa formula, 'demittere oculos in terras,' jam notat illud ipsum, cum Jupiter dicitur spectasse, ut alia in terris, sic *facta mortalium;* neque opus fuisset ut hoc sigillatim exprimeretur: at, 'fata mortalium inter opera sua numerare' aliquid plus involvit. Equidem Arntzenius ingerit, *fata* locum hic habere vix posse, quia iis vel ipse Jupiter fuerit subjectus. Fateor, ipsum quoque Jovem aliquando a philosophis paganis dici fatis subjectum alligatumque; at non ab omnibus; nec raro oratores et poëtæ laxius loquuntur, et ipsi philosophi sæpe in his sibi contradicunt, admittuntque ipsum Deum non nunquam

mutare fata, et, ut mutet, precibus exorari flectique posse. Seriem quidem fatorum hujus universi, tanquam caussarum ordinem et nexum, ac quasi harmoniam præstabilitam, non posse mutari, tradebant; posse autem singularia fata, quæ a prima origine mundi non sint definita, et quæ saltem seorsum suas caussas habeant, sine confusione, aut turba universi, moveri. Sic et apud Virgil. Æn. x. 35. metuebat Venus, ne nova conderentur fata. 'Cur nunc,' inquit, 'tua quisquam Vertere jura potest; aut cur nova condere fata?' Quantam, quæso, potentiam regendi et mutandi fata hominum, imperatoribus suis tribuerunt veteres oratores, atque poëtæ! Sic incertus auctor Panegyrici Maximiniano et Constantino cap. 14. Maximinianum Augustum alloquitur: 'Te ex ipso imperii vertice decet orbem prospicere communem, cœlestique nutu rebus humanis fata decernere,' &c. Latinus etiam Pacatus, Panegyr. cap. 3. dixit, Theodosium Augustum, 'nutantia Romanæ rei fata suscepisse;' et c. 27. 'Nullam majorem esse principum felicitatem, quam fecisse felicem, et intercessisse inopiæ, et vicisse fortunam, et dedisse homini novum fatum.' Quid ni talia etiam de Jove sentire potuerunt? Si quis denique dixerit, videri tamen potius *facta*, quam *fata*, apud Plinium legi debere, quia orator dixit, Jovem dignatum esse facta mortalium inter divina opera numerare; indicari adeo his verbis non *fata*, quæ per se sint opera divina, sed aliquid inferius; huic respondeo, Plinium ita locutum esse respectu rerum superarum et cœlestium; quarum curam præcipue dignam existimavit majestate Jovis, ita tamen ut huic etiam rerum humanarum curam aliquantisper adjunxerit. Si hæ rationes non sufficiunt ad defendendam novam lectionem; sufficiunt ad ostendendum, me eam non sine omni ratione induxisse. Ne quid vero prætermisisse videar, vel verbo adhuc moneo, apud Gryphium, pro *numerare*, legi *numerari*. Schwarz.

Qua nunc parte curarum] Vulgo hucusque editum legimus, *Quibus nunc per te liber solutusque*. In codicibus Vaticanis, Parisiensi, Veneto utroque, Salisburgensi, Guelpherbytano, meo, Patavino, et libro Vossiano, scriptum est, *Qua nunc parte liber solutusque;* quam lectionem etiam Livineius in vetere codice invenerat; et nunc Arntzenius quoque adscivit. Puteolanus, Beroaldus, et Rhenanus edidere *Qua nunc per te;* ubi quidem pronomen *qua* recte se habet; at nomen *parte*, quod per compendium scriptum fuerat, male mutatum est in *per te*. Rhenanus in margine notarat, legendum *qua cura*. Atque in libro Gudiano primo, margini allitum est, *quæ nunc per te cura liber*. Quam scripturam Scaliger quoque, teste Th. Hearne, in libro suo annotavit. Cuspinianus edidit, *qui nunc per te curarum liber solutusque*. Hujusmodi varietatis et partim corruptelæ caussa omnis nata est ex voce *parte*, per compendium scripta, unde alii effinxere *per te*. Sed inde inepta quædam *ταυτολογία* extitit, cum mox sequatur 'postquam te dedit.' Interim perplacet mihi vox *curarum*, quam Cuspinianus sine dubio ex vetustis, iisque eximiis, quibus usus est, membranis prodidit. Non induci possum ut hanc cum Arntzenio pro inutili, et invito Plinio obtrusa, habeam; cum multo majorem perspicuitatem sententiæ Plinianæ afferat. Sine hac enim voce non statim scires, cujus rei *parte* Jupiter solutus dicatur; haud secus ac perobscure locuturus fuisset Cic. Philipp. xi. 9. si vocabula, 'curæ et cogitationis tuæ,' in his verbis omisisset: 'Rerum natura cogit te partem aliquam in Asiam et Syriam derivare curæ et cogitationis tuæ.' Equidem si Plinius in numero multitudinis posuisset, *qui-*

bus nunc partibus liber solutusque; ut *partes* pro munere et officio sumerentur; tunc demum vocabulum *curarum* superfluum videretur. Sic autem orator duplicem partem, sive duplex genus *curarum*, tribuit Jovi; unum genus curarum rerum superiorum et cœlestium, alterum genus curarum rerum terrestrium et humanarum. Parte igitur curarum, quæ res humanas spectant, Jovem nunc liberum solutumque esse ait; cum hanc susceperit Trajanus, qui vice Jovis in terris fungeretur. Qua occasione autem vox *curarum* ex tot aliis libris exciderit, haud obscure patet; nempe, postquam inepti librarii vocem *parte* mutarant in *per te*, non nulli, qui retinuere pronomen *qua*, ei accommodarunt nomen *cura;* alii, qui retinuere *curarum*, pronomen antecedens *qua* in *qui* converterunt; plures tandem *qua* in *quibus* mutavere, quasi referatur ad *opera divina;* vocabulum autem *curarum*, quod nesciverunt quo referrent, prorsus exturbavere. Hi sunt veluti natales istarum corruptelarum. Emendationem autem nostram etiam approbavit amplexusque est Gesnerus. *Idem.*

Qua nunc parte curarum liber] *Quibus nunc per te liber. Qua*, non *quibus*, est in R. propius ad verum. Egregie V. *Qua nunc parte liber* repræsentat. Abit longius, et nescio quomodo correctorem sapit, quod in C. repperi, *Qui nunc per te curarum liber.* Saltem *per te* abessent, ne inepta geminatione repetatur, *postquam te dedit.* His de caussis vindicias secundum scriptam lectionem equidem dederim, ut jam dixi. *Livin.*

Tantum cælo] Ut poëta: 'Jupiter in cœlis, Cæsar regit omnia terris.' *Lipsius.*

Tantum cælo vacat] Duas priores voces sic transponunt libri excusi, *cælo tantum;* sed contra plurimorum codicum Mss. auctoritatem. Codex vero Salisburgensis et meus, omisso nomine *cælo*, hæc verba sic referunt, *liber solutusque tanto vacat*, quasi librarius ex oscitantia duas voces contraxerit, et ex priore *tant*, ex posteriore solam terminationem *o*, retinuerit; cujus generis corruptelas supra, ad LXXI. 6. ostendi, ubi vulgo legebatur 'suffragatorum,' pro 'suffragatores candidatorum.' Ceterum simili formula utitur Plin. Epist. III. 5. 'In itinere, quasi solutus ceteris curis, huic uni vacabat.' *Schwarz.*

Postquam te dedit] Codex Parisiensis his vocibus interserit *terris*, ut legamus *postquam te terris dedit.* Quæ vox interserta, quam unicus duntaxat codex prodit, non quidem incommoda, attamen nec necessaria, videtur, cum inprimis mox sequatur, 'qui erga omne hominum genus vice sua fungereris.' *Idem.*

Vice sua fungereris] Ita vero Plinius Trajanum facit quasi vicarium Jovis in terris. Sic Seneca de Clement. I. 1. Neronem fingit secum loquentem: 'Ego ex omnibus mortalibus placui, electusque sum, qui in terris Deorum vice fungerer: ego vitæ necisque gentibus arbiter, qualem quisque sortem statumque habeat, in manu mea positum est. Quid cuique mortalium fortuna datum velit, meo ore pronuntiat.' Mamertinus etiam, Panegyr. cap. 3. Maximianum Augustum quasi alterum Jovem repræsentat, cum dicit, eum 'totius orbis fata suscipere, et oblitum quodammodo sui gentibus vivere, et in tam arduo rerum humanarum stare fastigio, ex quo veluti terras omnes et maria despiciat, vicissimque oculis ac mente collustret, ubi sit certa serenitas, ubi dubia tempestas, qui justitiam æmulentur,' &c. Tanta erat illorum temporum adulatio, a qua nec Plinius se immunem præstitit; quanquam sub initium hujus Panegyrici, I. 6. optaverat, 'ut tantum a specie adulationis absit sua gratiarum actio, quantum absit a necessitate.' Nescio

denique cujus culpa, pro *vice sua*, in editionem Hakianam irrepserit *vice versa*. Adhæc librarii quidam facili errore, pro *fungereris*, posuere *fungeris;* quid? quod verbum *fungereris* in codice Patavino prorsus omissum est. *Idem*.

Vice sua] Seneca de Clemen. ubi Nero, 'Ego ex omnibus mortalibus placui, electusque sum, qui Deorum vice fungerer in terris.' *Lips*.

Sufficisque mandanti] I. e. par es, atque satisfacis Jovi, suas tibi partes in terris mandanti. De verbo 'sufficere,' dixi ad LXXVII. 6. Nunc Plinius Trajanum facit quasi Jovis 'mandatarium,' uti jurisconsulti loquuntur. 'Mandare' enim dicimur ei, cui negotium aliquod nostro nomine conficiendum amice et bona fide commendamus, sive committimus, et delegamus; unde 'mandatarius,' qui etiam dicitur 'procurator,' est, qui mandatum suscipit adimplendum. Ad hujusmodi mandata privata respicit Terent. Adelph. III. 3. 18. 'Huic mandes, si quid recte curatum velis.' Librarius, qui vim verbi *sufficis* non satis intellexit, in codice Salisburgensi, et meo, reposuit *sufficitque mandati;* ubi forte *mandari*, pro *mandati*, scribere voluit; quemadmodum ita in Salisburgensi codice ex correctione, pro *mandati*, ab alia manu rescriptum est *mandari*. Sed et Patavinus codex, ac Beroaldi ἔκδοσις, habent *mandati;* quod locum habere non potest, nisi convertas in *mandatis*. Simile erratum supra, ad XLIV. 4. notavi; ubi in verbis *afferebas excusationem adoptanti*, alii, pro *adoptanti*, perperam reposuerant *adeptati*, alii *adoptari*. Schwarz.

Summa cum tua laude] Mancum hunc locum exhibet codex Patavinus, *Summa cum utilitate et laude condatur*. Nonnulli codices, nec pauci libri impressi saltem posteriore loco omittunt *summa;* cujus tamen vocis repetitio majorem vigorem affert orationi; eamque confirmant codices Mss. Vaticani, uterque Venetus, Guelpherbytanus, et liber Vossianus; itemque meliores editiones, Cuspiniani, Gryphii, Sichardi, Gruteri, Baunii, Arntzenii. Verbum *condatur* est, finiatur, transigatur. De quo similia hæc loca affert Cellarius, ex Virgil. Ecl. IX. 52. 'Sæpe ego longos Cantando puerum memini me condere soles.' Ex Horat., Od. IV. 5. 29. 'Condit quisque diem collibus in suis.' Et ex Plinio nostro, Epist. IX. 36. 4. 'Variis sermonibus vespera extenditur, et, quanquam longissimus dies, cito conditur.' *Idem*.

Summa cum tua laude] *Cum tua laude* Livin. in textu; sed in margine, *Summa cum tua laude* V. C. G.

CAP. LXXXI. *Cum influentibus negotiis*] 'Influere' proprie de aqua, aliove liquore, dicitur, cum copiose se infundit, aut de ipsis fluviis et amnibus qui in mare illabuntur. Deinde transfertur etiam ad res alias, quæ partim magna copia et quasi cum impetu concurrunt, et se immittunt, partim quæ leniter se insinuant. De leni et blanda insinuatione Cic. in Lælio, cap. 25. 'Quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in aures concionis, cum ferret legem de tribunis plebis reficiendis!' De influxu et concursu copioso, et quasi instar torrentis irrumpente, idem Cic. de Provinc. Consular. cap. 13. 'Ipse ille C. Marius . . . influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit.' Similiter Cic. ibid. cap. 12. dixerat, nationes eas, quæ numero hominum ac multitudine ipsa poterant in provincias Romanorum redundare, a Cn. Pompeio esse partim recisas, partim repressas. Quinctil. Declam. III. 13. 'Influxit (i. e. infudit se) Italiæ inaudita multitudo, quam ne ea quidem potuit sustinere terra, quæ genuit.' Flor. I. 1. 'Et statim mira vis hominum, Latini Tuscique pastores, . . . influxerant.' Na-

zarius in Paneg. Constantino Aug. c. 4. 'Cujus munera in alios influere, (i. e. copiose redundare,) possent, in eum ipsum tua munera redundarunt.' Ergo 'influentia negotia' Plinio dicuntur, multa et magna, eaque concurrentia, negotia, quibus tanquam fluctu obrui possumus. Sic Cic. ad Q. Frat. I. 1. 2. 'Neve te obrui, tanquam fluctu, sic magnitudine negotii sinas; . . . contra etiam ultro occurras negotiis.' Ab initio hujus capitis codex Patavinus, et lib. Vossianus, pro *Quod*, habent *Quid*. Hoc si per interrogationem assumatur, *Quid? si quando, &c.* posset admitti: verum nolim, contra consensum omnium reliquorum librorum, istam transitionem Plinio nimis crebro affingere, cum eadem in proximo capite affuerit. Quid vero notius est illo pleonasmo, per quem, *quod si*, pro *si*, ponitur? non quidem a principio integræ orationis, bene tamen, ubi præcesserunt aliæ sententiæ, quæ quasi per 'Si vero' connectendæ forent. *Schwarz.*

Influentibus negotiis paria] Id est, si exhausisti omnia negotia, quæ magna copia velut inundant. 'Paria facere,' est reliqui nihil habere, a ratiociniis sumtum. *Lips.*

Paria fecisti] I. e. Si influentibus negotiis defunctus es, et si omnia, quibus districtus fuisti, negotia obiisti, iisque satisfecisti, neque aliquid necessario expediendum reliquisti, &c. Formula dicendi ab arte numerorum et rationum depromta; valet enim proprie, rationibus redditis, reliqua plane exsolvere, vel eo nomine satisfacere; sive ostendere, accepti et expensi rationes esse pares. Qua formula præ ceteris frequenter usus est Seneca; v. g. de Benef. II. 30. 'Eodem quidem momento, quo obligatus es, si vis, cum quolibet paria fecisti: quoniam, qui libenter beneficium accepit, reddidit.' Ibid. III. 9. 'Cum aliter beneficium detur, aliter reddatur; paria facere, difficile est.' Epist. 19. 'Poteram tecum hac Mæcenatis sententia parem facere rationem.' Epist. 81. 'An is, qui profuit nobis, si postea nocuit, paria fecerit, et nos debito solverit? . . . Vir bonus utrosque calculos sic ponit, ut se ipse circumscribat: beneficio adjicit; injuriæ demit.' Epist. 91. 'Quotidie cum vita paria faciamus.' De Ira III. 25. 'Si iratus est, demus illi spatium, quo dispicere, quid fecerit, possit. Ipse se castigabit; denique dabit pœnas. Non est, quod cum illo paria faciamus.' Desino, plura exempla e Seneca colligere. Attamen nec alii auctores ab hac loquendi ratione sunt alieni. Quinctil. Declam. VI. 10. 'In hoc mutuæ charitatis affectu paria fecimus.' Declam. IX. 16. 'Paria tecum facio, respublica, quæ propter me unum civem perdideras.' Declam. XII. 29. 'Siccine paria fecimus?' Haud secus Plinius Major, II. 88. 'Nascuntur et alio modo terræ, ac repente in aliquo mari emergunt, velut paria secum faciente natura.' Plinius noster, Epist. V. 2. 'Accepi pulcherrimos turdos, cum quibus parem calculum ponere non possum.' Hic vides evidenter, hanc formulam a rationibus et a calculatoribus, trahi, qui 'parem calculum,' i. e. parem rationem, adscribunt; prout recte explicat Catanæus. Idem Epist. VII. 19. 'Habuerunt officia mea in secundis, habuerunt in adversis: non feci tamen paria; atque eo magis Fanniam cupio servari, ut mihi solvendi tempora supersint.' Cf. supra, VI. 5. et notam nostram ad illum locum. *Schwarz.*

Instar refectionis] In Vossiano libro pro *instar*, legitur *inter*; quod est mendum librarii; etiamsi cum Arntzenio suspicari velis, nomen *refectionis* forte habitum esse pro accusativo plurali. De voce *instar* nonnihil dixi supra, ad p. 658. Sic vero ipse Plinius jam LXXVII. 5. dixit, Traja-

num 'tam assiduum fuisse in tribunali, ut labore refici ac reparari videretur.' Bene enim Xenophon ait, Cyropæd. lib. VII. Οἱ γὰρ πόνοι ὄψον τοῖς ἀγαθοῖς. *Labores fortibus sunt opsonii loco.* In meo codice pro voce *mutationem*, facili errore scriptum est *imitationem;* prima enim syllaba *mu*, in *imi*, propter omissa puncta litteræ *i*, est conversa. Pejus erratum admisit librarius codicis Patavini, qui sequentia verba, *nisi lustrare saltus, excutere cubilibus feras*, prorsus omisit; pro quibus duo alia vocabula satis audacter reposuit, et cum præcedentibus ita conjunxit, *Quæ enim remissio tibi nostræ salutis?* Transit vero jam Plinius a laude virtutum animi ad laudem bonorum et exercitationis corporis. *Idem.*

Lustrare saltus] Venationis in eo studium commendat: quidquid mox dicet, rarum tamen, nec in magno, priscis Romanis. At aliæ gentes amarunt, et ab Hispanis suis traxit Trajanus. Ab eo Hadrianus, qui 'usque ad insaniam et periculum eo detentus' scribitur. Sed et M. Antoninus 'piscando et venando multum se oblectavit.' Quis carpere possit? usum habet, si modum; et Plato, Xenophon, alii, laudarunt. *Lips.*

Lustrare saltus] Claudianus de Stilicone: 'Quis Stilicone prior ferro penetrare leones Comminus, aut longe virga transfigere cervos?' *Bern.*

Horrentibus scopulis] Scopuli sunt saxa eminentia, et quia quasi erecti, et porrecti, eminent, dicuntur 'scopuli horrentes,' quasi 'horridi,' i. e. asperi. Sic Virgilio Æn. IV. 366. dicitur 'duris cautibus horrens Caucasus.' Æn. II. 713. 'Horrentes rupes.' Ovid. Met. IV. 777. 'Silvis horrentia saxa fragosis.' Quod ἐπίθετον transfertur etiam ad alias res hispidas, et densatas. Virg. Georg. III. 315. dicuntur 'rubi horrentes.' Plinio nostro Epist. VII. 27. 'Senex promissa barba, horrenti capillo.' Haud secus Petronio cap. 99. 'Stetit in limine barbis horrentibus nauta.' Scilicet horror est asperitas corporis, ubi contrahitur cutis, et arriguntur comæ. Etsi ergo verbum 'horrere' proprie dicitur, ejusmodi horrore concuti; participium tamen non tantum de hominibus, qui hoc horrore corripiuntur, sed etiam de rebus, quarum extremitates horrentium comis similes arrigi, et asperari, videntur, dici solet. Immo credas, aliquando quasi activam notionem induere, ut pro 'horribilis,' sive 'horrorem incutiens,' ponatur. Huc non pauca exempla vel ex solo Valerio Flacco referre posse videor; v. g. Argon. VI. 524. 'Horrentia arma.' I. 486. 'Agnoscit Acastum Horrentem jaculis, et parmæ luce coruscum.' IV. 425. 'Littora fatidici pœnis horrentia Phinei.' VI. 175. 'Nec pater horrentem (Æsoniden) colubris, vultuque tremendum Gorgoneo,' &c. Virgil. Æn. X. 237. dicuntur 'Horrentes Marte Latini.' Ceterum in sequentibus Plinii verbis codex Patavinus pro *inferre*, habet *infigere;* non quidem adeo inepte. Sicut enim boni quidam auctores dicunt, 'figere pedem,' 'figere gradum;' ita credas, dici etiam posse, 'scopulis gradum infigere.' Non tamen necesse est, ut inde, contra consensum tot ceterorum librorum, aliquid mutemus. Nec denique probo, pro participio casus accusandi *adjutum*, positum esse casum nominandi *adjutus*, in Salisburgensi codice, et meo. *Schwarz.*

Nullius vestigio] Præeuntis, opinor, et viam facientis aut monstrantis. *Lips.*

Adire lucos] Veterum opinione sacros. *Idem.*

Adire lucos] Secundum Isidorum XIV. 8. 'Lucus est locus densus arboribus, septus, soli lucem detrahens. Potest et a collucendo crebris luminibus dici, quæ ibi propter religio-

nem gentilium cultumque fiebant.' Scaligero tamen, Poët. XIII. 90. aliisque viris doctis, magis probatur posterior etymologia. Seneca Epist. 41. 'Si tibi occurrit vetustis arboribus, et solitam altitudinem egressis frequens lucus, et conspectum cœli densitate ramorum, aliorum alios protegentium, submovens, illa proceritas silvæ, et secretum loci, et admiratio umbræ, in aperto tam densæ atque continuæ, fidem tibi numinis facit.' Ovid. Amor. III. 1. 'Stat vetus, et multos incidua silva per annos; Credibile est, illi nûmen inesse loco.' De consecratis gentilium lucis, in peculiari dissertatione, an. 1686. Altorfii habita, ex instituto egit vir quondam doctissimus, Andr. Christianus Eschenbachius. *Schwarz.*

Occursare numinibus] I. e. numinibus venerandis placandisque operam dare. Unde et hoc verbum apud Romanos dicebatur de studio candidatorum, qui occurrebant iis salutandis et prensandis, quorum benevolentiam et suffragium sibi conciliare nitebantur. Cic. pro Milone, cap. 35. 'Vestras et vestrorum occursationes, studia, sermones, quemcunque cursum fortuna dederit, secum ablaturum dicit.' Cf. notata ad XXV. 5. Ex mythologia vero constat, quæ potissimum numina venantibus favere credita sint, et in silvis agrisque coli consueverint: nempe Diana, (vid. Nostr. Epist. I. 6.) Pan, Faunus, Satyri, Silvanus, Nymphæ, et alii. *Idem.*

Numinibus] Lucorum, fontium, fluminum, quibus singulis sua adesse numina veteres opinabantur. *Patarol.*

Olim] Abundant exemplis historicorum et poëtarum libri. Videri potest præ ceteris Xenophon de Venatione. *Idem.*

Olim hæc experientia] Dubito, an non, *experimenta.* Sed quando *olim?* vix sane veteres Romanos factitasse legas, qui a prima adolescentia in militia, aut ejus exercitiis erant. Sed et Sallust. Catil. IV. 2. 'agrum colere, et venari, servilibus officiis' adscribit. Licet tamen opinari, haud neglexisse prorsus, etsi in laude aut cura non habuisse. Postea invaluisse haud nego, adeo, ut Maximinus (sed Thrax ille, et barbarus) 'solis venationibus legiones frequenter exerceret.' Capitolin. in ejus Vita, cap. 8. *Lips.*

Olim] Statim Romulus et Remus. Liv. I. 4. 'Cum primum adolevit ætas, nec in stabulis, nec ad pecora segnes, venando peragrare circa saltus. Hinc robore corporibus animisque sumto,' &c. Pollux Præfat. lib. V. de venatione: 'Hoc studium heroicum regiumque est, et ad corporis animique bonam constitutionem confert; estque tam placidæ fortitudinis, quam militaris audaciæ specimen, ad virilitatem utile.' Hinc publice venari coactus rex Persarum. Xenoph. Cyropæd. I. 6. Hoc studio et Mithridates: 'Insidias vitavit, et corpus ad omnem patientiam duravit,' ut refert Justin. XXXVII. 2. 9. ad quem vide notam Bernegg. *Frischm.*

Olim hæc experientia] Behrius censet, Plinium per vocem *olim* respicere historiam fabularem; nempe Herculem, et Meleagrum, et priscos alios heroës; quorum ille leonem Nemeæum, alter aprum Caledonium, alii feras alias, confecerint, magno agricolarum emolumento. Non nego, istiusmodi exempla huc referri posse; at puto, nec veteres Romanos hinc excludi, immo potissimum intelligi debere, quia sequitur, 'his artibus duces imbuebantur.' Romanorum autem quædam exempla et ipse Behrius annotavit. Sic Liv. I. 4. de ipsis primis urbis Romæ conditoribus, Romulo et Remo: 'Cum primum adolevit ætas, venando peragrare circa saltus. Hinc robore corporibus animisque sumto, jam non feras tantum subsistere, sed in latrones præda

onustos impetus facere.' Nec Porcius Latro a studio venandi fuit alienus. Teste enim Seneca Præfat. lib. I. Controvers. 'Cum se silvis montibusque tradiderat, omnes illos agrestes in silvis ac montibus natos, laboris patientia, ac venandi solertia, provocabat.' Et Cato Major, apud Cic. de Senectute, cap. 16. 'Conditiora,' inquit, 'facit hæc (commoda agriculturæ) supervacanei operis aucupium atque venatio.' Septimius Marcellus, ducta domum Sylvia, plerumque venationibus operam dabat, referente Plutarcho in Vitis Parall. pag. 312. Cic. de Nat. Deor. II. 64. 'Immanes et feras belluas nanciscimur venando, ut et vescamur iis, et exerceamur in venando, ad similitudinem bellicæ disciplinæ.' Idem, de moribus sui temporis, de Offic. I. 29. 'Suppeditant et campus noster, et studia venandi, honesta exempla ludendi.' Ovid. inter seria remedia Amoris studium venandi numerat, vs. 199. 'Vel tu venandi studium cole: sæpe recessit Turpiter a Phœbi victa sorore Venus,' &c. Horat. Epist. I. 18. venationem vocat 'Romanis solenne viris opus, utile famæ Vitæque et membris, præsertim cum valeas, et Vel cursu superare canem, vel viribus aprum, Possis: adde, virilia quod speciosius arma Non est, qui tractet.' Cum igitur Sallust. Catil. cap. 4. narret, se 'neque agrum colendo, aut venando, servilibus officiis intentum, ætatem agere voluisse;' tunc facile patet, eum non simpliciter, sed comparate et ratione culturæ animi atque ingenii, ista studia appellasse 'officia servilia,' quatenus antea dixerat, nos 'animi imperio, corporis servitio, magis uti;' prout istum Sallustii locum recte explicat Cortius. Ceterum Lipsius dubitavit an non, pro *experientia*, legi debeat *experimenta*. Verum, nolim solicitare lectionem vulgatam, et omnium librorum auctoritate stabilitam. *Experientia* hic dicitur notitia, sive facultas, et calliditas quædam, crebro labore et usu acquisita. Sic Plancus apud Cic. Fam. x. 18. 'Quæ si adventus meus represserit, agam gratias fortunæ constantiæque meæ, quæ me ad hanc experientiam excitavit.' Virgil. Georg. I. 4. 'Apibus quanta experientia parcis.' Ad quem locum recte Servius: 'Experientia,' id est, 'usu nata doctrina. Hoc est ἡ πεῖρα, vel notitia.' *Schwarz.*

His artibus] Duo codices Vaticani, nempe 1475. et 3461. pro *artibus*, exhibent *actibus;* ubi litera *r* prono lapsu mutata est in *c*. Codex Guelpherbytanus, pro verbo *imbuebantur*, reposuit *induebantur;* non quidem incongruenter; attamen verbum *imbuebantur* satis Plinianum est, et ceterorum librorum suffragio confirmatur. Ceterum notanda est peculiaris horum verborum structura, *his artibus imbuebantur, certare, &c.* etiamsi hæc quoque posteriora referri possint ad superiora verba 'hæc experientia juventutis, hæc voluptas erat; certare,' &c. *Idem.*

Submota campis irruptio ferarum] Dubitat vir magnus, quomodo verba isthæc interpretanda sint, et aliter atque aliter explicat. Verum, mea sententia, vult auctor non coactos eo casu rusticos custodire arvorum suorum varia loca, ne irrumperent in ea feræ, a quibus quasi obsidebantur. *Grut.*

Obsidione quadam] Utne ipsi obsederint, et indagine feras cinxerint? an ut liberarint ferarum obsidione agrestes? *Lips.*

Agrestium labor] Est metonymica loquendi ratio, i. e. agri labore agricolarum culti, per venationes liberantur obsidione ferarum, sive a damnis et incommodis ferarum obsidentium; utpote quæ feræ agros quasi obsederant, et depastæ depopulatæque erant, ita, ut tempore pacis omnem fructum laboris agricolarum interceperint; haud secus, ac

tempore belli hostes tectis agrisque depopulationem vastitatemque inferunt. 'Obsidio' hic μεταφορικῶς pro noxa, incommodis, et angustiis, dicitur; uti apud Cic. Fam. v. 6. 'qui ex obsidione fœneratores exemerit.' Ad quem locum vide Grævium. Ovid. Met. VIII. 290. seqq. aprum Calydonium, tanquam talem vastatorem agrorum, pulchre describit: 'Is modo crescenti segetes proculcat in herba; Nec matura metit fleturi vota coloni; Et, Cererem in spicis intercipit,' &c. *Schwarz.*

Usurpabant gloriam istam] Scil. gloriam venationis. Etsi verbum 'usurpare' generatim nihil aliud significet, quam in usum capere, item, in frequenti usu habere, sicut Plinius supra, I. 2. dixit: 'Qui mos, cui potius, quam consuli, aut quando magis usurpandus, colendusque est?' LXXVIII. 3. 'Quem ergo honorem magis amare, quod nomen usurpare sæpius, debes?' Hoc tamen loco significanter de iis dici videtur, qui aliquid invadunt, et sua sibi auctoritate sumunt, cujus nullum jus habent. Sic et Sueton. Claudio cap. 25. 'Peregrinæ conditionis homines vetuit usurpare Romana nomina, duntaxat gentilitia. Civitatem Romanam usurpantes in campo Esquilino securi percussit.' Hic, 'civitatem Romanam usurpantes,' dicuntur, qui se pro civibus gesserunt, cum non essent, &c. Ita et Tacit. Annal. III. 60. 'Igitur placitum, ut mitterent civitates jura, atque legatos. Et quædam, quod falso usurpaverant, sponte omisere.' Ceterum his verbis sigillatim Domitianum designari, alii jam notarunt. De quo Sueton. cap. 19. 'Laboris impatiens, per urbem pedibus non temere ambulavit. In expeditione et agmine, equo rarius, lectica assidue, vectus est. Armorum nullo, sagittarum vel præcipuo studio, tenebatur. Centenas varii generis feras sæpe in Albano secessu conficientem spectavere plerique.' De Indorum regibus Curtius, VIII. 9. 'Venatus maximus labor est; inclusa vivario animalia inter vota cantusque pellicum figere.' Luculentiorem locum de Persarum regibus e Dione Chrysostomo annotavit Livineius; quippe qui dicuntur feras hortis inclusas, et domitas, custodiaque fractas, peremisse, pariterque et inveniendarum voluptate, et præveniendarum studio, pugnandique alacritate, caruisse. *Idem.*

Qui obire non poterant] Pro his verbis Christoph. Behrius legendum putavit, *qui laborem gravabantur;* sed nullius libri auspicio addicente. Et quid opus est mutatione? cum et ii *non obire posse*, dici queant, quibus inertia, et ignavia, mollitiesque, est impedimento. Catanæus verbum *obire* retulit ad nomen *gloriam*, et explicavit, 'qui eam gloriam assequi,' et mereri, 'non poterant.' Quem sensum horum verborum etiam interpretes respexerunt, Italus, Gallus, et Germanus. Quod si vero aliquantum insolentior loquendi formula videatur, *gloriam obire*, possumus sub hoc verbo subaudire pronomen 'id,' vel 'ea,' nempe quæ ad venationem attinent, de qua sermo; nempe, 'non poterant lustrare saltus, excutere cubilibus feras, superare immensa montium juga,' &c. Atque huc etiam referenda est explicatio Cellarii: 'Qui propter mollitiem non poterant id laboris sustinere.' Plin. Epist. VI. 16. 'Quod studioso animo incohaverat, (id) obit maximo.' Cic. Attic. VIII. 12. 'Id etsi erat deliberationis, obire non potui.' Q. Cic. de Petitione Consul. cap. 12. 'Neque posse domum ejus compleri, qui tantummodo reciperet, quantum videret, se obire posse.' Quid vero frequentius dicitur, quam *obire*, i. e. agere, exequi, perficere, negotium, opus, munus, suas res, labores, venationem, et similia? Verba sequentia Cuspinianus,

Cratander, Gryphius, Sichardus, sic edidere, *usurpabant autem ita;* quam particulam, *ita*, etiam H. Stephanus in margine annotavit; sed hanc in codicibus Mss. aliisque libris, non deprehendimus, quamvis alioqui non contemnamus. In meo codice, et Salisburgensi, præterea quoque particula *autem* est prætermissa. *Idem.*

Ut domitas] *Ita ut domitas* C. G. *Livin.*

Domitas] Allusum fortasse ad Domitianum, quem, teste Sueton. cap. 19. ‘centenas varii generis feras sæpe in Albano secessu conficientem spectavere plerique.’ Hujusmodi autem feræ, utpote claustris eductæ, multum feritatis ac virium amiserant: Trajanus vero non fractas, non domitas, sed sui juris belluas, apertoque campo, aggredi gestiebat. *Patarol.*

Fractasque claustris feras] In codice Salisburgensi, item et meo, præpostere scriptum est *fractisque claustris feras;* quæ tamen scriptura perversa etiam in editos libros H. Stephani, Gryphii, an. 1531. Sichardi, et Rivini, transmissa est. Gryphius vero hoc mendum postea correxit. Equidem et ‘claustra refringi’ dicuntur; v. g. Plin. Epist. II. 10. ‘Quidam tui versus claustra sua refregerunt;’ et II. 14. ‘Refractis pudoris et reverentiæ claustris.’ At hoc loco non claustra fracta, sive refracta; sed ‘feræ claustris domitæ fractæque,’ dicuntur; quibus nempe diuturna captivitas, intra claustra et septa, feritatem compressit, atque exuit; prout hæc recte interpretatur Vlitius ad Gratii Falisci Cyneget. vs. 305. Sic Cic. de Orat. I. 26. ‘Simul ac me fractum ac debilitatum metu vidit.’ Plinio nostro, Epist. II. 14. ‘fracta pronuntiatio’ dicitur enervata et mollis. VIII. 14. ‘Quibus malis ingenia nostra hebetata, fracta, contusa sunt.’ Nepos Themist. cap. 1. ‘Quæ contumelia non fregit eum, sed erexit.’ Arntzenius hoc in loco pro *claustris*, reposuit *clathris;* quam lectionem etiam approbat Gesnerus in Epistola de sua Plinii editione. Profitetur ille, se hoc nomen *clathris*, reperisse in Excerptis codicis Guelpherbytani, docetque, proprie dicta esse *clathra*, illa receptacula, in quæ animalia conclusa fuerint; inde et Heinsium Claudiano II. Consul. Stilic. vs. 272. restituisse *clathris*, pro vulgato *claustris*. Et certe, ad Horatii Artem Poët. vs. 473. ‘Ac velut ursus Objectos caveæ valuit si frangere clathros;’ vetus Scholiastes: ‘*Clathri*, sive *clathra*,’ inquit, ‘sunt robusti postes et rotundi, repagula. quibus obfirmatur cavea.’ Equidem, non rejicerem vocem *clathris*, si ea vero antiquitatis testimonio in hoc Plinii loco niteretur. At ego in omnibus scriptis impressisque exemplaribus Panegyrici Pliniani, quæ tractavi, adeoque etiam in ipsis Excerptis codicis Guelpherbytani, quibus accuratissime descriptis utor; itemque in libro altero Gudii, qui alioquin præcipue codicis Guelpherbytani variantes lectiones fideliter refert; adhæc nominatim in codice Vaticano 3461. ex quo codicem Guelpherbytanum puto descriptum fuisse, constanter expressum lego *claustris;* nec scio, unde illa vox, *clathra*, in Arntzenii Excerpta pervenerit, facile autem patebit iis, quibus datur occasio adeundæ Bibliothecæ Guelpherbytanæ, quomodo se res habeat. Sed nec video caussam idoneam, cur asperner lectionèm vulgatam, omniumque librorum auctoritate confirmatam. Largior, nomen ‘clathrorum’ ad receptaculum ferarum συνεκδοχικῶς significandum recte adhiberi; sed non minus idem receptaculum etiam nomine ‘claustrorum,’ et ‘caveæ,’ recte exprimitur. Certe sic Liv. XXXVI. 7. ‘Ille quidem feræ bestiæ, vinctæ, aut clausæ, et refringere claustra cupienti, regis iram verbis

æquabat. Cujus si talis animus est, solvamus nos ejus vincula, et claustra refringamus, ut erumpere diu coërcitam iram in hostes communes possit.' Statius Silv. II. 4. de Leone mansueto: 'Quid? quod abire domo, rursusque in claustra reverti Suetus.' Vides hic, receptaculum leonis vocari 'domum,' et 'claustra;' atque inferius etiam 'caveam:' 'Stat cardine aperto Infelix cavea.' Apud Claudian. quoque, II. Consul. Stilic. vs. 272. in meo codice Ms. utique lego, 'Retibus, et claustris, dilata morte tenendæ, Ducendæque feræ.' Martial. IX. 73. de leone et ariete: 'Cavea stabulantur in una, Et pariter socias carpit uterque dapes.' Ita videor Plinio antiquam vocem *claustris* jure meritoque vindicasse. *Schwarzius.*

In ipsorum quidem ludibrium] I. e. in ipsorum vero principum ludibrium; utpote qui deridiculo spectatoribus fuere, quod cupierant videri haberique venatores, cum tamen non nisi feras claustris domitas fractasque, quæ ex illis ipsis claustris emissæ præsto erant, venarentur. In his verbis Livineii auribus suspecta fuit particula *quidem;* quamvis libri, quos tractarit, non variarint. Emendandum igitur censuit, *in ipsorum (quid ni?) ludibrium.* Atque ecce! non tantum codex Guelpherbytanus pro *quidem*, exhibet *quid in*, quod facillime ex *quid ni* formatum credas, sed etiam diserte lego in codice Vaticano 3461. in Parisiensi, et Veneto 1. *quid ni.* Concedo, levi mutatione ex voculis *quid ni* potuisse fieri *quidem;* sed pari levitate lectio prisca *quidem*, in nonnullis codicibus converti potuit in *quid ni;* ut sic dubium sit, utra lectio fluxerit ex calamo Plinii. Verum, in ista commutatione, *quid ni*, haudquaquam possum cum Livineio agnoscere singularem venustatem et gratiam. Præfero potius particulam *quidem*, in omnibus ceteris libris manifeste expressam, quam puto hic pro 'vero,' sive 'certe,' poni. Cic. pro Cluentio, c. 19. 'Verbo ille reus erat, re quidem vera, et periculo, et tota accusatione, Oppianicus.' Idem Fam. I. 7. 'Cui quidem literæ tuæ perjucundæ fuerunt.' Et alibi passim. *Idem.*

In ipsorum quidem ludibrium] Suspectum hic meis auribus quidem. Libri tamen non variant, quos quidem tractarim. Emendabam, *in ipsorum (quidni?) ludibrium*, levi mutatione, sed non exigua sententiæ venustate et gratia. Tu vide, lector, et cense. Apud Senecam quoque de Beneficiis v. 24. idem tentabam, sed haud scio, an pari successu. Verba hæc sunt: 'Cum Cæsar meminisse se dixisset: Meministi quidem, inquit, sub quadam arbore minimum umbræ spargente cum velles residere ferventissimo sole,' et quæ sequuntur. Reponebam, inquam, *Meministi (quid ni?) inquit, sub quad. &c.* Muretus de ingenio, et jure suo, non e libris, edidit, *Meministi quoque, inquit, sub quad.* Jano Grutero placebat, *Meministin' idem sub quad.* quod mihi quidem non admodum probat. Addam Solini e Polyhistore cap. 32. locum, qui superioris mihi conjecturæ auctor et tanquam fundus est: 'Garamantum oppidum est Debris, fonte miro, qui denique alternis vicibus die frigeat, nocte ferveat.' Sed eximie Langiani ac Delriani codices, *fonte miro, (quid ni?) qui alternis, &c.* Corrupta et hæc Plinii Epist. VII. 30. 'Torqueor, quod discipulum, ut scribis, optimæ spei amisisti. Cujus et valetudine et morte impedita studia tua quid nesciam? cum sis omn. offic.' &c. Corrigam, *quid ni sciam? &c.* Ceterum similia ac pæne gemina sunt iis, quæ hic dicuntur illa Chrysostomi Dionis de Persarum regibus extremo sermone de Regno III. Ἐκεῖνοι μὲν γὰρ παραδείσοις περιλαβόντες, ὁπότε ἐπιθυμήσειαν,

ὥσπερ ἐν εἱρκτῇ τὰ θηρία ἔκτειναν, ὡς μήτε ζητοῦντας πονεῖν, μήτε αὖ κινδυνεύοντας, ἅτε ἀσθενῆ καὶ δεδουλωμένα, ὁμοίως δὲ ἀφῃροῦντο τὴν ἐπὶ τῷ εὑρεῖν χαρὰν, καὶ τὴν ἐπὶ τῷ φθάσαι σπουδὴν, καὶ τὴν ἐπὶ τῷ συμβῆναι ἀγωνίαν· ὅμοιον γὰρ ἐποίει ὥσπερ οἱ πολεμικοὶ φάσκοντες εἶναι, ἀφέντες δὲ τὸ τοῖς πολεμίοις μάχεσθαι, τοὺς αἰχμαλώτους οἴκοι λαβόντες ἔκτειναν. *Illi enim hortis inclusas, utcunque subitum, velut in custodia feras perimebant, cum quidem nec laborem iis quærendis, nec periculum adirent, ut invalidis, ac servitute fractis, pariterque et reperiendarum voluptate, et præveniendarum studio, et pugnæ ac congressus sollicitudine carebant: nam proinde agebant, ac si bellicosos se professi, derelicto cum hostibus conflictu, captivos domi nacti interficerent.* Livin.

Mentita sagacitate] Ad venationem requiritur sagacitas, non tantum canum, cum, tradente Nonio Marcello, 'canes sagaces' dicantur, ferarum, vel animalium, quæsitores; sed etiam ipsorum venatorum, quorum est, sagaciter et indagare feras, et excipere. 'Mentita' autem 'sagacitas' est ficta, et commentitia, atque vana, quæ veram sagacitatem saltem imitatur, et assimulat. Grammatici participium 'mentitus' annumerant participiis præteriti temporis verborum deponentium, quæ non solum activam, sed et passivam significationem admittant; de quibus agit Vossius Art. Gram. VI. 11. Sunt tamen, qui, 'mentitus, a, um,' ubique active, vel neutraliter, explicare velint; cum τὸ 'mentiri' non tantum hominibus, sed et rebus, tribuant. Quando Virgil. Æn. II. 422. canit, 'Primi clypeos, mentitaque tela, Agnoscunt,' Servius hæc annotat: '*Mentita tela*, hoc est, quæ nos Græcos esse mentiebantur; ut solet, sensum dedit rei inanimatæ. Non enim illa poterant tela mentiri.' Sic Plinius Major, XXXIII. 44. 'Ramentum ... candorem mentitur.' Sic et 'mentiti colores,' χρώματα ψευδόμενα, colores dicuntur, qui mentiuntur nativam speciem. Cic. Nat. Deor. II. 21. 'Quæ ordine, veritate, ratione, et constantia, vacant; ea mentita, et falsa, plenaque erroris, eunt circum terras.' Non tamen erraverit, qui hic significationem passivam agnoscat. Veniebat mihi in mentem, pro sequente verbo *colligerent*, legere *conficerent*, sive *configerent*; sed nec libri veteris indicium mihi succurrit; neque necessitas quædam emendandi apparet, cum verbum 'colligere' satis apte hic interpretari possimus, 'in angustum cogere.' Sil. X. 2. 'Ceu fera, quæ, telis circumcingentibus, ultro Assilit in ferrum, et per vulnera colligit hostem.' *Schwarz.*

Mentita] Videbantur enim multum laboris, industriæque multum, impendere iis conficiendis, sed revera non item. *Patarol.*

Mentita sagacitate] Quo hæc spectent, quæro. Domitianum scio, 'sagittarum vel præcipuo studio tentum, et centenas varii generis feras sæpe in Albano secessu confecisse,' ex Sueton. c. 19. An igitur vult Plinius, feras istas claustris caveisque emissas, et tum quasi sagacitate ejus indagatas percussasque esse? potest: sed magis credam, apros, cervos, aut id genus emissos, et captos deinde, quasi vera venatione et sagacitate quæsitos. *Lips.*

Huic par capiendi, &c.] Ita est et in G. probe; nam Trajanum sentit. Infra, 'simul cogito, cum sint ista ludus et avocamentum, quæ quantæque sint hujus illæ seriæ voluptates.' Vitiosum, quod V. C. exhibeat, *His par cap.* In R. lego, *Hic par cap.* propius vero. *Livin.*

Huic par capiendi, &c.] Probat istud Livineius, sed mihi magis arridet, quod expressit Lipsius, *nunc par cap.* modo esset a manu scripto codice; nam commentarius ejus emendationis hujus non meminit. *Grut.*

Huic par] *Huic*, scilicet Trajano. At perverse *His* omnes, quos inspexi, codices Mss. habent; quos etiam in impressis libris secuti sunt Puteolanus, Beroaldus, et, quod mirum est, Cuspinianus. Propius vero Rhenanus, *Hic*, tanquam adverbium loci, posuit; nec tamen dissimulavit in margine, alias legi *Huic*. Lipsius, Bernegger, Hackius, et Gesnerus, pro *Huic*, prodidere *Nunc;* quod arrisit Grutero, modo esset a Ms. codice; cum Lipsii commentarius hujus emendationis non meminerit. Sed mihi perplacet *Huic;* quod demonstrat principem Trajanum, huncque opponit illis principibus, qui falso usurpabant gloriam venationis. Istud vero pronomen *Huic* jam evulgarunt Catanæus, Aldus, Philomusus, Cratander, R. et H. Stephani, Gryphius, Ascensius, Sichardus, Livineius, et alii, recenterque Arntzenius. In sequentibus, *sudor* ponitur pro voce 'studium,' sive 'labor,' ut apud Vell. II. 28. 'Quod nobilissimis summo cum sudore consequendum foret.' Noster supra, LXXVII. 6. 'Quis nostrum idem curæ, idem sudoris, insumit.' Inde *sudor* conjungitur cum genitivo gerundii, *par capiendi quærendique sudor*, i. e. tantum studium laboremque feris in silva quærendis, quantum capiendis, impendit. Sequitur tamen mox alia verborum structura, *labor invenire*. Confer notam ad hoc ipsum caput, § 2. Sequens transeundi particula, *Enimvero*, optime hic per 'At,' 'Sed,' explicari potest. Tacit. Annal. VI. 35. 'Enimvero apud Sarmatas non una vox ducis.' Ipse Plinius Paneg. II. 8. XXV. 3. *Schwarz.*

Quærendique] Illi autem non quærebant, sed interficiebant, feras ab aliis productas. *Patarol.*

Labor, invenire] Quasi dicat: Tu quærebas re vera feras, et ea ipsa quæsitione delectabaris, (ita est in venatoribus) finisque tuus erat præcipuus, invenisse. Quis enim vir magnus ob prædam quærit? *Lips.*

Fluitantia vela] I. e. Vela laxa, ideoque ventis facile agitanda; fere poëtice, ut Ovid. Met. XI. 470. 'Vela tamen spectat summo fluitantia malo.' Sic de velis theatrorum Propert. III. 17. 'Pleno fluitantia vela theatro.' Etiam de vestitu laxo Tacitus de Germ. cap. 17. 'Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatæ ac Parthi; sed stricta et singulos artus exprimente.' *Schwarzius.*

Oculis sequitur] Quietus et sedens, ac pulchre a moribus et ingenio navigantium sumtum: quia re vera oculi eo feruntur. *Lips.*

Aut manibus] Forte, *aut navibus:* patet e sequentibus. *Livin.*

Aut manibus] An demonstrando, huc aut illuc, ecce, fert ventus? An *navibus* legi verius? Mihi verius: et ignavia tangitur illorum, qui ne remos strepitusque alios nauticos audirent, nave alia religati navem præducentem sequebantur. Mox palam dicit. *Lips.*

Aut manibus] Livin. *navibus:* probe. *Ritt.*

Aut manibus] In dubium hanc lectionem vocant quidam viri eruditi. Livineius in margine monuit, pro *manibus*, forte legendum esse *navibus*. Quam emendationem, quamvis nondum receperit, etiam proposuit Lipsius, eidemque calculum suum addidere Rittershusius et Baudius. Nihilo minus hucusque ab omnibus evulgata est vox *manibus*, quam his temporibus docte quoque Plinio vindicavit Arntzenius. Equidem facile fieri potuisse, ut *navibus* in *manibus* a librariis commutaretur, ipse commonstravi ad XXXI. 2. et in Excurs. XXXVI. Lipsius docet, his verbis tangi ignaviam illorum principum, qui, ne remos, strepitusque alios nauticos, audirent, non in majore illa nave, in qua pandebantur vela, et remos age-

bant nautæ; sed alia nave religati, consederint, navemque præducentem sint secuti; id quod ex proximo capite intelligimus. Verum, non leves rationes nos movent, ut cum Arntzenio lectionem vulgatam tueamur. Primum enim, si vocem *navibus* admittamus, parum grate idem bis diceretur, cum mox de religato revinctoque navigio sequatur. Deinde tunc non *navibus*, numero multitudinis, sed *nave*, numero singulari, dicendum esset, cum Plinius de uno duntaxat principe, itemque navigio religato revinctoque, loquatur, diserteque mox dicat, 'velut capta nave sequitur.' Adhæc, minus apte conjungerentur, aut sibi opponerentur 'oculi' et 'naves;' cum contra luculentius dicatur, *Vela aut oculis sequitur, aut manibus.* Nec minus tamen hac lectione designari potest ignavia aliorum principum, si vocem *manibus*, saltem de 'gestu manuum' explicemus; quasi navigans ille princeps nihil aliud egerit, quam quod manibus, sive manuum gestu, identidem ostenderit, quo ventus vela navemque ferat; sive quid nautis agendum sit; et quomodo vela, tanquam nimis tumida, sint contrahenda: aut, si mavis, quod manus ignavas plane demiserit, et, prout desides solent, conjecerit in gremium, secundum illud Ovid. Epist. Heroid. IX. 136. 'Et jacet in gremio languida facta manus.' Et nescio, an non pertineat ad exempla regum, 'in mari lascivientium,' quorum meminit Seneca de Benefic. VII. 20. Ceterum, in verbis sequentibus, codex Salisburgensis, meusque, pro *valentissimo*, habent *validissimo*. Utriusque vocis eadem est notio; faveo tamen lectioni ex consensu plurimorum librorum receptæ. Etenim etiam *valentissimus* est robustissimus. Cic. Verr. v. 54. 'Sex lictores eum circumsistunt valentissimi, et ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi.' Tacitus, Hist. II. 8. 'Mancipiorum valentissimum quemque armavit.' *Schwarz.*

Nunc cum valentissimo quoque sodalium] Prudentissima Bongarsii manus subnotavit virgula vocem *sodalium:* et est sane minime prætereunda, sive est accipienda pro 'sociis' dictis 'navalibus;' sive adeo pro aulicis, a principe excitatis, ut laboris æmulis: quippe constat, bonos principes ita se communicare administris suis, ut nullum tamen metuant contagium majestati suæ, etiamsi eosdem blandiori nomine compellant, 'fratres,' 'amicos,' 'sodales,' 'comites,' 'commilitones,' 'consecraneos,' ut pluribus ostendi in diatribis meis ad Tacitum: nimirum, quibus ea est prudentia, habent ante animi oculos illud Plinianum: 'Cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si se ipse submittat.' Haud tamen cum aliquo pugnarim, ultima hac significatione interpretandum 'sodales,' cum et hodie Belgica lingua nautæ eo nomine vulgo veniant. *Grut.*

Sodalium] Qui 'socii navales' dicuntur. *Lips.*

Frangere] Remis. *Idem.*

Transfretare] *Transferre* V. R. bene, etsi id ποιητικώτερον. *Livin.*

Transire] Ita reposui ex editionibus, Antverpiensi an. 1610. cum notis Lipsii, et Parisiensi P. de la Baune. In aliis legitur *transfretare;* in aliis *transferre;* puto ab illo corruptum. *Patarol.*

Transfretare obstantia freta] Non solum omnes codices Mss. quibus usus sum; sed etiam in excusis libris, Puteolanus, Beroaldus, Philomusus, Gruterus, et forte alii, pro *transfretare*, referunt *transferre;* sed sine commodo sensu, ita, ut facile appareat, hoc verbum non a prima origine hic stetisse, sed ex corrupto verbo *transfretare* a librariis effictum esse; quod verbum vel per compendium fuerit scriptum; vel cujus duæ pos-

teriores syllabæ in quodam codice vetusto exoleverint, ut tantum *trans-fre* legi potuerit. Etiam Rhenanus edidit *transferre;* sed in margine notavit, alias legi *transfretare*, vel *transire*. Hoc verbum *transire*, quod planissimum, et huic rei tantum non proprium est, receperunt Lipsius, Bernegger, Hackius, Baunius, Patarol, Ceva, Gesnerus; nihilo minus verbum *transfretare* orationi panegyricæ aptius judico; quod quamvis in codicibus Mss. qui mihi innotuere, non inveniatur, uti nec invenitur *transire;* jam tamen illud editum approbatumque est a viris eximiis, Catanæo, Aldo, Junta, tribus Stephanis, Gryphio, Ascensio, Sichardo, Navio, Livineio, Boxhornio, Cellario, Hearne, Arntzenio. Nec verbum hoc abhorret ab usu ævi Pliniani. Sueton. Cæs. c. 34. 'Secundum superum mare Brundusium tetendit, quo consules, Pompeiusque, confugerant, quamprimum transfretaturi.' Gell. Noct. Attic. x. 26. 'Asinio Pollioni, in quadam epistola, quam ad Plancum scripsit, et quibusdam aliis C. Sallustii iniquis dignum nota visum est, quod in primo Historiarum, maris transitum transmissumque navibus factum, *transgressum* appellavit; eosque, qui fretum transmiserant, quos *transfretasse* dici solitum est, *transgressos* dixit.' Eumenius in Panegyr. Constant. Aug. c. 7. 'Ad tempus ipsum, quo pater in Britanniam transfretabat.' Nec me moratur additum illud nomen *freta;* quot enim sunt verba neutra, quæ accusativum cognatæ significationis, vel suæ originis, admittunt? v. g. 'jurare verissimum pulcherrimumque jusjurandum,' 'gaudere gaudium,' 'pugnare pugnam,' 'pugnare prælia,' 'navigare æquor,' 'currere viam,' et alia generis ejusdem. Putes fortasse, verbum *transfretare* posse prorsus abesse, ut *freta obstantia remis*, connectantur cum verbo, *domitare*. Sed nihil muto. In codice Salisburgensi, et meo, non lego *freta obstantia*, sed *freta distantia*. Schwarzius.

Cap. lxxxii. *Dissimilis illi*] Unicus codex Salisburgensis pro *illi*, a prima manu habet *ille;* haudquaquam inconcinne; tunc enim diceretur, *Quantum dissimilis ille*, scilicet Domitianus fuit Trajano! Ex vulgata autem lectione invertenda est explicatio, *Quantum dissimilis* est Trajanus *illi*, scilicet Domitiano; qui nempe palluit metu, cum vel placidissimas Albani Baianique lacus aquas nave transiret! *Idem.*

Albani lacus] *Lacus* dicitur omne perpetuæ et non fluentis aquæ receptaculum. Varro de Lingua Lat. iv. 5. 'Lacus, lacuna magna, ubi aqua contineri potest.' In nemore Albano Albanus lacus fuit, cujus aquæ intumescentis prodigio capti Veii, prout narrat Liv. v. 19. Meminit hujus Propert. iii. 21. 'Albanus lacus, et socii Nemorensis ab unda.' Uterque enim lacus, Albanus, et Nemorensis, qui, auctore Servio, vocatus est Speculum Dianæ, ab iisdem extitit fontibus, ut docet Scaliger ad Propert. Vide Pataroli notam. *Idem.*

Albani lacus] Hic erat ad Albanum montem, teste Strab. lib. v. Uterque mons et lacus, nomen retulit ab Alba, opido, ab urbe procul milliariis circiter 12. secundum Eutropium. Domitianus ibi secessum, 'tanquam arcem aliquam elegerat,' quo maxime delectabatur, teste Dione, et Sueton. c. 4. et 19. Ibi quinquatria Minervæ celebravit, seque sagittandi studio exercuit. Testes iidem, et Martial. v. 1. *Patarol.*

Baianique] Baianus lacus, seu Lucrinus, in interiore angulo Baiani sinus, qui nunc *Golfo di Pozzuolo*, Baiis contiguus erat, teste Strab. lib. v. Delicatis piscibus abundabat; nunc non nisi palus est, deperditis aquis,

ibi oborto monte, qui Cinereus dicitur, ex terræ motu an. 1538. *Idem.*

Baianique torporem] I. e. Baiani lacus tranquillitatem. Strabo lib. v. p. 243. docet, in Cumano litore proximum Cumis esse Misenum; deinde sub rupe lacum; mox sinum Baianum, ubi aquæ calidæ et salutares. Situm hujus lacus etiam indicat Tacit. Annal. xiv. 4. 'Nero matrem ducit Baulos; id villæ nomen est, quæ promontorium Misenum inter et Baianum lacum flexo mari alluitur.' Celebris erat amœnitas Baiani sinus et lacus in Campania, atque inde frequentia villarum ubique ita commendata, ut in exemplum quoque amœnissimorum locorum traheretur. Martial. iv. 25. 'Æmula Baianis Altini littora villis.' Cellarius ad Plin. Epist. ix. 7. Arntzenius pro voce *torporem*, primus, et adhuc solus, edidit *teporem*. 'In omnibus,' inquit, 'quas consului, editionibus, antea legebatur, *Baianique torporem*. Difficile est dicere, quomodo in tam pulcro corpore leviusculam maculam non deprehenderint editores; quam sustulerant Voss. et Guelph. cum rectius *teporem* dedere. Et sane Baiæ celeberrimæ fuere propter calidas et tepentes aquas, quæ delicatiores Romanos amœnitate sua et deliciis allicerent.' Hactenus Arntzenius; post hæc multa affert scriptorum loca, quibus declaret, Baiis teporem, et tepentes aquas, passim tribui consuevisse. Sed ignoscet mihi vir optimus, quod nec ego in vulgata hujus loci lectione ullam maculam; sed multo magis in voce *teporem* intempestivam correctionem librarii, agnoscere possim. Provocat is quidem ad auctoritatem libri Vossiani, et codicis Guelphici. De Excerptis Vossianis nihil dubito, cum et ego ibi invenerim nomen *teporem;* itemque in ipso codice Patavino, e quo plurimas lectiones in librum Vossianum translatas esse, jam alibi monui: at quod de Guelphico codice perhibet, fallitur. Neque enim in hujus Excerptis accuratissimis, neque in altero libro Gudii, qui cum Guelphico alias ut plurimum convenit, nomen *teporem*, animadverti. Nemo negabit, Baiarum aquas, passim tepidas et tepentes appellari; at nec incredibile est, non minus recte *torporem* lacui Baiano ab oratore adscribi tribuique potuisse, ac, si quidem nexum et scopum orationis expendamus, hoc in loco omnium accommodatissime. 'Torpere' maxime dicuntur homines pigri et otiosi; unde Sallust. Catil. c. 16. 'ne per otium torpescerent manus et animus.' Et Cicero de Epicuræorum Deo, quem nihil agere, sed perpetuo feriari, statuerunt, de Nat. Deor. i. 37. 'Sic Deum feriatum cessatione torpere.' Sed idem verbum etiam transfertur ad res, quæ nihil, vel parum, moventur, et quasi situ torpent. Sic et Plinius Major, xiii. 25. nimis tenuium 'vinorum pigram lenitatem torpere,' dicit. Quid ni ergo etiam lacus, quorum aquæ stagnantes, aut tranquillæ, nec fluctibus, nec vehementibus ventis moventur, 'torpere' dicantur, iisque 'torpor' adscribatur? Et sic diserte 'lacus torpentes' nominat Stat. Theb. ix. 452. 'Stagnaque, torpentesque lacus, pigrasque paludes Excutit.' Item Seneca Tragicus Hippol. vs. 1201. 'Pallidi fauces Averni, vosque Tænarei specus, Unda miseris grata Lethes, vosque torpentes lacus.' Sic adeo 'torpentes' vocabantur, quia sine motu essent, ac quasi quiete et otio torperent. Itaque Plinius, cum ostendere vellet, Trajanum nullos reformidasse labores et molestias, sive venatus sit, sive navigarit, omninoque dissimilem esse Domitiano, sive alii, qui ne quidem in tranquillissimis aquis motum pulsumque remorum perpeti potuerit; lacuum illorum mitissimorum, Albani et Baiani, tranquillitatem et securitatem vocat *otium, torporem*, et

silentium; hæc enim hoc loco sunt συνώνυμα, et opponuntur tempestati maris, ventis, tumidisque fluctibus, atque horrido murmure, turbidi. Sic 'maris otia' de tranquillitate et securitate maris dicuntur Floro I. 16. quam lectionem recte Floro asseruit Gruterus. Eadem notione sumitur 'lacuum torpor;' quia lacus tali otio quasi torpent, uti homines 'otio torpere' dicuntur. Statius IV. 7. 19. 'Baias' appellat 'desides,' i. e. otio et desidiæ datas; aut fortasse, quia deliciis suis homines reddant desides: 'Ecce me natum propiore terra, Non tamen portu retinent amœno Desides Baiæ.' Sic Val. Flac. II. 585. etiam 'silentia ponti' vocat tacitum undarum favorem. Atque Senecæ, in Herc. Fur. vs. 536. tranquillum mare dicitur 'Mutis tacitum littoribus mare, Illic dura carent æquora fluctibus.' Cujusmodi loca jam ipse annotavit Arntzenius. Nescio igitur, quid inter istas denominationes sibi velit 'tepor lacus Baiani,' et quid ille tepor per se faciat ad otium, i. e. ad tranquillitatem et securitatem illius lacus. Immo nescio, cur vox *torpor*, ab omnibus ceteris libris confirmata, et præsenti argumento tam accommodata, rejici atque exterminari debeat. Hinc nec Gesnero ista emendatio probari potuit, qui in Epistola de sua Plinii editione notat, facile fuisse, probare, a tepore et calore celebrari Baias; at vero huc facere, 'teporem,' præ 'torpore,' illud non esse ostensum. *Schwarzius.*

Singulos ictus] Num horruit, quoties navis, vel saxis, vel littori, allidi visa est? Val. Flac. I. 330. 'Quoties raucos ad littoris ictus Deficiam?' Sed rectius hic tantum intelliguntur 'ictus pulsusque remorum;' quoties nempe lacus pulsatus remis resonuit; ut Seneca in Octavia, vs. 315. loquitur: 'Quoties freta pulsata remis resonarent.' Patavinus codex vitiose habet *fragoremque nemorum*, pro *remorum*. Idem.

Ipse et immotus] Misere fœdarunt hunc locum librarii. In Vaticano 3461. utroque Veneto, Parisiensi, Salisburgensi, Patavino, meo, et libro Vossiano, sine sensu reposuerunt, *Ipse etiam motus religatore vinctoque navigio.* Et in Guelpherbytano, *ab omni somno concussus ipse et motus.* Plinius significare voluit, Domitianum immotum otiosumque sedisse in navigio suo, quod præeunti alii navi alligatum revinctumque fuerit, ita, ut hoc Domitiani navigium nullis remis sit usum, sed per funes ab illa præeunte nave tractum. *Idem.*

Religato] Alteri navi, sive triremi, quæ illam, in qua ipse voluptuabatur, traheret, immotis interim navis imperatoriæ remis, ne illorum fragor et pulsus delicato principi gravior esset. *Patarol.*

Piaculum] Victima expiationi destinata, quæ, Lipsio auctore, trahebatur, 'ne quis devotam, et malis publicis onustam, tangeret.' *Idem.*

Ac piaculum] Hostia, qua scelera piabant, sive purgabant. Ea procul, ne quis devotam et malis publicis onustam tangeret, trahebatur, et in mare devectam mergebant. Græcorum κάθαρμα, μόλυσμα. *Lips.*

Piaculum aliquod] *Piaculum* ponitur pro piaculari homine, vel piaculari victima; de qua non nihil jam annotavi ad XLIV. 4. 'Homines piaculares' duorum generum erant, sontes et insontes: quorum illi maximis et nefandis sceleribus iram Deorum accivisse credebantur, ita, ut Dii non placari posse putarentur, nisi ejusmodi piacula e medio tollerentur. Ex his, qui super terram interficiebantur, καθάρματα, at qui in mare præcipitabantur, περιψήματα dici consuevisse, nonnulli volunt; nescio tamen, an satis certo discrimine. Sed et innocentes, ingruentibus quidem publicis calamitatibus, piaculi loco,

vel sponte ad expiationem se offerebant, sicuti Codrus, rex Atheniensium, et inter Romanos, Decius, pater et filius, M. Curtius, et alii; vel ab oraculo, aut a populo, destinabantur, quorum capite omnia civitatis scelera luerentur, et ira Deorum averteretur; cujusmodi exemplis Græcorum Romanorumque historia abundat. Quoniam vero tales piaculares homines, inprimis scelerati illi habebantur 'sacri,' i. e. exsecrabiles et diris devoti; horum tactum, adspectusque contagionem, alii fugiebant, ne inde pollnerentur. Cum ergo Plinius narrat, Domitianum voluisse in separato quodam navigio trahi; indicat, eum visum esse tanquam talem hominem piacularem, cujus contagionem alii reformidarint. *Schwarz.*

Fœda facies] I. e. indecorum et principi turpe spectaculum. De vocabulo 'facies' dixi ad c. xxxv. Sequentes voces, *populi Romani imperator*, cum in plerisque codicibus per compendium scriptæ sint, *P. R. Imp.* hinc variationes et menda in aliis exemplaribus extitere. In codice Veneto 2. lego, *cum p. r. nuper alienum, &c.* in Salisburgensi, *cum populi Romani nuper alienum.* In quibus vides nomen *imper.* sive *imperator*, temere conversum esse in *nuper*. Etiam in Londinensi editione an. 1716. vitiose editum est, *cum populi Romani Imperii.* In codice Patavino, et libro Vossiano, *cum princeps imperii;* quæ lectio mihi non displiceret, si alii libri adstipularentur. *Idem.*

Alienum cursum] I. e. alius, non suæ, navis cursum, aliusque navis gubernatorem. *Alienum* enim opponitur *suo;* ut apud Nostrum, Epist. v. 14. 'Oportet omnia aut ad alienum arbitrium, aut ad suum, facere.' *Idem.*

Velut capta nave] Cum navis imperatoria videretur navis quædam hostilis, eaque bello capta, quæ a victoribus trahi solebat, ut videre est apud Liv. lib. xxii. *Patarol.*

Velut capta nave] I. e. tanquam navis imperatoris capta esset, et ab alia nave traheretur. Jam alii annotarunt, respici morem, quo naves hostium captæ victorum navibus alligari, et sic ab his trahi solitæ sint. Livius enim, xxii. 20. de captis Pœnorum navibus: 'Romani . . . haud cunctanter insecuti trepidam hostium classem, naves omnes, quæ non aut perfregerant proras littore illisas, aut carinas fixerant vadis, religatas suis puppibus in altum extraxere: ad quinque et viginti naves ex quadraginta cepere.' Schefferus de Militia Navali, iv. 2. ubi de triumpho navali agit, docet, etiam triumphatorem secum non suas duntaxat naves, sed et hostiles, puppibus suarum religatas, duxisse, easque plenas tabulis et spoliis. Et sic Germani etiam navem prætoriam Romanorum captam traxisse videntur, de quibus Tacit. Hist. v. 22. 'Multa luce revecti hostes, captivis navibus, prætoriam triremem, flumine Luppia, donum Velledæ traxere.' Idem de Demetrio, qui Ptolemæum navali pugna vicerat, narrat Diodorus Siculus lib. xx. p. 760. Δημήτριος ναυμαχήσας τὰς ἰδίας ναῦς κοσμήσας τοῖς ἀκροστολίοις, καὶ τὰς ἁλούσας ἐφελκόμενος τὸν πλοῦν ἐποιεῖτο πρὸς τὸν οἰκεῖον λιμένα. *Demetrius victor navali prœlio naves suas acrostoliis exornat; captas vero trahens revertitur in portum suum.* Non tamen solas captas naves, sed et alias onerarias, aliquando eodem modo traxere. Liv. xxv. 30. 'Marcellus nocte navim onerariam cum armatis remulco quadriremis trahi ad Achradinam jussit,' i. e. explicante Scheffero, navis oneraria non incessit pro se ipsa, sed quadriremi alligata fune, molli et leni tractu ad progressum, ut ait Festus, mulcebatur. Id quod ad hunc Plinii locum illustrandum bene accommodari potest. Isidor. xix. 4. 'Remulcum, funis, quo deligata navis

trahitur, vice remi.' Nempe ea navis, quæ trahebat alteram, utebatur quidem remis; sed non ea, quæ trahebatur. Meus codex, item et a prima manu Salisburgensis, pro *capta*, habent *captus;* in vulgata tamen lectione acquiescendum duco. *Idem.*

Capta nave] Is erat ritus, Livio expressus l. XXII. 'Romani naves omnes (captas) religatas puppibus in altum extraxere.' *Lips.*

Atque amnes] Omnes, quos adii, codices Mss. produnt, *atque etiam Danubius, &c.* In solo libro Vossiano pro voce *amnes,* extat *omne;* sed punctis subnotata. Ostendit quidem Arntzenius, solere non nunquam ita eas particulas cumulari; ei tamen magis placuit, nihil mutare; quod et ego sentio; cum omnes libri excusi lectionem vulgatam comprobent. *Schwarz.*

Tantum illud nostri dedecoris] Pro *tantum,* perperam *tamen* exhibent codex Patavinus et liber Vossianus. Livineius in codice suo, pro *dedecoris* invenerat *dedecus;* unde per conjecturam pro *nostri,* rescribendum putavit *monstri;* ut scilicet Domitianus vocetur 'monstrum.' Sed sequor vulgatam lectionem; cui et codices Mss. præsidium afferunt; nisi quod in Salisburgensi codice et meo, hæ voces ita transponuntur, *tantum illud dedecoris nostri.* Jo. Frid. Gronovius margini libri sui allevit, forte legendum esse, *damnum illud nostri decoris.* In meo codice scriptum est, *tantum illud decoris nostri.* Idem.

Tantum illud nostri dedecoris] *Tantum illud nostri decoris, &c. Dedecoris* habent C. G. R. in V. *dedecus* scriptum offendi. Placet, sed juvem insuper, et *monstri* proxime rescribam. 'Monstrum,' opinor, Domitianum vocat, ut Crispinum Juvenal. Sat. IV. 'monstrum nulla virtute redemtum a vitiis.' Infra, *deferentia* arbitror probum, et 'per alveos prona' interpretor, ne quis frustra mendi habeat suspectum. *Livin.*

Nostri dedecoris] Liber scriptus, *monstri dedecus:* quod nescio, an edito præferam. *Lips.*

Nostri dedecoris] *Decoris.* Restitueram hic jam olim *dedecoris:* quod nunc etiam apud Livin. video, verissime; præcessit enim, 'fœda facies,' et, 'deformitate ista.' Sed quod idem pro *nostri,* suspicatur legend. *monstri,* id num probem, subsisto. *Rittersh.*


Vehere gaudebant] In expeditionibus Domitiani, de quibus mentionem fecimus non longe ab initio. *Patarol.*

Romanæ aquilæ, Romana signa] Bene Plinius 'Romanas aquilas' distinguit a 'Romanis signis.' Sic et alii probatæ Latinitatis auctores loquuntur; v. g. Galba apud Cic. Fam. X. 30. 'Aquilæ duæ, signa sexaginta, sunt relata Antonii.' Et Catil. II. 6. 'Cum tubas, cum signa militaria, cum aquilam illam argenteam, cui ille etiam sacrarium scelerum domi suæ fecerat, scirem esse præmissam.' Hirt. B. H. cap. 7. 'Pompeius aquilas habuit, et signa XIII. legionum.' Tacit. Hist. II. 22. 'Valens circumdatus aquilis signisque.' Lucan. I. 7. 'Infestisque obvia signis Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis.' Sic et qui aquilas et signa portabant, proprie distinguebantur nominibus. Tacit. Hist. I. 48. 'Literas Germanici Cæcina aquiliferis signiferisque occulte recitat:' quanquam apud Flor. IV. 12. etiam ille, qui aquilam gestarat, 'signifer' appellatur. Nihilo minus tamen, generatim loquendo, aquila etiam erat signum, nempe signum totius alicujus legionis. Hinc et aquilæ aliquando nomine 'signorum' simul comprehenduntur. Sic, in Caroli Ducis Arschotani Numismatibus Regum et Imperatorum Rom. præter alios, inter nummos Tiberii Imp. Tab. XVII. n. 8. extat unus, (quem fig. 2. delineandum curavi,) in cujus aversa parte conspicitur aquila inter duo signa militaria; in margine sculpta sunt hæc verba:

SIGN. RECEP. DEVICT. GERM. h. e. 'Signis receptis devictis Germanis.' Perhibentur indicari signa militaria, quæ Romani clade Variana amiserant, ac Tiberius recepisse videri voluit. Vides hic in media facie nummi aquilam simplicem, longæ perticæ impositam; vides duo alia signa militaria cohortium non unius formæ: attamen aquila et signa illa sub uno 'signorum' nomine comprehenduntur. Erat nempe aquila illa effigies avis aquilæ solida ex auro, aut argento; aut certe his metallis obducta, et hastæ, sive perticæ summæ, imposita; quæ pertica, ut facilius defigi posset, in acutam cuspidem desinebat; quamvis cuspis illa in hoc nummo non appareat, cum jam terræ defixa videatur; apparet autem retinaculum inferiori parti perticæ additum, ut commodius revelli posset: res enim mali ominis habebatur, si neque aquilæ, neque signa, facile convelli moverique potuerunt. Sueton. Claud. cap. 13. Flor. II. 6. 14. et Val. Max. I. 6. 6. Videtur vero ista effigies aquilæ amoveri potuisse; nam apud Flor. IV. 12. 38. hæc legimus: 'Signa et aquilas duas adhuc barbari possident; tertiam (aquilam) signifer prius, quam in manus hostium perveniret, evulsit, mersamque intra baltei sui latebras gerens, in cruenta palude sic latuit.' Ante C. Marium, si Plinium audimus, N. H. X. 4. apud Romanos signa legionum erant aquilæ, lupi, minotauri, equi, et apri, quorum simulacra singulos ordines anteibant: 'Paucis,' inquit, 'ante annis sola aquila in aciem portari cœpta erat; reliqua in castris relinquebantur. Marius in totum ea abdicavit, et in secundo consulatu suo aquilam legionibus Romanis proprie dicavit.' Observavit vero Raph. Fabrettus de Columna Trajani, cap. III. pag. 64. aquilas istas legionarias diversimode ornatas fuisse, ut legionarii milites suæ legionis aquilam ab aliis distinctam eo facilius agnoscere potuerint: cum in nummis, aliisque monimentis, istiusmodi aquilæ modo simplices absque ornamentis, modo cum fulminibus, modo cum clypeis, aut imaginibus, repræsentari consueverint. Sicuti autem singulis legionibus suæ erant aquilæ; ita in quavis legione cum decem essent cohortes, aquila quidem apud primam cohortem, aut certe apud primum pilum, fuit; ceterarum vero cohortium unaquæque proprium habuit signum. Atque adeo hæc κατ' ἐξοχὴν dicebantur 'signa militaria.' Quorum signorum non eadem semper forma fuit, sed talis tamen, ut ejusdem cohortis milites suum signum haud ægre agnoscerent. In perticarum enim summa parte aliquando cuspis, aliquando transversum ligneolum, itemque quasi uncus ferreus, aliquando manus, tanquam signum fidei, aliquando corona, sive sertum, tanquam signum victoriæ, eminebant; nec raro alia addebantur ornamenta, quasi semilunulæ, item orbiculi, sive clypeoli, in quibus imagines cum Deorum militarium, tum principum, effulsisse videntur. Interdum et appensas habebant tabellas quadratas, aut forte panniculos, in quibus per singulas literas designabantur nomina cohortium. In hoc tamen omnia signa illa aquilis similia erant, quod longis hastis, sive perticis, iisque plerumque argentatis, constarent, quæ aliquando, haud secus ac aquilæ, retinaculo, et cuspide inferiore, instructæ visuntur. Hæc omnia erant mutationi cum temporibus obnoxia. Sed libet adhuc mentionem facere commemorabilis nummi, C. Marcelli et L. Lentuli consulum tempore, h. e. A. U. DCCIV. cusi, cum bellum adversus Jul. Cæsarem, exercitum dimittere recusantem, decretum esset; quem nummum in Thes. Brandenburg. vol. II. pag. 551. protulit Laur. Begerus; ex quo aversam nummi partem, fig. 1. delineari jussi. Vides hic in medio nummo aquilam Romanam, cujus per-

tica sub aquila habet quædam peculiaria ornamenta; infra vero desinit in cuspidem, sed non habet retinaculum; vides et duarum cohortium, vel aliarum partium exercitus signa; quorum utrumque in summa parte quasi fasciam in utrumque latus expansam habet; deinde duas figuras quasi semilunares; tum binos orbiculos, sive clypeolos, gerit, in quibus vero forte propter parvitatem nullæ imagines exprimuntur; denique appensam habet tabellam quadratam, sive, si ita vis, panniculum quadratum; ubi quidem ista tabella in signo dextro literam H. præfert, ad significandum, hoc signum fuisse militum ex ordine hastatorum; in signo autem sinistro literam P. ostendit, ut commonstret, hoc signum fuisse militum ex ordine principum. Constat enim, in militia Romana tria genera militum legionariorum fuisse: nempe hastatos, principes, triarios, sive pilanos; quorum illi hastis, isti gladiis, hi pilis usi sunt; et hastati quidem in prima acie, deinde principes, denique triarii pugnarunt. Liv. VIII. 8. Idem Liv. XXXVII. 39. 'Romana acies unius prope formæ fuit, et hominum et armorum genere: duæ legiones Romanæ, duæ socium ac Latini nominis erant: quina millia et quadringenos singulæ habebant. Romani mediam aciem, cornua Latini tenuerunt; hastatorum prima signa, deinde principum erant, triarii postremos claudebant.' De fig. 2. jam supra egi, neque necesse est, ut ea nunc repetam. *Schwarz.*

II



III



Hostium prospectarent] 'Prospectare,' proprie significat, procul, vel e longinquo, spectare. Vide supra, ad LXIII. 4. Inter has autem duas voces tertiam interponunt, exhibentque, *hostium exercitus prospectaret*, codex Vaticanus 3461. et alter liber Gudii. Prope abfuit, quin admisissem vocabulum *exercitus*. Etsi enim non ignoro, nihil insolitum esse in concinna et concisa Plinii oratione, ut per ἔλλειψιν repetendæ sint proximæ quædam voces: cum tamen hoc in loco, inter proximas voces, quædam invicem connectantur, quæ recte repeti non possint; v. g. *Romanorum aquilæ*, (hostes enim illi, de quibus loquitur Plinius, i. e. Germani, nullis utebantur aquilis) satius, et ad majorem perspicuitatem accommodatius, videbatur, si peculiari nomine *hostium exercitus* exprimeretur. Nihilo minus tamen nondum necessarium videtur, ut contra tot aliorum librorum auctoritatem hanc vocem, quæ ex glossa alicujus interpretantis nata videri potest, assumam. Illæ enim antecedentes voces, 'aquilæ,' 'signa,' et 'ripa,' simul generatim per metonymiam pro 'exercitu,' vel 'militibus' et accolis ripæ, sumuntur; atque adeo nec alia, nisi generalis ista notio *exercitus*, sive *militum*, animo re-

petenda, et cum nomine, *hostium*, conjungenda est. Quæ ratio etiam permovit Arntzenium et Gesnerum, ut nomen *exercitus* non receperint. Non vero solum codex ille Vaticanus et liber Gudii, sed etiam Parisiensis, uterque Venetus, et Patavinus, habent in numero singulari, *prospectaret;* quod fieri potest per zeugma, uti apud Virgil. Æn. I. 553. 'Sociis, et rege recepto;' et apud Justin. XXX. 13. 'Pœnis, et Annibale superato.' Retineo tamen lectionem sæpius vulgatam. Ceterum, codex Salisburgensis, et meus, videntur ex codice quodam descripti esse, in quo jam vetustate obliteratæ fuerint quædam voces et literæ: non enim expresserunt hæc verba integra, *quam quod hostium prospectarent; hostium, quibus moris est;* sed, parva lacuna relicta, habent, *quam quod hostium prospecta . . . quibus mos est, &c.* Pro ultimis his verbis omnes ceteri codices habent *quibus moris est*. Utrumvis recte dici potest. Tacit. Annal. I. 39. 'Ut mos vulgo, quamvis falsis reum subdere.' Idem Annal. IV. 39. 'Moris quippe tum erat, quanquam præsentem scripto adire.' Plinius frequentius utitur casu secundo. Epist. II. 19. 8. 'Ut illis erat moris, leges aliarum collatione convincere.' Item Epist. III. 21. 3. VII. 27. 14. VIII. 19. 2. I. 12. 7. 'Habebat hoc moris.' *Idem.*

Prospectarent] *Prospectaret* V. C. scilicet ripa. *Livin.*

Rigentia gelu flumina] Hunc locum difficilioribus annumero. Sententiam quidem Plinii capio facile; sed verba non illico ex omni parte sententiæ respondere videntur. Si verba hæc *rigentia gelu flumina*, interpretamur, dicique putamus, 'flumina glacie obducta et indurata;' prout Plinius supra, XII. 3. dixit: 'Cum Danubius ripas gelu jungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat:' tunc sequentia verba, 'lustrare navigiis, nandoque superare,' hæc non quadrant, et potius quædam excidisse videntur, quæ sic fortasse supplenda forent: *Quibus moris est, eadem illa nunc rigentia gelu flumina, aut campis superfusa*, transire; *nunc liquida, &c.* aut certe verbum *lustrare* huc revocandum esset. Etenim flumina conglaciata non possunt navigiis, aut nando, superari; sed pedibus, equis, vehiculis, solent transiri, aut generatim lustrari. Sic ipse canit Ovid. Trist. III. 10. 31. 'Quæque rates ierant, pedibus nunc itur; et undas Frigore concretas ungula pulsat equi; Perque novos pontes subter labentibus undis Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.' Et sic etiam 'flumina campis superfusa,' si non satis sunt profunda, navigiis transiri nequeunt. Sed nullus liber hucusque tali supplemento succurrit; nec, si quid judicare possum, eo opus est. Cum enim Plinius de Germanis, tanquam hostibus Romanorum, Danubii Rhenique accolis, loquatur; non vult significare, illos tantum hæc flumina glacie constricta pedibus, equis, aut vehiculis, transiisse; quod etiam a Romanis, qui alioqui commodius vivebant, fieri potuisset; sed, cum Tacitus de Germ. c. 5. dicat, veteres Germanos 'tolerare frigora, atque inediam, cœlo soloque assuevisse;' sine dubio hic dicere voluit, Germanos non tantum liquida, qualia potissimum æstate sunt, et facile deferentia naves, sed etiam gelida, et frigore rigentia flumina, *lustrare navigiis, nandoque superare*, solitos esse. Atque adeo *rigentia gelu flumina* hoc loco non notant 'flumina conglaciata,' qualia tantum pedibus, equo, aut vehiculo, neutiquam navigiis, aut nando, transiri possunt; sed notant 'flumina admodum gelida, et frigida,' quæ Germani pro corporum suorum firmitate navigando nandoque superare nihil reformidarunt. Gelu enim non semper glaciem infert; sed nec raro pro frigore,

sicut 'gelidæ' et 'rigentes aquæ,' pro frigidis, poni solent: prout Livius dixit, 'militum corpora rigentia gelu torpuisse.' Sic ubi idem XXI. 32. ait, 'pecora jumentaque torrida frigore, homines intonsi et inculti, animalia inanimaque omnia rigentia gelu;' non de glacie duratis necatisque, sed frigore tantum rigentibus, loquitur; sicut et sequente cap. 58. tantam vim frigoris commemorat, ut 'torpentibus rigore nervis vix flectere artus' potuerint homines. Sic Phæd. IV. 18. 'gelu rigentem colubram' vocat, non certe jam glacie duratam necatamque, sed tantum frigore torpentem, quam quidam sustulerit, sinuque foverit. Seneca in Medea, vs. 926. de Medea affectibus æstuante: 'Cor pepulit horror; membra torpescunt gelu; Pectusque tremuit.' Neque est, cur nos moreantur *flumina liquida*: hæc enim non hoc in loco opponuntur fluminibus concretis et conglaciatis; sed frigore rigidis, limosis, et nivosa grandine turbidis; sicut *deferentia*, campo superfusis. Sic salva erit vulgata lectio, sententiamque Plinio congruentem constituet. Nolo tamen præterire Arntzenianam annotationem: 'In vulgata,' inquit, 'apud Plinium scriptura verbum requiro, quod ad *rigentia gelu flumina* referri potest: unde sola mutata distinctione, quod mollissimum medendi genus, legerem, *lustrare, navigiis nandoque superare.*' Quam medelam aliorum judicio relinquo. Tandem moneo, Puteolanum omisisse *nandoque*, ejusque loco edidisse *quandoque;* atque ita etiam in codice Salisburgensi per compendium et super ducta lineola, scriptum esse, *qnq;* ita tamen, ut in margine ab alia manu rescriptum sit *nando*. Schwarz.

Campis superfusa] Hæc lectio invenitur in codicibus Mss. Vatican. Parisiensi, Veneto 2. Salisburgensi, Guelpherbytano, et meo; at in paucis aliis, plurimis vero impressis *superflua*, sive *superfusa*, posse locum habere. 'Superfluens,' et 'superfluum,' omnino proprie dicitur de flumine redundante: unde hæc, quamvis per translationem, conjungit Cic. de Claris Orator. c. 91. 'Is dedit operam, ut nimis redundantes nos et superfluentes juvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret, et quasi extra ripas diffluentes coërceret.' Lubens tamen, cum Arntzenio, præfero *superfusa;* quæ vox frequentius occurrit, et plurium codicum Mss. suffragio confirmatur. Liv. VII. 3. 'Cum medios forte ludos circus Tiberi superfuso irrigatus impedisset.' Plinius noster, Epist. VIII. 17. 'Tiberis alveum excessit, et demissioribus ripis alte superfunditur.' Plinius Major, XII. 1. translate: 'Produnt, Gallias hanc primum habuisse caussam superfundendi se Italiæ,' &c. *Idem.*

Campis superfusa] *Superflua* Livin. in textu; sed in margine, *superfusa* C.

Nunc liquida ac deferentia] Editio Veneta, *Nunc limpida ac deserentia*. Juret.

Liquida ac deferentia] Catanæus primum legerat, ediderat que *limpida*, i. e. defæcata; sed postea ei magis placuit *liquida*. Liquida vero flumina recte quidem etiam fluminibus glacie duratis opponi possunt; quod satis indicat Rutilius Itin. I. 489. 'Juncta fluenta gelu conspecto sole liquescunt; Et rursus liquidæ sole gelantur aquæ.' Verum, quod modo dixi, non minus impuris, crassis, frigore rigentibus, ac nivosa grandine turbidis, fluminibus, possunt opponi. Sic Ovid. Metam. III. 486. 'liquefactam undam' opponit 'turbidæ:' 'Quæ simul adspexit liquefacta rursus in unda Non tulit ulterius.' Martial. XII. 61. 'Ut liquidum potet Alauda merum, Turbida sollicito transmittit Cæcuba sacco.' Plin. Epist. V. 6. 'Salubritati regionis purius cœlum, aër liquidior, accedit.' Flumina au-

tem *deferentia* Plinius vocat, quæ naves facile deferunt; et hæc opponuntur fluminibus 'campo superfusis,' quæ naves non facile ferunt. Sic Plinius supra, XXXI. 4. dixit 'ventos ferentes,' i. e. fecundos et faventes ventos, quæ plenis velis naves deferunt. Virgil. Æn. x. 688. 'Labitur alta secans, fluctuque æstuque secundo.... Dauni defertur ad urbem.' Plinius Major, III. 5. 'Rhodanus amnis ex Alpibus se rapiens per Lemanum lacum, segnemque deferens Ararim.' Hanc vulgatam lectionem confirmant plurimi libri impressi, et omnes codices Mss. præter Salisburgensem, Patavinum, et librum Vossianum, in quibus per sphalma, ut puto, scriptum est *differentia*. Nec probare possum *deserentia*, quod edidere Catanæus, Elzevir, Boxhornius, Hearne. Opinatus est Lipsius, etiam *deferventia* posse legi; cui lectioni vero nec codex quidam Ms. neque alius commentator favet. *Schwarzius.*

Deferentia] Prono et suo cursu euntia. Quidam libri, *deserentia;* quod esset in se redeuntia, omissis campis. Possit et *deferventia* legi. *Lips.*

Magnopere duritiam] Pro *magnopere*, divisis vocibus, *magno opere*, more suo edidit Aldus Manutius, quem secuti sunt Junta et Navius, atque nunc Arntzenius. Neutiquam improbo hanc scripturam, cujus satis manifesta annotantur documenta; v. g. apud Terentium, Eunuch. III. 3. 26. 'Thais maximo te orabat opere, ut cras redires.' In Phorm. V. 1. 33. 'Quod nos ambo opere maxumo dabamus operam, ut fieret.' Apud Cic. Fam. XIII. 34. 'Magnoque opere abs te peto.' Neque tamen necesse puto, ut eandem contra consensum omnium fere librorum ubique inculcemus. Cf. not. ad XLIV. 1. Sic etiam utroque modo recte dicitur, *duritiam*, et *duritiem*. Hoc tamen loco priorem scripturam recepi; quoniam eandem probant codices Mss. Vatic. Parisiensis, uterque Venetus, Patavinus, liber Vossianus, et in excusis Puteolanus, Aldus, Cuspinianus, Rhenanus, Philomusus, Cratander, Rob. Stephanus, Livineius, Gruterus, De la Baune, Arntzenius. *Schwarz.*

Animus imperitet] Plurimi codices Mss. nec pauci libri impressi, confirmant hanc lectionem. Vitiose autem *imperaret* edidere Ascensius, Elzevir, Boxhornius, Cellarius, et Hearne. Plinius respicere videtur sententiam Sallustii Catil. cap. 1. 'Nostra vis omnis in animo et corpore sita: animi imperio, corporis servitio, magis utimur.' Idem Jugurth. cap. 6. verbo 'imperitare' utitur. 'Naturam ipsam ceteris imperitantem industria vicerat.' Jam Plaut. Capt. II. 1. 47. 'Quod antehac pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem.' Livius identidem hoc verbo se oblectavit: III. 39. 'Vicissitudinem imperitandi sustulerunt.' Item et Plinius Major, VI. 23. 'Pandæ imperitant CCC. opidis.' VI. 35. 'Æthiopia vicissim imperitando serviendoque clara et potens: ... et Scythiæ imperitasse eam, nostroque litori, patet Andromachæ fabulis.' *Idem.*

Fortunæ indulgentia molliat] Omnes, quos evolvi, libri impressi edidere hucusque in numero multitudinis, *Fortunæ indulgentiæ molliant.* At singularem reponendum duxi, quia hunc inveni in codicibus Mss. Parisiensi, Veneto 1. et meo. Ad quos etiam refero codices Vaticanos, et Venetum 2. qui, etsi invertant casus nominum, verbum tamen singulare recte exprimunt, *Fortuna indulgentiæ molliat.* Altera ratio est, cur a vulgata lectione recesserim; quia, quamvis Plinius nomine *indulgentiæ* sæpius utatur, et in Panegyrico, et in Epistolis; nunquam tamen alibi numero multitudinis usus deprehenditur; neque mihi, ex ullo alio auctore aureæ

aut argenteæ Latinitatis, exemplum succurrit, ubi *indulgentiæ* numero multitudinis dicuntur, licet sequioris ævi auctoritas non desit. Aliquoties etiam Velleius 'fortunæ indulgentiam' commemorat; nusquam tamen in numero plurali; v. g. II. 121. 'Fortunæ vero quis non miretur indulgentiam?' Cf. II. 1. et II. 8. *Molliat*, i. e. frangat, et effeminet. Plinius noster supra XXXIII. 1. 'Non, quod animos virorum molliret et frangeret.' Seneca Epist. 82. 'Molliter vivit: hoc dicunt, malus est; paullatim enim effeminatur animus, atque in similitudinem otii sui, et pigritiæ, in qua jacet, solvitur.' In codice Patavino, et libro Vossiano, pro *molliant*, scriptum est *violant*. Operam perdit, qui verbum hoc, *violant*, huic loco vindicare conetur. Credo, imperitum librarium illud ex ipso verbo, *molliant*, effinxisse, dum in prima syllaba *moll*, primam literam, *m*, pro *ui*, habuit. *Id.*

Detorqueant] I. e. deflectant, et avocent, quasi invitum, et vi quadam, sive aperta, sive blandiore. Noster supra, LXX. 5. 'Ingenia, etsi non detorquebat, hebetabat tamen,' &c. ad quem locum vide notam nostram. *Idem.*

Detorqueant] 'Quem non a recto traxit male suada Voluptas Tramite, non luxu mentem labefecit honestam, Florentis fortuna domus.' D. Baud. *Bern.*

Crescentia laboribus membra] *Crescentia*, non tam magnitudine, quam viribus et robore; dum laboribus in dies validiora redduntur, magisque confirmantur. Hinc Cicero, Quæst. Tuscul. II. 15. 'Illi, qui Græciæ formam rerumpublicarum dederunt, corpora juvenum firmari labore voluerunt.' Sic auctores passim etiam dicunt, 'amorem, audaciam, animum, voluptatem, crescere,' i. e. invalescere. Quantum vero labor corroboret hominum membra, contra vero otium resolvat, docet Hippocrates de Diæta lib. II. p. 362. edit. Fœsii: 'Ραδυμίη ὑγραίνη, καὶ ἀσθενὲς τὸ σῶμα ποιέει· πόνος δὲ ξηραίνη καὶ τὸ σῶμα ἰσχυρὸν ποιέει. *Desidia humectat, et imbecillum corpus, fluidumque reddit; labor siccat, et robustum strictumque corpus facit.* Item: Οἱ γὰρ ἀγύμναστοι τῶν ἀνθρώπων ἀπὸ παντὸς κοπιῶσι πόνου. *Inexercitati homines ab omni labore fatigantur.* Horum corpus non redditur 'opere lætum,' ut antea dixit Plinius, h. e. non fit ipso labore floridius, validiusque; uti eorum, qui crebrius exercentur. Sic Seneca hæc conjungit, de Ira, II. 15. 'Valida arbusta, et læta.' Burmannus ad Phædrum, II. 5. bene explicat, unde etiam dicantur, læta viridia, lætæ segetes, læti agri, læta humus. *Schwarz.*

Maritos Dearum] Ut Cephalus, et Orion, ab Aurora rapti; de quorum primo Pausanias in Lacon. de altero Homerus Odyss. E. mentionem faciunt. Item Peleus, quem Thetys sibi jugavit, secundum Apollodor. lib. III. qui omnes hosce a venandi studio laudat. His addi potest Hippolytus, propter venationem Dianæ carissimus. *Patarol.*

Maritos Dearum] Peleus, Achillis pater, Thetidis maritus, Ovid. Epist. v. Cephalus Auroræ Id. de Art. Am. lib. III. Hippolytus Dianæ, Met. VII. *Bern.*

Ac Deorum] *Deum* V. *Livin.*

Deorum liberos] Theseum, Castorem, Pollucem, aliosque plures. *Berengger.*

Deorum liberos] Ut Castor et Pollux, Jovis filii, de quibus citatus Apollodor. ibid. Sic Dryas, Marte genitus, secundum eundem, lib. I. Hercules, et alii. *Patarol.*

Deorum liberos] Horum quædam nomina jam recensuit Patarol. Cic. in Fragm. de Universo, c. 11. 'Credendum est veteribus et priscis, ut aiunt, viris, qui se progeniem Deorum esse dicebant; itaque eorum vocabula nobis prodiderunt.' Intelli-

git vero Plinius potissimum eos liberos, quos Dii ex feminis humanis procreasse dicebantur. Pro *Deorum*, omnes fere codices Mss. habent genitivum per syncopen contractum, *Deum*, præter Guelphicum ; sed jam primæ editiones Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Cuspiniani, aliorumque, evulgarunt *Deorum ;* quæ flexio etiam discrimini genitivi, *Dearum*, melius respondet, ac ne Ciceroniano quidem ævo adversatur. Cicero enim in Oratore, cap. 46. 'A quibusdam,' inquit, 'sero jam emendatur antiquitas, qui hæc reprehendunt : nam pro *Deum atque hominum fidem, Deorum* aiunt. . . . Quid verum sit, intelligo ; sed alias ita loquor, ut concessum est, ut hoc, vel *Proh Deum* dico, vel *Proh Deorum*.' Schwarz.

Nec dignitate nuptiarum magis] Particulæ *nec magis* ponuntur pro *non tam ;* quasi dixerit Plinius : 'Video . . . maritos Dearum, ac Deorum liberos, non tam dignitate nuptiarum, quam his artibus, inclaruisse.' Nepos in Miltiade, cap. 2. 'Erat inter eos dignitate regia ; neque id, magis imperio, quam justitia, consecutus.' Aut, si mavis, illud *nec* etiam per 'ne quidem' explicari potest ; uti patet vel ex usitatissima illa loquendi ratione, 'nec opinatus,' 'nec opinato ;' ubi 'nec' semper per 'ne quidem' potest explicari. Val. Flac. VII. 130. 'Quique meum patrias referet nec nomen ad urbes.' Justin. III. 4. 'Itaque nec salutatis matribus proficiscuntur.' Suboluit in his quidam defectus Lipsio, censenti, partem membri alteram deesse, quæ respondeat *liberis deorum ;* nempe, *et natalium ;* aut, quod conjecit Behrius, *non divinitate natalium, nec dignitate nuptiarum ;* aut, quod maluit Gesnerus, *nec generis præstantia ;* ut sic expleri defectus possit : *Video, . . . maritos Dearum, ac Deorum liberos, nec dignitate nuptiarum,* nec præstantia natalium, *magis, quam his artibus, inclaruisse.* Si reperissem hanc scripturam in antiquis codicibus, eam sine cunctatione admisissem. Sed fortasse nullo opus est supplemento. Loquitur enim Plinius de nuptiis maritorum mortalium, quibuscum se conjunxerant Deæ. Sic e. g. Peleus, alias homo mortalis, quod Apollodor. III. 12. refert, sibi conciliaverat, junxeratque, Deam Thetin, de cujus matrimonio jam Jupiter et Neptunus contenderant. Loquitur etiam de *liberis Deorum,* quos nempe Dii ex feminis mortalibus generaverant ; prout Hercules ex Jove Deo, et Alcmena, uxore Amphitruonis, regis Thebarum, procreatus erat. Utrique dici potuerunt *inclaruisse dignitate nuptiarum divinarum ;* ille, Peleus, quod nuptiis divinis junctus erat Thetidi, Deæ ; hic, Hercules, quod ex nuptiis divinis, (immo innuptis) Jovis Dei, et Alcmenæ reginæ, adeoque satu Dei, ortus perhibebatur ; quantumvis uterque magis inclaruerit propriis virtutibus, factisque fortibus, et sigillatim eximio venandi studio. Ergo opus non est, ut novum procudamus supplementum. *Idem.*

Nec dignitate nuptiarum] Aut deest alterum membrum, *nec natalibus, nec nupt. dignit.* vel simile quiddam, aut *non* pro *nec*, equidem reponam. Vide, quæ supra notamus ad cap. XLIII. Paullo ante 'lætum opere corpus' ποιητικώτερον dixit, ut Horatius, 'Vos lætam fluviis, et nemorum coma,' &c. *Livin.*

Nuptiarum] Pars membri altera deest, *et natalium :* ac pluscula hic observo hiulca, aut fœdata. *Lips.*

His artibus inclaruisse] 'Ars' quidem generatim notat quamcunque peritiam et industriam, sive in re bona, sive in mala : unde 'iners,' qui nec novit, nec præstare quidquam potest. Terent. Andr. I. 1. 3. 'Sos. Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius ? SIM. Nihil isthac opus est arte ad hanc rem, quam paro ; Sed

iis quas semper intellexi in te sitas, Fide et taciturnitate.' Ad quæ verba Donatus: 'Ars ἀπὸ τῆς ἀρετῆς dicta per syncopam. 'Αρετὴ autem *virtus est*.' Sicuti vero Terentius ad artes refert virtutes, fidem nempe et taciturnitatem; ita hoc loco Plinius per 'artes' intelligit maxime fortitudinem et industriam, sive vitam laboriosam; quam inprimis venandi navigandique studio prodidit Trajanus. Quas artes etiam supra designavit, LXXXI. 2. 'His artibus futuri duces imbuebantur.' Ceterum codices Mss. Vaticanus 3461. Guelpherbytanus, Salisburgensis, et meus, pro verbo composito *inclaruisse*, exhibent simplex *claruisse*. Sueton. de Grammat. cap. 17. 'Valerius Flaccus docendi genere maxime inclaruit;' quanquam et ibi quidam codices habeant, *claruit*. Tacit. Annal. XII. 37. 'Neque mea fortuna, neque tua gloria inclaruisset.' Sed hic etiam simplici verbo passim utitur; v. g. 'Is quoquo facinore properus clarescere cœpit.' *Schwarz.*

Ista ludus et avocamentum hujus] Pronomen *ista* non ἀμέσως referendum est ad voces proximas, *his artibus*, sed ad totam sententiam, quæ præcesserat de exercitationibus laboriosissimis, quibus, seu in montibus venando, seu in mari navigando, exercebatur Trajanus. *Cum sint ludus hujus*, i. e. Trajani, principis nostri. *Ludus* alias generatim dicitur, quidquid fit animi corporisque recreandi, seriorumque laborum quiete quadam distinguendorum, caussa. Ita dicimur alea, pila, facetiis, versibus ludere. Huc pertinent etiam ludi campestres, sive exercitationes in campo Martio, item venationes, piscationes, et similia negotia jucundiora; quæ ad 'ludos' referri possunt. Sic Cic. de Offic. I. 29. 'Suppeditant autem et campus noster, et studia venandi, honesta exempla ludendi.' Ejusmodi genera recreationum et solatiorum Plinius etiam vocat 'avocamenta;' quia nos a laboribus, a curis, molestiisque, et a tristitia, aliquantisper avocant. Plin. Epist. VIII. 5. 'Ero ergo suspensus pro homine amicissimo, dum admittere avocamenta (i. e. solamina animum a mœrore avocantia) et cicatricem pati possit.' Idem Epist. VIII. 23. 'Omnia mihi studia, omnes curas, omnia avocamenta, (i. e. lusus et recreationes,) exemit, excussit, eripuit dolor.' Lactantius de Opificio Dei, cap. 18. 'Mens sibi avocamenta invenit, ne saluberrimam quietem corporis interrumpat.' Immo et verbum 'avocare,' simpliciter positum, aliquando significat, recreare, et reficere, i. e. avocare a negotiis et curis, quibus distringimur. Plin. Epist. I. 24. 'Mediocritas villæ, modus ruris, qui avocet magis, quam distringat.' Lactantius l. c. 'Avocatur ergo mens simulacris, donec membra sopore irrigata vegetentur.' Sidon. Apollinar. Epist. v. 17. 'Nunquamne te tantum venatio, civitas, ager, avocat, ut non obiter voluptate literarum teneare?' Sed et talia remissionum atque avocamentorum genera Val. Max. VIII. 8. appellat 'diverticula:' 'Scævola,' inquit, 'optime pila lusisse traditur: quia videlicet ad hoc diverticulum animum suum forensibus ministeriis fatigatum, transferre solebat.' Nec scio, an huc etiam faciat illud Liv. IX. 17. 'Nihil minus quæsitum a principio hujus operis videri potest, quam ut . . . legentibus velut diverticula amœna, et requiem animo meo, quærerem.' *Idem.*

Avocamentum hujus, quæ quantæque sint illæ] *Avocamentum hujus illa, &c.* Livin. in textu; sed in margine, *avocamentum hujus, quæ quantæque sint illæ* C. optime. *Rittersh.*

Quæ quantæque sint] De his tribus verbis actum esset, nisi eas nobis servasset Cuspinianus. Omissa sunt in omnibus, quos consulere mihi licuit, codicibus Mss. Quid? quod in

omnibus ceteris impressis exemplaribus omissa sunt, usque ad tempora Lipsii et Gruteri, qui primi, post Cuspinianum, ea receperunt. Nequeo dispicere, quid occasionem dederit his omittendis, quæ omnino necessaria sunt ad explendam Plinii sententiam. Non præter caussam professus est Lipsius, se pluscula hic observare hiulca, aut fœdata. Hæ autem voces, *quæ quantæque sint*, connecti debent cum ultima hujus periodi voce, *voluptates*. Cum vero hæ *voluptates* a Plinio dicantur *seriæ*, et *intentæ, et a quibus se* Trajanus *receperit in* venandi navigandique *otium;* alii, pro voce *voluptates*, legere optarunt *curæ;* alii *administrationes;* alii *occupationes:* verum Plinius omnino hic intelligi vult serias et honestas voluptates, quas summas bonæ mentes capiunt ex rebus arduis, et gloriose feliciterque gestis; quamvis mox redeat ad leniores illas et leviores voluptates; cum utræque animi indicium esse possint. Quod si enim Plinii mentem recte capio, is significare voluit: cum Trajanus in laboriosis istis venationum et navigationum exercitationibus quendam ludum et avocamentum, adeoque voluptatem quandam, quæsierit; utique maximas summasque voluptates fuisse, quas is perceperit e rebus seriis, gravioribusque occupationibus. Sic Plin. Epist. IX. 6. testatus est, se aliquam 'cepisse voluptatem, quod' ex spectaculis aliisque rebus ludicris, 'voluptate capi non potuerit.' Ubi vides, nomen 'voluptatis' priore loco de seria, altero loco de ludicra voluptate, sumi. Et Seneca de Beata Vita, cap. 4. 'Vera,' inquit, 'voluptas erit voluptatum contemtio.' Idem Seneca porro docet, quæ sit ejus generis seria voluptas, Epist. 18. 'In hoc tamen (vili) victu saturitatem non putas esse: et voluptas est. Voluptas autem non illa levis, et fugax, et subinde reficienda; sed stabilis, et certa. Non enim jucunda res est aqua, et polenta, aut frustum hordeacei panis; sed summa voluptas est, posse capere etiam ex his (rebus asperis) voluptatem, et ad se reduxisse, quod eripere nulla fortunæ iniquitas possit.' Idem Epist. 23. 'Mihi crede, res severa est verum gaudium, vera voluptas. . . . Quid sit istud, interrogas, aut unde subeat? dicam: Ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemtu fortuitorum, ex placido vitæ et continuo tenore unam prementis viam.' Etiam Apuleius lib. de Philosophia, dixit, illam esse honestam 'voluptatem, quæ non pudendis rebus, sed gloriosis actibus, pro aliqua præclara administratione susceptis, veniat.' Sunt ergo hæ illæ *seriæ et intentæ voluptates*, quas quasi a minoribus voluptatibus, sive lusibus venationis atque navigationis, distinguit Plinius. Pertinet autem omnino ad laudem principis, quod præcipuas summasque voluptates e laboribus negotiisque publicis caperet; sicut orator supra, LXXXI. 1. dixerat, eum 'instar refectionis existimasse mutationem laboris.' Quomodo vero Lipsius hunc locum reformandum explicandumque censuerit, ex ejus annotationibus facile constat. Non quidem renuerem admittere Lipsii emendationem, dum vox *voluptates*, priore loco posita, prorsus omittatur: *quæ quantaque sint illa seria et intenta, et a quibus se in tale otium recipit.* At tunc optem, ut pro sequenti particula *enim*, inveniatur *vero*. Schwarz.

Seriæ et intentæ] Sequitur mox *voluptates:* et nisi literarias aut illas animi interioris intelligat, quid velit ignoro. Immo placebat legere, *quæ quantaque sint illa seria et intenta, et a quibus se in tale otium recipit. Voluptates sunt enim, voluptates, quibus:* oratoria et efficaci repetitione. *Lips.*

In tale otium] 'Pulcherrimum et

humanissimum vitæ genus, severitatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, hæc in petulantiam, excedat.' Et Seneca in Declamat. 'Omnibus prodest animum relaxare; excitatur enim quiete vigor.' *Bern.*

Sunt enim] Longe ab illecebris occasionum facile est virtutes servare; sed intra voluptates, in aquisque esse, nec mergi, illud difficile. *Patarol.*

Quis adeo] Etiam Domitianus, perditissimus princeps, jus dixit, et Caius literaria exercitia ac certamina instituit. *Idem.*

Nam quis adeo] *Jam quis adeo* Livin. in textu; sed in margine, *Nam quis adeo* V. C. recte. *Rittersh.*

Nam quis] Omnes codices Mss. habent *Nam;* pro qua particula, Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Cuspinianus, et plures alii, male publicarunt *Jam.* Istarum autem particularum commutationem esse perfrequentem, jam annotavi ad XXIII. 14. et in Excurs. XXIX. Cf. Drackenb. ad Silium Ital. IX. 242. *Schwarz.*

Species severitatis insideat] Nonnulli, pro *insideat*, edidere *incidat.* Tunc mihi in mentem venit, an non *species* hic translate pro exemplo, sive casu, sumi possit, uti scil. sumitur a Plinio nostro, Epist. X. 97. 'Mox ipso tractu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt.' Ubi observavit Rittershusius, vocari *species*, quas dicere soleamus, 'facti species,' et vulgo 'casus;' quos Græci dicant ὑποθέσεις. Sic Latinus Largus in leg. 83. π. de legat. 2. 'Proxime ex facto incidit species talis.' Atque ibi, 'incidere' dicitur, contingere, evenire; uti apud Cic. Fam. V. 17. 'Ut cogitares, et in nostra civitate, et in ceteris quæ rerum potitæ sunt, multis fortissimis atque optimis viris tales casus incidisse.' Ibi Cortius de verbo 'incidere' plura annotavit exempla. Putes ergo, etiam Plinium hic significare voluisse, neminem principum tam dissolutum esse, cujus non occupationibus *aliqua species*, i. e. unum alterumve factum et exemplum *severitatis incidat*, sive contingat. Atque hæc fortasse est ratio, cur nonnulli pro verbo *insideat*, ediderint *incidat.* Quanquam etiam alibi verba 'insidere' et 'incidere' a librariis esse permixta, observarit Burman. ad Quinctil. Instit. Orat. I. 4. Fallitur enim Arntzenius, dum credit, ab errante typographo profectum, quod in Cellariana editione legatur *incidat;* quamvis eam scripturam secuti sint Patarol, et Gesnerus. Fallitur etiam Gesnerus, qui in epistola supra laudata tradit, illud *incidat* se a Grutero et Cellario accepisse. De Cellario, nullum est dubium; at Gruterus, in editione Francofurtana an. 1607. omnino exhibuit verbum *insidat.* Verum, *incidat* inveni jam in Henr. Stephani ἐκδόσει an. 1591. Inde idem Elzevirii an. 1640. expresserunt; deinde Boxhornius, Kirchmaierus, Cellarius, Patarol, et Gesnerus. Haud dissimulo, hoc ipsum verbum *incidat* non omnino mihi displicere, dummodo ne omni consensu codicum Mss. destituatur. In his enim, Parisiensis, uterque Venetus, Patavinus, et liber Vossianus, habent *insidat;* quam lectionem etiam evulgarunt Puteolanus, Catanæus, Rhenanus, Philomusus, Lipsius, et alii. At pro *insidat*, produnt *insideat* codices Vaticani, Salisburgensis, et Guelpherbytanus. In meo autem codice mendose scriptum est *insidiatus.* Istud *insideat* primus promulgavit Beroaldus, quod nunc Plinio asseruit Arntzenius; quod verbum propter auctoritatem codicum Mss. jam etiam recepi, credidique, eo magis locum habere posse, si nomen *species* pro externa forma et simulacro sumatur; quæ notio apud bonos auctores frequentissime occurrit; v.g. apud Cic. de Offic. III. 11. 'Utilitatis specie in republica sæpissime peccatur.' Ibid. c. 26. 'M. Atilius Regulus, cum

Romam venisset, utilitatis speciem videbat; sed eam, ut res declarat, falsam judicavit.' Verbum autem 'insidere,' pro hærere, vel inhærere, satis apte huc accommodatur. Cic. pro Milone, c. 25. 'Si tibi ita penitus insedisset ista suspicio, nullo ut evelli modo possit.' Idem in Oratore, c. 5. 'Insidebat in ejus mente species eloquentiæ, quam cernebat animo, re ipsa non videbat.' Ubi vero *species* pro idea, forma, et notione, ponitur. Plin. supra, LXI. 7. 'Solennis ille lictorum clamor auribus insederat.' Epist. II. 11. 'Insidet animo tuo majestatis publicæ cura.' Quinctil. Instit. Orat. I. 1. 'Vitiose dicta non insidere alumno sinat.' Confusionem autem crebram, et difficilem distinctionem verborum 'sedeo' et 'sido,' item compositorum 'insideo' et 'insido,' 'subsideo' et 'subsido,' in codicibus occurrere, notavit Burman. ad Quinctil. Instit. Orat. II. 1. et ad Petron. c. 96. Gesnero hic neque *incidat*, (quod tamen prodidit, Cellarium secutus,) neque *insideat*, satisfacit; sed placet e conjectura, *Species severitatis insit? At otio prodimur*. Idem.

Otio prodimur] H. e. dum inter otia et recreationes indulgemus genio nostro, liberiusque viventes non sumus intenti ad velandum; animi nostri sensa, et præcipuas propensiones, facile manifestamus, aliisque indicamus. Inde etiam 'lusus' habentur pro speculo animi. Quinctil. Instit. Orat. I. 3. 'Mores se inter ludendum simplicius detegunt.' Quo pertinet etiam illud Anthol. IV. 32. 4. ubi incognitus poëta monet ludentem tesseris, ut ne efferatur, si vincat, nec doleat, si fuerit victus; quod epigramma sic tandem concludit: Καὶ γὰρ ἐπὶ σμικροῖσι νόος διαφαίνεται ἀνδρὸς, Καὶ κύβος ἀγγέλλοι βένθος ἐχεφροσύνης. *Etenim etiam in parvis animus apparet viri; Atque cubus, sive tabula lusoria, indicat recessum interioris sensus, sive prudentiæ*. Idem.

Prodimur] Mens retegitur; quæ neque per remissiones intenta est ad velandum; et ipsas naturæ aptas moribusque appetit. *Lips.*

An non] Codices Mss. Parisiensis, uterque Venetus, Patavinus, et liber Vossianus, (non vero codic. Guelph.) habent *At non*. Quæ lectio potest locum habere, si particula *non* vim interrogandi simul retineat; uti ostendi ad XLIX. 4. Salisburgensis codex, et meus, omissa particula *non*, exhibent *At vero*. Schwarz.

Plerique] Augustus in plurimis laudatus princeps, alea tamen et stupris oblectatus. Domitianus, quoties otium esset, alea solitus avocari etiam profestis diebus, matutinisque horis: alia pudet addere. Tantum non his similes plerique nostrum. *Bern.*

Contentione] Laxabant se a curis, ut in vitia animum intenderent. Quo sensu nec male, *contentiones*. Lips.

CAP. LXXXIII. *Hoc primum*] Rittershusius non probavit vocem *primum*, sed in ejus locum reponendam censuit, vel *privum*, vel *proprium*; verum sine ductu et auspicio alicujus libri. Neque necesse est ut hic de emendatione cogitemus. *Primum* enim recte explicari potest per 'præcipuum,' et 'singulare.' Vide ad LXXVIII. 2. *Schwarz.*

Habet hoc primum] Divinabam, *habet hoc privum*. Nonius, 'Privum est proprium uniuscujusque.' An emend. *proprium?* Rittersh.

Magna fortuna] Juvenalis, 'secretum divitis ullum Esse putas? homines taceant, jumenta loquentur.' *Lips.*

Nihil tectum] Juvenal. 'Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.' *Bern.*

Nihil tectum] Consonant verba Claudiani Paneg. Non. 'Nam lux altissima fati Occultum nihil esse si-

nit.' Et illa Cæsaris apud Sallust. Catil. LI. 12. 'Qui magno imperio præditi in excelso vitam agunt, eorum facta cuncti mortales novere.' *Patarol.*

Occultum esse] Pertinet huc omnino locus Claudiani IV. Cons. Honor. 270. seqq. jam a Lipsio aliisque notatus; cujus saltem posteriores versus huc adjiciam: 'Nam lux altissima fati Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes Intrat, et abstrusos explorat fama recessus.' Albinovanus ad Liviam, vs. 349. seqq. 'Imposuit te alto Fortuna, locumque tueri Jussit honoratum, Livia; perfer onus. Ad te oculos, auresque trahis: tua facta notamus. Nec vox missa potest principis ore tegi.' Seneca ad Polyb. c. 25. 'In multa luce Fortuna te posuit: Omnes scient, quomodo te gesseris.' Plures hujus generis sententias ex antiquis auctoribus annotarunt Casp. Barthius ad Stat. Theb. II. 345. et ad Claudian. l. c. Cortius ad Sallust. Catil. LI. 13. et Gruter. Discurs. Polit. in Tacit. c. 54. *Schwarz.*

Principum] Seneca pulcherrime, ad Neronem, de Clem. I. 6. 'Tibi non magis, quam soli, latere contingit: multa contra te lux est: omnium in istam conversi sunt oculi. Prodire te putas? oriris: loqui non potes, nisi ut vocem tuam, quæ ubique sunt gentes, excipiant.' Claudian. ad Honorium, patris nomine: 'Hoc te præterea crebro sermone monebo, Ut te totius medio telluris in orbe Vivere cognoscas; cunctis tua gentibus esse Facta palam; nec posse dari regalibus usquam Secretum vitiis: nam lux altissima fati Occultum nihil esse sinit.' *Lips.*

Domos] Res grammaticis trita est, nomen 'domus' in accusativo numeri pluralis promiscue habere 'domus' et 'domos:' itaque in hoc quoque loco librarii et editores, modo hanc, modo illam, terminationem expressere. In meo autem codice lego *domum;* sicut etiam *cubilia*, pro sequenti voce *cubicula.* Habet et Patavinus codex *cubilia.* In neutro tamen loco aliquid muto, etsi Plinius supra, XLIX. 1. etiam conjungat, 'cubilia secessusque;' et LXIII. 3. dicat, quosdam principes 'intra cubilia sua' certis consulibus exsilia cædemque machinatos esse. Erant vero 'cubicula diurna' et 'nocturna.' Vide ad p. 858. *Schwarz.*

Intimosque secessus] Triplex occurrit varietas: primum lectio vulgata, quam exhibeo; deinde, *intimosque sensus;* tum, *intimasque recessus.* Alteram lectionem, *intimosque sensus*, inveni in meo codice. Putes, hanc vocem non aspernandam esse, cum Plinius significare videatur, magnam fortunam sæpe etiam intimas cogitationes, sive, ut Nepos ait, in Hannib. II. 2. 'interiora consilia,' principum, præter ipsorum voluntatem, patefacere solere; quo etiam referas sequentia verba, 'omniaque arcana noscenda famæ proponit.' Et bene 'sensus' etiam dicuntur 'intimi,' secundum Cic. Attic. V. 10. 'Sed angor intimis sensibus.' Bene etiam pro cogitatis et consiliis ponuntur. Nepos in Dione VIII. 2. 'Si invenisset idoneum, facile omnium animos cogniturum; quod inimici ejus dissidenti suos sensus aperturi forent.' Et sicut 'sensus mentesque' dicuntur 'aperiri,' ita recte etiam dici possunt 'recludi.' Horat. Epist. I. 5. 16. 'Quid non ebrietas designat? operta recludit.' Tacit. Annal. IV. 71. 'Tiberius dissimulationem diligebat; eo ægrius accepit, recludi, quæ premeret.' Verum, mihi ambiguum videtur, utrum vocabulum *sensus* fluxerit ex ipsius Plinii calamo, et inde a librariis procusum sit *secessus;* an *secessus* sit primum vocabulum, quod deinceps degenerarit in *sensus.* Meus codex maximam partem convenit cum codice Salisburgensi, ita ut uterque

ex uno quodam antiquiore jam olim descriptus esse videatur. Librarius mei codicis aperte scripsit *sensus;* at librarius codicis Salisburgensis a prima manu dedit *secesus.* Immo et in codice Patavino a prima manu scriptum fuit *senssus;* quanquam altera manus id utrobique converterit in *secessus.* Quis definiet igitur, num mei et Patavini codicis librarius ex duabus literis intermediis *ce* efformarit unicam literam *n*, an ceteri librarii ex unica litera *n*, forte in antiquiore codice jam exolescente, procuderint *ce?* Quam rem uti aliis accuratius expendendam relinquo; ita jam etiam tertiam considero lectionem, quam primus recepit, ediditque Arntzenius, *intimosque recessus.* Fateor, hanc mihi mire blandiri; si præsertim ad mentem revoco versum Claudiani, in simili argumento usurpatum, ac jam supra citatum: 'Abstrusos explorat Fama recessus.' Neque non facillimo lapsu deinceps unica litera *r* in *s* verti potuit. Sed ægre fero, neque alicujus codicis Ms. neque alicujus libri antehac impressi, auctoritatem huic variationi favere. Provocat quidem vir clarissimus ad codicem Guelpherbytanum; sed testem excito Jacobum Burckhardum, consiliarium Brunsvicensem, eximium elegantiorum literarum vindicem, cui illius codicis variantes lectiones, accuratissime descriptas, debeo, in eo ipso codice non vocabulum *recessus*, sed *secessus*, extare; prout neque in altero libro Gudiano, neque in codice Vaticano 3461. cum quo alioqui Guelpherbytanus utplurimum conspirat, *recessus* invenitur; ut adeo suspicer, amicum, cui Arntzenius excerpta codicis Guelph. accepta retulit, aliquando suas adspersisse conjecturas. Equidem Casp. Barthius in Comment. ad Stat. tom. II. pag. 467. et ad Claudian. pag. 636. ubi citat hunc Plinii locum, non *secessus*, sed *recessus*, exhibet; tam certum vero est, eum ex ingenio illam variationem depromsisse, quam certo idem, Rittershusii conjecturam secutus, in eodem hoc loco, non *primum*, sed *privum*, expressit. Sic et constat, Perizonium, qui, referente Arntzenio, exemplari suo alleverat *recessus*, nullo usum esse codice Ms. Quodsi ergo nobis in hoc constamus, ut tam diu sequamur lectionem vulgatam, quæ præsertim nec paucorum codicum Mss. suffragio confirmatur, quoad ea nihil incongruens et absurdum habet; itemque, ut non illico contra auctoritatem veterum librorum inseramus antiquis scriptis, quæ nobis nostroque ingenio meliora videntur, ne in infinitum varietates inducantur; hac etiam in voce *secessus*, quam hucusque in omnibus aliis scriptis impressisque libris, præter designatos, legimus, nihil mutamus. Verum est, quod notat Arntzenius, *recessus* esse loca abdita et occulta, in quibus sese abscondunt homines, et aliorum usui eripiunt. At, nonne eadem est notio 'secessuum?' Proprie enim non significant, nisi loca ab aliorum aditu remota, in quæ secedebant, qui vel otio vel voluptati indulgere, vel totos se in literas abdere, vel ceteroquin aliquid arcani tractare, vellent. Frequenter quidem 'secessus' dicebantur loca amœna in rure, et litore, extra urbem; et 'secedere,' qui in istiusmodi loca se conferebant; verum neutiquam semper. Recte Isidorus Orig. XV. 3. 'Secessus,' inquit, 'est locus secretus, sine accessu.' Virgil. Æn. I. 159. etiam 'sinum maris' vocat 'secessum:' 'Est in secessu longo locus.' Et pro 'recessu' ponit idem, Æn. III. 229. 'Rursum in secessu longo sub rupe cavata.' Plin. Hist. Nat. VIII. 54. ubi de histricibus agit: 'Deinde secessus in specus separatim, in quibus pariunt trigesimo die.' Ovid. Trist. I. 1. 'Carmina secessum scribentis et otia quærunt;' ubi 'se-

cessus' generatim locum notat secretum et tranquillum. Tacit. de Orator. cap. 13. de privata Virgilii Vita: 'Malo securum et secretum Virgilii secessum.' Quid? quod hoc loco 'secessus intimi' notant intimas partes, sive intima conclavia, palatii principum. Etenim quasi gradatim procedit Plinius; primum ait, magnam fortunam recludere *domos* principum; deinde *cubicula*, i. e. interiores partes palatii; tum, *intimos secessus*, h. e. intimas partes, seu intima conclavia palatii. Erant enim non tantum 'primæ,' sed et 'interiores,' atque 'intimæ partes' ædium; in quas interiores et intimas secedebant, et quæ recte *secessus* dici poterant; uti et 'secreta domus pars' dicitur Quinctil. Declam. I. 16. Nepos Præfat. 'Cujus mater familias non primum locum tenet ædium. Quod multo aliter fit in Græcia; nam neque sedet, nisi in interiore parte ædium,' &c. Cic. Verr. I. 20. 'Signum in intimis suis ædibus posuit,' i. e. in intimis partibus sive secessibus ædium. Terent. Heaut. v. 1. 29. 'Est mihi in ultimis conclave ædibus quoddam retro; huc est intro latus lectus.' Ad quem locum Donatus: 'Est autem conclave separatior locus in interioribus tectis.' Liv. XL. 8. ubi narrat, Philippum, regem Macedonum, in secreto regiæ loco inquisivisse in caussam dissidentium filiorum: 'Secessit,' inquit, 'in partem interiorem cum duobus amicis, totidem custodibus corporis.' Annon et iste secessus erat regiæ, in quem secedebat Philippus? Denique nec id mihi placet in Arntzeniana emendatione, quod tunc duæ ἀμέσως conjunguntur voces, a syllaba *re* incipientes, *recessus recludit;* cujusmodi concursum auribus parum gratum alias sedulo evitat Plinius. Hæ adeo sunt illæ rationes, quibus inductus vulgatam lectionem *secessus* retinendam existimavi. Ceterum, in sequentibus verbis codex meus et Saliburgensis habent *Omniaque arcana notanda famæ proponit;* quanquam in Salisburgensi ab alia manu, pro *notanda*, repositum sit *noscenda*. Idem.

Penitus inspici] Plinius noster, Epist. VI. 31. 'Quid jucundius, quam principis justitiam, gravitatem, comitatem, in secessu quoque, ubi maxime recluduntur, inspicere?' *Idem.*

Penitus inspici] Proprium omni veræ virtuti, quæ vult tractari. *Lips.*

Inspici] 'Drusus cupiens suas ædes ab omnibus inspici.' Plutarch. in Præcept. Politicis p. 800. Vell. Paterc. II. 14. *Bern.*

Limine] Domesticæ et penetrales tuæ virtutes, pares publicis aut publicatis. *Lips.*

Limine tenes] Bene hæc interpretatur Ceva: 'Tu multa privato lare contegis, quæ gloriam augeant, si manifestentur.' Ea, quæ limine tenebat, sive continebat, Trajanus, erant res domesticæ. 'Limen' enim συνεκδοχικῶς pro palatio, seu domo, aliquando et pro cubiculo, ponitur. Cic. Attic. VII. 12. 'Ut scribis, domesticis te finibus tenes,' i. e. domestica tractas, non publica. Plinius noster, Epist. IX. 13. 'Me recens adhuc luctus limine continet.' Idem, Epist. VII. 23. 'Illum, et domi, et intra domum, atque etiam intra cubiculi limen, exspectes.' Petron. c. 64. 'Ut suis se teneant,' i. e. intra sua, aut intra sedes suas. Quinctil. Instit. Orat. I. 2. 'Utiliusne sit domi, atque intra privatos parietes, studentem continere?' Ceterum, ubi in antecedentibus vulgo legimus *non minora ea*, ibi codex Patavinus omisit pronomen *ea*. Schwarz.

Contagione vitiorum] Pro *contagione*, perperam edidit *cogitatione* Beroaldus; quæ varietas etiam annotata est in altero libro Gudii; quam et in Scaligeri libro notatam invenit Hearne. Non pluris facienda est alia lectio, *cognatione*, quam evulgavit Ca-

petenda, et cum nomine, *hostium*, conjungenda est. Quæ ratio etiam permovit Arntzenium et Gesnerum, ut nomen *exercitus* non receperint. Non vero solum codex ille Vaticanus et liber Gudii, sed etiam Parisiensis, uterque Venetus, et Patavinus, habent in numero singulari, *prospectaret;* quod fieri potest per zeugma, uti apud Virgil. Æn. I. 553. 'Sociis, et rege recepto;' et apud Justin. XXX. 13. 'Pœnis, et Annibale superato.' Retineo tamen lectionem sæpius vulgatam. Ceterum, codex Salisburgensis, et meus, videntur ex codice quodam descripti esse, in quo jam vetustate obliteratæ fuerint quædam voces et literæ: non enim expresserunt hæc verba integra, *quam quod hostium prospectarent; hostium, quibus moris est;* sed, parva lacuna relicta, habent, *quam quod hostium prospecta... quibus mos est, &c.* Pro ultimis his verbis omnes ceteri codices habent *quibus moris est*. Utrumvis recte dici potest. Tacit. Annal. I. 39. 'Ut mos vulgo, quamvis falsis reum subdere.' Idem Annal. IV. 39. 'Moris quippe tum erat, quanquam præsentem scripto adire.' Plinius frequentius utitur casu secundo. Epist. II. 19. 8. 'Ut illis erat moris, leges aliarum collatione convincere.' Item Epist. III. 21. 3. VII. 27. 14. VIII. 19. 2. I. 12. 7. 'Habebat hoc moris.' *Idem.*

Prospectarent] *Prospectaret* V. C. scilicet ripa. *Livin.*

Rigentia gelu flumina] Hunc locum difficilioribus annumero. Sententiam quidem Plinii capio facile; sed verba non illico ex omni parte sententiæ respondere videntur. Si verba hæc *rigentia gelu flumina*, interpretamur, dicique putamus, 'flumina glacie obducta et indurata;' prout Plinius supra, XII. 3. dixit: 'Cum Danubius ripas gelu jungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat:' tunc sequentia verba, 'lustrare navigiis, nandoque superare,' hoc non quadrant, et potius quædam excidisse videntur, quæ sic fortasse supplenda forent: *Quibus moris est, eadem illa nunc rigentia gelu flumina, aut campis superfusa,* transire; *nunc liquida, &c.* aut certe verbum *lustrare* huc revocandum esset. Etenim flumina conglaciata non possunt navigiis, aut nando, superari; sed pedibus, equis, vehiculis, solent transiri, aut generatim lustrari. Sic ipse canit Ovid. Trist. III. 10. 31. 'Quæque rates ierant, pedibus nunc itur; et undas Frigore concretas ungula pulsat equi; Perque novos pontes subter labentibus undis Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.' Et sic etiam 'flumina campis superfusa,' si non satis sunt profunda, navigiis transiri nequeunt. Sed nullus liber hucusque tali supplemento succurrit; nec, si quid judicare possum, eo opus est. Cum enim Plinius de Germanis, tanquam hostibus Romanorum, Danubii Rhenique accolis, loquatur; non vult significare, illos tantum hæc flumina glacie constricta pedibus, equis, aut vehiculis, transiisse; quod etiam a Romanis, qui alioqui commodius vivebant, fieri potuisset; sed, cum Tacitus de Germ. c. 5. dicat, veteres Germanos 'tolerare frigora, atque inediam, cœlo soloque assuevisse;' sine dubio hic dicere voluit, Germanos non tantum liquida, qualia potissimum æstate sunt, et facile deferentia naves, sed etiam gelida, et frigore rigentia flumina, *lustrare navigiis, nandoque superare*, solitos esse. Atque adeo *rigentia gelu flumina* hoc loco non notant 'flumina conglaciata,' qualia tantum pedibus, equo, aut vehiculo, neutiquam navigiis, aut nando, transiri possunt; sed notant 'flumina admodum gelida, et frigida,' quæ Germani pro corporum suorum firmitate navigando nandoque superare nihil reformidarunt. Gelu enim non semper glaciem infert; sed nec raro pro frigore,

sicut 'gelidæ' et 'rigentes aquæ,' pro frigidis, poni solent: prout Livius dixit, 'militum corpora rigentia gelu torpuisse.' Sic ubi idem xxi. 32. ait, 'pecora jumentaque torrida frigore, homines intonsi et inculti, animalia inanimaque omnia rigentia gelu;' non de glacie duratis necatisque, sed frigore tantum rigentibus, loquitur; sicut et sequente cap. 58. tantam vim frigoris commemorat, ut 'torpentibus rigore nervis vix flectere artus' potuerint homines. Sic Phæd. iv. 18. 'gelu rigentem colubram' vocat, non certe jam glacie duratam necatamque, sed tantum frigore torpentem, quam quidam sustulerit, sinuque foverit. Seneca in Medea, vs. 926. de Medea affectibus æstuante: 'Cor pepulit horror; membra torpescunt gelu; Pectusque tremuit.' Neque est, cur nos morentur *flumina liquida*: hæc enim non hoc in loco opponuntur fluminibus concretis et conglaciatis; sed frigore rigidis, limosis, et nivosa grandine turbidis; sicut *deferentia*, campo superfusis. Sic salva erit vulgata lectio, sententiamque Plinio congruentem constituet. Nolo tamen præterire Arntzenianam annotationem: 'In vulgata,' inquit, 'apud Plinium scriptura verbum requiro, quod ad *rigentia gelu flumina* referri potest: unde sola mutata distinctione, quod mollissimum medendi genus, legerem, *lustrare, navigiis nandoque superare*.' Quam medelam aliorum judicio relinquo. Tandem moneo, Puteolanum omisisse *nandoque*, ejusque loco edidisse *quandoque*; atque ita etiam in codice Salisburgensi per compendium et super ducta lineola, scriptum esse, *qnq*; ita tamen, ut in margine ab alia manu rescriptum sit *nando*. Schwarz.

Campis superfusa] Hæc lectio invenitur in codicibus Mss. Vatican. Parisiensi, Veneto 2. Salisburgensi, Guelpherbytano, et meo; at in paucis aliis, plurimis vero impressis *superflua*, sive *superfusa*, posse locum habere. 'Superfluens,' et 'superfluum,' omnino proprie dicitur de flumine redundante: unde hæc, quamvis per translationem, conjungit Cic. de Claris Orator. c. 91. 'Is dedit operam, ut nimis redundantes nos et superfluentes juvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret, et quasi extra ripas diffluentes coërceret.' Lubens tamen, cum Arntzenio, præfero *superfusa*; quæ vox frequentius occurrit, et plurium codicum Mss. suffragio confirmatur. Liv. vii. 3. 'Cum medios forte ludos circus Tiberi superfuso irrigatus impedisset.' Plinius noster, Epist. viii. 17. 'Tiberis alveum excessit, et demissioribus ripis alte superfunditur.' Plinius Major, xii. 1. translate: 'Produnt, Gallias hanc primum habuisse caussam superfundendi se Italiæ,' &c. *Idem*.

Campis superfusa] *Superflua* Livin. in textu; sed in margine, *superfusa* C.

Nunc liquida ac deferentia] Editio Veneta, *Nunc limpida ac deserentia*. Juret.

Liquida ac deferentia] Catanæus primum legerat, edideratque *limpida*, i. e. defæcata; sed postea ei magis placuit *liquida*. Liquida vero flumina recte quidem etiam fluminibus glacie duratis opponi possunt; quod satis indicat Rutilius Itin. i. 489. 'Juncta fluenta gelu conspecto sole liquescunt; Et rursus liquidæ sole gelantur aquæ.' Verum, quod modo dixi, non minus impuris, crassis, frigore rigentibus, ac nivosa grandine turbidis, fluminibus, possunt opponi. Sic Ovid. Metam. iii. 486. 'liquefactam undam' opponit 'turbidæ:' 'Quæ simul adspexit liquefacta rursus in unda Non tulit ulterius.' Martial. xii. 61. 'Ut liquidum potet Alauda merum, Turbida sollicito transmittit Cæcuba sacco.' Plin. Epist. v. 6. 'Salubritati regionis purius cœlum, aër liquidior, accedit.' Flumina au-

tem *deferentia* Plinius vocat, quæ naves facile deferunt; et hæc opponuntur fluminibus 'campo superfusis,' quæ naves non facile ferunt. Sic Plinius supra, XXXI. 4. dixit 'ventos ferentes,' i. e. fecundos et faventes ventos, quæ plenis velis naves deferunt. Virgil. Æn. x. 688. 'Labitur alta secans, fluctuque æstuque secundo.... Dauni defertur ad urbem.' Plinius Major, III. 5. 'Rhodanus amnis ex Alpibus se rapiens per Lemanum lacum, segnemque deferens Ararim.' Hanc vulgatam lectionem confirmant plurimi libri impressi, et omnes codices Mss. præter Salisburgensem, Patavinum, et librum Vossianum, in quibus per sphalma, ut puto, scriptum est *differentia*. Nec probare possum *deserentia*, quod edidere Catanæus, Elzevir, Boxhornius, Hearne. Opinatus est Lipsius, etiam *deferventia* posse legi; cui lectioni vero nec codex quidam Ms. neque alius commentator favet. *Schwarzius.*

Deferentia] Prono et suo cursu euntia. Quidam libri, *deserentia;* quod esset in se redeuntia, omissis campis. Possit et *deferventia* legi. *Lips.*

Magnopere duritiam] Pro *magnopere*, divisis vocibus, *magno opere*, more suo edidit Aldus Manutius, quem secuti sunt Junta et Navius, atque nunc Arntzenius. Neutiquam improbo hanc scripturam, cujus satis manifesta annotantur documenta; v. g. apud Terentium, Eunuch. III. 3. 26. 'Thais maximo te orabat opere, ut cras redires.' In Phorm. v. 1. 33. 'Quod nos ambo opere maxumo dabamus operam, ut fieret.' Apud Cic. Fam. XIII. 34. 'Magnoque opere abs te peto.' Neque tamen necesse puto, ut eandem contra consensum omnium fere librorum ubique inculcemus. Cf. not. ad XLIV. 1. Sic etiam utroque modo recte dicitur, *duritiam*, et *duritiem*. Hoc tamen loco priorem scripturam recepi; quoniam eandem probant codices Mss. Vatic. Parisiensis, uterque Venetus, Patavinus, liber Vossianus, et in excusis Puteolanus, Aldus, Cuspinianus, Rhenanus, Philomusus, Cratander, Rob. Stephanus, Livineius, Gruterus, De la Baune, Arntzenius. *Schwarz.*

Animus imperitet] Plurimi codices Mss. nec pauci libri impressi, confirmant hanc lectionem. Vitiose autem *imperaret* edidere Ascensius, Elzevir, Boxhornius, Cellarius, et Hearne. Plinius respicere videtur sententiam Sallustii Catil. cap. 1. 'Nostra vis omnis in animo et corpore sita: animi imperio, corporis servitio, magis utimur.' Idem Jugurth. cap. 6. verbo 'imperitare' utitur. 'Naturam ipsam ceteris imperitantem industria vicerat.' Jam Plaut. Capt. II. 1. 47. 'Quod antehac pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem.' Livius identidem hoc verbo se oblectavit: III. 39. 'Vicissitudinem imperitandi sustulerunt.' Item et Plinius Major, VI. 23. 'Pandæ imperitant CCC. opidis.' VI. 35. 'Æthiopia vicissim imperitando serviendoque clara et potens:... et Scythiæ imperitasse eam, nostroque litori, patet Andromachæ fabulis.' *Idem.*

Fortunæ indulgentia molliat] Omnes, quos evolvi, libri impressi edidere hucusque in numero multitudinis, *Fortunæ indulgentiæ molliant.* At singularem reponendum duxi, quia hunc inveni in codicibus Mss. Parisiensi, Veneto 1. et meo. Ad quos etiam refero codices Vaticanos, et Venetum 2. qui, etsi invertant casus nominum, verbum tamen singulare recte exprimunt, *Fortuna indulgentiæ molliat.* Altera ratio est, cur a vulgata lectione recesserim; quia, quamvis Plinius nomine *indulgentiæ* sæpius utatur, et in Panegyrico, et in Epistolis; nunquam tamen alibi numero multitudinis usus deprehenditur; neque mihi, ex ullo alio auctore aureæ

ant argenteæ Latinitatis, exemplum succurrit, ubi *indulgentiæ* numero multitudinis dicuntur, licet sequioris ævi auctoritas non desit. Aliquoties etiam Velleius 'fortunæ indulgentiam' commemorat; nusquam tamen in numero plurali; v. g. II. 121. 'Fortunæ vero quis non miretur indulgentiam?' Cf. II. 1. et II. 8. *Molliat*, i. e. frangat, et effeminet. Plinius noster supra XXXIII. 1. 'Non, quod animos virorum molliret et frangeret.' Seneca Epist. 82. 'Molliter vivit: hoc dicunt, malus est; paullatim enim effeminatur animus, atque in similitudinem otii sui, et pigritiæ, in qua jacet, solvitur.' In codice Patavino, et libro Vossiano, pro *molliant*, scriptum est *violant*. Operam perdit, qui verbum hoc, *violant*, huic loco vindicare conetur. Credo, imperitum librarium illud ex ipso verbo, *molliant*, effinxisse, dum in prima syllaba *moll*, primam literam, *m*, pro *ui*, habuit. *Id.*

Detorqueant] I. e. deflectant, et avocent, quasi invitum, et vi quadam, sive aperta, sive blandiore. Noster supra, LXX. 5. 'Ingenia, etsi non detorquebat, hebetabat tamen,' &c. ad quem locum vide notam nostram. *Idem.*

Detorqueant] 'Quem non a recto traxit male suada Voluptas Tramite, non luxu mentem labefecit honestam, Florentis fortuna domus.' D. Baud. *Bern.*

Crescentia laboribus membra] *Crescentia*, non tam magnitudine, quam viribus et robore; dum laboribus in dies validiora redduntur, magisque confirmantur. Hinc Cicero, Quæst. Tuscul. II. 15. 'Illi, qui Græciæ formam rerumpublicarum dederunt, corpora juvenum firmari labore voluerunt.' Sic auctores passim etiam dicunt, 'amorem, audaciam, animum, voluptatem, crescere,' i. e. invalescere. Quantum vero labor corroboret hominum membra, contra vero otium resolvat, docet Hippocrates de Diæta lib. II. p. 362. edit. Fœsii: 'Ραδυμίη ὑγραίνη, καὶ ἀσθενὲς τὸ σῶμα ποιέει· πόνος δὲ ξηραίνη καὶ τὸ σῶμα ἰσχυρὸν ποιέει. *Desidia humectat, et imbecillum corpus, fluidumque reddit; labor siccat, et robustum strictumque corpus facit.* Item: Οἱ γὰρ ἀγύμναστοι τῶν ἀνθρώπων ἀπὸ παντὸς κοπιῶσι πόνου. *Inexercitati homines ab omni labore fatigantur.* Horum corpus non redditur 'opere lætum,' ut antea dixit Plinius, h. e. non fit ipso labore floridius, validiusque; uti eorum, qui crebrius exercentur. Sic Seneca hæc conjungit, de Ira, II. 15. 'Valida arbusta, et læta.' Burmannus ad Phædrum, II. 5. bene explicat, unde etiam dicantur, læta viridia, lætæ segetes, læti agri, læta humus. *Schwarz.*

Maritos Dearum] Ut Cephalus, et Orion, ab Aurora rapti; de quorum primo Pausanias in Lacon. de altero Homerus Odyss. E. mentionem faciunt. Item Peleus, quem Thetys sibi jugavit, secundum Apollodor. lib. III. qui omnes hosce a venandi studio laudat. His addi potest Hippolytus, propter venationem Dianæ carissimus. *Patarol.*

Maritos Dearum] Peleus, Achillis pater, Thetidis maritus, Ovid. Epist. v. Cephalus Auroræ Id. de Art. Am. lib. III. Hippolytus Dianæ, Met. VII. *Bern.*

Ac Deorum] *Deum* V. *Livin.*

Deorum liberos] Theseum, Castorem, Pollucem, aliosque plures. *Bernegger.*

Deorum liberos] Ut Castor et Pollux, Jovis filii, de quibus citatus Apollodor. ibid. Sic Dryas, Marte genitus, secundum eundem, lib. I. Hercules, et alii. *Patarol.*

Deorum liberos] Horum quædam nomina jam recensuit Patarol. Cic. in Fragm. de Universo, c. 11. 'Credendum est veteribus et priscis, ut aiunt, viris, qui se progeniem Deorum esse dicebant; itaque eorum vocabula nobis prodiderunt.' Intelli-

git vero Plinius potissimum eos liberos, quos Dii ex feminis humanis procreasse dicebantur. Pro *Deorum*, omnes fere codices Mss. habent genitivum per syncopen contractum, *Deum*, præter Guelphicum; sed jam primæ editiones Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Cuspiniani, aliorumque, evulgarunt *Deorum*; quæ flexio etiam discrimini genitivi, *Dearum*, melius respondet, ac ne Ciceroniano quidem ævo adversatur. Cicero enim in Oratore, cap. 46. 'A quibusdam,' inquit, 'sero jam emendatur antiquitas, qui hæc reprehendunt: nam pro *Deum atque hominum fidem*, *Deorum* aiunt. ... Quid verum sit, intelligo; sed alias ita loquor, ut concessum est, ut hoc, vel *Proh Deum* dico, vel *Proh Deorum*.' Schwarz.

Nec dignitate nuptiarum magis] Particulæ *nec magis* ponuntur pro *non tam*; quasi dixerit Plinius: 'Video ... maritos Dearum, ac Deorum liberos, non tam dignitate nuptiarum, quam his artibus, inclaruisse.' Nepos in Miltiade, cap. 2. 'Erat inter eos dignitate regia; neque id, magis imperio, quam justitia, consecutus.' Aut, si mavis, illud *nec* etiam per 'ne quidem' explicari potest; uti patet vel ex usitatissima illa loquendi ratione, 'nec opinatus,' 'nec opinato;' ubi 'nec' semper per 'ne quidem' potest explicari. Val. Flac. VII. 130. 'Quique meum patrias referet nec nomen ad urbes.' Justin. III. 4. 'Itaque nec salutatis matribus proficiscuntur.' Suboluit in his quidam defectus Lipsio, censenti, partem membri alteram deesse, quæ respondeat *liberis deorum*; nempe, *et natalium*; aut, quod conjecit Behrius, *non divinitate natalium, nec dignitate nuptiarum*; aut, quod maluit Gesnerus, *nec generis præstantia*; ut sic expleri defectus possit: *Video, ... maritos Dearum, ac Deorum liberos, nec dignitate nuptiarum*, nec præstantia natalium, *magis, quam his artibus, inclaruisse*. Si reperissem hanc scripturam in antiquis codicibus, eam sine cunctatione admisissem. Sed fortasse nullo opus est supplemento. Loquitur enim Plinius de nuptiis maritorum mortalium, quibuscum se conjunxerant Deæ. Sic e. g. Peleus, alias homo mortalis, quod Apollodor. III. 12. refert, sibi conciliaverat, junxeratque, Deam Thetin, de cujus matrimonio jam Jupiter et Neptunus contenderant. Loquitur etiam de *liberis Deorum*, quos nempe Dii ex feminis mortalibus generaverant; prout Hercules ex Jove Deo, et Alcmena, uxore Amphitruonis, regis Thebarum, procreatus erat. Utrique dici potuerunt *inclaruisse dignitate nuptiarum divinarum*; ille, Peleus, quod nuptiis divinis junctus erat Thetidi, Deæ; hic, Hercules, quod ex nuptiis divinis, (immo innuptis) Jovis Dei, et Alcmenæ reginæ, adeoque satu Dei, ortus perhibebatur; quantumvis uterque magis inclaruerit propriis virtutibus, factisque fortibus, et sigillatim eximio venandi studio. Ergo opus non est, ut novum procudamus supplementum. *Idem.*

Nec dignitate nuptiarum] Aut deest alterum membrum, *nec natalibus, nec nupt. dignit.* vel simile quiddam, aut *non* pro *nec*, equidem reponam. Vide, quæ supra notamus ad cap. XLIII. Paullo ante 'lætum opere corpus' ποιητικώτερον dixit, ut Horatius, 'Vos lætam fluviis, et nemorum coma,' &c. *Livin.*

Nuptiarum] Pars membri altera deest, *et natalium*: ac pluscula hic observo hiulca, aut fœdata. *Lips.*

His artibus inclaruisse] 'Ars' quidem generatim notat quamcunque peritiam et industriam, sive in re bona, sive in mala: unde 'iners,' qui nec novit, nec præstare quidquam potest. Terent. Andr. I. 1. 3. 'Sos. Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius? SIM. Nihil isthac opus est arte ad hanc rem, quam paro; Sed

iis quas semper intellexi in te sitas, Fide et taciturnitate.' Ad quæ verba Donatus: 'Ars ἀπὸ τῆς ἀρετῆς dicta per syncopam. 'Ἀρετὴ autem *virtus* est.' Sicuti vero Terentius ad artes refert virtutes, fidem nempe et taciturnitatem; ita hoc loco Plinius per 'artes' intelligit maxime fortitudinem et industriam, sive vitam laboriosam; quam inprimis venandi navigandique studio prodidit Trajanus. Quas artes etiam supra designavit, LXXXI. 2. 'His artibus futuri duces imbuebantur.' Ceterum codices Mss. Vaticanus 3461. Guelpherbytanus, Salisburgensis, et meus, pro verbo composito *inclaruisse*, exhibent simplex *claruisse*. Sueton. de Grammat. cap. 17. 'Valerius Flaccus docendi genere maxime inclaruit;' quanquam et ibi quidam codices habeant, *claruit*. Tacit. Annal. XII. 37. 'Neque mea fortuna, neque tua gloria inclaruisset.' Sed hic etiam simplici verbo passim utitur; v. g. 'Is quoquo facinore properus clarescere cœpit.' *Schwarz.*

Ista ludus et avocamentum hujus] Pronomen *ista* non ἀμέσως referendum est ad voces proximas, *his artibus*, sed ad totam sententiam, quæ præcesserat de exercitationibus laboriosissimis, quibus, seu in montibus venando, seu in mari navigando, exercebatur Trajanus. *Cum sint ludus hujus*, i. e. Trajani, principis nostri. *Ludus* alias generatim dicitur, quidquid fit animi corporisque recreandi, seriorumque laborum quiete quadam distinguendorum, caussa. Ita dicimur alea, pila, facetiis, versibus ludere. Huc pertinent etiam ludi campestres, sive exercitationes in campo Martio, item venationes, piscationes, et similia negotia jucundiora; quæ ad 'ludos' referri possunt. Sic Cic. de Offic. I. 29. 'Suppeditant autem et campus noster, et studia venandi, honesta exempla ludendi.' Ejusmodi genera recreationum et solatiorum Plinius etiam vocat 'avocamenta;' quia nos a laboribus, a curis, molestiisque, et a tristitia, aliquantisper avocant. Plin. Epist. VIII. 5. 'Ero ergo suspensus pro homine amicissimo, dum admittere avocamenta (i. e. solamina animum a mœrore avocantia) et cicatricem pati possit.' Idem Epist. VIII. 23. 'Omnia mihi studia, omnes curas, omnia avocamenta, (i. e. lusus et recreationes,) exemit, excussit, eripuit dolor.' Lactantius de Opificio Dei, cap. 18. 'Mens sibi avocamenta invenit, ne saluberrimam quietem corporis interrumpat.' Immo et verbum 'avocare,' simpliciter positum, aliquando significat, recreare, et reficere, i. e. avocare a negotiis et curis, quibus distringimur. Plin. Epist. I. 24. 'Mediocritas villæ, modus ruris, qui avocet magis, quam distringat.' Lactantius l. c. 'Avocatur ergo mens simulacris, donec membra sopore irrigata vegetentur.' Sidon. Apollinar. Epist. V. 17. 'Nunquamne te tantum venatio, civitas, ager, avocat, ut non obiter voluptate literarum teneare?' Sed et talia remissionum atque avocamentorum genera Val. Max. VIII. 8. appellat 'diverticula:' 'Scævola,' inquit, 'optime pila lusisse traditur: quia videlicet ad hoc diverticulum animum suum forensibus ministeriis fatigatum, transferre solebat.' Nec scio, an huc etiam faciat illud Liv. IX. 17. 'Nihil minus quæsitum a principio hujus operis videri potest, quam ut . . . legentibus velut diverticula amœna, et requiem animo meo, quærerem.' *Idem.*

Avocamentum hujus, quæ quantæque sint illæ] *Avocamentum hujus illa, &c.* Livin. in textu; sed in margine, *avocamentum hujus, quæ quantæque sint illæ* C. optime. *Rittersh.*

Quæ quantæque sint] De his tribus verbis actum esset, nisi eas nobis servasset Cuspinianus. Omissa sunt in omnibus, quos consulere mihi licuit, codicibus Mss. Quid? quod in

omnibus ceteris impressis exemplaribus omissa sunt, usque ad tempora Lipsii et Gruteri, qui primi, post Cuspinianum, ea receperunt. Nequeo dispicere, quid occasionem dederit his omittendis, quæ omnino necessaria sunt ad explendam Plinii sententiam. Non præter caussam professus est Lipsius, se pluscula hic observare hiulca, aut fœdata. Hæ autem voces, *quæ quantæque sint*, connecti debent cum ultima hujus periodi voce, *voluptates*. Cum vero hæ *voluptates* a Plinio dicantur *seriæ*, et *intentæ, et a quibus se* Trajanus *receperit in* venandi navigandique *otium;* alii, pro voce *voluptates*, legere optarunt *curæ;* alii *administrationes;* alii *occupationes:* verum Plinius omnino hic intelligi vult serias et honestas voluptates, quas summas bonæ mentes capiunt ex rebus arduis, et gloriose feliciterque gestis; quamvis mox redeat ad leniores illas et leviores voluptates; cum utræque animi indicium esse possint. Quod si enim Plinii mentem recte capio, is significare voluit: cum Trajanus in laboriosis istis venationum et navigationum exercitationibus quendam ludum et avocamentum, adeoque voluptatem quandam, quæsierit; utique maximas summasque voluptates fuisse, quas is perceperit e rebus seriis, gravioribusque occupationibus. Sic Plin. Epist. IX. 6. testatus est, se aliquam 'cepisse voluptatem, quod' ex spectaculis aliisque rebus ludicris, 'voluptate capi non potuerit.' Ubi vides, nomen 'voluptatis' priore loco de seria, altero loco de ludicra voluptate, sumi. Et Seneca de Beata Vita, cap. 4. 'Vera,' inquit, 'voluptas erit voluptatum contemtio.' Idem Seneca porro docet, quæ sit ejus generis seria voluptas, Epist. 18. 'In hoc tamen (vili) victu saturitatem non putas esse: et voluptas est. Voluptas autem non illa levis, et fugax, et subinde reficienda; sed stabilis, et certa. Non enim jucunda res est aqua, et polenta, aut frustum hordeacei panis; sed summa voluptas est, posse capere etiam ex his (rebus asperis) voluptatem, et ad se reduxisse, quod eripere nulla fortunæ iniquitas possit.' Idem Epist. 23. 'Mihi crede, res severa est verum gaudium, vera voluptas. . . . . Quid sit istud, interrogas, aut unde subeat? dicam: Ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemtu fortuitorum, ex placido vitæ et continuo tenore unam prementis viam.' Etiam Apuleius lib. de Philosophia, dixit, illam esse honestam 'voluptatem, quæ non pudendis rebus, sed gloriosis actibus, pro aliqua præclara administratione susceptis, veniat.' Sunt ergo hæ illæ *seriæ et intentæ voluptates*, quas quasi a minoribus voluptatibus, sive lusibus venationis atque navigationis, distinguit Plinius. Pertinet autem omnino ad laudem principis, quod præcipuas summasque voluptates e laboribus negotiisque publicis caperet; sicut orator supra, LXXXI. 1. dixerat, eum 'instar refectionis existimasse mutationem laboris.' Quomodo vero Lipsius hunc locum reformandum explicandumque censuerit, ex ejus annotationibus facile constat. Non quidem renuerem admittere Lipsii emendationem, dum vox *voluptates*, priore loco posita, prorsus omittatur: *quæ quantaque sint illa seria et intenta, et a quibus se in tale otium recipit*. At tunc optem, ut pro sequenti particula *enim*, inveniatur *vero*. Schwarz.

Seriæ et intentæ] Sequitur mox *voluptates:* et nisi literarias aut illas animi interioris intelligat, quid velit ignoro, Immo placebat legere, *quæ quantaque sint illa seria et intenta, et a quibus se in tale otium recipit*. *Voluptates sunt enim, voluptates, quibus:* oratoria et efficaci repetitione. *Lips.*

In tale otium] 'Pulcherrimum et

humanissimum vitæ genus, severitatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, hæc in petulantiam, excedat.' Et Seneca in Declamat. 'Omnibus prodest animum relaxare; excitatur enim quiete vigor.' *Bern.*

Sunt enim] Longe ab illecebris occasionum facile est virtutes servare; sed intra voluptates, in aquisque esse, nec mergi, illud difficile. *Patarol.*

Quis adeo] Etiam Domitianus, perditissimus princeps, jus dixit, et Caius literaria exercitia ac certamina instituit. *Idem.*

Nam quis adeo] *Jam quis adeo* Livin. in textu; sed in margine, *Nam quis adeo* V. C. recte. *Rittersh.*

Nam quis] Omnes codices Mss. habent *Nam;* pro qua particula, Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Cuspinianus, et plures alii, male publicarunt *Jam.* Istarum autem particularum commutationem esse perfrequentem, jam annotavi ad XXIII. 14. et in Excurs. XXIX. Cf. Drackenb. ad Silium Ital. IX. 242. *Schwarz.*

Species severitatis insideat] Nonnulli, pro *insideat*, edidere *incidat.* Tunc mihi in mentem venit, an non *species* hic translate pro exemplo, sive casu, sumi possit, uti scil. sumitur a Plinio nostro, Epist. X. 97. 'Mox ipso tractu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt.' Ubi observavit Rittershusius, vocari *species*, quas dicere soleamus, 'facti species,' et vulgo 'casus;' quos Græci dicant ὑποθέσεις. Sic Latinus Largus in leg. 83. π. de legat. 2. 'Proxime ex facto incidit species talis.' Atque ibi, 'incidere' dicitur, contingere, evenire; uti apud Cic. Fam. V. 17. 'Ut cogitares, et in nostra civitate, et in ceteris quæ rerum potitæ sunt, multis fortissimis atque optimis viris tales casus incidisse.' Ibi Cortius de verbo 'incidere' plura annotavit exempla. Putes ergo, etiam Plinium hic significare voluisse, neminem principum tam dissolutum esse, cujus non occupationibus *aliqua species*, i. e. unum alterumve factum et exemplum *severitatis incidat*, sive contingat. Atque hæc fortasse est ratio, cur nonnulli pro verbo *insideat*, ediderint *incidat.* Quanquam etiam alibi verba 'insidere' et 'incidere' a librariis esse permixta, observarit Burman. ad Quinctil. Instit. Orat. I. 4. Fallitur enim Arntzenius, dum credit, ab errante typographo profectum, quod in Cellariana editione legatur *incidat;* quamvis eam scripturam secuti sint Patarol, et Gesnerus. Fallitur etiam Gesnerus, qui in epistola supra laudata tradit, illud *incidat* se a Grutero et Cellario accepisse. De Cellario, nullum est dubium; at Gruterus, in editione Francofurtana an. 1607. omnino exhibuit verbum *insidat.* Verum, *incidat* inveni jam in Henr. Stephani ἐκδόσει an. 1591. Inde idem Elzevirii an. 1640. expresserunt; deinde Boxhornius, Kirchmaierus, Cellarius, Patarol, et Gesnerus. Haud dissimulo, hoc ipsum verbum *incidat* non omnino mihi displicere, dummodo ne omni consensu codicum Mss. destituatur. In his enim, Parisiensis, uterque Venetus, Patavinus, et liber Vossianus, habent *insidat;* quam lectionem etiam evulgarunt Puteolanus, Catanæus, Rhenanus, Philomusus, Lipsius, et alii. At pro *insidat*, produnt *insideat* codices Vaticani, Salisburgensis, et Guelpherbytanus. In meo autem codice mendose scriptum est *insidiatus.* Istud *insideat* primus promulgavit Beroaldus, quod nunc Plinio asseruit Arntzenius; quod verbum propter auctoritatem codicum Mss. jam etiam recepi, credidique, eo magis locum habere posse, si nomen *species* pro externa forma et simulacro sumatur; quæ notio apud bonos auctores frequentissime occurrit; v. g. apud Cic. de Offic. III. 11. 'Utilitatis specie in republica sæpissime peccatur.' Ibid. c. 26. 'M. Atilius Regulus, cum

Romam venisset, utilitatis speciem videbat; sed eam, ut res declarat, falsam judicavit.' Verbum autem 'insidere,' pro hærere, vel inhærere, satis apte huc accommodatur. Cic. pro Milone, c. 25. 'Si tibi ita penitus insedisset ista suspicio, nullo ut evelli modo possit.' Idem in Oratore, c. 5. 'Insidebat in ejus mente species eloquentiæ, quam cernebat animo, re ipsa non videbat.' Ubi vero *species* pro idea, forma, et notione, ponitur. Plin. supra, LXI. 7. 'Solennis ille lictorum clamor auribus insederat.' Epist. II. 11. 'Insidet animo tuo majestatis publicæ cura.' Quinctil. Instit. Orat. I. 1. 'Vitiose dicta non insidere alumno sinat.' Confusionem autem crebram, et difficilem distinctionem verborum 'sedeo' et 'sido,' item compositorum 'insideo' et 'insido,' 'subsideo' et 'subsido,' in codicibus occurrere, notavit Burman. ad Quinctil. Instit. Orat. II. 1. et ad Petron. c. 96. Gesnero hic neque *incidat*, (quod tamen prodidit, Cellarium secutus,) neque *insideat*, satisfacit; sed placet e conjectura, *Species severitatis inest? At otio prodimur*. Idem.

Otio prodimur] H. e. dum inter otia et recreationes indulgemus genio nostro, liberiusque viventes non sumus intenti ad velandum; animi nostri sensa, et præcipuas propensiones, facile manifestamus, aliisque indicamus. Inde etiam 'lusus' habentur pro speculo animi. Quinctil. Instit. Orat. I. 3. 'Mores se inter ludendum simplicius detegunt.' Quo pertinet etiam illud Anthol. IV. 32. 4. ubi incognitus poëta monet ludentem tesseris, ut ne efferatur, si vincat, nec doleat, si fuerit victus; quod epigramma sic tandem concludit: Καὶ γὰρ ἐπὶ σμικροῖσι νόος διαφαίνεται ἀνδρὸς, Καὶ κύβος ἀγγέλλοι βένθος ἐχεφροσύνης. *Etenim etiam in parvis animus apparet viri; Atque cubus, sive tabula lusoria, indicat recessum interioris sensus, sive prudentiæ*. Idem.

Prodimur] Mens retegitur; quæ neque per remissiones intenta est ad velandum; et ipsas naturæ aptas moribusque appetit. *Lips.*

An non] Codices Mss. Parisiensis, uterque Venetus, Patavinus, et liber Vossianus, (non vero codic. Guelph.) habent *At non*. Quæ lectio potest locum habere, si particula *non* vim interrogandi simul retineat; uti ostendi ad XLIX. 4. Salisburgensis codex, et meus, omissa particula *non*, exhibent *At vero*. Schwarz.

Plerique] Augustus in plurimis laudatus princeps, alea tamen et stupris oblectatus. Domitianus, quoties otium esset, alea solitus avocari etiam profestis diebus, matutinisque horis: alia pudet addere. Tantum non his similes plerique nostrum. *Bern.*

Contentione] Laxabant se a curis, ut in vitia animum intenderent. Quo sensu nec male, *contentiones*. Lips.

CAP. LXXXIII. *Hoc primum*] Rittershusius non probavit vocem *primum*, sed in ejus locum reponendam censuit, vel *privum*, vel *proprium*; verum sine ductu et auspicio alicujus libri. Neque necesse est ut hic de emendatione cogitemus. *Primum* enim recte explicari potest per 'præcipuum,' et 'singulare.' Vide ad LXXVIII. 2. *Schwarz.*

Habet hoc primum] Divinabam, *habet hoc privum*. Nonius, 'Privum est proprium uniuscujusque.' An emend. *proprium?* Rittersh.

Magna fortuna] Juvenalis, 'secretum divitis ullum Esse putas? homines taceant, jumenta loquentur.' *Lips.*

Nihil tectum] Juvenal. 'Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.' *Bern.*

Nihil tectum] Consonant verba Claudiani Paneg. Non. 'Nam lux altissima fati Occultum nihil esse si-

nit.' Et illa Cæsaris apud Sallust. Catil. LI. 12. 'Qui magno imperio præditi in excelso vitam agunt, eorum facta cuncti mortales novere.' *Patarol.*

Occultum esse] Pertinet huc omnino locus Claudiani IV. Cons. Honor. 270. seqq. jam a Lipsio aliisque notatus; cujus saltem posteriores versus huc adjiciam: 'Nam lux altissima fati Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes Intrat, et abstrusos explorat fama recessus.' Albinovanus ad Liviam, vs. 349. seqq. 'Imposuit te alto Fortuna, locumque tueri Jussit honoratum, Livia; perfer onus. Ad te oculos, auresque trahis: tua facta notamus. Nec vox missa potest principis ore tegi.' Seneca ad Polyb. c. 25. 'In multa luce Fortuna te posuit: Omnes scient, quomodo te gesseris.' Plures hujus generis sententias ex antiquis auctoribus annotarunt Casp. Barthius ad Stat. Theb. II. 345. et ad Claudian. l. c. Cortius ad Sallust. Catil. LI. 13. et Gruter. Discurs. Polit. in Tacit. c. 54. *Schwarz.*

Principum] Seneca pulcherrime, ad Neronem, de Clem. I. 6. 'Tibi non magis, quam soli, latere contingit: multa contra te lux est: omnium in istam conversi sunt oculi. Prodire te putas? oriris: loqui non potes, nisi ut vocem tuam, quæ ubique sunt gentes, excipiant.' Claudian. ad Honorium, patris nomine: 'Hoc te præterea crebro sermone monebo, Ut te totius medio telluris in orbe Vivere cognoscas; cunctis tua gentibus esse Facta palam; nec posse dari regalibus usquam Secretum vitiis: nam lux altissima fati Occultum nihil esse sinit.' *Lips.*

Domos] Res grammaticis trita est, nomen 'domus' in accusativo numeri pluralis promiscue habere 'domus' et 'domos:' itaque in hoc quoque loco librarii et editores, modo hanc, modo illam, terminationem expressere. In meo autem codice lego *domum;* sicut etiam *cubilia*, pro sequenti voce *cubicula*. Habet et Patavinus codex *cubilia*. In neutro tamen loco aliquid muto, etsi Plinius supra, XLIX. 1. etiam conjungat, 'cubilia secessusque;' et LXIII. 3. dicat, quosdam principes 'intra cubilia sua' certis consulibus exsilia cædemque machinatos esse. Erant vero 'cubicula diurna' et 'nocturna.' Vide ad p. 858. *Schwarz.*

Intimosque secessus] Triplex occurrit varietas: primum lectio vulgata, quam exhibeo; deinde, *intimosque sensus;* tum, *intimosque recessus*. Alteram lectionem, *intimosque sensus,* inveni in meo codice. Putes, hanc vocem non aspernandam esse, cum Plinius significare videatur, magnam fortunam sæpe etiam intimas cogitationes, sive, ut Nepos ait, in Hannib. II. 2. 'interiora consilia,' principum, præter ipsorum voluntatem, patefacere solere; quo etiam referas sequentia verba, 'omniaque arcana noscenda famæ proponit.' Et bene 'sensus' etiam dicuntur 'intimi,' secundum Cic. Attic. V. 10. 'Sed angor intimis sensibus.' Bene etiam pro cogitatis et consiliis ponuntur. Nepos in Dione VIII. 2. 'Si invenisset idoneum, facile omnium animos cogniturum; quod inimici ejus dissidenti suos sensus aperturi forent.' Et sicut 'sensus mentesque' dicuntur 'aperiri,' ita recte etiam dici possunt 'recludi.' Horat. Epist. I. 5. 16. 'Quid non ebrietas designat? operta recludit.' Tacit. Annal. IV. 71. 'Tiberius dissimulationem diligebat; eo ægrius accepit, recludi, quæ premeret.' Verum, mihi ambiguum videtur, utrum vocabulum *sensus* fluxerit ex ipsius Plinii calamo, et inde a librariis procusum sit *secessus;* an *secessus* sit primum vocabulum, quod deinceps degenerarit in *sensus*. Meus codex maximam partem convenit cum codice Salisburgensi, ita ut uterque

ex uno quodam antiquiore jam olim descriptus esse videatur. Librarius mei codicis aperte scripsit *sensus;* at librarius codicis Salisburgensis a prima manu dedit *secesus.* Immo et in codice Patavino a prima manu scriptum fuit *senssus;* quanquam altera manus id utrobique converterit in *secessus.* Quis definiet igitur, num mei et Patavini codicis librarius ex duabus literis intermediis *ce* efformarit unicam literam *n*, an ceteri librarii ex unica litera *n*, forte in antiquiore codice jam exolescente, procuderint *ce?* Quam rem uti aliis accuratius expendendam relinquo; ita jam etiam tertiam considero lectionem, quam primus recepit, ediditque Arntzenius, *intimosque recessus.* Fateor, hanc mihi mire blandiri; si præsertim ad mentem revoco versum Claudiani, in simili argumento usurpatum, ac jam supra citatum: 'Abstrusos explorat Fama recessus.' Neque non facillimo lapsu deinceps unica litera *r* in *s* verti potuit. Sed ægre fero, neque alicujus codicis Ms. neque alicujus libri antehac impressi, auctoritatem huic variationi favere. Provocat quidem vir clarissimus ad codicem Guelpherbytanum; sed testem excito Jacobum Burckhardum, consiliarium Brunsvicensem, eximium elegantiorum literarum vindicem, cui illius codicis variantes lectiones, accuratissime descriptas, debeo, in eo ipso codice non vocabulum *recessus*, sed *secessus*, extare; prout neque in altero libro Gudiano, neque in codice Vaticano 3461. cum quo alioqui Guelpherbytanus utplurimum conspirat, *recessus* invenitur; ut adeo suspicer, amicum, cui Arntzenius excerpta codicis Guelph. accepta retulit, aliquando suas adspersisse conjecturas. Equidem Casp. Barthius in Comment. ad Stat. tom. II. pag. 467. et ad Claudian. pag. 636. ubi citat hunc Plinii locum, non *secessus*, sed *recessus*, exhibet; tam certum vero est, eum ex ingenio illam variationem depromsisse, quam certo idem, Rittershusii conjecturam secutus, in eodem hoc loco, non *primum*, sed *privum*, expressit. Sic et constat, Perizonium, qui, referente Arntzenio, exemplari suo alleverat *recessus*, nullo usum esse codice Ms. Quodsi ergo nobis in hoc constamus, ut tam diu sequamur lectionem vulgatam, quæ præsertim nec paucorum codicum Mss. suffragio confirmatur, quoad ea nihil incongruens et absurdum habet; itemque, ut non illico contra auctoritatem veterum librorum inseramus antiquis scriptis, quæ nobis nostroque ingenio meliora videntur, ne in infinitum varietates inducantur; hac etiam in voce *secessus*, quam hucusque in omnibus aliis scriptis impressisque libris, præter designatos, legimus, nihil mutamus. Verum est, quod notat Arntzenius, *recessus* esse loca abdita et occulta, in quibus sese abscondunt homines, et aliorum usui eripiunt. At, nonne eadem est notio 'secessuum?' Proprie enim non significant, nisi loca ab aliorum aditu remota, in quæ secedebant, qui vel otio vel voluptati indulgere, vel totos se in literas abdere, vel ceteroquin aliquid arcani tractare, vellent. Frequenter quidem 'secessus' dicebantur loca amœna in rure, et litore, extra urbem; et 'secedere,' qui in istiusmodi loca se conferebant; verum neutiquam semper. Recte Isidorus Orig. xv. 3. 'Secessus,' inquit, 'est locus secretus, sine accessu.' Virgil. Æn. I. 159. etiam 'sinum maris' vocat 'secessum:' 'Est in secessu longo locus.' Et pro 'recessu' ponit idem, Æn. III. 229. 'Rursum in secessu longo sub rupe cavata.' Plin. Hist. Nat. VIII. 54. ubi de histricibus agit: 'Deinde secessus in specus separatim, in quibus pariunt trigesimo die.' Ovid. Trist. I. 1. 'Carmina secessum scribentis et otia quærunt;' ubi 'se-

cessus' generatim locum notat secretum et tranquillum. Tacit. de Orator. cap. 13. de privata Virgilii Vita: 'Malo securum et secretum Virgilii secessum.' Quid? quod hoc loco 'secessus intimi' notant intimas partes, sive intima conclavia, palatii principum. Etenim quasi gradatim procedit Plinius; primum ait, magnam fortunam recludere *domos* principum; deinde *cubicula*, i. e. interiores partes palatii; tum, *intimos secessus*, h. e. intimas partes, seu intima conclavia palatii. Erant enim non tantum 'primæ,' sed et 'interiores,' atque 'intimæ partes' ædium; in quas interiores et intimas secedebant, et quæ recte *secessus* dici poterant; uti et 'secreta domus pars' dicitur Quinctil. Declam. I. 16. Nepos Præfat. 'Cujus mater familias non primum locum tenet ædium. Quod multo aliter fit in Græcia; nam neque sedet, nisi in interiore parte ædium,' &c. Cic. Verr. I. 20. 'Signum in intimis suis ædibus posuit,' i. e. in intimis partibus sive secessibus ædium. Terent. Heaut. v. 1. 29. 'Est mihi in ultimis conclave ædibus quoddam retro; huc est intro latus lectus.' Ad quem locum Donatus: 'Est autem conclave separatior locus in interioribus tectis.' Liv. XL. 8. ubi narrat, Philippum, regem Macedonum, in secreto regiæ loco inquisivisse in caussam dissidentium filiorum: 'Secessit,' inquit, 'in partem interiorem cum duobus amicis, totidem custodibus corporis.' Annon et iste secessus erat regiæ, in quem secedebat Philippus? Denique nec id mihi placet in Arntzeniana emendatione, quod tunc duæ ἀμέσως conjunguntur voces, a syllaba *re* incipientes, *recessus recludit;* cujusmodi concursum auribus parum gratum alias sedulo evitat Plinius. Hæ adeo sunt illæ rationes, quibus inductus vulgatam lectionem *secessus* retinendam existimavi. Ceterum, in sequentibus verbis codex meus et Saliburgensis habent *Omniaque arcana notanda famæ proponit;* quanquam in Salisburgensi ab alia manu, pro *notanda*, repositum sit *noscenda*. Idem.

Penitus inspici] Plinius noster, Epist. VI. 31. 'Quid jucundius, quam principis justitiam, gravitatem, comitatem, in secessu quoque, ubi maxime recluduntur, inspicere?' *Idem.*

Penitus inspici] Proprium omni veræ virtuti, quæ vult tractari. *Lips.*

Inspici] 'Drusus cupiens suas ædes ab omnibus inspici.' Plutarch. in Præcept. Politicis p. 800. Vell. Paterc. II. 14. *Bern.*

Limine] Domesticæ et penetrales tuæ virtutes, pares publicis aut publicatis. *Lips.*

Limine tenes] Bene hæc interpretatur Ceva: 'Tu multa privato lare contegis, quæ gloriam augeant, si manifestentur.' Ea, quæ limine tenebat, sive continebat, Trajanus, erant res domesticæ. 'Limen' enim συνεκδοχικῶς pro palatio, seu domo, aliquando et pro cubiculo, ponitur. Cic. Attic. VII. 12. 'Ut scribis, domesticis te finibus tenes,' i. e. domestica tractas, non publica. Plinius noster, Epist. IX. 13. 'Me recens adhuc luctus limine continet.' Idem, Epist. VII. 23. 'Illum, et domi, et intra domum, atque etiam intra cubiculi limen, exspectes.' Petron. c. 64. 'Ut suis se teneant,' i. e. intra sua, aut intra sedes suas. Quinctil. Instit. Orat. I. 2. 'Utiliusne sit domi, atque intra privatos parietes, studentem continere?' Ceterum, ubi in antecedentibus vulgo legimus *non minora ea*, ibi codex Patavinus omisit pronomen *ea*. Schwarz.

Contagione vitiorum] Pro *contagione*, perperam edidit *cogitatione* Beroaldus; quæ varietas etiam annotata est in altero libro Gudii; quam et in Scaligeri libro notatam invenit Hearne. Non pluris facienda est alia lectio, *cognatione*, quam evulgavit Ca-

tanæus, itemque Ascensius et Chonet retinuere. Sed optime jam Aldus et Cuspinianus prodidere *contagione;* quam lectionem non tantum ceteræ editiones sunt secutæ, sed nunc codices quoque Mss. confirmant. Cicero sæpius hac metaphora usus est; e. g. pro Murena, cap. 37. ‘ Latius patet illius sceleris contagio, quam quisquam putat.’ Attic. I. 16. ‘ Boni contagione turpitudinis vehementer permovebantur.’ Cæsar B. G. VI. 13. ‘ Ab iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant.’ Plin. Epist. X. 97. ‘ Neque civitates tantum, sed vicos etiam atque agros, superstitionis istius contagio pervagata est.’ *Idem.*

Ab omni contagione] Editio Veneta habebat *cogitatione.* Juret.

Alios præstare] Forte deest *bonos.* Ritt.

Alios præstare, quam se] Equidem verbum *præstare,* cum notat ‘ exhibere,’ ‘ præbere,’ non raro adjungit pronominibus alia adjectiva aut substantiva; v. g. ‘ se præstare æquum,’ ‘ se præstare dubium et varium,’ ‘ se præstare virum,’ item ‘ propugnatorem libertatis,’ et quæ sunt aliæ hujus generis formulæ. Unde putes, fortasse hoc etiam loco dicendum fuisse, *magis arduum est, alios præstare* bonos, vitiorumque immunes, *quam se.* Sed nullum supplementum hic desiderabit, quisquis expenderit, verbum *præstare* peculiari notione esse verbum juris, quod notat, prædem esse, sive spondere et obligari pro homine aut pro aliqua re, ac periculum, quod inde timetur, in se recipere. Cujus notionis exempla quædam, quæ huc spectant, jam non nisi e Cicerone repetam; v. g. ad Q. Frat. I. 1. 3. ‘ Nequaquam satis est, te ipsum hasce habere virtutes; sed est circumspiciendum diligenter, ut in hac custodia provinciæ non te unum, sed omnes ministros imperii tui, sociis, et civibus, et reipublicæ, præstare videare.’ Et ibidem: ‘ Eos, quos tibi comites et adjutores negotiorum publicorum dedit ipsa respublica, duntaxat finibus his præstabis, quos ante præscripsi.’ Et cap. 4. ‘ Quos vero aut ex domesticis convictoribus, aut ex necessariis apparitoribus, (interim enim sequor lectionem Lambini,) tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent; horum non modo facta, sed etiam dicta omnia, præstanda nobis sunt.’ Q. Frat. III. 8. ‘ Ego Messalam Cæsari præstabo.’ Verr. II. 10. ‘ Si innocentes existimari volumus, non solum nos abstinentes, sed etiam nostros comites, præstare, debemus.... Semper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur.’ Sed et sine notione sponsionis, *præstare se,* aliquando idem est, ac se re ipsa exhibere et sistere talem, qualis esse haberique velit aut debeat; v. g. Ovid. Trist. II. 169. ‘ Sic adsueta tuis semper Victoria castris. Nunc quoque se præstet, notaque signa petat.’ Apul. Met. VI. pag. 657. ‘ Juno protinus: Quam vellem, inquit, nutum meum precibus tuis accommodare! sed contra voluntatem Veneris præstare me pudor non sinit.’ Cf. Burmann. ad Quinctil. Declam. 338. pag. 704. Atque talia facile ad locum præsentem applicari possunt. Cur autem difficilius sit, *præstare alios* tales, quales esse debent, *quam se,* haud ægre intelligitur; quia nempe magis nostrum, quam aliorum, animum in potestate habemus, et quia facilius satisfacere possumus sponsioni et obligationi pro pecunia, quam sponsioni pro alterius hominis animo. Sic excusat se Cic. ad Brut. 18. cur non videatur *præstare,* cum promisisset spopondissetque reipublicæ, Octavianum Cæsarem talem semper fore civem, qualis hodie esset: ‘ Gravior est,’ inquit, ‘ et difficilior animi et sententiæ, maximis præsertim in re-

bus, pro altero, quam pecuniæ, obligatio. . . . . Magis tamen illum, pro quo spopondi, quam me, obligavi.' *Schwarz.*

Quod . . . . effecisti] In codice Salisburgensi et meo, particula caussalis *quod* omissa, et, pro indicativo verbi *effecisti*, infinitivus *effecisse* positus est; ut ista verba sic legamus, *tanto laudabilius, cum ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisse.* Quam lectionem non contemnendam puto; apprime enim convenit cum præcedente: 'Quanto enim magis arduum est, alios præstare, quam se.' *Idem.*

Cum ipse sis] Quare Seneca Thyest. II. 1. 'Rex velit honesta, nemo non eadem volet.' *Patarol.*

Circa te] Domesticos et familiares. Sueton. Jul. cap. 9. 'Omnibus circa eum obstrictis.' In Domitiano, 'Omnes circa se largissime prosecutus.' *Lips.*

Omnes circa te] Sic et Græci: *οἱ περί σε*, i. e. domestici, familiares, ministri, comites. Sueton. Domit. cap. 9. 'Omnes circa se largissime prosecutus.' Cic. ad Q. Frat. I. 1. 4. dicit, 'Quos ex domesticis tecum esse voluisti.' Attic. IX. 9. 'Nec sine caussa et eos, qui circum illum sunt, times.' Verr. I. 48. 'Aiebat, multa sibi opus esse, multa canibus suis, (ministris,) quos circa se haberet.' Et Attic. XIII. 52. Græce: 'Præterea tribus tricliniis accepti *οἱ περὶ αὐτὸν* valde copiose.' *Schwarz.*

Similes] Martialis: 'Nemo suos, hæc est aulæ natura potentis; Sed domini mores Cæsarianus habet.' *Lips.*

Multis illustribus] Non modo privatis, ut Ciceroni, cui Terentia; L. Syllæ, cui Metella; Cn. Pompeio, cui Mutia, impudicitiæ fama pariter laborantes, conjuges fuere; sed et principibus, ut Tiberio, et Claudio, omissis aliis, quorum illi Juliam, huic Messalinam, et Agrippinam, dedecori magno legimus fuisse. *Paturol.*

Dedecori] M. Antonio Cleopatra, Caio Ennia Nævia, Claudio Agrippina. Sueton. Cal. cap. 12. Claud. c. 26. M. Catoni Censorino Actoria Paulla, et cui non heri et hodie? Non male, nisi malus accipias, dixit quispiam, 'Qualis uxor venerit, talis est habenda: si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fætida, quodcunque vitii est, post nuptias discimus. Equus, bos, asinus, canis, et vilissima mancipia probantur, et sic emuntur: sola uxor non ostenditur, ne prius displiceat, quam ducatur.' *Bern.*

Retenta patientius] 'Patientia' alias virtutis laudem habet, et ad fortitudinem refertur, si 'rerum est arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio;' prout eam definit Cic. de Invent. II. 54. verum maritis vitio vertitur, si quando uxores adulterii reas patientius ferunt, retinentque. Plinius noster, Epist. VI. 31. 'Maritum, tribunum militum, non sine aliqua reprehensione patientiæ, amor uxoris retardabat; quam quidem etiam post delatum adulterium domi habuerat, quasi contentus æmulum removisse.' Ex constitutionibus Severi et Antonini, imperatorum, secundum leg. 2. Cod. ad Legem Juliam de Adulteriis: 'Crimen lenocinii contrahunt, qui deprehensam in adulterio uxorem in matrimonio retinuerunt; non, qui suspectam adulteram habuerunt.' Lucan. VII. 52. 'Segnis pavidusque vocatur, Ac nimium patiens soceri Pompeius.' *Schwarz.*

Inconsultius uxor assumta] Euripides: *Χρὴ δ' ἐν δόμοισιν ἄνδρα τὸν σοφὸν τρέφειν Γυναῖκα χρηστὴν κἀγαθὴν, ἢ μὴ τρέφειν.* *Ducenda in ædes socia genitalis tori Frugi atque honesta, aut nulla sapienti viro.* Livin.

Inconsultius] Parum explorata pudicitia ejus. *Lips.*

Patientius] Jam infamis. *Idem.*

Patientius] Claudius suam Messa-

linam; Domitianus, quem maxime tangit, suam Domitiam Longinam; Philippus Macedo suam, etiam ab irata caliculo exclusus; aliique γυναικοκρατούμενοι suas uxores ferunt. *Bern.*

Domestica] Supra cap. IV. Victor de Augusto cap. 1. 'Felix adeo, absque liberis tamen, simulque conjugio.' *Bern.*

Destruebat infamia] Salisburgensis codex et meus, pro verbo *destruebat*, referunt *disturbabat*. Non quidem hoc prorsus incongruens verbum; cum enim proprie 'ædes disturbare,' æque, ac 'destruere' i. e. demoliri, dicamur; ita utrumque verbum etiam translatam notionem videtur ex æquo admittere. Præfero tamen vulgatum *destruebat*, i. e. de existimatione et felicitate dejiciebat, labefactabat, affligebat, perdebat. Val. Max. VI. 3. 3. 'Ut ad Xerxis, quem paullo ante destruxerat, non debitam sibi misericordiam perfugere necesse haberet.' Tacit. Annal. II. 63. 'Extat oratio Cæsaris, qua ... sua in destruendo eo (Maroboduo) consilia extulit.' Quinctil. Instit. Orat. V. 7. 'Testis infamia criminum destruendus est.' Idem VIII. 3. 'Cicero eo contemtum hominis, quem destructum volebat, auxit.' Noster, Epist. I. 8. 'Homines, cum rem destruere non possunt, jactationem ejus incessunt.' *Schwarz.*

Mariti minores] Sic dicuntur, ut opponantur 'maximis civibus.' Per hos autem 'maximos cives,' non solum intelliguntur, qui in republica principes civitatis audiebant; aut, sicut Velleio II. 48. nutante jam libertate reipublicæ, Pompeius appellatur 'primus omnium civium;' sed etiam ipsi Cæsares, quatenus nolebant tyranni, sed custodes vindicesque salutis publicæ videri, haberique. Sic Plinius noster supra, II. 3. cum de Trajano loquitur: 'Non enim,' inquit, 'de tyranno, sed de cive; non de domino, sed de parente, loquimur.' Vell. II. 99. de Tiberio, quamvis adulatorie: 'Tiberius Nero, civium post unum Augustum eminentissimus, ducum maximus, fama fortunaque celeberrimus, et vere alterum reipublicæ lumen et caput.' Ovid. de Augusto, Trist. IV. 4. 'Ipse Pater patriæ, quid enim civilius illo?' Vide quid de significatione vocum 'civiles' et 'civilitatis' supra annotavi, ad pp. 584. 972. *Minores* autem *mariti* per comparationem dicuntur, qui non sunt tam magni mariti auctoritate et felicitate, gloriaque domestica, quam magni civium principes, auctoritate et felicitate, gloriaque publica. Idem fere noster supra dixit, IV. 5. 'Ille quæsitam domi gloriam in publico, hic in publico partam, domi, perdidit.' Sic et Horat. Epist. II. 1. 183. dixit 'virtute et honore minores.' Quod si 'minor' quasi absolute ponitur, aliquando pro impare et non suffecturo sumi solet; v. g. Tacit. Annal. I. 13. 'Augustus supremis sermonibus cum tractaret, quinam adipisci principem locum impares vellent; .... Gallum Asinium dixerat avidum et minorem.' Idem Hist. I. 11. 'Africa, ac legiones in ea, interfecto Clodio Macro, contentæ qualicunque principe, post experimentum domini minoris.' Cf. Horat. Sat. II. 7. 75. 'Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque Tot tantisque minor?' Ceterum, in proximis verbis, *hoc efficiebat*, Salisburgensis codex et meus, pro *hoc*, habent *id*. Schwarz.

Tibi uxor] Imperitus librarius, aut antiquus quidam possessor, margini codicis Patavini adscripserat, 'De nomine istius mulieris nusquam legisse recordor.' Fuit vero Trajani uxor Plotina, femina laude dignissima, quæ Aurel. Victori in Epitome, c. 42. vocatur Pompeia Plotina. *Id.*

Uxor] Plotina, cujus memoria in lapidibus et nummis. Vel uno facto integritas et modestia comprobetur. Nam primo Palatium ingressura, con-

vertit se ad populum, jam stans in gradibus: Καὶ τοιαύτη, inquit, δεῦρο εἰσέρχομαι, οἵαπερ καὶ ἐξελθεῖν ἂν εὐχοίμην. *Talis huc ingredior, qualem et exire me optaverim.* Liberos non peperit optimo viro, sed fautrix Hadriano ad imperium fuit, condigno item successori. Is eam consecravit, post maritum mortuam, et basilicam miro opere, Nemausi in memoriam ejus struxit. *Lips.*

Uxor] Plotina, de qua vide Dionem. *Patarol.*

Nonne, si pontifici maximo] Qualis ipse Trajanus, et omnes Cæsares a Julio fuerunt. At uxores eorum nec castæ semper, nec inter probas: atque adeo nescio an leges aliquæ de pontificis toro. Scio, Tertullianum tale scribere, bis terque, sed viri docti de 'flamine' recte interpretati sunt, quem ille 'pontificem maximum' appellat. At curiose hæc non quæro: mentem Plinii arbitror, Si pontifici, pro sacrorum reverentia, condigna uxor legenda sit, hanc illam fore. *Lips.*

Nonne, si pontifici maximo] At nonne et Trajanus Pont. Max. fuit? certe fuit: sed postea demum factus, cum jam esset maritus. *Rittersh.*

Pontifici maximo] De pontifice maximo jam supra, ad LXIV. 2. non nihil annotavi. Hic locus non parum me solicitum habet, ita, ut vulgatam lectionem extricare nesciam. Primum enim Plinius ita loquitur de pontifice maximo, ut non cogitasse videatur, ipsum Trajanum fuisse pontificem maximum, quod tamen est certissimum; et ipse Plinius eum jam supra, loco citato, atque infra, XCIV. 5. vocavit pontificem maximum. Nec satisfacit huic dubio Rittershusius noster, qui monet, Trajanum postea demum factum pontificem, cum jam esset maritus. Trajanus utique jam erat et maritus, et pontifex maximus; cum statim, mortuo Nerva, suscepisset pontificatum maximum. Quæritur igitur, an non tunc Plinius hunc fortasse in modum loqui debuisset: Nonne, si tibi tanquam pontifici maximo, eligenda fuisset conjux, aliqua similis eligi potuisset? Deinde ex nullis certis veterum testimoniis constat, sive in republica libera, sive sub imperatoribus, peculiares leges matrimoniales vel ipsi pontifici maximo, vel ejus uxori, præscriptas fuisse. Ea enim, quæ ex Tertulliano afferri solent, infra excutiam. Id vero satis manifestum est, 'flaminem Dialem,' hujusque uxorem, certis tori legibus fuisse obstrictos. Unde cogitare cœpi, Plinium scripsisse, *flamini maximo;* at jam olim librarios vocabulum sibi notius, et, ut fortasse putarunt, venerabilius, substituisse, rescribentes, *pontifici maximo.* Scilicet apud Romanos erant certi sacerdotes, qui appellabantur 'flamines,' quasi 'filamines' dicti, quod, cum ipsis capite nudo in publicum prodire fas non esset, apicem pone regerebant, et 'filo velati' incedebant. 'Filum' autem dicebatur 'velamen lanæ,' indice Liv. I. 32. Pone enim regerebant apicem, sive galerum, ne gravis esset summis æstatis caloribus. Vide Joseph. Scaliger. ad Festum, sub voce 'apiculum.' Taceo nunc alias etymologias. Sicuti vero pontifices, aliique non pauci sacrorum ministri, erant omnium Deorum sacerdotes, neque uni certo numini addicti; ita, præter alios, 'flamines' plurimi non nisi unius certi Dei sacra curarunt. Hi dividebantur in 'flamines majores,' et 'minores.' 'Majorum,' qui ex patriciis capiebantur, non nisi tres erant: 'flamen Dialis, Martialis, et Quirinalis.' 'Flamen Dialis,' quasi 'Jovialis,' a Dio, ἀπὸ τοῦ Διὸς, dictus, erat Jovis sacerdos. Livio enim teste, I. 21. Numa flaminem Jovi assiduum sacerdotem creavit, insignique eum veste, (prætexta,) et curuli regia sella, adornavit. Et hic erat 'summus,' sive 'maximus,' inter omnes flamines.

nem librarius codicis Patavini, in quo legimus, *probatis, ex quo nihil, quod vobis felicitas addidit*. Cum in vulgata lectione, verbum *probatis* absolute sit positum, ut non illico appareat, quid quemve Trajanus, ejusque conjux, probare dicantur; duplicem viam inii hujus loci emendandi. Primum suspicatus sum, pronomen *idem*, quia id præcesserat, esse a librariis altero loco oscitanter prætermissum, adeoque denuo repetendum, ut legamus, *idem probatis ex æquo;* i. e. idem ex pari animorum consensione vultis, et non vultis; prout Plinius supra dixit, LXII. 5. 'Eadem Cæsar, quæ senatus, probat improbatque.' Sed sic non satis cohæret subsequens sententia a Plinio allata, *nihilque vobis felicitas addidit;* quæ non tam mutuam animorum consensionem et approbationem, quam utriusque constantiam animi, eundemque vitæ modestæ tenorem, in privata publicaque fortuna, respicere videtur. Itaque deinde, mollissimo remedio usus, unicam literam *s*, in fine verbi *probatis*, dimittendam censui, ut pro *probatis*, rescribatur *probati;* quam emendationem etiam Perizonio in mentem venisse, nunc ex Arntzenii notis intelligo. Atque etiam Behrium sic, sed cum inutili augmento, rescribendum judicasse, deprehendi, *probati inter vos ex æquo*. Nemo vero nescire potest, quam frequenter literæ supervacuæ cum initio, tum fini vocum, ex culpa librariorum, accesserint, nisi cui non contigit tractare codices Mss. Et quam facile fieri potuit, ut librarii quidam veteres putarint, ex similitudine verborum præcedentium, *estis, fuistis*, scribendum etiam esse *probatis*, cum scribere debuissent *probati?* Qui error deinceps in tot reliquos libros derivatus est. Dixit igitur Plinius, *Idem estis invicem, quod fuistis, probati ex æquo*. Tanto lubentius nunc hanc lenissimam emendationem amplector, cum sic sententia Plinii multo planior luculentiorque evadat, et cum sequentibus verbis melius conveniat. Verbum 'probare' alioqui maxime usum habet in re militari. Sic Plin. Epist. x. 39. 'Ille enim dies, quo primum probati sunt, veritatem ab his originis suæ exigit;' ad quem locum vide Cortium. Sueton. Cæs. cap. 65. 'Milites neque a moribus, neque a fortuna, probabat; sed tantum a viribus.' Tacit. German. cap. 13. 'Arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit.' Deinde etiam ad alios applicatur, quorum vita et mores explorantur, spectantur, approbantur, et placent. Plinius supra, XIX. 4. 'Felices illos, quorum fides et industria non per internuntios et interpretes, sed ab ipso te; nec auribus tuis, sed oculis, probantur.' Epist. II. 13. 'Habes, qualis, quam probatus carusque sit nobis.' Epist. VIII. 24. 'Ne rudis et incognitus, quam exploratus probatusque, humanior, melior, fuisse videaris.' *Probati ex æquo*, i. e. qui spectati estis, laudemque et approbationem meruistis, utrinque, sive æque, in statu privatæ fortunæ, in quo fuistis, ac in statu excelsæ principalisque fortunæ, in quo nunc estis. Ubi notandus est elegans usus formulæ, *ex æquo*. Ovid. Heroid. Epist. XVI. 87. 'Dixit, et ex æquo donis formaque probata.' Idem Epist. XX. 123. 'Torqueor ex æquo, vel te nubente, vel ægra.' Tacit. Annal. XIII. 2. 'Hi rectores imperatoriæ juventæ, et pari in societate potentiæ concordes, diversa arte ex æquo pollebant: Burrhus militaribus curis, et severitate morum; Seneca præceptis eloquentiæ, et comitate honesta,' &c. Quinctil. Declamat. 379. 'Inimici sunt ex pari;' quod dictum videtur, ut *ex æquo*. Idem.

Scire cœpistis] Codex Patavinus, pro *cœpistis*, habet *potestis;* non ma-

le, ut opinor. *Idem.*

Quam bene] Non superbiendo, quæ maxima magni animi probatio est, cum sit valde difficile in felicitatibus non extolli. *Patarol.*

Modica cultu] I. e. modesta, moderata, mediocris, cultu. 'Cultus' quidem aliquando de universa vitæ ratione, ac cum publica, tum domestica consuetudine, dicitur. Cic. de Orat. I. 8. 'Quæ vis alia potuit homines a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere?' Virgil. Æn. v. 730. 'Gens dura atque aspera cultu.' Speciatim tamen, ut hoc loco, pro vestitu, ejusque ornatu, ponitur. Quinctil. Instit. Orat. IX. 3. de vestitu oratoris: 'Cultus non est proprius oratoris aliquis; sed magis more conspicitur. Quare sit ... splendidus et virilis: nam et toga, et calceus, et capillus, tam nimia cura, quam negligentia, sunt reprehendenda.' Tacit. Annal. XIII. 54. 'Advertebant quosdam cultu externo in sedibus senatorum.' Sueton. Cæs. cap. 45. 'Cæsarem cultu notabilem ferunt: usum enim lato clavo ad manus fimbriato,' &c. Notanda vero est structura vocis *modica.* Hic simpliciter conjungitur cum casu sexto, *modica cultu;* haud secus, ac Tacitus de Agric. cap. 40. 'Cultu modicus, sermone facilis.' At idem noster Plin. Epist. I. 22. addit præpositionem: 'Quam parcus in victu! quam modicus in cultu!' Tacitus cum casu secundo connectit, Annal. IV. 52. 'Domitius Afer recens prætura, modicus dignationis.' Et II. 73. 'Hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis, egisse.' *Schwarz.*

Parca comitatu] Ne privatæ quidem feminæ; inprimis spectatæ dignitatis, sine comitatu prodibant. Ita apud Plaut. Casin. II. 2. 1. Murrhina in ædes vicinas transitura ancillas subsequi sese jubet: 'Sequimini comites in proximum hinc me.' Præibant ex officio anteambulatrices; subsequebantur pedisequæ. Vide Pignorium de Servis, pag. 425. Habebant et servos in comitatu; maxime si lecticis ferebantur. Etiam illæ, quibus non erat res lautior domi, aliquando conducebant sibi comites, ut splendidiores haberentur; quas reprehendit Juvenal. Sat. VI. 352. 'Nec melior, silicem pedibus quæ conterit atrum; Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum. Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem, Conducit comites,' &c. Divus Hieronymus adhuc suo tempore in Epistola ad Furiam Romanam, nobilem viduam, scripsit: 'Noli ad publicum subinde procedere, et spadonum exercitu præeunte, viduarum circumferri libertate.' Laudabantur ergo feminæ, quæ moderatiore utebantur comitatu. Quinctilian. Declam. 301. 'Habes uxorem non ambitiosam, non exacturam comitatus; sed quæ tota ex tuo vultu dependeat.' Magis vero decuit imperatorum uxores, filiasque, aut sorores, honestus splendidusque comitatus. In qua re tamen aliæ aliis, aut ambitiosiores, aut moderatiores, fuere. Sic Macrob. Sat. II. 5. commemorat, Augustum filiæ præcepisse, 'ut moderaretur profusos cultus, perspicuosque comitatus.' Mox præterea hæc refert: 'Converterant in se populum in spectaculo gladiatorum Livia et Julia, comitatus dissimilitudine: quippe, cingentibus Liviam gravibus viris; hæc juventutis, et quidem luxuriosæ, grege circumsidebatur.' *Idem.*

Civilis incessu] I. e. quam modeste incedit, tanquam civis, non principis et Augusti uxor. De voce *civilis,* jam supra, ad pp. 584. 972. non nihil dixi. Pro *incessu,* librarius in codice Patavino incommode scripsit *in secessu.* Si Servium ad Virgil. Æn. I. 76. audimus, 'incedere' et 'incessus' de ejusmodi potissimum incessu usurpatur, qui cum gravitate, et quodam

fastu, conjunctus est, et incessum nobilium, ac Deorum Dearumve, imitatur. Sic Sallust. Jug. cap. 31. 'Incedunt per ora vestra magnifice.' Virgil. Æn. I. 405. de Venere: 'Et vera incessu patuit Dea.' Ibid. vs. 46. de Junone: 'Ast ego, quæ Divum incedo regina, Jovisque Et soror, et conjux.' Indicabant enim veteres, notante Taubmanno, Junonem insigni quadam majestate incessus ingredi; unde proverbium, 'Junonio incessu' ambulare. Illud tamen non est perpetuum; nam Quinctil. Instit. Orat. v. 9. etiam 'incessum fractum' dixit, hunncque inter mollis et parum viri signa retulit. Ex 'vultu' autem, 'ingressuque, perspici habitum animorum,' idem tradidit, XI. 3. *Schwarzius.*

Sufficit obsequii gloria] Manifestus est error librarii in codice Patavino, et Aldini typographi, in edit. an. 1518. ubi extat *obsequi*, atque *incubuit*, quod pro *imbuit* legitur in Kirchmaieri editione; nec placet, quod liber Vossianus habet, *instruit*, pro *instituit*. Idem.

Obsequii gloria] Quod proprium feminæ est, audire maritum et parere. *Lips.*

Obsequii gloria] Terent. apud Tacit. Annal. VIII. 8. 'Tibi summum rerum judicium Dii dedere: nobis obsequii gloria relicta est.' *Bern.*

An, cum videat] *At cum videat* Livin. in textu; sed in margine, *An cum videat* V. C. R.

Quam te nullus terror] Codex Patavinus et liber Vossianus referunt, *An cum videant te, quem nullus terror, &c.* Quæ lectio possit admitti, nisi ei ceteri libri omnes refragentur. *Nullus* autem *terror* dicitur Trajanum *comitatus esse*, quia is non multitudine militum satellitumque tanquam tyrannus incessit stipatus, ad terrorem obviis incutiendum. Vide supra, ad p. 534. Neque enim præcursorum tumultus detinuit. Vide ad LXXVI. 8. 'Nemo enim perturbabatur, nemo submovebatur.' Neque 'occursu visuque terribilis' fuit, ut Domitianus, similisve, de quo Noster supra, XLVIII. 4. 'Nulla ambitio Trajanum comitata est,' h. e. nullus 'apparatus arrogantiæ principalis,' uti Noster dixit LXXVI. 7. Qui apparatus maxime incepit accrescere sub Antoninis; cum Augustis, eorumque uxoribus, etiam ignis præferri soleret; quod passim testatur Herodianus. *Schwarz.*

Sexus] Infirmior, et ideo in sellam aut lecticam sæpe transferendus. *Lips.*

Decuerit hoc illam] Codex Patavinus et liber Vossianus habent *decuerat.* Sed præstat retinere 'modum potentialem temporis futuri.' Id dicere voluit Plinius: Si vel maxime maritus, Trajanus, contrarium faciat, neque incedat pedibus; prout tamen jam in introitu in urbem 'pedibus incessit,' Paneg. XXIV. 2. sed vel lectica feratur, vel vehatur curru; ejus tamen uxori futurum fuerit singulari decori, si in istius ævi luxu pedibus incedat, ut et marito, et sexus sui verecundiæ, satisfaciat. Erat autem lecticarum usus tunc tam vulgaris etiam privatis, ut Domitianus, teste Sueton. cap. 8. saltem 'probrosis feminis lecticæ usum ademerit.' Conjuges aliæ imperatorum sæpius vehebantur. Videmus adhuc carpenta cum mulabus in nummis Agrippinæ, matris Caii; Domitillæ, conjugis Vespasiani; Faustinæ, conjugis Antonini, atque aliarum. Plin. Hist. Nat. XXXIII. 49. 'Nostra ætate, Poppæa, conjux Neronis, principis, delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat.' Vide Scheffer. de Re Vehiculari, I. 8. *Schwarz.*

Femina sibi] Quia huic sexui innata verecundia, præcipuum ejus ornamentum. *Lips.*

CAP. LXXXIV. *Soror autem tua*] Marciana, cujus filia Matidia, Sabinæ,

uxoris Hadriani imperatoris soror. *Livin.*

Soror] Marciana, quæ tamen ante consulatum Trajani sextum obiit, ut ex fornice Anconitano constat, in quo legitur, DIVAE. MARCIANAE. AVG. SORORI. AVG. Nam 'Divæ' appellatio mortuam notat, et consecratam. *Lips.*

Soror] Marciana, spectatæ moderationis matrona, cujus nomen colligitur ex arcu triumphali Anconitano, ubi legitur, DIVAE. MARCIANAE. AVG. SORORI. AVG. Hujus filia fuit Matidia, Sabinæ, Hadriani imperatoris conjugis, mater. *Patarol.*

Soror tua] Dicta est Marciana, cujus monimentum, in ruinis castrorum Trajani Warhel. repertum, refert Gruterus in Op. Inscript. pag. XXXXVI. 1.

DEO. HERCVLI
PRO. SALVTE
DIVI. TRAIANI
AVGVSTI. ET
MARCIANAE
SORORIS. AVGusti
COLONIA. DAC
SARMIZ.

Miror, in hoc monimento non etiam legi nomen Plotinæ, uxoris Augustæ Trajani; cum tamen constet, hanc supervixisse Marcianæ. De utraque forte plura dicam in explicatione nummorum veterum, huc spectantium. Ceterum adhuc annotare libet, in codice Salisburgensi et meo, propter pronomen *tua*, bis occurrens, negligentissime omissa esse sequentia verba, *ut se sororem esse meminit! ut in illa tua;* unde denuo patet, quod jam alibi dixi, utrumque hunc codicem velut ex uno fonte fluxisse videri; quanquam antiqua manus margini codicis Salisburgensis verba omissa postliminio adjecerit. *Schwarz.*

Tua simplicitas] 'Simplicitas' hic, ut sæpius apud Plinium, in laude ponitur pro sinceritate, et animo aperto, eoque omnis fraudis, malignitatis, adulationis, et dissimulationis, vacuo. Sic Noster supra, LIV. 5. 'Hanc simplicitati tuæ veritatique gratiam relaturi, ut te, quæ vis, velle; quæ non vis, nolle, credamus.' Ad quem locum vide notam nostram. Conjungit hoc loco Plinius tres unius generis virtutes, 'simplicitatem,' 'veritatem,' et 'candorem;' quas cognatas, et ex eodem fonte sinceritatis fluentes virtutes difficile est accurate distinguere. Sic easdem etiam II. 9. conjunxit: 'Habet avunculum, C. Septicium, quo nihil verius, nihil simplicius, nihil candidius, nihil fidelius, novi.' *Idem.*

Institui] Quod in uxore evenit. *Lips.*

Bene institui] Communiter vero obtinet, 'Talis est quis semper, ejus qualis educatio,' et oraculi loco dictum, 'Institutio erudita, vita prorsus altera.' Adde not. Gruter. in Liv. I. 39. *Bern.*

An feliciter nasci] Fateor, in omnibus exemplaribus excusis, pro particula *an*, hucusque evulgatum esse *aut*. Neque, cum primum proderem Observationes meas, aliter scriptum in codicibus manu exaratis inveneram. Postquam vero e bibliotheca Vaticana apographum codicis 3461. nactus sum, qui ibi ceteris antiquior meliorque habetur; utique non *aut*, sed *an* scriptum reperi. Utrum vero etiam in ceteris tribus codicibus Vaticanis pari modo scriptum sit *an*, asseverare non possum; quanquam is, qui apographum accuratissime descriptum contulit cum istis reliquis codicibus, nihil de aliqua variatione annotarit ad hunc locum. Interim non una ratione inductus nihil dubitavi hanc ipsam particulam *an* recipere. Primum enim, si Quinctilianum audimus, hic, Instit. Orat. I. 5. ubi de variis solœcismorum generibus agit, pro solœcismo habet, si quis in interrogatione, pro *an*, ponat *aut*, sive *vel*: 'Nam et *an*' inquit,

'et *aut*, conjunctiones sunt; male tamen interroges, hic, *aut* ille, sit?' Num putemus igitur, Plinium Quinctiliani, præceptoris sui, judicium hoc in loco aspernatum esse? cum ejus regulam constanter alibi, tam in Panegyrico, quam in Epistolis, sit secutus; nisi si quando, contra consensum plurium librorum, manifesta irrepserint menda. Vide Panegyr. LXIV. et Epist. X. 48. Exemplum vero, quod ex Epist. I. 18. 5. affertur, plane hac non quadrat. Scio quidem, nonnullos tueri velle vulgatam scripturam, et ad ipsius Ciceronis, aliorumque scriptorum, exempla provocare. Sed de Plinio mihi nunc sigillatim sermo est; quamvis et illa aliorum exempla non extra omnem dubitationem sint posita. Quæstio est, an Plinio tam insolita dicendi ratio in tam dubia varietate sit affingenda; qui alioqui non tam insolentes amat dicendi rationes? Et cautio adhibenda est, ne aliquando librariorum errata sequi, aut exemplis, quæ proprie ad rem non pertinent, aliamque explicationem admittunt, uti videamur. Neque est, quod objicias, unius, aut alterius codicis scripturam non posse derogare auctoritati tot aliorum codicum. Quid ni enim? si quidem certæ circumstantiæ adstipulentur etiam unico codici. Neque inauditum est, aliquando etiam ab uno codice veriorem lectionem potuisse asservari. Neque mirum est, si plures librarii particulas illas, *aut*, et *an*, sæpius inter se confuderint: cum superstites codices plerumque non alii scripserint, nisi homines vel Itali, vel Galli, vel Germani. Atqui hi omnes in vernacula sua, *o*, *ou*, vel *oder*, id est, *aut*, sive *vel*, usurpant, ubi Latini in formulis interrogandi usitatius *an* ponere solent. Sic fortasse nonnulli etiam jam Quinctiliani ævo, contra indolem linguæ Latinæ, Græcos sunt imitati, qui pro *an*, ἢ ponunt. *Schwarz.*

Nasci] Quod in sorore. *Lips.*

Æmulatio] Contentio de dignitate. *Idem.*

Quam æmulatio] Cic. Quæst. Tuscul. IV. 8. 'Æmulatio dupliciter quidem dicitur, ut et in laude, et in vitio, nomen hoc sit; nam et imitatio virtutis æmulatio dicitur, et est æmulatio ægritudo, si eo, quod quis concupierit, alius potiatur, ipse careat.' Videtur adeo Plinius hoc loco æmulationem in vitio ponere. Quo de discrimine plura exposui in Dissert. de Æmulatione ad Velleii Histor. I. 17. In codice Patavino, et libro Vossiano, pro voce *pronum*, extat *primum*. Schwarz.

Ex conjunctione] I. e. convictu et consuetudine quotidiana. Ita verbum 'conjungi' usurpatur. Cic. Philipp. VII. 2. 'Nos ab ineunte ætate usus, consuetudo, studiorum etiam honestissimorum conjunctio.' Sed datur etiam 'affinitatis conjunctio;' Cic. pro Cluentio, cap. 67. 'Illa sibi ad confirmandas inimicitias, affinitatis conjunctionem pignori fore putavit.' Ex qua ipsa conjunctione etiam æmulatio existere potest. *Idem.*

Conjunctione] Cum una agunt et hærent. *Lips.*

Æqualitate] Ubi difficile discrimen, utra prior. *Idem.*

Alitur æqualitate] Nempe inter æquales maxime, et ejusdem sortis conjunctionisque homines, quorum tamen alter alterum certis bonis præstat, æmulatio existit, et in dies majora capit incrementa. Sic, secundum Hesiodum, figulus figulum, faber fabrum, cantor cantorem, æmulatur; sic et princeps principem; non vero princeps rusticum, neque rusticus principem. Ita etiam verbum 'alere' a Cicerone, et aliis, passim usurpatur; v. g. de Invent. I. 3. 'Dicendi assiduitas aluit audaciam.' *Schwarzius.*

Exardescit invidia] Codex Vatica-

nus 3461. item Parisiensis, Salisburgensis, Venetus 2. meus, Patavinus, et liber Vossianus, pro *exardescit*, habent *et ardescit*. Venetus 1. Gryphius an. 1531. et Sichardus, simpliciter *ardescit*. Tribus vero modis invidia concurrere potest cum æmulatione. Aliquando *invidia*, quæ Cic. Quæst. Tuscul. IV. 8. dicitur 'invidentia,' scilicet 'ægritudo suscepta propter alterius res secundas, quæ nihil noceant invidenti,' velut extra ordinem et per accidens excitat æmulationem; ut Velleius l. c. ait: 'Nunc invidia, nunc admiratio, incitationem (non nulli legunt *imitationem*,) accendit.' Id quod fit, si homo invidus semper attendit ad alterum, et ejus præstantiæ ac felicitatis incrementa limis quidem oculis intuetur, sed sensim, si qui igniculi non pessimæ indolis in eo restant, occasionem capit sese excitandi, ut eodem studio, eademque via, quam in altero observavit, bona quærere connitatur. Aliquando invidia comitatur æmulationem, aut æmulatio denique in invidiam odiumque desinit; dum homo æmulus simul ex animi malignitate alterius progressus ægre fert, eosque, quos assequi desperat, odisse incipit, et, quantum in se est, impedire et supprimere nititur: tunc, 'odium esse finem æmulationis,' recte dicit Plinius. *Idem.*

Parique fortuna] Ambæ enim Augustæ dictæ. *Patarol.*

Nulla contentio est] Nempe vitiosa, et cum invidia conjuncta; alias inter bonos utique laudabilis contentio esse potest. Hesiodus: Ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Potest enim in honesta æmulatione hominum erectioris indolis etiam benevolentia locum habere. Si enim bonus non potest non amare bonum; quidni etiam æmulus eum amare possit, cujus exemplo ad bona sectanda excitatur? Hujusmodi benevolentia cum æmulatione Hortensii atque Ciceronis conjuncta fuit, si ipsi Ciceroni fides habenda. In præfatione enim libri de Claris Oratoribus ita inter alia scribit: 'Quo tandem animo Hortensii interitum ferre debui, cum quo certare erat gloriosius, quam omnino adversarium non habere? cum præsertim non modo nunquam sit aut illius a me cursus impeditus, aut ab illo meus; sed contra semper alter ab altero adjutus, et communicando, et monendo, et favendo.' Cf. Corn. Nep. Attic. c. 6. Eandem æmulationem sibi etiam cum Tacito intercessisse, ipse testatur Plinius noster, Epist. VII. 20. 'Quam me delectat,' inquit, 'quod si qua posteris cura nostri, usquequaque narrabitur, qua concordia, simplicitate, fide, vixerimus! Erat rarum et insigne, duos homines ætate propemodum æquales, non nullius in literis nominis, alterum alterius studia fovisse: equidem adolescentulus, cum jam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi longo, sed proximus, intervallo, et esse, et haberi.' Sed tota hæc epistola digna est, quæ legatur. *Schwarz.*

Suspiciunt invicem] Salisburgensis codex et meus produnt *suscipiunt*. Sed præstat lectio vulgata; et ista verba etiam alibi confundi solere, notavi jam supra, ad p. 852. *Idem.*

Idem utrique] Vulgo copula *que* adjungitur pronomini *idem*, ut legamus *Idemque utrique*. Sed copulam istam omisi, quia eam neque agnovit codex Parisiensis. Jam Rittershusius docuit, concinnius esse, *idem utrique*. Et, præter alios, jam H. Stephanus, Elzevir, Boxhornius, Cellarius, Hearne, Ceva, Patarol, Gesnerus, in suis editionibus eandem copulam omiserunt. Profitetur quidem Arntzenius, se nescire, quam bene omittatur. Sed ego puto, admodum ingratum esse illum concursum syllabæ *que*, ut vix credatur a Plinio venisse, *Idemque utrique*. Huc accedit, quod non solum proxime antecessit mem-

brum, quod incipit, 'Cumque te utraque;' sed et mox sequitur, 'nihilque, ex quo sentias.' Videtur quidem librarius codicis Patavini istum concursum lenire voluisse, dum interseruit verbum *esse: Idemque esse utrique*. Sed illud verbum intersertum nihili est. *Idem.*

Idem utrique propositum] *Idemque utrique propositum.* Concinnius forte, *idem utrique propositum.* Rittersh.

Quia utraque tuos habet] Vitiosissime hæc scripta sunt in codice Patavino, et libro Vossiano. In illo, *quaque Divos habet*; in hoc, *quæque duos habet.* Neque pluris facio scripturam sequentium verborum in libro Vossiano, *inde moderatio vitæ, inde etiam omen perpetua securitas.* In codice Patavino extat, *inde moderatio vitæ, inde etiam perpetua securitas.* Schwarz.

Periclitabuntur esse privatæ] H. e. nunquam erit periculum, ne uxor tua, et soror, in ordinem sortemque feminarum privatarum redigantur; quoniam eandem modestiam, quam privatæ habuerunt, semper retinent. Singularis hæc est loquendi formula, quæ Græcismum referre videtur. Sic enim Ælianus loquitur Var. Hist. I. 8. Καὶ κινδυνεύουσιν ἀπολέσθαι διαταχέων, *et periculum est, ne brevi moriantur.* Sic et Latine Petron. c. 140. 'Si non servasset integram simulationem, periclitabatur totam pæne tragœdiam evertere.' Ipse Trajanus apud Plin. Epist. x. 70. 'Cum tam multa provisa habeas, per quæ (lacus) non periclitetur exhauriri.' Pro sequenti verbo *desierunt*, codex Patavinus, et liber Vossii, vitiose habent *didicerunt.* Idem.

Non desierunt] Licet ad imperii participationem evectæ, privati tamen status moderationem servare maluerunt. *Patarol.*

Desierunt] Servant modestiam, quam privatæ habuerunt. *Lips.*

Augustarum] Augustæ dicebantur conjuges, sorores, filiæ imperatorum. 'Livia postquam nupsit Augusto, decorata est Augustæ cognomento: Agrippina aucta est cognomento Augustæ.' Tacitus. *Idem.*

Augustarum] Docent earundem nummi. *Patarol.*

Cognomen Augustarum] Titulum illum summi fastigii, nempe cognomen *Augustarum*, non imperatorum solum uxoribus, pro eo, ac decebat; sed præterea imperatorum matribus, aviis, filiabus, neptibus, sororibus, etsi hæ nunquam augustalis alicujus conjugii consortes fuerint, in veterum et Cæsarianorum nummorum penu tribui, demonstravit Spanhem. de Usu et Præst. Num. tom. II. p. 268. seqq. Trajani sorori Marcianæ, haud minus ac Plotinæ uxori, delatum a senatu Augustæ cognomen esse, quod vero ambæ sint deprecatæ, quamdiu patris patriæ appellationem recusasset Trajanus, docet hic Plinius. Denique vero Augustæ titulum a Plotina pariter, atque Marciana, assumtum, testantur harum nummi. *Schwarz.*

Appellationem patris patriæ] Mendum est in codice Vaticano 3461. et Guelpherbytano, ubi pro voce *appellationem*, ponitur *deprecationem*. Vides exemplum, quemadmodum librarii aliquando ex vocabulo præcedente, in animo retento, corruperint aliud sequens vocabulum. De Trajano supra, XXI. 1. dixit Plinius: 'At tu etiam nomen patris patriæ recusabas.' Ad quem locum respice, si lubet, notam. *Idem.*

Recusasses] Atquin ille tamen admisit, ut supra vidimus: nondum tamen istæ cognomen *Augustarum.* Etsi postea, et in lapidibus, utraque sic appellatur. *Lips.*

In animis nostris sint] Similiter Plinius supra, XXI. 3. 'Contigit tibi, ut pater patriæ esses, antequam fieres. Eras enim in animis, in judiciis nostris.' *Schwarz.*

Etiam dum recusant] In omnibus co-

dicibus Mss. quibus usus sum, pro *etiam*, legitur *et*, excepto codice Patavino, et libro Vossiano, in quibus æque, ac in omnibus libris impressis, proditur *etiam*. Non certe pauca præsto sunt exempla optimorum scriptorum, qui identidem *et* pro *etiam* posuerunt. Unde Arntzenius quoque *et* hoc in loco prætulit τῷ *etiam;* docuitque ex observatione Broukhusii ad Propert. II. 9. 32. et Heinsii ad Vell. II. 116. 3. copulam *et* singularem emphasin habere, et plus aliquando dicere, quam *etiam*. Non damno *et;* sed nec sufficientem rationem video, cur vulgatam lectionem, quæ neque prorsus omnium codicum Mss. auctoritate destituitur, rejiciam. *Idem.*

Etiam dum] *Et dum* V. *Livin.*

CAP. LXXXV. *Jam etiam et*] Quis non putet, alterutram particulam, sive *etiam*, sive *et*, hic ita abundare, ut recte rejici possit? Sed omnes scripti excusique libri in hanc lectionem conspirant, præter unum codicem Patavinum, quem more suo sequitur liber Vossii; ubi inutili mutatione scriptum est, *Jam omne etiam in privatorum, &c.* Ejusmodi autem particularum cumulatio non est prorsus insolens. Sic passim apud bonos auctores deprehendes conjungi, 'atque etiam,' 'ac quoque,' 'etiam quoque,' 'que et,' 'que etiam,' 'et quoque,' 'quoque et,' 'et etiam,' 'etiam et;' quæ singula possem exemplis probare, nisi metuam tædium lectoris. Interim pauca annotare libet. Plautus Prolog. Amphitr. 30. 'Atque ego quoque etiam, qui Jovis sum filius, metuo malum.' Idem Mercat. II. 2. 36. 'Quin mihi quoque etiam est ad portum negotium.' Terentius Phorm. IV. 3. 1. 'Et etiam nunc, si vult Demipho dare,' &c. Varro de Re Rust. II. 1. 2. 'Neque patiar, Sibyllam non solum cecinisse, quæ, dum viveret, prodessent hominibus; sed etiam, quæ, cum periisset ipsa, et id etiam ignotissimis quoque hominibus.' Cic. Fam. VII. 25. 'Atque equidem aliquantum jam etiam noctis assumo.' Idem ibid. IX. 25. 'Auctoritate tua nobis opus est, et consilio, et etiam gratia.' Plautus Trinum. V. 2. 59. 'Ego ducam, pater; etiam et si quam aliam jubebis.' Hoc ergo in loco existimo, particulam *etiam*, recte per 'præterea,' explicari posse; *et* autem ejus notionis vim magis intendere. *Schwarz.*

Jam etiam] Forte delendum. *Livin.*

Priscum mortalium bonum] Valerium adi, IV. 7. Ciceronem de Amicit. et Senecam. *Bern.*

Priscum mortalium bonum] In tribus codicibus Vaticanis, nempe 3461. 1776. et 1475. item et in Guelpherbytano, legitur *priscorum;* quod quin prodiderim, parum abfuit. Neque tamen necessitatem animadverto damnandæ vulgatæ lectionis. At minus placet, quod in Vaticano 3461. *amicitiæ* scriptum est pro *amicitia*. Cic. Lælio, c. 6. de Amicitia: 'Haud scio, an, excepta sapientia, quidquam sit homini melius a Diis immortalibus datum.' Galba ad Pisonem apud Tacit. I. 15. 'Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona, tu quidem eadem constantia retinebis; sed alii per obsequium imminuent. Irrumpet adulatio, blanditiæ, pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas.' *Schwarz.*

Bonum] Et maximum quidem; est enim, teste Cicerone in Lælio, 'Nihil aliud, nisi divinarum omnium humanarumque rerum cum benevolentia et caritate summa consensio.' *Patarol.*

Migraverant] Forte, *immigraverant*. Livin.

Assentationes] Cicero: 'Sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse majorem, quam adulationem, blanditiam, assentationem.' *Lips.*

Prior odio] *Pejor ordo.* *Odio* in margine Livin.

Pejor odio] Quia falsus amor plus nocet, quam professum odium. *Lips.*

Pejor odio] *Pejor ordo.* Livin. *odio:* rectissime. *Ritt.*

Pejor odio] *Pejor ordo.* Etsi ita prodant libri editi scriptique, nemo tam est obesæ naris, quin sentiat reponendum *et pejor odio*, ut ante plures retro annos conjeci; neque aliter etiam margo libri Bongarsiani, aut editio Livineii. Unde factum putarim, ut Lipsius adjecto illo *ordo*, alteram vocem dignatus sit honore contextus. *Grut.*

Pejor odio] In meo codice, et a prima manu in Salisburgensi, perperam scriptum est, *prior ordo.* Sed et in Parisiensi, utroque Veneto, Patavino, et ex correctione in Salisburgensi, etiam vitiose exaratum est *pejor ordo.* Neque aliter in editis expressum legitur, usque ad Lipsii tempora; qui, quantum mihi constat, primus veram lectionem evulgavit, quam secuti sunt ceteri editores, jamque confirmant codices Vaticani, et Guelpherbytanus. Quantum vero simulatio noceat amicitiæ, docet Cic. Lælio, c. 24. 'Cum omnium rerum simulatio est vitiosa; tollit enim judicium veri, idque adulterat; tum amicitiæ repugnat maxime. Delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest. Nam, cum amicitiæ vis sit in eo, ut unus fiat ex pluribus; qui id fieri poterit, si ne in uno quidem quoque unus animus erit, idemque semper; sed varius, commutabilis, multiplex?' &c. Ideo vero Plinio *simulatio* dicitur *pejor odio;* quia simulator, sive falsus amicus, multo plus nocere potest, quam adversarius, odium palam professus. *Schwarz.*

Amoris simulatio] 'In amicitia,' inquit Cic. l. c. 'nulla major est pestis, quam adulatio, blanditiæ,' &c. Et Tacitus in Agricola, 'Pessimum inimicorum genus laudantes.' Quare Phocion cuidam, a se quærenti rem parum honestam, respondit, 'Non vales Phocionem amicum et adulatorem simul habere.' Plutarch. Præf. in Agid. *Patarol.*

In principum] In Panegyrico qui Theodosio dictus: 'Ecquis imperatorum unquam putavit amicitiæ cultum in regia laude ponendum? Humilis hæc virtus, dubiumque, an virtus, judicabatur, nec palatiis digna, sed periculis, habebatur.' *Lips.*

In principum domo] Latinus Pacatus in Panegyrico, quem Theodosio imp. dixit, cap. 16. 'Ecquis imperatorum unquam putavit, amicitiæ cultum in regia laude ponendum? Humilis hæc virtus, dubiumque, an virtus, judicabatur, nec palatiis digna, sed periculis, habebatur. Inde facilius inveneris, qui pecuniam ex ærario, quam qui ex animo fidem, promserint. Optimus ille ditabat, non etiam diligebat; prodesse noverat; amare nesciebat. Tu amicitiam, nomen ante privatum, non solum intra aulam vocasti; sed indutam purpura, auro gemmisque redimitam, solio recepisti,' &c. Non me piguit, hunc locum huc referre, quamvis sit longior, ac jam a Catanæo, aliisque, annotatus. Primum enim sic luculentum antiquæ imitationis exemplum oculis subjicitur. Sicut enim Latinus Pacatus Panegyricum Plinii aliis in locis imitatus est; ita comprimis hujus loci imitatio elucet. Deinde hunc ipsum locum libero mendo, quod ii, qui hæc verba excitaverunt, retinuere. Primum enim in meo codice lego *humilium virtus*, ubi alii vulgo habent *humilis virtus.* Deinde, cum vulgo editum sit *sed periculis*, et in meo codice legatur *nec periculis*, Gronovius Obs. II. 22. perspicue docuit, rectius legendum esse *sed pergulis;* ubi 'pergulæ' sunt vilia tuguriola, quæ palatiis opponantur. Præterea, si retineatur vulgata lectio, *Optimus ille ditabat, non etiam diligebat*, et per 'optimum' intelligatur Trajanus, cujus id proprium fuit cognomentum; tunc Pacatus aperte et oratorie con-

tradixit huic loco Plinii. Sin legamus *optimos*, prout Baunius conjecit, sive *optimum*, uti in meo est codice; tunc per pronomen *ille*, aut Gratianus, aut incertus quicunque, denotatur. *Schwarz.*

Manebat] In codicibus Mss. Vaticano 3461. Guelpherbytano, Parisiensi, Salisburgensi, et meo; item et in Cuspiniani, Gryphii, Sichardi, et Arntzenii editis, reperi verbum compositum *remanebat*, quod quidem neutiquam indignum est stilo Pliniano; at a nulla caussa me urgeri sentio, ut expellam lectionem vulgatiorem, eamque nec aliorum codicum scriptorum suffragio destitutam. Adhæc, sic etiam alibi Noster verbo simplici usus est, ubi compositum pariter locum habere potuisset; v. g. Panegyr. XXIV. 2. 'Manet imperatori, quæ prior oris humanitas.' XXXVI. 2. 'Manet tamen honor legum.' XLIII. 4. 'Cesserit parum gratus; manent tamen ii, qui bonis ejus fruantur.' LII. 4. 'Ergo et istæ quidem æreæ et paucæ (statuæ) manent, manebuntque, quamdiu ipsum templum.' LIV. 1. 'Et quis jam locus miseræ adulationis ignarus manebat.' In verbis proximis, *inane scilicet irrisumque*, videndum, an forte legi debeat, *inane scilicet irritumque?* Idem.

Manebat] *Remanebat* V. C. *Livin.*

Quî poterat] Vulgo legitur *quæ;* nec sine indicio codicum Mss. facile cogitabis de aliqua mutatione. Sed *qui*, i. e. quo modo, diserte scriptum est in codicibus Vaticanis et in utroque Veneto. In pluribus per compendiariam notam designatur, ut aliquando ægre discernas, utrum *quæ*, an *qui*, legas. Sed etiam jam ab initio in impressis libris, Puteolanus, Cuspinianus, Rhenanus *qui* edidere. Placuit *qui* Arntzenio; placet etiam mihi: cum utique probabilius videatur, a librariis, *qui* in *quæ*, quam *quæ* in *qui*, corruptum esse. *Quî* est ablativus antiquus a 'quis,' et notat 'quo pacto,' 'quo modo,' 'unde.' Vide Perizon. ad Sanctii Minerv. IV. 4. pag. 688. Nec raro occurrit illud *quî*. Terent. Andr. III. 2. 21. 'Qui isthæc tibi incidit suspicio? SIM. Qui? quia te noram.' Idem Phorm. II. 3. 51. 'Cedo, qui est cognata?' Cicero in Lælio cap. 23. 'Cum amicitiæ vis sit in eo, ut unus fiat ex pluribus; qui id fieri poterit, si ne in uno quidem quoque unus animus erit, idemque semper?' Idem Nat. Deor. I. 30. 'Qui potest esse in ejusmodi trunco sapientia?' Plin. II. 6. 'Qui fieri potest? Potest.' *Schwarz.*

Alii domini] Codex Vaticanus transponit has voces, *domini alii. Domini* dicuntur heri et rectores servorum ac mancipiorum; at principes, rectores civium liberorum. Vide, quæ de nomine *domini* annotavi supra, ad pp. 449. 792. Inter eos enim, qui quadam tyrannica potestate alios tanquam vilia mancipia tractant, amicitia locum habere non potest. 'Hæc enim,' ait Cic. in Lælio, c. 15. 'est tyrannorum vita, in qua nimirum nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis benevolentiæ potest esse fiducia; omnia semper suspecta atque solicita; nullus locus amicitiæ. Quis enim aut eum diligat, quem metuit; aut eum, a quo se metui putat?' Legatus Scytharum ad Alexandrum, apud Curt. VII. 8. 27. 'Firmissima est inter pares amicitia; et videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos viceris, amicos tibi esse, cave, credas: inter dominum et servum nulla amicitia est.' *Idem.*

Tu hanc] Iterum imitatus idem Panegyristes: 'Tu amicitiam, nomen antea privatum, non solum intra aulam vocasti, sed indutam purpura, auro gemmisque redimitam, solio recepisti.' *Lips.*

Pulsam] A Domitiano, cujus amicitiam Juvenalis vocat 'miseram.' *Bern.*

Pulsam et errantem reduxisti] Metaphora deducta ab iis, qui in exilium

pulsi, in patriam; aut peregre vagantes, in rectam viam reducuntur. Tacit. Hist. IV. 6. 'Thrasea in exsilium pulsus, Galbæ principatu rediit.' Cic. Philipp. II. 4. 'Tibi per me licet quendam de exsilio reducere.' Plinius supra LXXVIII. 3. 'Libertatem revoces, ac reducas.' *Schwarz.*

Habes amicos] 'Plurimis amicitiis fortuna principum indiget: frustraque se terrore succinxerit, qui septus charitate non fuerit: arma enim armis irritantur.' cap. 49. 'Metusque et terror infirma vincula charitatis, quæ ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient.' Tacit. Agric. cap. 32. *Bern.*

Alia subjectis] Vitiarunt hunc locum librarii in quibusdam codicibus. In Salisburgensi et meo scriptum est *aliis subjectis*, et in sequentibus *amori*, non *amor*. Patavinus æque vitiose habet *alia subjecta*. Utique amor non potest imperari. Quinctil. Declam. 376. 'Non potes efficere imperio, ut vel amem, quem velis; vel oderim.' Claudian. IV. Consul. Honorii, vs. 280. 'Non extorquebis amari: Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.' *Schwarz.*

Imperatur] Claudianus: 'Non extorquebis amari.' *Bern.*

Liber] 'Amare et odisse res omnium liberrimæ.' Senec. de Brev. Vit. c. 19. *Idem.*

Et liber] Codex meus refert *tam liber*. Seneca de Brevit. Vitæ, cap. 19. 'Amare, et odisse, res omnium liberrimæ.' *Schwarz.*

Vices exigat] Quare Seneca ex Hecatone, post alia: 'Si vis amari ama.' Et Martialis: 'Marce, ut ameris, ama.' *Patarol.*

Vices exigat] Amor rem quærit amabilem. *Bern.*

Potest tamen] Codex Patavinus omittit hoc loco verbum *potest*, ut hunc in modum fluant ista verba, *Potest fortasse princeps, inique tamen, odio esse non nullis.* Quæ sententia non quidem videretur repugnare concinnitati Plinianæ; nolo tamen verbo innoxio litem intendere de vetere possessione. *Schwarz.*

Amari, nisi ipse amet] Amat princeps cives, qui clementia et moderatione utitur erga ipsos, et facile benevolentiam civium sibi conciliat, si pium ac patriæ mitem experiuntur. 'Ad pariendum honorem dos potentissima clementia.' Val. Max. V. 3. *Bern.*

Ipse amet] Apud Senecam Hecaton ait, 'Ego tibi monstrabo amatorium, sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine. Si vis amari, ama.' *Lips.*

Diligis ergo, cum diligaris] Behrius Gedanensis maluit legere *Diligeris ergo, cum diligas*; non absone quidem, sed sine ullo teste. Et hoc ipsum, quod voluit Behrius, jam dixerat Plinius: 'Habes amicos, quia ipse amicus es.' Et mox iterum: 'Ut, cum ipse ardentissime diligas, adhuc tamen ardentius diligaris.' *Schwarz.*

Quod utrinque honestissimum] Vulgo pro *utrinque*, exhibetur *utrique*. At in Vaticano 3461. Guelpherbytano, et Patavino, *utrumque*. Sed melius est *utrinque*, i. e. ex utraque parte, quod scilicet et diligis, et diligeris. Ita vero scriptum est, in codice Parisiensi, utroque Veneto, Salisburgensi, meo, et libro Vossiano. Eandem lectionem etiam ex suo codice annotavit Livineius, atque in excusis prodidere Puteolanus, Cuspinianus, Gryphius an. 1531. Sichardus, Gruterus, ac nunc Gesnerus quoque, et Arntzenius. *Idem.*

Quod utrinque] *Quod utrique* Livin. in textu; sed in margine, *quod utrimque* V. C. recte. *Ritt.*

Gloria tua] Potentissimorum gratior humanitas: et qui maximus virtute et sapientia, ita ut nullo egeat, maxime quoque in expetendis colendisque amicitiis excellit. *Bern.*

Qui superior factus] In codice Va-

ticano 3461. et Guelpherbytano, pro *Qui*, legitur *Quia*. In Parisiensi, utroque Veneto, Patavino, et libro Vossiano, *superior fatis*. In eodem Vaticano, et Guelpherbytano, *superior facis*, quod ex *fatis* effingi potuit. *Facta* alioquin, et *fata*, non raro in antiquis codicibus permisceri, jam ad LXXX. 5. annotavi. Dispiciendum ergo, utrum *fatis*, an *factus*, meliore jure locum hunc occupet. Putes, Trajanum *superiorem fatis* dici, ut *fata* pro ampliore fortuna sumantur; sicut apud Tacit. Annal. XVI. 5. 'Ferebant, Vespasianum imminentem perniciem majore fato, (i. e. interprete Bœclero, 'ampliore fortuna,') effugisse.' Claudian. de Consul. Mallii Theodori, vs. 60. 'Una potestatum spatiis interfuit ætas; Totque gradus fati juvenilibus intulit annis;' ubi Casp. Barthius annotavit, 'fata pro ipsis dignitabus, aut honoribus, poni;' quia Romani, summas potestates et magistratus habuerint fatales. Huc trahunt etiam illud Claud. Rutilii Itin. I. 92. 'Excedis factis grandia fata tuis.' Ad quem locum vide Burmannum. Qua de re Cicero explicatius locutus in Lælio, cap. 25. dixit, 'loco, fortuna, fama, superiores;' similiterque voce 'major' utitur Mamert. in Genethl. Maximini, cap. 6. 'Vester immortalis animus omnibus opibus, omnique fortuna, atque ipso major est imperio.' Verum, si cui placeat, adsciscere vocabulum *fatis*, id ego hoc loco malim pro casu, calamitate, periculo, sumere, ita, ut Trajanus *superior fatis* dicatur, qui fata, omnemque fortunam, quasi in sua potestate habeat, ut nec ejus fama et dignitas, nec felicitas, periclitari minuique possit; prout aliquis dicitur 'invidia major;' et supra, XXXIII. 2. 'omni affectione aut intactus, aut major.' In quam sententiam Plinius, in simili argumento, jam LXXI. 4. scripsit, 'Cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si se ipse submittat, securus magnitudinis suæ. Neque enim ab ullo periculo fortuna principum longius abest, quam humilitatis.' Itaque, quod ibi dixit Plinius, 'securus magnitudinis suæ;' hoc idem nunc significare videtur per hæc verba, *superior fatis*. Non inficias eo, me suspensas habere rationes, utram eligam lectionem. Sed libenter totam rem aliorum judicio submitto, et interim, Arntzenium secutus, retineo lectionem vulgatam, *superior factus;* quoniam explicatio alterius lectionis, *superior fatis*, fortasse nonnullis quodammodo quæsita videri queat. Sic *superior factus* etiam alibi legitur. Cic. Fam. XIII. 5. 'Gravissimum est, cum superior factus sit ordine, inferiorem esse fortuna.' Nepos in Phocione, cap. 3. 'Quo facto populus, superior factus, statim duces adversariæ factionis damnatos patria pepulit.' Non nego tamen, in hoc Plinii loco participium, *factus*, magis, quam in istis duobus locis, otiosum videri. *Schwarz.*

Descendis] Testatur Dio, et Eutrop. lib. VIII. *Patarol.*

Descendis] Usque eo, ut 'ægrotantes amicos viseret.' Ausonius in Gratiarum Actione, et Eutropius. *Lips.*

Familiaritatis officia] Talia recenset Eutrop. VIII. 4. 'Gloriam tamen militarem civilitate et moderatione superavit Trajanus, Romæ, et per provincias, æqualem se omnibus exhibens: amicos salutandi (i. e. invisendi,) caussa frequentans, vel ægrotantes; vel, cum festos dies habuissent, convivia cum iisdem indiscreta vicissim habens; sæpe in vehiculis eorum sedens; nullum senatorem lædens, nihil injustum ad augendum fiscum agens; liberalis in cunctos, publice privatimque ditans omnes, et honoribus augens, quos vel mediocri familiaritate cognovisset.' Confer Dion. Cass. lib. LXVIII. pag. 772. et Auson. in c. 4. Grat. Act. *Schwarz.*

Tunc maxime imperator] In codice

Parisiensi extat, *tunc maximus imperator es;* quæ vero varietas sine dubio debetur ingenio librarii. Sic in verbis sequentibus, *cum amicum ex imperatore agis*, has voces, *ex imperatore*, (quæ etiam sine ullo damno abesse possunt,) prætermiserunt codices Mss. Vaticani, Parisiensis, uterque Venetus; sicut in proximo loco, *in amicum ex imperatore submitteris*, easdem omiserat codex Guelpherbytanus. At utrobique easdem referunt Salisburgensis et meus; agnoscuntque omnes libri impressi. *Idem.*

Tunc maxime imperator] Forte, *es.* Livin.

Ex imperatore] Livin. dele *ex.* Potest ferri. *Ritt.*

Plurimis amicitiis] In meo codice est *plurimis amicis;* sed nihil muto. Recte reprehendit Græcos quosdam Cic. in Lælio, cap. 13. qui tradidere, fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit, unum solicitum esse pro pluribus; satis superque esse sibi suarum cuique rerum. Et bene inprimis de principe Helvidius Priscus apud Tacit. Hist. IV. 8. 'Nullum majus boni imperii instrumentum, quam bonos amicos.' Quantum etiam intersit omnium hominum, sibi parare amicos, docet Cic. Lælio, cap. 15. 'Quid stultius, quam, cum plurimum copiis, facultatibus, opibus, possint, cetera parare, quæ parantur pecunia, equos, famulos, vestem egregiam, vasa pretiosa; amicos non parare, optimam et pulcherrimam vitæ, ut ita dicam, supellectilem? Vita deserta ab amicis non potest esse jucunda.' *Schwarz.*

Amicos parare] Cyrus: 'Non est,' inquit, 'hoc sceptrum aureum, quod regnum servet; sed amici multi sceptrum sunt verissimum, maximeque securum.' Cicero: 'Opibus cetera paramus, amicos non paramus, optimam et pulcherrimam vitæ supellectilem.' *Bern.*

Hæc secta] Supra, 'quasi specimen et exemplar quæ tibi secta vitæ, quod hominum genus placeat.' Eumenius pro Restaur. Schol. 'Diversissimus enim ad utramque sectam deflexus est.' Pacatus in Theodos. 'Sed qui vitæ tuæ sectam rationesque cognoverit,' &c. Ipse Cic. pro Cœlio: 'Neque solum apud nos, qui hanc sectam rationemque vitæ re magis, quam verbis, secuti sumus; sed etiam apud Græcos,' &c. Lucan. lib. II. 'Hi mores, hæc duri immota Catonis Secta fuit, servare modum, finemque tenere, Naturamque sequi,' &c. Juvenalis Sat. XIV. 'Juvenes hortatur, ut illam Ire viam pergant, et eidem incumbere sectæ.' *Livin.*

Hæc secta] Sic passim impp. in legibus cod. loqui amant, 'secta meorum temporum.' Sic infra Paneg. XII. 12. ait Pacatus, 'Qui vitæ tuæ sectam rationesque cognoverit,' &c. *Ritt.*

Hæc secta] I. e. hæc regula et sententia, sive, hæc vivendi agendique ratio. Vide ad p. 706. *Schwarz.*

Neque unquam persuadeatur] Scilicet principi. Particula *neque*, pro vulgato *nec*, est in duobus Vaticanis codicibus, et meo; in quibusdam *ne.* *Persuadeatur* legitur in omnibus codicibus Mss. item et in plurimis impressis; quod tuendum contra Berneggerum et Hackium, qui prodidere *persuadetur.* *Odisse* per enallagen ponitur pro substantivo 'odium.' Recte autem notat Lipsius, ideo 'odium' esse humile principi, atque minus decorum, quia conjunctum sit cum metu degenere; metum autem esse indicium humilis abjectique animi; quia, qui metuit, minorem se fatetur. Nescio vero quid sibi voluerit Livineius, qui in margine editionis suæ notarit, 'Forte *nil* ita inserendum esse verbis Plinii, *humile esse principi nil, nisi odisse.*' Illud enim *nil*, hoc loco cum particula antecedente *neque*, vel *nec*, constare nequit, nisi absurda sententia inde constituatur. Pro se-

quente voce, *Jucundissimum*, inepte scriptum est in codice Parisiensi *Fæcundissimum;* quod inde accidisse credo, quod in aliis pluribus codicibus scriptum erat *Jocundissimum.* Idem.

Humile esse] Quod videatur, quia amicitia inter æquales modo est: at ille eminet super omnes. Sed nempe amicitia parem, si non accepit, facit. *Lips.*

Nisi odisse] Valde miror, cur Livineius indicaverit, forte legendum *nihil odisse*, cum idem resultet sensus ex vulgato, et vero nihil minus convenire principi, quam invidiam, quam odium, ostendi prolixius in Dissertatiunculis meis ad Tacitum. *Gruterus.*

Odisse] Quia in odio occultus et degener metus. Generosi autem altique animi, ulcisci eligunt, quam odisse. *Lips.*

Ita frueris] Codex Patavinus habet *ita fruaris*; quæ varietas nullius pretii est; neque probandum, quod in sequentibus adverbium *ardentius* omiserunt Vaticani 3461. et 1775. itemque Guelphicus; neque, quod Puteolanus et Beroaldus, pro *primum*, edidere *plurimum;* neque denique, quod in penultima voce hujus capitis codex Patavinus et liber Vossianus, pro *magis*, exhibent *magnopere.* Schwarz.

Facultas] 'Beneficiorum caussa non contrahitur amicitia, sed beneficio accepto confirmatur amor.' Cic. in Læl. *Bern.*

CAP. LXXXVI. *Tormentum tibi*] I. e. quam quasi vim ipse tuo animo feceris. *Tormentum* μεταφορικῶς dicitur cura, solicitudo, et dolor animi. Plinius, Epist. VII. 5. 'Unum tempus his tormentis, (i. e. his curis et solicitudinibus,) caret, quo in foro et amicorum litibus conteror.' Idem Epist. VIII. 23. 'In tantis tormentis eram, cum scriberem hæc.' Epist. VI. I. 'Eripe me huic tormento.' Juvenal. Sat. II. 137. 'Interea tormentum ingens nubentibus hæret, Quod nequeunt parere.' *Schwarz.*

Amico] Miror cum Lipsio, audacter a Catanæo, Rayano, et aliis, hic intelligi Licinium Suram; quo enim auctore, aut qua conjectura, hoc contendunt? *Patarol.*

Dimisisti optimum virum] Licinium Suram. *Livin.*

Optimum virum] Licinium Suram fuisse volunt: sed quo auctore? Mihi promtum vel ex eo arguere, quod hic Sura biennio post, secundum consul fuit; iterumque quadriennio interjecto, tertium. Quomodo autem, si nunc abivit, otio et quieti redditus? Sane alius fuit hic præfectus, cui et gladium tradidit, cum verbis æternis illis, quæ ante posui, etsi ibi quoque *Suram* nobis supponunt. Quis igitur alius? ex Victore *Saburanum* retineo: etsi ignotum mihi hominem, nec in *Suranum* demuto. *Lips.*

Tibique] Quædam editiones, ut R. et H. Stephanorum, Boxhornii, Cellarii, Cevæ, Gesneri, omiserunt copulam *que;* quam vero codices Mss. et alii libri antiquiores, itemque recentiores Pataroli et Arntzenii, exhibent. In sequentibus verbis, *quantum amares eum*, liber Vossianus, loco pronominis *eum*, ostendit *enim.* Sed et in subsequentibus *separatusque*, quædam editiones male omiserunt copulam *que.* Schwarz.

Id potius] Codex Patavinus, et liber Vossianus, perperam habent *ita potius.* Idem.

Præfectum prætorii] Alias dicitur 'præfectus prætorio,' item, 'præfectus prætoriis cohortibus;' qui nempe iis militibus præerat, quos imperatores in sui custodiam allegerant. Augustus quidem, teste Dione, lib. LV. p. 555. primus binos hujusmodi præfectos instituerat, eosque ex hominibus ordinis equestris elegerat. At, Suetonio referente in Tito, cap. 6. Titus Vespasianus 'præfecturam

prætorii suscepit, nunquam ad id tempus, nisi ab equite Romano administratam.' Admissi tamen sunt postea etiam alius ordinis homines. Hi ab initio non nisi rem militarem cohortium prætoriarum curarunt, neque nisi inter milites suos jus dixerunt; deinde vero, cum imperatores has partes non aliis deferrent, nisi iis, quibus præ ceteris haberent fidem; semper adesse imperatori suo, et res etiam ad aulam et urbem pertinentes administrare cœperunt, ita ut eorum potestas quasi proxima, sive altera ab augusto imperio, haberetur, teste Victore de Cæsaribus, in Vespasiano, c. 9. Quæ omnia, præter ceteros, copiosius exposuit Perizonius in Dissertat. II. de Prætorio. Nihil attinet hoc loco fata atque jura præfectorum prætorii posterioris ævi commemorare. Etsi autem Augustus binos instituisset præfectos prætorii; alii tamen aliquando tantummodo unum, aliquando tres, pluresque, crearunt; quod patet ex catalogo horum præfectorum, quem, quamvis nondum satis perfectum, Semestr. I. I. inseruit Petrus Faber; qui etiam ex Trajani temporibus non nisi unicum præfectum prætorii reperit, annotavitque, nempe Licinium Suram; cum tamen certum sit, etiam sub hoc imperatore plures fuisse, quorum tamen nomina non innotuere. Ipse enim Trajanus apud Plin. Ep. x. 65. scripsit: 'Vinctus mitti ad præfectos prætorii mei debuit.' Nihil quidem dubito, quin hic Licinius Sura temporibus Trajani fuerit præfectus prætorii; neque, dum sequor narrationem Xiphilini ex Dione Cassio, lib. LXVIII. p. 777. jam ambigo, an idem fuerit ille præfectus, cui munus hoc suscipienti Trajanus gladium præbuerit, et, eo nudato, dixerit illa memorabilia verba, quæ Plin. Paneg. LXVII. 8. commemoravit; cum Anna, Fabri filia, alioqui doctissima, frustra monuerit, hunc Licinium Suram demum anno quinto imperii Trajani, adeoque biennio post hunc Panegyricum dictum, cohortibus prætorianis fuisse præfectum. Immo, largior etiam, eundem Suram summa fide atque amicitia Trajano fuisse conjunctum; cum idem Xiphilinus id referat, tradatque, Trajanum eundem Suram, vita functum, publica sepultura honorasse, eidemque statuam collocari jussisse. Num vero idem Licinius Sura hoc etiam Plinii loco designetur, quod Catanæus et Rayanus sibi persuasum habuere, id certo neque affirmari neque negari posse, censeo; cum hac de re sileant antiqua historiarum documenta. Equidem Lipsius putavit, neutiquam hic intelligi posse illum Suram. Quomodo enim, inquit, Sura biennio post discessum illum consul fuisset, iterumque quadriennio interjecto? Verum, jam Bannius dubitanti Lipsio regessit: Quidni Licin. Sura revocari potuerit a Trajano ex otio ad gerendos istos consulatus? Eadem etiam regessit Christophorus Behrius. Potuit, inquit, iste Sura ad otium abire, et rursus tamen ad honores reverti. Exemplo est Mallius Theodorus, quem Claudianus narrat e primo consulatu in otium se contulisse; ex otio tamen ad alterum consulatum rediisse. At hæc omnia probant quidem Licin. Suræ potuisse a Trajano tunc otium permitti; neutiquam vero probant, ista non etiam de alio posse intelligi. Impensissime quidem Trajanus amavit honoravitque Suram; sed non minus alios etiam amicos amavit honoravitque. Certe, teste Dione, p. 778. Ἔστησε δὲ καὶ τοῦ Σοσσίου, τοῦ τε Πάλμου, καὶ τοῦ Κέλσου εἰκόνας, οὕτω που αὐτοὺς τῶν ἄλλων προετίμησε. *Sosio quoque, et Palmæ, et Celso, statuas posuit, quos viros præ ceteris habuit in honore.* Ex his A. Cornelius Palma A. C. 99. primum fuit consul ordinarius cum C. Sosio Senecione II. et A. C. 109. idem II.

consul fuit cum C. Calvisio Tullo II. At L. Publ. Celsus A. C. 109. fuit suffectus, et A. C. 113. consul ordinarius. Ergo hoc unum certum est, nihil certi posse definiri, quis fuerit hic præfectus prætorii. *Idem.*

Ex ingerentibus] I. e. ex ambientibus honores, sive ultro offerentibus et quasi obtrudentibus se. Ita, 'ingerere se,' aut 'aliquid aliis,' dicuntur, qui etiam invitis aliis se, aut aliquem, aliquidve, ultro offerunt, et crebris verbis commendant. Petron. c. 140. 'Matrona, tum anus et floris extincti, filium filiamque ingerebat orbis senibus.' Tacit. Annal. I. 72. 'Nomen patris patriæ Tiberius a populo sæpius ingestum, (i. e. obtrusum) repudiavit.' Claudianus, ubi dicere voluit, Celerinum imperium sibi obtrusum magno animo recusasse, in Epithal. Palladii et Celerinæ, vs. 77. canit: 'Prætulit otia regno, Respuit ingestum, quod vi, quod poscere ferro, Posthabita pietate, solent.' Idem de Bello Gild. vs. 193. 'Æthiopem nobis generum, Nasamona maritum, Ingerit; exterret cunabula discolor infans.' Symmach. Epist. VII. 115. 'Adverti eum minus, quam ratio postulabat, ne ipse se laudatione sua mandata literis videretur ingerere.' Sicuti vero Symmachus pronomen 'se' conjungit cum verbo 'ingerere;' ita et in hoc loco, cum verbum 'ingerere,' tum 'subtrahere,' postulare videntur ut pronomen 'se' saltem semel exprimeretur, *non ex ingerentibus se, sed ex subtrahentibus, legere.* Et sane putes, hoc ipsum pronomen *se*, vel jamdudum excidisse e contextu orationis Plinianæ, vel certe in particula sequente, *sed*, latitare. Ita Scioppius in Arte Critica, p. 61. ostendit, apud Sallustium, in vetustis quibusdam codicibus scriptum fuisse 'magiS Extollere,' pro 'magis se extollere;' apud Symmach. verba, 'sa Temporis,' posita esse pro 'sat te temporis;' item, 'sed simile,' pro 'sed si simile;' apud Apuleium, in his verbis, 'in lemurES reformant,' latitasse, 'in lemures se reformant;' et quæ sunt alia exempla generis ejusdem. Scio quidem, aliquando pronomen 'se' omitti solere; nemo tamen facile reperiet, usquam alibi, 'ingerere,' ac 'subtrahere,' simpliciter dici pro 'ingerere se,' et 'subtrahere.' Arntzenius annotavit, in codice Guelpherbytano legi *ingerentibus se;* id si ibi, aut in alio codice, deprehendissem, sine cunctatione amplexus essem. Ceterum pro *ex*, ante participium *subtrahentibus*, omnes codices Mss. habent *e*. Idem.

Ex ingerentibus] Intrudentibus sese, inquit Rayanus. *Patarol.*

Non ex ingerentibus] 'Volentem nolumus, nolentem volumus.' August. de Elect. Episc. 'Viles nempe aut sunt, aut se faciunt, qui ultro munus adeunt. Et plerumque imperiti se inferunt, imperitia faciente confidentiam: cum ex diverso, summa eruditio non mediocrem metum faciat. Imperitorum attrita, peritorum mollis et imbecilla frons est.' Isaac. Cujac. J. C. de Ratione Docendi Juris. Vide quoque supra v. 5. *Bern.*

Ex subtrahentibus] *E subtrahentibus* V. *Livin.*

Quod pertinaciter] *Quem pertinaciter.* Forte, *quod pertinaciter.* Livin. Recte. *Ritt.*

Quod pertinaciter] *Quem pertinaciter.* Lipsius quidem intulit textui, *otio quod pertinaciter;* uti forte legendum putarat Livineius. Sed enim cum libri omnes tueantur alteram scripturam, haud temere mutanda est. Vult enim Plinius rem esse memorandam, ut princeps ad otium dimittat, quem unice ac pertinaciter diligit; ut, inquam, alterius potius voluntati obsequatur, quam suæ. Emendatione ista admissa, languet membrum sequens, immo idem dicit. *Grut.*

Quod pertinaciter amet] Etiam hic locus gravatur mendo. Omnes omnino codices Mss. quos consului, itemque antiquiores editiones, et nunc recentior Arntzenii, habent *Quem pertinaciter amet*. Si legeretur *Quem pertinaciter ames*, non illico rejicerem hanc lectionem. Tunc enim verbum *ames* referretur ad principem Trajanum, qui præfectum pertinaciter amare diceretur. At verbum *amet*, cum pronomine *quem* vix locum habere potest. Quod si enim pronomen *quem* referas ad præcedens *eundem*, i. e. ad præfectum; tunc non tertia persona *amet*, sed secunda *ames*, habet locum; quia Plinius jam alloquitur Trajanum; unde secunda persona proxime præcessit, *cedis*, *vinceris*, *velletis*; eademque mox sequitur, *cum ipse sis distentus*. Verum, tertiam personam *amet* codices Mss. et editiones antiquiores pertinaciter tuentur. Boxhornius adeo, quantum mihi constat, primus illud *amet*, non quidem ex auctoritate codicum veterum, sed ex necessitate quadam certæ sententiæ constituendæ, ac cum reliqua oratione connectendæ, commutavit in secundam personam *ames*, ut sic fluant hæc verba, *eundemque otio, quem pertinaciter ames, reddere*. Quam correctionem etiam adscivit Cellarius. Neque ego eam aspernarer, nisi omnes omnino veteres libri habeant *amet*, et nisi, nescio quid contorti in hac correctione hærere videatur, quod pronomen *quem* ἀμέσως subjicitur nomini *otio*. Alium vero modum emendandi hujus loci iniit Lipsius, qui, cum jam Livineius in margine editionis suæ monuisset, forte pro *quem* legendum esse *quod*, hoc ipsum pronomen *quod* dignatus est honore contextus, retinuitque verbum tertiæ personæ *amet*, in omnibus libris antiquis obvium, ut referatur ad præfectum prætorii, qui *pertinaciter*, h. e. pertinacia quadam, et contra voluntatem Trajani, otium amare dicitur; cum Trajanus melius præfectum *constanter*, quam *pertinaciter*, amare dictus fuisset. Cum adeo lectio codicum Mss. et antiquarum editionum sine medela sit obscurior, neque cum contextu satis conveniat; cum etiam ista genera ejusdem pronominis *quod*, et *quem*, propter compendiosam scripturam, ab inertibus librariis facile confundi potuerint; recipiendam existimavi emendationem Lipsianam, quæ mihi visa est planissima, ac nequaquam violenta; quam etiam secuti sunt Berneggerus, Hackius, et, præter alios, nunc Gesnerus. *Schwarz*.

Quietis gloriam cuiquam invidere] Vellem ut in codicibus Mss. pro voce *gloriam* reperissem *gratiam*; major enim otii et quietis gratia, quam gloria, esse potest; sed, omnibus codicibus in vulgatam lectionem conspirantibus, nihil muto. At maluit Arntzenius legere *gloria*, in casu sexto, quam *gloriam*, in casu quarto; quia, ni fallor, elegantius putat dici, 'alicui invidere gloria, felicitate, laude,' quam, 'alicui invidere gloriam, felicitatem, laudem.' Atque ecce, in meo codice scriptum est *gloria*; verum, quod mirum est, in hoc unico codice, cui in hoc loco ne quidem codex Salisburgensis, uti in aliis plurimis, assentitur. Animadverti quidem, Cortium, virum alioqui quondam eruditum et perindustrium, Epistolis Plinianis, ubicunque verbum 'invidere' occurrit, intrusisse insolitam illam structuram cum nomine casus sexti; cum contra omnium reliquorum scriptorum excusorumque librorum dissensum, unius codicis Medicei auctoritate sit nixus. Equidem mihi non vacat, jam de ista structura verbi *invidere* ex instituto agere: scio tamen, Quinctil. Instit. Orat. IX. 3. indicare, quosdam suo ævo ita loqui cœpisse, ut casum sextum conjunxerint cum verbo *invidere*; at istam loquendi rationem idem non satis probat, eamque tradit usui veterum, et sigillatim

Ciceronis, adversari. Si enim mentem Quinctiliani recte capio, ita illum locum lego, qui alias variis lectionibus non parum corruptus est: 'Si antiquum sermonem nostro comparemus, pæne jam, quidquid loquimur, figura est: ut, *hac re invidere;* non, ut omnes veteres, et Cicero præcipue, *hanc rem,*' &c. Sicuti ergo vix credibile est, Plinium omnino sprevisse hoc Quinctiliani, præceptoris sui, judicium; ita, in tot librorum consensu, utique tutissimum est, sequi eam lectionem quæ veteribus probatæ Latinitatis auctoribus, et præcipue Ciceroni, est conformis: cum maxime ipse Plin. Epist. I. 5. professus sit, sibi esse cum Cicerone æmulationem, neque se esse contentum eloquentia sæculi sui. *Idem.*

Et exercita] In codice Vaticano 3461. Guelpherbytano, Veneto I. Patavino, itemque altero libro Gudiano, pro *exercita,* legimus *exercitatione;* vulgatam tamen lectionem nondum loco moveo. Viro Christoph. Aug. Heumanno Plinius videtur recordatus esse verborum Ciceronis ex Orat. pro Milone, cap. 2. 'Quid nobis laboriosius, quid magis exercitum, dici, aut fingi, potest?' Equidem nihil singulare est, si homines dicantur 'laboriosi' et 'exerciti,' uti in allato Ciceronis loco; et apud Plinium nostrum, Epist. v. 13. 'Unquamne vidisti quenquam tam laboriosum et exercitum, quam Varenum meum?' At non nisi per tropum aliæ etiam res dicuntur laboriosæ et exercitæ, quæ nobis multum laboris facessunt, nosque curis multis et negotiis exercent; uti hoc loco imperii administratio dicitur 'statio laboriosa et exercita.' Sic vero Plinius noster etiam Epist. VII. 2. 'Patiar ergo æstatem inquietam vobis exercitamque transcurrere.' Et infra, Paneg. XCI. 1. 'Officium laboriosissimum et maximum.' Plinius Major VII. 8. de Agrippa: 'Misera juventa, exercito ævo inter arma motusque.' Sueton. Tib. c. 5. 'Infantiam pueritiamque habuit laboriosam et exercitam.' *Idem.*

Laboriosa ista statione et exercita] Auctor Epist. VI. 13. 'Unquamne vidisti quemquam tam laboriosum et exercitum, quam Varenum meum?' Sueton. Tib. cap. 6. 'Infantiam pueritiamque habuit laboriosam et exercitam, comes usquequaque parentum fugæ.' Scio aliter vulgari; sed Lambino assentior sic legenti vel hac maxime Plinii auctoritate. Cic. pro Mil. 'Quid enim nobis duobus, judices, laboriosius, quid magis sollicitum, magis exercitum dici, aut fingi potest?' *Livin.*

Res optima] Quidni optima? meo intimo animo, et Socratis dicto, Σχολὴ κάλλιστον κτημάτων, *Quies, optima rerum.* Adi Senecam nostrum de Brevit. cap. 5. *Lips.*

Confusionem tuam] Id est mœstitiam et perturbationem, σύγχυσιν. Auctor Epist. I. 22. 'Erit confusioni meæ non mediocre solatium, si tu nihil quereris.' III. 10. 'Præterea veritus sum, ne vos festis diebus confunderem, si in memoriam gravissimi luctus reduxissem.' Et alibi frequenter. Juvenalis Sat. III. 'Quamvis digressu veteris confusus amici,' &c. *Livin.*

Confusionem] Tristitiam, animi turbationem, utiturque plus semel ita Plinius, et ejus ævi scriptores. *Lips.*

Confusionem tuam] I. e. mœstitiam et animi turbationem. Codex Patavinus et liber Vossianus perperam exhibent *confessionem tuam.* Noster, Epist. I. 22. 'Erit confusioni meæ non mediocre solatium.' Vell. II. 124. 'Quid tunc homines timuerint, quæ senatus trepidatio, quæ populi confusio, quis orbis metus,' &c. Val. Max. III. 8. 6. 'In maxima confusione nihil a tuorum amplitudine degenerasti. Coacta es eo loci insistere, ubi principum civitatis perturbari frons solebat.' Petron. cap. 101. 'Poteris hanc simulationem, et lacrymis, et vultus

confusione, obumbrare.' *Schwarz.*

Prosecutus enim] Codex Venetus 1. habet *Prosecutus eum nec temperasti.* Livineius in margine e conjectura notavit, forte legendum *prosecutus enim es.* Baunius edidit, *prosecutus es enim.* In proximis verbis Vaticani, præter unum 1775. item et Guelpherbytanus, pro *prosequereris*, vitiose referunt *prosequeris.* Verbum 'prosequi,' non hic est 'comitem se dare itineri;' sed dicitur de iis, qui honoris caussa aliquousque deducunt abeuntes et discedentes, iisque valere dicunt, et bene precantur; pro quo verbo Græci usurpant προπέμπειν, unnomen habent carmina προπεμπτικά. Vide Grotium ad Act. Apost. xv. 3. *Idem.*

Prosecutus enim] Forte, *es.* Livin.

Exeunti] Discedentes amicos ad littus usque prosequi moris olim fuisse, discimus ex hoc loco, et ex Statio Sylv. III. 2. ubi plura invenies prosecutionis officia, cum iis, quæ hic a nostro afferuntur, admodum congruentia. *Patarol.*

In litore] Hic ergo homo trans mare secessum quærebat, aut in aliqua insularum. *Lips.*

Nec temperasti tibi] In codicibus Mss. Vaticanus 3461. Guelpherbytanus, Salisburgensis, et meus, habent *nec te imperasti tibi.* Sic etiam Parisiensis, omisso tamen pronomine *tibi;* at liber Vossianus, *nec imperasti tibi.* Sed illud pronomen *te* manifesto est inutile, et *te imperasti* forte natum factumque est ex *temperasti.* Alioqui lectio, quam prodit liber Vossianus, non foret aspernanda. Ita sane Terent. Eunuch. II. 2. 21. 'Postremo imperavi egomet mihi, omnia assentari.' Cic. Attic. XI. 24. 'Quod me mones de vultu et oratione ad tempus accommodanda, etsi difficile est, tamen imperarem mihi, si mea quidquam interesse putarem.' Cælius apud Cic. Fam. VIII. 12. 'Cum homo avarus, ut ea solveret, sibi imperare non posset.' Ad quem locum Manutius: 'Imperare sibi,' dicitur, qui aliter agere ita solitus est, ut non libenter a consuetudine discedat. Livius XXXIV. 31. 'Nunc imperare animo nequivi, quin scirem.' Val. Max. IV. 2. 'Injuriæ, quam gravissimam acceperat, oblivisci sibi imperavit.' Burmannus ad Quinctil. X. 1. pag. 912. observavit, verba ista, 'imperare' et 'temperare,' etiam alibi confusa fuisse a librariis. Interim nihilo minus hic præfero lectionem vulgatam; cum qua ceteri quoque codices Mss. conveniunt. Et recte etiam 'nobis temperare' dicimur, si statuamus facere aliquid, quod, nisi certa ratione inducti, non sponte facturi fuissemus. Jul. Cæsar Bell. Gall. I. 33. 'Neque sibi homines feros ac barbaros temperaturos existimabat, quin in provinciam exirent.' Plinius Major, lib. XVIII. cap. 8. 'Nequeo mihi temperare, quo minus unum exemplum antiquitatis afferam.' Plinius noster Epist. IX. 6. 'Sed temperare mihi non possum, quo minus laudem, quod eum modum tenes.' Suetonius hoc verbum absolute ponit in Cæsare, c. 22. 'Quo gaudio elatus non temperavit, quin paucos post dies frequenti curia jactaret.' *Schwarz.*

Amplexus osculum ferres] Patarol in sua editione hæc commate interpungit, *amplexus, osculum*, atque in Italica interpretatione exprimit tanquam ἀσύνδετα. Et ego quondam conjeci, in meoque libro annotavi, legendum esse *amplexum osculumque.* Jam et Antzenius indicavit, Heinsium quoque in ora sui codicis conjecisse *amplexus et osculum.* Et certe verbum 'ferre,' pro offerre, vel afferre, tam ad nomen *amplexus*, sive *complexus*, quam ad *osculum*, referri potest. Liv. II. 40. 'Coriolanus, cum ferret matri obviæ complexum; mulier, Sine, priusquam complexum accipio, sciam, inquit, ad hostem, an ad filium, venerim.' Ovid. Met. VIII. 176. 'Desertæ et

multa querenti Amplexus et opem tulit.' Liv. I. 56. 'Qui vestrum primus, o juvenes, osculum matri tulerit.' Assentior tamen Arntzenio, tradenti, probabile esse, si Plinius *amplexus* in numero multitudinis posuerit, eum etiam non *osculum*, sed *oscula*, dicturum fuisse. Puto igitur, *osculum amplexus* hic dici *osculum*, quod loco amplexus, seu potius, quod conjunctim cum amplexu, datur. Neque raro inter signa amoris et amicitiæ, *amplexus* et *oscula* commemorantur, quamvis distincte et seorsum designari soleant; v. g. Ovid. Met. IX. 559. 'Et damus amplexus, et jungimus oscula coram.' Sueton. Othone cap. 10. 'Ab amplexu et osculo suo dimisit omnes.' Vide supra, ad pag. 530. Inprimis se invicem amplectebantur et osculabantur amantes, et amici, si discessuri, peregreque abituri, vale dicerent, atque ubi, si navigaturis gubernator signum dabat, jam distraherentur, separarenturque. Statius in Propemtico, Silv. III. 2. 54. 'Jamque ratem terris divisit, fune soluto, Navita, et angustum dejecit in æquora pontem; Sævus ubi e puppi longo clamore magister Dissipat amplexus, atque oscula fida revellit, Nec longum cara licet in cervice morari.' Quos versus falso tribuit Ovidio Priceus in Comment. ad Act. Apost. XXI. 1. Sic et canit Silius Ital. III. 153. ubi narrat, quemadmodum uxor Hannibalis navigaturo marito vale dixerit: 'Confisus pelago celsa de puppe magister Cunctantem ciet, abripitur divulsa marito.' *Idem.*

In illa amicitiæ specula] Catanæus: In propatulo, cunctis intuentibus, Cæsar maximum amicitiæ signum ostendit. Thomas Ceva: In loco litoris eminentiore, velut in amicitiæ fastigio, prosperum iter ac reditum amico precatus. *Idem.*

Amicitiæ specula] In litore eminentiore, unde amicum videret et prosequeretur abeuntem. *Lips.*

Precatusque maria] Forte, *est*. Livin.

Precatusque maria] Codex meus et Salisburgensis habent *spectansque maria;* quanquam alia manus etiam vulgatam lectionem reddidit Salisburgensi. Mihi mire placet illud, *spectans*, sed ita, ut nihilo minus vulgatum participium simul retineatur, atque sic ordinentur hæc verba: 'Stetit Cæsar in illa amicitiæ specula, spectans, precatusque maria,' &c. Cujusmodi emendationis exemplum, quo duæ aliequi diversæ lectiones apte conjungi possunt, supra, XXX. 3. præbui. Vel fortasse sic rectius istæ voces tunc collocandæ essent, *spectans maria, precatusque celerem, &c.* Neque nos moretur, quod sic diversi temporis participia, *spectans precatusque*, conjungantur. Non insolens est, ea ita conjungi. Plinius Major, XXI. 9. 'Inde eductum e custodia bibere jussit, illico exspirantem.' Virg. Æn. IX. 624. 'Diversaque brachia ducens Constitit, ante Jovem supplex per vota precatus.' Ovid. Met. V. 31. 'Spectans, ... Cunctatusque brevi.' Participium vero illud *spectans* respicit morem, quo amici discedentes, et vale dicentes, invicem se, quam longissime fieri potest, spectant. Hinc Silius Ital. l. c. 'Hæreat intenti vultus, et litora servant, Donec iter liquidum volucri rapiente carina, Consumsit visus pontus, tellusque recessit.' Stat. Theb. IV. 28. 'Certant innectere collo Brachia, manantesque oculos, hinc oscula turbant; Hinc magni caligo maris; tandemque relicti Stant in rupe tamen; fugientia carbasa visu Dulce sequi, patriosque dolent crebrescere ventos; Stant tamen, et notam puppim de rupe salutant.' Ovid. Met. XI. 463. 'Ubi terra Longius, atque oculi nequeunt cognoscere vultus, Dum licet, insequitur fugientem lumine pinum. Hæc quoque ut haud poterat, spatio submota, videri; Vela tamen spectat, summo fluitantia malo.' Utcunque vero est, nondum audeo illud vo-

cabulum *spectans* recipere, quod forte potuit a librario ex præcedente voce *specula* fingi. Quando vero Plinius dixit, Trajanum precatum esse maria, referimus hunc morem, quo navigaturi pariter, atque horum amici relicti, præter alios Deos marinos, litarunt mari tranquillo, pro prospero cursu recursuque navigantium. Ita Appianus Alex. de Bell. Civil. lib. v. pag. 728. narrat, Cæsarem e prætoria nave extis in mare porrectis, litasse *ἀνέμοις εὐδίοις, καὶ ἀσφαλείῳ Ποσειδῶνι, καὶ ἀκύμονι Θαλάσσῃ, Ventis serenibus, tutelari Neptuno, et Mari tranquillo*, ut propitii felicem sibi expeditionem largirentur. Ac, referente Justino xii. 11. Alexander M. 'Oceano libamenta dedit, prosperum in patriam reditum precatus.' Cujusmodi sacra pro felici trajectu Græcis proprie dicebantur *διαβατήρια*, apud Xenoph. Hist. Græc. lib. ii. pag. 496. *Schwarz.*

Celeremque recursum] I. e. velocem reditum. Ovid. Met. vi. 450. 'Et celeres missæ spondere recursus.' Lucan. viii. 767. 'Fortuna recursus Si det in Hesperiam.' Copula *que* omissa est in codice Patavino, satis commode, ut opinor, si quidem *maria* pro numinibus marium sumantur. Tunc enim verbum *precor*, et ejus participium *precatus*, duos adsciscit accusativos, alterum personæ, alterum rei; uti alia verba rogandi, docendi, et monendi; quasi dictum sit, 'Numina marium precatus celerem recursum;' haud secus ac Virgilius dixit, 'Pacem te poscimus omnes;' Plautus, 'Hanc veniam sine te exorem;' Lucanus, 'Hoc te Fortuna precatur,' &c. Sin nolis *maria* pro numinibus accipere, sed velis tueri copulam *que*, tunc videtur desiderari posse epitheton quoddam; v. g. maria tranquilla, maria placida, mare facile, aut similia; ut hæc per copulam *que* conjungantur cum sequentibus vocibus, *celeremque recursum*. Fateor, in ista ambiguitate locum hunc mihi non satis sanum videri. *Idem.*

Nec sustinuit] I. e. nec temperare sibi potuit, quin præfectum recedentem votis lacrymisque sequeretur. In libro Vossiano annotatum est, alios habere *nec abstinuit;* quod possit locum habere, si subsequens particula negandi, *non*, ante *etiam atque etiam*, omittatur. Codex Patavinus hæc verba ita refert: *Nec sustinuit recedentem, non abstinuit etiam atque etiam votis, lacrymis, sequi.* Quis vero non videt, verba hæc, *nec sustinuit*, et *non abstinuit*, non posse simul stare? Sequor adeo potius ceterorum librorum scripturam. *Idem.*

Votis, lacrymis, sequi] In solis duobus codicibus Mss. nempe Salisburgensi et meo, copulam *que* additam inveni, *votis lacrymisque sequi.* Quidquid ex his adoptaveris, res erit non magni momenti. Si meum sequi liceat ingenium, malim hic admittere copulam *et*, sive *que;* agnosco tamen, eam etiam posse abesse, nec raro frustra a librariis vel intrudi vel negligi. Quid vero tritius, quam amicos etiam votis lacrymisque amicos abeuntes, eosque charos, prosequi? Stat. Silv. iii. 11. 100. 'Sed pectore fido Nusquam abero, longisque sequar tua carbasa votis.' *Idem.*

Votis, lacrymis, sequi] Malim, *lacrymisque sequi.* Ritt.

De liberalitate] Ex his colligimus, Trajanum secedenti præfecto prætorii honorarium quoddam, tanquam viaticum, et pignus charitatis, donasse. Quod aliquando etiam inter privatos fieri consuevit. Plin. Epist. iii. 21. de Valerio Martiale: 'Prosecutus eram viatico secedentem; dederam hoc amicitiæ, dederam etiam versiculis, quos de me composuit.' *Schwarz.*

Qua meruisti] Vitiose hæc scripta sunt in codice Salisburgensi et meo *quam meruisti. Meruisti*, est *ἔτυχες*, consecutus es, effecisti. Sic Casaubonus ad Plin. i. 8. docuit, verbum

mereri non semper ἀξιοῦσθαι significare, sed et τυγχάνειν. *Idem.*

Nimium fortis] I. e. nimium animosus, et obstinatus. Ad notionem *fortis* explicandam, ea faciunt, quæ supra, ad xxxvi. 4. annotavi. 'Durus,' i. e. inurbanus, inhumanus, pæne agrestis; sicut Cic. pro M. Cœlio, c. 15. 'Sin autem urbanius me agere vis, sic agam tecum; removebo illum senem durum, ac pæne agrestem. Ex his igitur tuis sumam aliquem, ac potissimum minimum fratrem, qui est in isto genere urbanissimus.' Plin. noster, Epist. x. 107. 'Durum putavi, negare; cum scirem, quantam soleres militum precibus patientiam humanitatemque præstare.' *Idem.*

Nisi quod] De his particulis hæc commentatus est Cellarius: Usus vocum *nisi quod*, pro 'præterquam quod,' neque rarus, nec inelegans est; ideo ab Valla Elegant. ii. 19. ex Quinctil. Instit. v. 11. et a Tursellino ex Cic. Epist. xiii. 1. commendatus. Adde Curt. iv. 14. 22. At hoc loco videtur *quod* redundare, aut, si incideretur inter *nisi* et *quod*, aliquid in fine deesse, *desiderare principem*, puta *maluisset*, aut simile. Ergo, *nisi quod*, h. l. ut singulare notari meretur. Hactenus Cellarius; cujus annotatione inductum esse Gesnerum suspicor, ut ad hunc locum scripserit: Vide, annon ordinatius fluat oratio sic: *nisi, quod pæne ipso contubernio principis felicius jucundiusque est, desideraret principem desiderantem.* Verum, si quid judicare possum, hic locus neque supplemento quodam, neque ulla correctione, indiget. Etiam Arntzenius jam monuit, hanc locutionem non adeo singularem esse, ut Cellarium debuerit morari; qua de caussa excitavit Burmann. ad Sueton. Vitell. cap. 7. et Duckerum ad Flor. i. 22. Ego vero puto, hanc ipsam locutionem primum quidem speciem quandam pleonasmi præ se ferre, sicuti istæ particulæ, 'nisi si,' 'quod si,' &c. sed re ipsa magis ἔλλειψιν involvere, per quam auctor se quasi corrigat; atque adeo illam particulam exceptivam, *nisi*, pro 'sed,' sive 'verum,' poni; particulam autem *quod* esse et manere caussalem. Hunc igitur in modum hoc loco vim harum particularum explicatiorem reddere posse videor: *Et fecisset*, retroque navigasset præfectus prætorii; *verum* ideo non fecit, *quod* (i. e. quia) *pæne ipso contubernio principis felicius jucundiusque est, desiderare principem desiderantem.* Cujusmodi locutionis non pauca præsto sunt exempla; v. g. Cic. Attic. ii. 1. 'Tusculanum et Pompeianum me valde delectant; nisi quod me illum ipsum vindicem æris alieni ære non Corinthio, sed hoc circumforaneo, obruerunt,' i. e. verum ideo, sive ea ex parte, me non delectant, quod me obruerunt, &c. Varro Ling. Lat. v. 2. 'Quod nocet, nox; nisi quod Græce νὺξ, nox,' i. e. verum 'nox' ideo non duci potest a nocendo, quod Græce νὺξ, *nox*, dicitur. Plinius noster, Epist. viii. 17. 'Nam parvulum differt, patiaris adversa, an expectes: nisi quod tamen (i. e. verum ex ea tamen parte differt, quod) est dolendi modus; non est timendi.' Idem, Epist. vi. 21. 'Circa me tantum benignitate modum excessit; nisi, quod tamen (i. e. verum tamen ideo modum non excessit, quod) poëtis mentiri licet.' Sueton. Domit. cap. 4. 'Assidentibus Diali sacerdote, et collegio Flavialium, pari habitu; nisi quod (i. e. verum ex ea parte non par erat habitus, quod) illorum coronis inerat et ipsius imago.' Ovid. Heroid. Epist. xviii. 11. 'Ascensurus eram; nisi quod (i. e. verum non adscendebam, quod) cum vincula proræ Solveret, in speculis omnis Abydos erat.' *Idem.*

Contubernio principis] I. e. convictu, et intima familiaritate principis. Castrense est vocabulum, cum pro

cohabitatione militum sub uno tabernaculo sumeretur, et ii qui expeditionum comites, iisdem tecti pellibus, ac proinde majore juncti erant necessitudine, 'contubernales' appellarentur. Vide Torrentium ad Sueton. Vesp. c. 3. *Idem.*

Desiderare principem desiderantem] Participium *desiderantem*, quod in non nullis libris impressis, et adhuc Cellarianis, omissum est, inveni in omnibus, quibus usus sum, codicibus Mss. idemque Livineius in suo codice repererat; ac jam Puteolanus, Cuspinianus, Rhenanus, et forte alii, evulgarunt, et nunc Arntzenius ac Gesnerus sunt amplexi. Digna hæc est lectio, ex sententia Lipsii, quæ recipiatur: convenit enim argutiis Plinianis. Scilicet, non tam jucundum est, simpliciter desiderare absentem; quam desiderare eum, a quo sentias etiam te desiderari. Cum primum hanc proderem observationem, ea sequentem censuram Heumanni, Pœcil. tom. III. lib. IV. meruit: 'Dum sequeris,' inquit, 'tuum ingenium, felicior es, quam cum sequeris codicem tuum, in quo inepta argutia hæc verba extant, *desiderare principem desiderantem*. Quæso, ut cogites, annon pro *desiderare principem*, scribendum sit, *desiderari a principe*. Mihi quidem id non est dubium.' Ego nihil ad hæc regero; repeto vero ea, quæ regessit Arntzenius: 'Cum adeo certa hæc,' inquit, 'habeatur viro eruditissimo Heumanno emendatio, *desiderari a principe*, omnes, fateor, intendi ingenii vires, ut undique colligerem ea argumenta, quibus et mihi persuaderi posset, et veritas Plinio restitui. Sed, qui meus est stupor, nondum adeo felici esse contigit, ut vel in verosimilem aliquam rationem inciderim, qua permotus tam longe a ductibus literarum auderem recedere. Contra, in participio *desiderantem* multo elegantius videbatur inesse, quod volebat Heumannus, *desiderari a principe*: ita utrumque conjungebatur, ut et princeps desideraret absentem, et ipse absens principem desiderantem. Ideo credere sustinui, nihil magis Plinianum dici, vel fingi, potuisse,' &c. Hactenus Arntzenius. *Idem.*

Desiderantem] Sic retinui, ut est in edit. Paris. an. 1655. in aliis illud verbum deest. *Patarol.*

Desiderare principem desiderantem] *Desiderare principem* Livin. in textu; sed in margine, *desiderare principem desiderantem* V. C. R. recte. *Rittersh.*

Desiderare principem] Tali virtute et benignitate, ut suavi semper cogitatione delectet. Sed plenius tamen argutiusque, quod in aliis, *desiderare principem desiderantem*. Jucundum in amore etsi cum morsu, desiderare absentem, a quo scias et te desiderari. *Lips.*

Ut maximo fructu suscepti] *Ut maxima fructus suscepti*. *Maximo* bene est in V. sed et *fructu* arbitror legendum, non *fructus*. Livin.

Ut maximo fructu suscepti] *Ut maxima fructus suscepti*. Legendum, ut Livineius, *maximo fructu*. Quo illo? quod ex præfectura illa suscepta gestaque, et opes, et tuam amicitiam, retulit. *Lips.*

Ut maximo fructu suscepti] Legitur in omnibus libris impressis, præter Gesnerianum, *ut maxima fructus suscepti*. Primus Livineius: '*Maximo*,' inquit, 'bene est in veteri codice; sed et *fructu* arbitror legendum, non *fructus*.' Atque, en, ita diserte codex meus habet, *Ut maximo fructu suscepti*. Eandem lectionem postea etiam deprehendi in codice Salisburgensi et Veneto 2. At in codice Vaticano 3461. et Patavino scriptum est, *ut maximo fructus suscepti, ita majore depositi officii gloria fruitur*. Ubi manifesto errore, aut *fructus* repositum est pro *fructu*, aut *maximo* pro *maxima*. In Veneto 1. ambigue scriptum, simulque vocabulum *officii* omis-

sum est, *Ut max. fructus suscepti, ita majore depositi gloria fruitur.* In Guelpherbytano, *Ut maxime fructus suscepti, ita majore deposita officii gloria fruitur.* Quæ ultima lectio non nisi per oscitantiam librarii a scriptura codicis Vaticani recessit. Interim ex his variantibus lectionibus eam adoptavi, quæ mihi præ ceteris tolerabilior visa est; cui etiam ex nostro indicio locum dedit Gesnerus. Non plane insolens est, dicere 'fructa frui,' haud secus ac veteres dixere, 'somniare somnium,' 'gaudere gaudium,' et quæ sunt longe plura exempla generis ejusdem. Ac plane ita locutus est alius Panegyristes in Paneg. Const. Aug. VII. 5. 'Duplici fructu fruebantur.' Maximum autem fructum suscepti officii cepit laudatus præfectus prætorii, dum ex illa præfectura recte laudabiliterque administrata sibi conciliavit firmavitque amicitiam Trajani; at majore adhuc depositi officii gloria cœpit frui, quod princeps votis suis lacrymisque, et singulari absentis desiderio, publice declaravit, quantum approbarit amaritque eundem præfectum. Sicuti autem non sine auctoritate aliquot codicum Mss. hanc prodidi lectionem; ita fateor, si liceret sine ejusmodi auctoritate esse audacem, me, voce *fructus* prorsus rejecta, (ut quæ forte ex verbo sequente, *fruitur*, conficta potuit irrepere,) maluisse reponere, *Et ille quidem, ut maxima suscepti, ita majore depositi officii gloria fruitur.* Quam conjecturam etiam Heumannus primum in Pœciles tom. III. pag. 528. probavit, cum scriberet, 'Mihi quoque jamdudum in mentem venit, probataque est, tua emendatio ita scribentis, *maxima suscepti.*' Postea tamen correxit hanc correctionem, et sic rescribendum judicavit, *maximo fructu suscepti.* Arntzenius retinuit vulgatam lectionem, *Et ille quidem, ut maxima fructus suscepti, ita majore depositi officii gloria fruitur.* Scilicet existimat, vocabulum *fructus*, sive *fruitus*, hic esse participium, non substantivum; oratorem enim distinguere duo tempora, præteritum, quo tantus honor in eum esset delatus, et præsens, quo eum deposuit. Sed ego credo, verbum *fruitur*, pro more Plinii, ad utrumque membrum orationis referri; et, si saltem tempora distinguere voluisset orator, eum fortasse priori membro, *primum*, alteri, *nunc*, aut similes particulas, addidisse. *Schwarz.*

Depositi] Utrumque gloria magnum, assequi honores et honeste deponere. *Bern.*

CAP. LXXXVII. *Civile hoc erat*] Pronomen *hoc* deest codici Patavino; et poterat, salva Plinii sententia, deesse; cujus vero possessionem ceteri libri omnes tuentur. *Civile*, dicitur modestum et statui liberæ civitatis conveniens; de cujus vocis significatione jam alibi dixi. Vide ad LXXVIII. 4. *Schwarz.*

Tantam potestatem] I. e. tantam dignitatem, tantumque imperium magistratus. Paullus Lege 215. Digest. de Verb. Signif. 'Potestatis verbo plura significantur: in persona magistratuum, imperium; in persona liberorum, patria potestas; in persona servi, dominium.' Val. Max. II. 8. 3. 'Ne in honore triumphi minor potestas majori æquaretur.' Sic et apud Sueton. Cæs. c. 20. 'potestas' pro consulatu ponitur: 'Quoad potestate abiret.' Apud eund. Calig. c. 26. 'Fuit per triduum sine summa potestate respublica,' i. e. sine consulibus. *Idem.*

Gratior potestate libertas] Cæsar B. G. III. 10. 'Omnes homines natura libertati student, et conditionem servitutis oderunt.' Plaut. in Capt. 'Omnes profecto liberi libentius sumus, quam servimus.' *Bern.*

Dignus es] Has voces negligentissime omisit librarius in codice meo. Eæ vero omnino necessariæ sunt ad sententiam hujus loci fundandam. Immo, eædem in tribus sequentibus

membris mente sunt repetendæ; v. g. *Dignus es, qui petentibus vacationem . . . tribuas; dignus es, qui ab amicis . . . non te relinqui putes; dignus es, qui semper invenias, &c.* Ideo autem Plinius Trajanum dicit dignum, qui officia mandet deponere optantibus, et vacationem petentibus tribuat; quia indicium felicium temporum est, si supersint amici principis et ministri boni, qui, cum pares sint rebus gerendis, se tamen non ingerant obtrudantque honoribus, neque ambiant munera publica quæstus caussa; itemque si nemo cogatur ad sustinenda munia, sed quibusvis bonis et bene meritis facultas voto suo vivendi concedatur. *Schwarz.*

Qui petentibus vacationem] *Vocationem.* Leg. *vacationem.* Ritt.

Requiem] Quam alias depontani impetrabant. *Bern.*

Vos quoque] Amici et familiares ejus. *Lips.*

Vos quoque] Amici principis, viri boni. *Patarol.*

Parens noster] Codex Patavinus et liber Vossianus habent *princeps noster.* Sed non est, quod rejiciamus vulgatam lectionem, cum *parens noster* pro 'patre patriæ,' sive 'parente publico,' ponatur. Sic noster supra, IV. 2. 'Parens noster privatas gratiarum actiones cohibet, et comprimit;' ut alia hujus generis loca jam prætermittam. *Schwarz.*

Fovete judicium ejus] I. e. omni ope laborate, ut tueamini ac conservetis illam bonam existimationem, et opinionem honorificam, quam de nobis Cæsar habet. Omnes, quos contuli, codices Mss. pro *fovete,* corrupte referunt *fovet;* atque ita legimus etiam in antiquioribus editionibus Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Cuspiniani. Primus *fovete* procudit Aldus, et in tertia editione Catanæus; tum Ascensius, Junta, Rhenanus, Gryphius, Sichardus, et ceteri. Unicus codex Guelphicus deserit illud *fovet,* in ceteris codicibus Mss. obvium; ibi enim ex errore librarii æque, ac in Kirchmaieri editione, ex lapsu typographi, pro *fovete,* extat mendose *fovere.* Primus præterea Rhenanus simul evulgavit adverbium, *fovete sancte;* idque notavit Livineius in ora editionis suæ, sed ita ut monuerit, forte pro *sancte,* rescribendum esse *sane.* Id ipsum adverbium *sancte* Lipsius non quidem indignum habuit, quod reciperet in contextum; annotavit tamen simul, se pro eo malle *sancite;* sed sine applausu aliorum. Interim post Lipsium omnes recentiores idem adverbium adoptarunt. Jam largior quidem, hanc vocem sine dedecore orationis Plinianæ admitti posse; si nempe hæc verba ex Cellarii interpretatione exponas: 'Cum reverentia et honore omnia agitate, quæ ad alendum illud principis judicium, conservandumque, conferunt.' Interim prorsus mihi persuasum habeo, vocabulum *sancte* hoc loco non ab ipso Plinio, sed a Rhenano, profectum, orationique intrusum esse, cum ipse Rhenanus ingenue sit professus, se, quidquid in hoc Plinii Panegyrico restituere et emendare conatus sit, judicium tantum suum secutum esse; quia caruerit exemplo vetusto, cum quo conferret. At nec negat, parum felicem esse castigationem absque codice vetusto. Quæ cum ita sint, hoc adverbium *sancte,* quod ex alieno ingenio natum irrepsit, neque ab ullo codice Ms. confirmatur, bona pace dimittendum censui. Ceterum, de voce *judicium,* dixi non nihil supra, ad p. 933. In verbo 'fovere' latet elegans metaphora; cum proprie notet, calefacere, sive calorem vigoremque nativum procurare, et tueri, ut fit a sole in omnibus vegetabilibus, et a gallinis aliisque avibus, in excludendis fovendisque pullis; quando pullos suos, cum excluserunt, 'ita tuentur, et pennis fovent, ne frigore lædantur,' secundum Cic. de Nat. Deor. II. 52. Deinde etiam ad alias res transfer-

tur, quas alere, nutrire, juvare, et conservare, studemus. Cic. ad Q. Fr. III. 1. 'Scribis de Cæsaris summo in nos amore: hunc et tu fovebis, et nos, quibuscunque poterimus rebus, augebimus.' Ipse Plin. Epist. I. 5. 'Regulus Rustici Aruleni periculum foverat.' Epist. VIII. 12. 'Studiosos amat, fovet, provehit.' Pulchre continuat hanc translationem Liv. II. 1. 'Dissipatæ res nondum adultæ discordia forent; quas fovit tranquilla moderatio imperii, eoque nutriendo produxit, ut bonam frugem libertatis, maturis jam viribus, ferre possent.' *Idem.*

Fovete judicium] *Fovete sancte* R. forte, *sane*. Livin.

Fovete judicium] *Fovete sancte*. Ego vellem, *sancite*. Lips.

Probavit, amare se scire] I. e. experimentum et specimen dedit, se scire amare dignos et bene meritos; ergo culpa vacat, si alios, tanquam minus bonos, minusque dignos, etiam minus amat. *Schwarz.*

In tædium] Pro his, in codicibus Salisburgensi, Patavino, et libro Vossiano, item in excusis Puteolani et Beroaldi, inepte repositum est *interdum;* quanquam codici Salisburgensi jam alia manus medelam attulerit. Codex Guelpherbytanus etiam antecedentes voces *ut mavult* perperam omisit; codex vero Parisiensis pro simplici voce *præsentia,* tolerabilius habet *præsentia sua.* Præsentia quidem et nimia familiaritas aliquando tædium afferre solent, secundum proverbium, Κόρον γεννᾷ ἡ συνήθεια, *satietatem gignit consuetudo.* Etiam diuturna absentia tandem oblivionem afferre potest, secundum Germanorum dicterium, *Aus den augen, aus dem sinn.* Aristot. Ethic. VIII. 6. Ἐὰν χρόνιος ἡ ἀπουσία γένηται, καὶ τῆς φιλίας δοκεῖ λήθην ποιεῖν. Ὅθεν εἴρηται· πολλὰς δὴ φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν. *Si diuturna absentia fuerit, amicitiæ quoque videtur oblivionem inducere. Unde dictum est, Multas jam amicitias dissolvit inaffabilitas.* Verum, majorem Trajani constantiam in colenda amicitia prædicat Plinius. *Idem.*

Venit] Vulgo in editis, item et pluribus scriptis libris, extat conjunctivus *veniat;* sed melius quadrat huc indicativus *venit;* quem in codicibus Ms. Patavino, et meo, diserte expressum inveni. His enim verbis non adhortatio quædam, sed asseveratio, et αἰτιολογία antecedentium, continetur; rectiusque hæc sententia cum sequentibus verbis connectitur, *Tenet quisque locum.* Idem.

Tenet quisque locum] Nempe in amicitia Trajani. Pro *quisque,* in codicibus Mss. itemque in Beroaldi et Catanæi prioribus editionibus, extat *quis.* Sed aptior est lectio *quisque;* quam etiam jam promulgarunt Puteolanus, Aldus, Cuspinianus, Ascensius, Junta, Gryphius, ac ceteri. *Id.*

Semel meruit] Mirum est, quam pertinaciter adverbium *semper* in omnibus vulgatis libris hucusque locum tenuerit; quem cum hic non mereatur, pro eo congruentius adverbium *semel* reponendum esse, dudum ostendi; quod Livineius et Lipsius jam conjectura assecuti erant. Hoc enim non tantum probant illi quatuor codices Mss. quos antehac laudavi; sed etiam ceteri omnes, quorum copia mihi post hæc facta est, si ab uno codice Patavino discesseris, in quo vulgare illud adverbium *semper* offendi. Huic autem emendationi nunc etiam calculum suum addidere Gesnerus et Arntzenius. *Idem.*

Semel meruit] *Semper meruit.* Forte, *semel meruit.* Livin.

Semel meruit] *Semper meruit.* Videbatur aptius, *quem semel promeruit.* Lips.

Caritas excidat] Pro verbo *excidat,* solus codex meus habet *abscedat.* Quod verbum quamvis ferri possit, multo pluris tamen facio verbum *excidat,* quod huic sententiæ est ac-

commodatissimum. Sic Cic. Fam. v. 13. 'Quæ cogitatio cum mihi non omnino excidisset; etenim penitus insederat; vi tamen tempestatum, et concursu calamitatum erat aliquantum labefactata atque convulsa.' Virgil. Æn. I. 25. 'Necdum etiam caussæ irarum sævique dolores Exciderant animo.' Sic et Livius; v. g. 'Exciderat pacis mentio ex omnium animis.' *Idem.*

CAP. LXXXVIII. *Plerique principes*] Claudium notat. Suetonium adi cap. 28. et proximo. Juvenal. Sat. XIV. de Narcisso: 'Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cujus Paruit imperiis uxorem occidere jussus.' *Livin.*

Plerique principes] Ut Claudius, Galba, Vitellius. Sueton. adi. *Lips.*

Civium domini] I. e. qui cives ingenuos tanquam servos et vilia mancipia quadam tyrannica potestate tractabant. 'Sunt enim diversa natura dominatio et principatus;' uti recte Noster dixit, XLV. 3. Vide quæ de voce *domini*, cum alibi, tum ad LXXXV. 2. annotavi. Tales autem principes 'libertorum erant servi;' uti Vell. II. 73. de abjecto animo Sexti Pompeii, filii Pompeii Magni, ait: 'Hic adolescens erat libertorum suorum libertus servorumque servus; speciosis invidens, ut pareret humillimis.' Et Sueton. Claud. cap. 29. narrat, 'Claudium libertis uxoribusque addictum, non principem se, sed ministrum egisse.' *Schwarz.*

Libertorum erant servi] Talis Claudius, de quo Sueton. cap. 28. 'Libertorum præcipue suspexit Posidem, spadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit: nec minus Felicem, quem cohortibus et alis, provinciæque Judææ, præposuit, trium reginarum maritum: et Harpocran, cui lectica per urbem vehendi, spectaculaque publice edendi, jus tribuit: ac super hos Polybium a studiis, qui sæpe inter duos consules ambulabat: sed ante omnes, Narcissum ab epistolis, et Pallantem a rationibus,' &c. Et Juvenal. Sat. XIV. 330. Narcissum innuens, 'Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cujus Paruit imperiis, uxorem occidere jussus.' Talis Galba, qui, teste Sueton. cap. 14. 'regebatur trium arbitrio, quos una et intra palatium habitantes, nec unquam non adhærentes, pædagogos vulgo vocabant. Hi erant T. Vinius, legatus ejus in Hispania, cupiditatis immensæ; Cornelius Laco, ex assessore præfectus prætorii, arrogantia socordiaque intolerabilis; libertus Icelus, paullo ante annulis aureis et Martiani cognomine ornatus. His diverso vitiorum genere grassantibus adeo se abutendum permisit, et tradidit, ut vix sibi ipsi constaret,' &c. Et cap. 15. 'Nihil non per comites atque libertos pretio addici, aut donari gratia, passus est,' &c. *Pantarol.*

Horum nutu] Ita in omnibus libris impressis, plurimisque scriptis, recte legitur. 'Nutus' enim metaphorice notat summam voluntatem et potestatem Deorum hominumve, quos veremur. Unde Noster supra, IV. 4. 'Cujus ditione nutuque maria, terræ, pax, bella, regerentur.' Et LXXX. 5. 'Quæ iste mundi parens temperat nutu.' Cic. Rosc. Amer. cap. 45. 'Jupiter optimus maximus, cujus nutu atque arbitrio, cœlum, terra, mariaque reguntur.' Pro voce *nutu*, in utroque codice Veneto mendose scriptum est *natu;* at commodius in codice Parisiensi extat *arbitratu.* Hæc vox enim aliquando eadem voluntatis et potestatis gubernationisque notione, qua *nutus*, sumitur. Unde nec raro voces istæ conjunguntur. Et ex antiqua dedititiorum hostium formula apud Plaut. Amphitr. I. 1. 103. dicitur, 'in ditionem et arbitratum alteri se dedere.' Verum, mihi persuasum habeo, illud vocabulum *arbitratu*, ex glossa, et superscripta in-

terpretatione, esse prognatum; nisi quis potius suspicetur, id ab ipso Plinio ab initio positum fuisse; sed ex posterioribus ejus syllabis in quodam codice exolescentis scripturæ tantum apparuisse *fratu*, sive *natu*; ex quo demum, sed neque id infelici mutatione, processum sit *nutu*. Schwarz.

Per hos] I. e. per hos, tanquam ministros et interpretes, commendatoresque, qui quasi aures et oculi talium principum fuere, petebantur honores; immo et ab his petebantur, tanquam ab iis quorum ab arbitrio dependebant, et fere libere dispensabantur. Sic Sueton. Claud. cap. 29. refert, Claudium, pro compendio, sive lucro cujusque horum libertorum, quibus addictus erat, vel etiam studio ac libidine, 'honores, exercitus, impunitates, supplicia, largitum esse; et quidem inscientem plerumque, et ignarum.' Præpositio *per*, hoc loco caussam mediam, præpositio autem *ab*, caussam quasi primariam, significat. Ceterum codex Guelpherbytanus numero singulari habet *audiebat*, et *loquebatur*. Verum numero multitudinis præcesserat *Plerique principes*. Idem.

Per hos audiebant] Quasi per consiliarios, qui aures et oculi regum dicuntur. *Bern.*

Summum quidem honorem] Itaque spes suas ac fortunam urgens Hadrianus libertos et ipse Trajani corrupit. Auctor Spartianus. Idem imperium assecutus 'libertos suos nec sciri (male est in editis, 'vol. in publico, nec aliq.') voluit in publico aliquid apud se posse, dicto suo (f. edicto quoque) omnibus superioribus principibus vitia imputans libertorum, damnatis omnibus libertis suis, quicunque se de eo jactaverant.' Verba sunt ejusdem Spartiani. Tu adde, lector, quæ sequuntur. Pertinet huc autem Trajani dictum de Eurythmo liberto suo apud auctorem Epist. VI. 31. 'Nec ille Polycletus est, nec ego Nero.' Locum perlege, ac de Polycleto lucem e Xiphilino in Nerone, et Taciti Annali XIV. pete. *Livin.*

Summum quidem] Apage, si *summum*, quid abit a Claudio? Rescribe *suum*. Lips.

Summum] Legendum *suum* contendit Lipsius. Non absonum quidem verbum; at intrusum sane, nulliusque libri auctoritate firmatum. Quidni autem etiam recte stet *summum*? Optime Cellarius: Non absolute *summum*; sic enim nihil differret a Claudio Trajanus; sed qui summus est pro conditione libertorum, seu, quantum honorem libertis præstari decet. Ideo post ita restringitur, *sed tanquam libertis*. Patarol.

Summum quidem honorem] Hæc constans est omnium librorum lectio. Lipsius censuit rescribendum *suum quidem honorem*; quia alias Trajanus nihil abiisset a Claudio. Hic enim *summum honorem habuit libertis*; quod diserte legimus in senatus consulto, in honorem Pallantis liberti Claudii Cæsaris facto, apud Plin. Epist. VIII. 6. 'Illa memoranda: QVOD. NOMINE PALLANTIS. SENATVS. GRATIAS. AGIT. CAESARI. QVOD. ET. IPSE. CVM. SVMMO HONORE. MENTIONEM. EIVS. PROSECVTVS. ESSET. ET. SENATVI. FACVLTATEM. FECISSET. TESTANDI. ERGA. EVM. BENEVOLENTIAM. SVAM.' Quantum ego memini, illud *suum*, pro *summum*, nemo adhuc ausus est contextui inserere: interim tamen placuit etiam Baudio, Cevæ, et Gesnero. Gesnero quidem duriusculum videtur illud *summum*, ita ut fere maluerit, cum Lipsio, *suum*. Sed lubens subscribo sententiæ Cellarii, Pataroli, et Arntzenii, qui tuentur vulgatam lectionem, contenduntque, *summum honorem*, non quidem absolute, sed in suo genere talem intelligendum, quantum scilicet deceat hominibus libertinæ conditionis ab imperatore præstari; quorum honor summus in eo situs, ut

probi et frugi existimarentur. Quodsi vero *suum* illud adsciscas; inutilis et supervacua foret restrictio a Plinio addita, *sed tanquam libertis, habes.* Sic vero et Simo Terentianus, Andr. I. 1. 10. manumissionem etiam vocat 'summum pretium' fidelis et liberalis servitii: 'Feci, ex servo ut esses libertus mihi; Propterea, quod serviebas liberaliter; Quod habui, summum pretium persolvi tibi.' *Schwarz.*

Abundeque] Copula *que* abest a meo codice; immo in codice Parisiensi omnes hæ desiderantur voces, *abundeque sufficere hic credis.* Idem.

Probi et frugi] Quæ notæ et laudes boni servi aut liberti. *Lips.*

Præcipuum esse indicium] Quando liberti crescunt auctoritate, signum est, ipsos dominari imperatoribus, ideoque principes pusilli animi esse. *Patarol.*

Non magni] Quomodo enim ille magnus, aut sibi fidens, qui tam vilibus se subjicit? *Lips.*

Non magni] Animus vilis vilibus, magnus magnis delectatur: 'Nihil arduum videbatur in animo principis, cui non judicium, non odium erat, nisi indita et jussa.' Tacit. A. XII. 3. *Bern.*

In usu habes] Rebus tuis aut procurationibus præficis. *Lips.*

Neminem in usu habes] I. e. neminis servitio, et ministerio, aut consuetudine, uteris, sive prout satis bene interpretatus est Lipsius, neminem rebus tuis, aut procurationibus, præficis. Rarior loquendi formula de personis, de rebus frequentior; v. g. Sueton. Domit. cap. 1. 'Tanta inopia, ut nullum vas argenteum in usu haberet.' Noster, Epist. I. 10. 'Hæc philosophiæ pulcherrima pars, .. quæ ipsi doceant, in usu habere.' Epist. VIII. 3. 'ut velit discere, quod in usu non sit habiturus.' Ipsum autem verbum 'utor' omnino etiam ad personas accommodatur. Vide Excurs. II. ad Panegyr. II. 5. 'Dignosque nos illius usu probemus.' *Schwarz.*

Optimo cuique principum] Codex Patavinus, et in impressis Puteolanus, Aldus, Philomusus, Gruterus, Baunius, et Patarol, pro *cuique* exhibent *cuiquam.* Equidem ista pronomina, *quisque* et *quisquam*, propter scribendi compendia etiam alibi confundi solere constat; satius tamen est, hic plurimorum librorum manu typisque exscriptorum lectionem sequi, quam et Arntzenius tuetur, 'cum additus superlativus istam voculam requirat.' Deinde alterius libri Gudiani auctoritate etiam vocem *principum*, ex hoc loco eliminandam, aut certe nota signandam, censui. Quot enim ante Trajanum et Nervam erant principes optimi, quibus, qui tunc vivebant rerum principalium administri, potuerint probari? Ac, si nomines Vespasianum et Titum, minus tamen commode Plinius eos hoc in loco, in quo soli principi Trajano cognomen 'optimi' vindicabat, alios quoque principes antecedentes 'optimorum' elogio mactaturus videbatur. Adhæc satis ad laudem libertorum ministrorumque illorum erat, si aut Trajano, aut Nervæ, aut cuique optimo, cujuscunque fortunæ homini, probati essent. Quam observationem meam secutus Gesnerus vocem *principum* in sua ἐκδόσει omisit; quam et nemo facile ibi desiderabit. Cum vero eam in nullo alio libro omissam animadverterim, incertusque sim, utrum Gudius eam ex indicio alicujus codicis Ms. an ex conjectura sua rejecerit; eandem saltem uncinis inclusam aliorum judicio, vel retinendam, vel exterminandam, permitto. *Idem.*

Optimo cuique] *Optimo cuiquam.* Forte, *cuique.* Livin. Optime. *Ritt.*

Optimo cuique principum delectum: deinde statim hos ipsos quotidie ita formas] Hariolabar olim *dilectum æstimatumque. Hos ipsos quotidie deinde, &c.* Grut.

Deinde statim, &c.] Vulgo tam in

scriptis, quam excusis libris, hic locus ita legitur, *statimque hos ipsos quotidie deinde ita formas.* Hujus loci vulgarem lectionem non immerito jamdudum solicitarunt viri eruditi; cum minus concoquere potuerint, ista adverbia fere frustra ibi cumulari. Lipsius et Gruterus hunc locum ita forte restituendum censuere, *Aut optimo cuique principum delectum æstimatumque. Hos ipsos quotidie deinde ita formas.* His eatenus subscribit Gesnerus, ut certe *statimque* corruptum ex nomine ad *dilectum* adjuncto arbitretur, hæreatque, an fuerit *spectatumque.* Arntzenius putavit, ad principum illorum, qui non nisi meritos et dignos ad amicitiam suam admitterent, laudem potius pertinere, si dixisset Plinius *dilectum probatumque;* quæ conjectura minus audax ipsi videtur, cum prima syllaba nota literæ p exprimatur: et, si audaciori esse liceat, opinatur, potuisse vocem *deinde*, quæ satis supervacua sit, originem traxisse ex duabus ultimis syllabis præcedentis adverbii *quotidie*, ut legi possit, *dilectum probatumque; hos ipsos quotidie ita formas.* Adhæc profitetur vir doctissimus, se cogitasse aliquando, an scripserit Plinius, *dein te ita formas.* Verum ait, se non libenter similibus conjecturis indulgere. Ego utique cum tot viris doctis agnosco, ulcus quoddam, licet non magnum, in hoc loco latere, quod ex codicibus melioribus curationem expectet. At ægerrime fero, ex omnibus illis libris, qui mihi innotuere, nihil opis posse promitti. Equidem in codice Vaticano 3461. et Guelpherbytano, huic loco particula *ut* inseritur, *statimque, ut hos ipsos cotidie, deinde ita formas, ut se, &c.* Quanquam vero nec ego libenter conjecturis indulgeam; interim tamen ausus sum vulneri vulgaris lectionis, quantum fieri potuit, lenissima curatione mederi; si audacia est, retentas omnes voces saltem in meliorem ordinem redigere; quem quidem ordinem ipse contextus orationis suppeditat. Nimirum proxime præcesserat adverbium *primum*, cui ordinarie respondet particula *deinde;* quam vero particulam librarii intempestive a loco suo removerunt, et ita locarunt, ut ea prorsus supervacanea videretur. Nunc autem, cum ea in sedem suam restituitur, neutiquam inutilis haberi potest; sed totius hujus loci oratio satis apte fluit. Certe non metuo, ne arguar per hanc translocationem quandam maculam aspersisse huic Panegyrico. Stat adverbium *deinde* suo loco, quem indicat antecedens adverbium *primum*, quem et indicat ipsius sententiæ ratio. Quis vero nescit, etiam alibi non raro temeraria vocum transpositione orationi vel obscuritatem, vel languorem quendam inductum fuisse? Sic certe sub initium proximi capitis, in duobus codicibus Mss. hæc verba perperam translocata fuere: *Vides, et esse optimum, et dici tanquam optimum, quem elegisti;* ubi in ceteris libris rectius legimus, *Vides et esse optimum, et dici, quem tanquam optimum elegisti.* Schwarz.

Statim hos ipsos] *Statimque hos ipsos.* Pro 'stato et definito tempore,' significatu novo et insolente, si integer locus. Lege Nonium Marcellum in 'Statim.' Sed doctissimo Justo Lipsio rescribi placet, *dilectum sumtumque. Hos ipsos quotidie deinde ita formas, &c.* Livin.

Statim hos ipsos] Corruptum est. Forte, *dilectum æstimatumque: hos ipsos cotidie deinde ita formas.* Lips.

Et tanto magis] *Et* deleam. *Livin.*

Et tanto magis] Particulam *et* putaverat Livineius delendam. Ego etiam antehac eam malui dimittere, aut saltem cum particula *at* commutare; jam tamen ex consensu Arntzenii, et Gesneri, antiquam lectionem salvam relinquo: credo tamen sic verbum *sunt*, quod H. Stephanus

in margine annotavit, si id quidem ex antiquo codice fluxit, haud tanquam superfluum fuisse exterminandum. *Schwarz.*

Optimi tibi cognomen] Jam supra, II. 7. dixit Plinius: 'Quid tam civile, tam senatorium, quam illud additum a nobis 'Optimi' cognomen? quod peculiare hujus et proprium arrogantia priorum principum fecit.' Ad quem locum vide notam Pataroli. Miratur Baunius, cur Plinius hoc cognomen mox dicat *novum;* cum jam Scipio Nasica id nominis habuerit. Et sane Liv. XXIX. 14. 'P. Scipionem,' inquit, 'Cn. filium, ejus, qui in Hispania ceciderat, adolescentem, nondum quæstorium, judicaverunt in tota civitate virorum bonorum optimum esse.' Et Vell. II. 3. 'Tum P. Scipio Nasica, ejus, qui optimus vir a senatu judicatus erat, nepos.' Cf. Aurelius Victor de Viris Illustr. c. 44. In Epistola vero Senecæ 19. quam citavit Baunius, nihil de hoc Scipione invenio. Idem præterea Baunius annotavit, etiam Caium imperatorem, Caligulam cognominatum, jam 'Optimi' nomen assumsisse, cum Sueton. Calig. c. 22. hæc tradat: 'Compluribus cognominibus adsumtis, (nam et Pius, et Castrorum Filius, et Pater Exercituum, et Optimus Maximus Cæsar, vocabatur,)' &c. Adhæc Heumann. Pœcil. tom. I. lib. I. cap. 16. pag. 171. Plinium arguit erroris, quod jactarit, in Trajano cognomen 'Optimi' fuisse novum. Sed nullum hic errorem agnoscimus. Jam Catanæus ad ista exempla Scipionis Nasicæ, et Caligulæ, recte respondit: 'Dicimus, illum (Scipionem) judicatum optimum merito; sed non appellatum: hunc vero (Caligulam) immerito cognominatum:' cum ipse sibi temere assumserit nomen 'Optimi.' Adhæc distinguendum censemus inter elogium, et cognomen. Aliis quidem nomen 'viri optimi' tanquam solum elogium tributum antehac fuit, non vero tanquam peculiare et proprium cognomen; ceu Trajanus id ex senatus consulto adeptus est. Unde et Xiphilinus ex Dione Cassio, lib. LXVIII. pag. 781. cum rem hanc enarraret, Latinum hoc cognomen retinuit, literisque Græcis expressit: Τά τε ἄλλα δὲ ἐψηφίζετο τῷ Τραϊανῷ πολλὰ ἡ βουλή, καὶ Ὄπτιμον, εἴτ' οὖν ἄριστον, ἐπωνόμασεν. *Tum vero multa Trajano decreta sunt a senatu; sed in primis Optimus cognominatus est.* Qua in re accedimus sententiæ Arntzenii. *Idem.*

Optimi] Dixi supra ad II. 7. *Patarol.*

Optimi] De victis Armeniis, ut refert Dio. Maxime id Trajanum oblectavit. Idem ad sæcula inter acclamationes principum mansit: sic 'felicior Augusto, melior Trajano.' De hoc Silius lib. XVII. 'Heu nomen melius, majusque triumphis!' Idem meruisse Cn. Scipionem testatur Pomponius de Origine Juris. Idem Caius assumsit, sed assumsit, non habuit. Sueton. Cal. c. 22. *Bern.*

In medio positum] Sicut *paratum* Plinio dicitur, quod in promtu, et quasi obvium est, facileque haberi potest; prout dixit 'paratum fructum,' Epist. II. 10. et 'paratos honores,' Epist. VII. 25. ita, *in medio positum*, eodem sensu dicitur, cujus usus omnibus facile patet. Terentius in Prologo Phorm. vs. 17. 'Is sibi responsum hoc habeat: in medio omnibus palmam esse positam, qui artem tractant musicam.' Ad quem locum Bœclerus in Chrestomathia: '*Medius*, Græcorum proverbium est, κοινὸν ὁ ἄγων, apud quos ἐν μέσῳ κείμενα sunt, quæ facile parari possunt, quæ neminem arcent.' Tacit. Hist. IV. 74. 'Cetera in communi sita sunt:' i. e. nobis et vobis ex æquo patent. *Schwarz.*

Ante meruisse] Codex Patavinus et liber Vossianus habent *ante te meruisse;* satis bene. Credas enim,

voculam *te* dudum excidisse, quia latuit in particula ANTE, quam librarii veteres aliquando compendii caussa ita scripsere, ut ne haberent necesse, pronomen *te* repetere; aut certe illa terminatio particulæ *ante*, occasionem dedit, ut sequens pronomen *te* a negligentibus librariis omitteretur. Cujusmodi compendiosæ, aut negligentis scripturæ exempla quædam annotavi supra, ad LXXXVI. 2. Similem etiam omissionem animadverti ad p. 1043. *Mem.*

Scias neminem ante meruisse] Auctor Epist. I. 17. 'Scias ipsum plurimis virtutibus abundare, qui alienas sic amat.' Et alibi non raro. Usus et Seneca passim. *Livin.*

Felicem vocare] Senecam vide de Clem. I. 14. *Lips.*

Felicem vocare] Imperatores Felices dicti. Prosper Aquitan. libro de providentia: 'Felices dici mos est, quos blanda potestas In summos apices tumidorum evexit honorum.' Hinc Felix simpliciter pro rege. Petr. Raven. Sermon. XXIII. Epist. II. 18. In Vett. Inscript. Commodus εὐσεβὴς, εὐτυχὴς, indigitatur. *Bern.*

Felicem vocare] Ita jam ante imperatorum tempora cognomen Felicis adhæserat Cornelio Sullæ, ab assentatione familiari cœptum. Hoc enim tradit Liv. XXX. 45. 'Africanum cognomen militaris prius favor, an popularis aura, celebraverit; an, sicut Felicis Sullæ, Magnique Pompeii, patrum memoria, cœptum ab assentatione familiari sit, parum compertum habeo.' Appianus Alex. B. Civ. lib. I. pag. 416. Σύλλας εὐτυχέστατος ἀνδρῶν ἔς τε τὸ τέλος αὐτὸ, καὶ ἐς τἄλλα πάντα, ὥσπερ καὶ ὠνομάζετο, γενέσθαι δοκῶν· εἰ δή τις εὐτυχίαν ἡγοῖτο τυχεῖν, ὅσων ἂν ἐθέλοι. *Sulla, vir ad omnia felicissimus usque ad finem, et quemadmodum cognominatus est, sic felix habitus; si felicitas dicenda est, posse, quidquid velis.* Vell. II. 27. 'Occiso demum Mario, Felicis nomen assumsit Sulla: quod quidem usurpasset justissime, si eundem et vincendi et vivendi finem habuisset.' Plin. Hist. Nat. VII. 43. 'Unus hominum ad hoc ævi, Felicis sibi cognomen asseruit L. Sulla, civili nempe sanguine, ac patriæ oppugnatione adoptatum. Et quibus felicitatis inductus argumentis? quod proscribere tot millia civium ac trucidare potuisset. O prava interpretatio et futuro in tempore infelix!' Felicis appellatio, Syllæ exemplo, deinceps etiam ab imperatoribus est recepta. Seneca de Clement. I. 14. 'Principem appellavimus patrem patriæ, non adulatione vana inducti. Cetera enim cognomina honori data sunt: Magnos, et Felices, et Augustos, diximus, et ambitiosæ majestati, quidquid potuimus titulorum, congessimus.' Sic 'Felicis' appellationem Commodo imperatori, Perenne occiso, primum peculiari senatus decreto concessam, tradit Lampridius in Commodo, cap. 8. 'Inter hæc Commodus, senatu semet ridente, cum adulterum matris consulem designasset, appellatus est Pius; cum occidisset Perennem, appellatus est Felix. Inter plurimas cædes multorum civium, quasi quidam novus Sulla, idem Commodus, ille Pius, ille Felix,' &c. De 'Felicis' titulo in nummis imperatorum vide Spanhem. de Præst. et Usu Numism. Antiq. tom. I. pag. 441. *Schwarz.*

Fortunæ] Etiam Sylla magis fortunatus, quam bonus. *Bern.*

Satius Magnum] Cognomen 'Magni' adhæsisse Cn. Pompeio, in proxima nota ex Livio ostendi. Cui adolescenti hoc ex virtute cognomen Sulla dictator dedit; bello demum Sertoriano ipse Pompeius in litteris et edictis se 'Magnum' describere cœpit, ut Plutarchus in ejus vita tradit. Et hoc solo cognomine sæpe ab antiquis scriptoribus designatur. Sic, v. g. Cicero pro Archia, cap. 10. 'Quid? noster hic Magnus, qui cum

virtute fortunam adæquavit.' Vell. II. 47. 'Julia, uxor Magni, decessit.' Neque solum Græca voce Μέγας, sed et retenta Romana appellatione, Μάγνος dictus a Strabone, Nicolao Damasceno, Josepho, Dione, Zosimo, aliisque, prout Spanhemius annotavit, l. c. pag. 66. qui ibidem docet, hoc cognomen etiam ad filios posterosque Cn. Pompeii transiisse; et pridem antea illo 'Magni' cognomine insignitum fuisse P. Africanum majorem. Seneca quidem, de Ira, I. 16. tradit, 'magnum' separari a 'bono' non posse: 'Non est,' inquit, 'quod existimes, verum esse, quod apud disertissimum virum, Livium, dicitur: Vir ingenii magni magis, quam boni; non potest illud separari: aut magnum et bonum erit, aut nec magnum quia; magnitudinem animi inconcussam intelligo, et introrsus solidam, ab imo parem firmamque; qualis inesse malis ingeniis non potest.' Sed hic disserit Seneca philosophice, ex doctrina Stoicorum; at alibi ex vulgari usu 'magni' et 'boni' utique separantur. Et sic ipse hæc elogia separavit Seneca in Consolat. ad Marciam, cap. 16. 'Ti. Gracchum et Caium, quos etiam qui bonos viros negaverit, magnos fatebitur,' &c. *Schwarz.*

Optimus princeps] Nempe Nerva, ex cujus adoptione Trajanus dictus est M. Ulpius Nerva Trajanus. In Boxhornii et Cellarii editionibus pro casu primo, *optimus,* male quartus excusus est *optimum;* ubi omnes codices Mss. ceterique impressi recte habent *optimus princeps;* et talis quidem Nerva per elogium, non per cognomen, dicitur. Sic etiam codex Salisburgensis et meus, in proximis verbis perperam exhibent *senatus in optimum nomen;* ubi omnes reliqui libri rectius habent *senatus in Optimi nomen.* Idem.

In suum] Nomen videlicet. Trajanus enim in honorem adoptivi patris prænomen assumsit Nervæ, ut videre est in nummis. *Patarol.*

In suum] Nerva Trajanus dictus. 'Et Octavius, adoptatus in nomen et familiam Julii Cæsaris, Caius Julius Cæsar Octavianus dictus.' Senec. de Brev. Vit. c. 15. Suet. Claud. cap. 39. Galb. cap. 17. Vopiscus in Aureliano. Dio l. XLVI. de Adopt. Octavii. Appian. lib. III. Claudian. in Honor. 'in nomen Romanis rebus adoptans.' *Bern.*

Definite distincteque] Plurimi codices Mss. ordinem horum adverbiorum sic invertunt, *distincte definiteque;* sed retineo ordinem in ceteris libris vulgatum, cum et Cicero iis eodem ordine usus sit, in Orat. cap. 29. 'Qui nihil potest definite, distincte, facete, dicere.' In nonnullis codicibus Mss. et libris antiquitus impressis, pro more medii ævi scriptum est *diffinite;* sed sequimur scripturam usitatiorem. Est vero *definite,* quod vulgo dicitur 'expresse.' *Schwarz.*

Optimum] Propria ac peculiaria Deo cuique cognomina; hæc Jovi Capitolino. Arnob. advers. Gent. lib. I. Lactant. Institut. Div. I. 10. 'Optimi prius, quia majus est, certeque gratius omnibus prodesse, quam opes maximas habere.' Cic. Nat. Deor. lib. I. 'Maximi' deinde, quia opulentos copiososque salvos et incolumes efficit. *Bern.*

Frugalitate] 'Bonæ valetudinis matre,' ut Valerius loquitur II. 5. de Pisonis abstinentia. Idem IV. 3. 10. *Idem.*

Pisones] Ut Calpurnius Piso, de quo Val. Max. IV. 3. 10. et Plin. Nat. Hist. XXXIII. 2. *Patarol.*

Lælii] C. Lælius vocatus est a Romanis Sapiens; quia, cum corrigere vellet quendam abusum Romanorum, quibus excolebantur fundi ab ergastulis barbaris expulsis civibus, destitit tumultus metu, quem excitaverant potentes. Plutarchus in Ti. Graccho. De hoc ipso Lælio pluri-

bus in locis Cicero, ut Orat. pro Murena, cap. 31. 'Quis C. Lælio sapientior?' Nat. Deor. III. 2. 'Habeo C. Lælium augurem, eundemque sapientem.' De Claris Oratorib. II. 21. De Offic. II. 11. 'Viriatum C. Lælius, is, qui Sapiens usurpatur, prætor fregit.' *Idem.*

Sapientia Lælii] Cicero pro Muræna: 'Quis Lælio comior? quis jucundior? quis illo gravior? quis sapientior?' Dictus autem sapiens? ut Plutarchus refert, quod, adversante locupletum factione, destitit succurrere legi agrariæ. *Bern.*

Metelli] Et L. Cæcilli, qui pius in Deos fuit, erepto ex incendio Palladio, (Plin. Hist. Nat. VII. 43. Dionys. Antiquit. lib. II.) et Q. Metelli, qui pius in patrem, quem lacrymis et precibus ab exilio revocavit; cui P. Furius trib. pleb. resistebat. Val. Max. v. 2. 7. *Idem.*

Metelli] Quincti nempe Metelli, maxima pietate in patrem clari, quem lacrymis ab exilio revocavit. Memorant Val. Max. v. 2. et Appianus Alex. de Bellis Civ. lib. I. Sed laudatur etiam a Plinio Majore et Dionysio Halicarn. L. Cæcilius Metellus, qui pius in Deos extitit, servato ab incendio Palladio. *Patarol.*

Nisi qui est omnibus] Hæc verba perperam omissa sunt in codice Vaticano 1776. et in Veneto 1. Codex Vaticanus 3461. et Guelpherbytanus habent *nisi qui est optimus.* Codex Venetus 2. Patavinus, et meus, *nisi qui est omnibus optimus.* Eadem scriptura extitit quoque in codice Salisburgensi; sed posterior manus vocem *optimus* convertit in *optimis.* Atque ita vulgo ubique editum est, *nisi qui est omnibus optimis in sua cujusque laude præstantior.* Sed quis non animadvertit, illud *optimis* hic utique abundare, et sine dubio ideo irrepsisse, quod oscitans quidam librarius, quem deinceps plures sunt secuti, proxime antecedentem vocem *optimus* inutiliter repetierit; quam posthæc alii, sicut in codice Salisburgensi observavimus, ut ea cum voce *omnibus* conveniret, in casum sextum *optimis* mutarunt. Quæ corruptela etiam suboluit Gesnero; inde in altera editione vocem *optimis* curavit uncinis includendam, tanquam nimis luxuriantem, et forte imprudenter tantum huc relatam ex præcedentibus. Ceterum, in sequentibus verbis, *in sua cujusque laude præstantior,* Patavinus codex, et liber Vossii, pro casu secundo *cujusque*, reposuerunt casum primum *quisque.* Schwarz.

Post ceteras appellationes hæc est addita, ut major] Scilicet post appellationes 'Imperatoris,' 'Cæsaris,' 'Augusti,' 'Germanici,' 'Patris patriæ;' quibus, ut Catanæus, et ex hoc Baunius, jam notavit, ante donatus erat Trajanus, quam 'Optimus' cognominaretur. In Patavino codice, pro voce *addita*, legitur *debita;* et in Parisiensi inseritur alia, *addita, ut omnibus major.* Nos tamen nihil inde novamus in lectione vulgata. *Idem.*

Major] Omnino. Cetera enim cognomina, 'Felix,' 'Pius,' 'Magnus' (quæ 'nomina fausta' Suet. Calig. cap. 13. 'nomina triumphalia' Lampridio in Commodo) 'honori data.' Sen. Clem. I. 14. *Bern.*

Et Augustum] Codex Parisiensis addit verbum *dici*, ut sic legamus, *et Augustum dici;* quod verbum non rejicerem, si in pluribus libris reperiretur. Negligentissime autem librarii codicis Salisburgensis, et mei, verbis his, *quam omnibus imperatoribus, et Cæsaribus, et Augustis,* penitus omissis, scripsere, *Minus est enim, imperatorem, et Cæsarem, et Augustum, esse meliorem.* Schwarz.

Parens hominum Deorumque] I.-e. Jupiter; nam, tradente Cic. de Nat. Deor. II. 25. 'Ipse Jupiter, id est, juvans Pater; quem conversis casibus appellamus a juvando Jovem, a poëtis Pater Divumque hominumque

dicitur; a majoribus autem nostris optimus maximus; et quidem ante optimus, id est, beneficentissimus, quam maximus; quia majus est, certeque gratius, prodesse omnibus, quam opes magnas habere.' *Idem.*

Ille parens] *Illa parens* edit. Rhen. sed *ille parens* Faber.

Quem non minus constat] Sic Seneca Clement. I. 19. Neronem allocutus: 'Hæc affectare,' inquit, 'hæc imitari, decet: maximum ita haberi, ut optimus simul habeare.' Pronomen *quem* refertur ad Trajanum; proinde id, propter compendium scripturæ, corrupere nonnulli librarii. In codice enim Salisburgensi, et meo, pro *quem non*, scriptum est *quæ non;* in Patavino et Vossiano *qua non*. Schwarzius.

Quod ad alium] In codice Vaticano 3461. et Guelpherbytano, præpositio *ad* perperam est prætermissa. Adhuc pejor lacuna occurrit in codice Patavino, et libro Vossiano: *Assecutus es nomen, quod ad alium transire non possit, nisi ut appareat usurpatum. Semper tamen agnoscetur ut tuum.* Si non essent alii libri integriores, vix hic sentires lacunam; tam callide eam obtexit librarius. Pro *agnoscetur*, in Vaticano codice legitur *cognoscetur;* et Guelpherbytanus in ultimis hujus capitis verbis pro *meruerit*, vitiose exhibuit *meminerit*. Idem.

Alienum] Quia a te transsumtum scilicet. *Lips.*

Alienum] Non suum proprium; nam tu illud primus meruisti. *Patarol.*

Ejus] Octaviani, imperatorum secundi, cui Augusti nomen ex Munacii Planci sententia datum, testibus Vell. Pat. II. 91. et Suet. c. 7. *Idem.*

Recurret] *Occurret* C. *Livin.*

CAP. LXXXIX. *Quanto nunc*] Jam ad epilogum hujus Panegyrici venit orator noster; in quo, 1. c. LXXXIX. gratulatur Nervæ, patri per adoptionem, et Trajano, patri per naturam, de tanto imperatore, tamque digno filio. 2. c. XC.—XCIII. principi gratias agit, suo et collegæ Cornuti Tertulli nomine. 3. c. XCIV. precatur Deos, præsides reipublicæ, pro salute imperatoris Trajani. et c. XCV. laudat senatus in se merita, eique reverentiam et obsequium pollicetur. Primum quidem orator convertit orationem ad Nervam, eumque appellat 'Divum;' quia hic altero post mortem anno consecratus erat a Trajano, de qua consecratione Plinius egit supra, XI. 1. 2. ubi Trajanus dicitur Nervam 'fecisse Deum,' eumque 'intulisse sideribus,' et 'templis honestasse.' In codice Guelpherbytano vitiose scriptum est *fueris*, pro *frueris;* nec minus in Patavino et Vossiano verba hæc incommode sunt transposita, *cum vides, et esse optimum, et dici, tanquam optimum, quem elegisti.* Schwarz.

Filio tuo] I. e. Trajano imperatori. In utroque codice, Patavino et Vossiano, inquinate scriptum est *invoceris*, pro *vinceris;* et H. Stephanus in margine annotavit *vincereris*. Nihil jucundius bonis parentibus, quam si a liberis suis felicitate, honore, et gloria, non tantum æquentur, sed et vincantur. Hinc et Claudianus allocutus Divum Theodos. Cons. Honor. IV. 430. 'Adspice nunc, quacunque micas, seu circulus Austri, Magne parens, seu te gelidi meruere Triones: Adspice, completur votum: jam natus adæquat Te meritis, et, quod magis est optabile, vincit.' Sic jam Hector apud Homer. Iliad. Z. 479. optabat, ut Jupiter aliique Dii, filium suum, sicut ipse erat, clarum valentemque efficerent: Καί ποτέ τις εἴπῃσι· πατρὸς δ' ὅγε πολλὸν ἀμείνων. *Ut olim quis dicat: Patre hic multo melior!* Idem.

Non timuisti] Ut olim Augustus timuit; quem Tacit. Annal. I. 10. ait, successorem sibi elegisse Tiberium, ut ex ejusdem vitiis desiderium sui in civibus excitaretur: 'Ne Tiberium

quidem caritate, aut reipublicæ cura, successorem adscitum; sed quoniam arrogantiam sævitiamque ejus introspexerit, comparatione deterrimi sibi gloriam quæsivisse.' *Patarol.*

Non timuisti] Quod fecisse Augustus a quibusdam arguitur, qui Tiberium elegit, 'ut comparatione pessima gloriam sibi augeret.' Tacit. Annal. I. 10. *Lips.*

Pater Trajane] Parens naturalis. Trajani nummum, in cujus aversa parte visitur pater Trajani imperatoris togatus, sedens, dextera pateram, sinistra vero hastam divinitatis, gerens, cum epigraphe, DIVVS. PATER TRAIANVS, laudat Vaillantius. Alterum laudat Spanhem. Dissert. VI. de Præst. et Usu Numism. in cujus postica parte capita aversa cernuntur Nervæ imp. adoptivi patris, et Trajani, naturalis parentis Trajani nostri. *Patarol.*

Pater Trajane] Recte observavit Spanhem. de Præst. et Usu Numism. tom. II. pag. 328. mirari forte quempiam posse, a Plinio nostro hoc in loco titulum 'Divi' Nervæ solum, a quo Trajanus fuerat adoptatus, non vero naturali ejus patri, tribui; indeque etiam aliam ei sedem a sideribus, etsi iis vicinam, assignari; cum tamen in aliquot nummis antiquis pater naturalis Trajani æque, ac adoptivus, 'Divi' elogio decoretur. Sic ex Vaillantio commemorat nummos, qui inscribuntur in aversa area, DIVVS PATER. TRAIANVS; item, DIVI. NERVA ET. TRAIANVS. PATER. cum adversis eorum capitibus, in nummo Cimeliarchii Leopoldi, Cardinalis Medicei. Regerit autem ipse laudatus Spanhemius, illos ipsos Trajani nummos, qui 'Divi' titulum ex æquo utrique, adoptivo et naturali parenti, vel etiam soli parenti naturali, adscribunt, esse sexto demum Trajani imperatoris consulatu percussos; Plinianum vero Panegyricum esse eidem imperatori jam ante quartum ejus consulatum dictum; hinc liquere, quod necdum eo tempore illa 'Divi' appellatione consecratus fuerit a Trajano parens ejus naturalis. *Schwarz.*

Si non sidera] Consulendus Servius ad illa Georg. I. 'Anne novum tardis sidus te mensibus addas,' &c. *Livin.*

Proximam tamen sideribus] Cœlum esse Dei sedem, communis omnium gentium est opinio. Nos ipsi Christiani ex mandato Christi precamur, Πάτερ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, Matth. VI. 9. nihilo minus scimus, Deum verum ubique esse, omnia implere, et omnia penetrare, neque eo modo dici inhabitare cœlum, quasi cœlo sit circumscriptus; sed quia, ut Damascenus ait, ἔνθα ἔκδηλος ἡ ἐνέργεια, καὶ χάρις, καὶ δόξα Θεοῦ γίνεται. *Ibi maxime Dei potentia, gratia, et gloria, manifestatur.* Vide Vossium de Idololatria, II. 2. Homines vero pagani Diis suis certa loca, et cumprimis majorum gentium Diis ipsa cœli sidera, assignarunt; v. g. Mercurio signa Veneris et Geminorum, Veneri Libram et Taurum, Marti Scorpium et Arietem, et sic ceteris. Consecratos ergo Augustos finxerunt Deorum παρέδρους et συνθρόνους, quasi assessores, et eadem sede præditos. Vide Servium ad Virgil. Æn. I. 33. et Salmas. ad Spartian. in Hadriano, c. 14. At heroum, tanquam semideorum, et eorum, quos, secundum Virgilium, 'ardens evexit ad æthera virtus,' animas in æthere, proxime sideribus, habitare perhibuerunt.' Vide Lucan. IX. 5. seqq. jam a Lipsio et Patarolo citatum. Addidit Cellarius et Manilium Astron. I. 1619. seqq. 'Altius ætherii qua candet circulus orbis, Illa Deum sedes; hæc illis proxima, Divum Qui virtute sua similes vestigia tangunt.' Hoc vult poëta, explicante Josepho Scaligero: 'Altius, quam patet Galaxia, ibi sedem esse Deorum; secundum illam, Galaxia est sedes heroum.' *Schwarz.*

Proximam] Credebant, heroum animas regionem quandam infra cœlum habitare; quare Lucanus, 'Qua niger astriferis connectitur axibus aër; Quodque patet terras inter, lunæque meatus Semidei manes habitant, quos ignea virtus Innocuos vitæ patientes ætheris imi Fecit, et æternos animam collegit in orbes.' *Patarol.*

Proximam tamen] Supremum aërem, ubi heroës. Lucanus: 'Quodque patet terras inter, Lunæque meatus, Semidei manes habitant: quos ignea virtus, Innocuos vita, patientes ætheris imi Fecit.' Stoicorum opinio est, ἥρωας εἶναι τὰς ὑπολελειμμένας τῶν σπουδαίων ψυχὰς, *heroas esse animas, relictis corporibus, sapientum.* Ad Senecam plura. *Idem.*

Tribunum] Ergo sub patre legato tribunus filius fuit. *Lips.*

Illum tribunum] Nempe Trajanus sub patre præside, vel legato, tribunus militum fuit; de quo tribunatu jam supra egit Plinius, xv. 1. et 2. 'Tribunus vero disjunctissimas terras, teneris adhuc annis, viri firmitate lustrasti: . . . ita egisti tribunum, ut esse statim dux posses.' Jam Augustus, referente Sueton. cap. 38. 'liberis senatorum militiam auspicantibus, non tribunatum modo legionum, sed et præfecturas alarum, dedit.' Gesner. in notis suis: 'Annon,' inquit, 'melius dixisset Plinius sic, Illum militem, illum tribunum tuum?' Sed ego nihil muto; quia ex arte oratoria 'miles' hoc loco rectius postponitur tribuno: dum admirabilius est, patrem videre posse filium imperatorem quasi ex gregario milite, quam ex tribuno; nam Trajanus etiam a primis adolescentiæ annis, antequam tribunatum susciperet, patri suo in militia adhærere potuit. Ex eadem ratione Plinius etiam supra, x. 3. dixit, 'ceterum modestia, labore, vigilantia, dux, et legatus, et miles.' *Schwarz.*

Pulchrius fuisse] Jam Lipsius scripsit ad hunc locum: 'Vellem, *fueritne?*' Etiam Gesnerus monuit, 'hanc constructionem laborare videri; cum debuerit ita connecti oratio, *pulchrius fuisse, genuisse talem, quam elegisse:* (atque ita etiam Gudius in primo libro annotarat, pro *an*, ἴσως legendum *quam:*) vel ita, *pulchriusne fuerit, genuisse talem, an elegisse.*' Sed facilius crediderim, pro particula *an*, leviore mutatione restituendam esse particulam *ac*, quæ etiam in comparatione usum habet. Posteriori tamen lectioni Gesneri lubentius subscriberem, dummodo quidam libri addicerent; sed hi constanter retinent lectionem vulgatam. Arntzenius: 'Nihil,' inquit, 'mutaverim; non enim video, cur non recte post verbum, *contendit*, infinitivus tolerari possit.' Recte quidem is post verbum *contendit* tolerari potest, si sic vel absolute ponatur, vel si sequatur particula *quam*, ex Gudii et Gesneri conjectura; sed quo exemplo probabit Arntzenius, eandem verborum structuram posse locum habere, si sequatur particula *an?* Codex quidem Salisburgensis et meus, pro *fuisse*, reposuerunt *fecisse;* sed mutatione prorsus inutili. Codex Guelpherbytanus, et, qui ex eodem fonte fluxisse videtur, liber alter Gudianus omiserunt verbum *genuisse;* quod tamen ad sententiam constituendam maxime necessarium est. Utinam vero omisissent verbum *fuisse;* cujus loco conjunctivus *fuerit* facile per ἔλλειψιν animo suppleri potuisset. Sic enim satis sibi constaret oratio: . . . *contendis, pulchriusne,* (scil. fuerit,) *genuisse talem, an elegisse?* Quam facile autem fieri potuit, ut prætermitteretur a librariis particula ἐγκλιτικὴ *ne.* Immo, cum ea ipsa particula etiam alibi non raro omitti soleat, posset hic locus, solo infinitivo *fuisse* dimisso, sine ulteriore mutatione sic rescribi, *contendis, pulchrius, genuisse talem, an elegisse?* Sic v. g. omittitur

eadem particula a Plinio Epist. VII. 27. 'Perquam velim scire, esse aliquid phantasmata, et habere propriam figuram, numenque aliquod, putes; an inania et vana ex metu nostro imaginem accipere?' Similia exempla omissæ particulæ dubitantis *ne* annotavi supra, ad XL. 5. *Idem.*

Pulchrius fuisse, genuisse] Forte, *pulchrius fuerit, genuisse.* Livin.

Tantum boni] Solus codex Patavinus, et forte ex hoc etiam Vossius, habent *tantum bonum.* Ait vero Plinius, *cui*, scil. reipublicæ, *hoc tantum boni contulistis.* Schwarz.

Alteri vestrum] Nempe Trajano, patri naturali, virtus filii dedit ornamenta triumphalia; *alteri*, scilicet Nervæ, patri adoptivo, dedit cœlum; sive eum virtus filii, Trajani imperatoris, per consecrationem intulit sideribus; de qua consecratione dixit Plin. XI. 2. *Idem.*

Triumphalia] Initio cap. 14. 'Cum puer admodum Parthica lauro gloriam patris auxit.' *Lips.*

Triumphalia] Ornamenta eorum, qui justum triumphum meruissent. *Bern.*

Triumphalia] Sine dubio intelligenda sunt ornamenta, sive insignia triumphalia. Potissimum enim Augusti ævo introductus mos videtur, ut, solenni pompa justi triumphi solis Cæsaribus deinceps relicta, insignia tantum triumphalia, sine pompa ducendi triumphi, concederentur ducibus et legatis Cæsarum, eorumque comitibus, qui rem feliciter fortiterque in bello gesserant, quanquam deinceps per abusum ea ornamenta etiam aliis identidem tributa sunt, qui nunquam castra viderunt. Vide Casaubon. ad Sueton. in Aug. c. 38. Quod autem Sueton. Tib. cap. 9. dicit, 'Tiberium primum, ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratum, idque novo nec antea cuiquam tributo genere honoris;' hoc ipsum Suetonium non ex sua sententia, sed ex aliorum opinione, tanquam incertum tradidisse, censet Spanhemius. Insignia vero triumphantium alias erant, prout ex Liv. XXX. 15. aliisque scriptoribus, cognoscimus, 'aurea,' vel 'laurea corona,' 'aurea patera,' 'sella curulis,' 'scipio eburneus,' 'toga picta,' 'palmata tunica,' et fortasse alia generis ejusdem. Sic, e. g. Agricola etiam 'illustris statuæ' honore ornatus est. Tacitus enim, in ejus vita, cap. 40. 'Triumphalia,' inquit, 'ornamenta, et illustris statuæ honorem, et quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu jubet' Domitianus. Etiam 'statuam laureatam' appellat 'triumphalium insigne' Tacit. Annal. IV. 23. 'Priores duces, ubi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem omittebant; jamque tres laureatæ in urbe statuæ erant.' Adhæc Sueton. in Claud. c. 17. 'Claudium,' inquit, 'triumphantem secuti et triumphalia ornamenta eodem bello adepti; sed ceteri pedibus et in prætexta: Crassus Frugi equo phalerato, et in veste palmata, quod eum honorem iteraverat.' Unde colligimus, alios aliquando omnia illa ornamenta, alios aliqua saltem, consecutos esse. Sicuti autem veteres auctores plerumque plene dicunt, 'triumphalia ornamenta,' 'triumphalia insignia,' 'triumphalis honor,' 'triumphale decus;' ita non solum hic Plinius, sed et Tacitus Annal. IV. 18. et 44. XI. 20. item Vell. II. 116. simpliciter vocarunt 'triumphalia.' Visum mihi est, in gratiam studiosæ juventutis, ex Ducis Areschotani Numism. Tab. XIII. n. 21. et Spanhemii Vol. II. de Præst. et Usu Numism. p. 216. figuram nummi vetusti hic exhibere, ex quo ejusmodi triumphalia quædam ornamenta cognosci possunt. Hic singularis nummus Augusti refert in adversa parte scipionem, in cujus summitate conspicitur aquila; qualis scipio eburneus, tanquam sceptrum triumphale, a triumphantibus gestari solitus: quanquam et de aquila legionaria a Parthis re-

cepta explicari posse videatur. Adhæc ibi videmus coronam lauream, item et togam pictam, seu potius, quod Laur. Begerus notavit, dun-



taxat summitatem togæ pictæ, superinductæ tunicæ palmatæ, usque ad pectus. Superne legitur hæc inscriptio: S. P. Q. R. PAREN. inferius: CONS. SVO. id est, *Senatus Populusque Romanus Parenti Conservatori suo.* In aversa vero nummi parte cernimus quadrijuges equos, cum thensa, e qua velut exiliens quadriga marmorea, additis nominibus, CAESARI. AVGVSTO. His adeo triumphalibus ornamentis ex SC. decoratus est Octavianus Augustus, ob signa a Parthis recepta, quæ Parthorum rex sponte restituerat ex reverentia Augusti: quamobrem non triumphus imperatori est decretus, quod citra omnem belli vel prœlii aleam, signa ista Romana recuperaverat; attamen ob tam insignis facti memoriam triumphalia duntaxat ornamenta eidem fuere delata. Sed jam quæritur, quando, et quomodo, Trajanus patri suo naturali honorem hujusmodi ornamentorum triumphalium pepererit, aut dederit? Qua de re in Excurs. LIV. non nihil dicam. *Schwarzius.*

Quod ista per filium] *Ista*, nempe *ornamenta triumphalia*, et *cælum, per filium*, Trajanum, scil. meruistis; *quam si ipsi meruissetis.* Illud verbum *meruistis, κατ' ἔλλειψιν* animo supplendum est. Frequens alias et ordinaria ἔλλειψις est, quando verbum ejusdem temporis, modi, et personæ, repetendum est; v. g. Plin. Epist. IX. 13. 'Nam collega Certi consulatum, (scil. accepit;) successorem Certus, accepit.' At quasi extra ordinem fit, si per *σύλληψιν*, sive *συνεζευγμένον*, verbum diversi temporis, modi, aut personæ, hunc in modum repeti debeat. Sic loquitur Terent. Andr. III. 2. 14. 'Nunc hic se ipsus fallit, haud ego,' (scil. fallo.) Adelph. III. 4. 13. 'Neque faciam, neque me satis pie (scil. facere) posse, arbitror.' Cic. in Orat. cap. 47. 'Sequitur ergo, ut, qui maxime cadant in orationem aptam numeri, videndum sit: sunt, qui iambicum (scil. maxime in aptam orationem cadere) putent.' *Idem.*

CAP. XC. *Sic affici*] Bene Cellarius: Sic affectos esse, ut magis se beneficiis in rempublicam, quam in se collatis, obligatos principi putent.' Nec male Ceva: 'Ob publica potius, quam privata beneficia, se gratos testentur.' Verbum *affici*, absolute positum sæpe notat, incitari, et commoveri re aliqua, sive grata, sive molesta; v. g. Cic. Fam. XVI. 4. 'Varie sum affectus tuis literis, valde priore pagina perturbatus, paullum altera recreatus.' Ipse Plinius noster Epist. v. 9. 'Varie me affecerunt literæ tuæ; nam partim læta, partim tristia, continebant.' Quod si adeo de rebus gratis sermo est, aliquando majus est *affici*, quam 'delectari.' Plin. Epist. II. 3. ubi de oratore loquitur: 'do-

cet, delectat, afficit.' Et Epist. III. 1. 'Sunt in usu et Corinthia, quibus delectatur, nec afficitur:' ubi recte notavit Cellarius, modicam voluptatem 'delectandi' verbo, majorem, et nimiam, verbo 'afficiendi' significari. *Idem.*

Ex communibus] I. e. propter communes injurias. Tritum enim est, *e*, vel *ex*, sæpe declarare caussam, a qua, vel propter quam, res est. Cic. Epist. XVI. 21. 'Quando igitur tum ex me doluisti; nunc, ut dupliciter tuum ex me gaudium, præstabo.' Idem Philipp. I. 5. 'Cum e via languerem.' Idem pro Font. c. 8. 'Inimicior Marcello Crassus ex civilibus studiis atque obtrectatione domestica.' In proximis verbis, *Ut enim malos principes*, Puteani et Baunii editiones, itemque codex Patavinus, et liber Vossianus, perperam omiserunt ἐπίθετον *malos*. Idem.

Ex communibus] Boni civis est, malum principem odisse magis propter injurias, quas hic suis concivibus infert, quam propter illas, quas ipse ab eodem patitur. *Patarol.*

Speciosius amantur] I. e. pulchrius, illustrius, honestius. Vide not. ad c. I. 'Quæ generi humano, quam quæ hominibus,' &c. i. e. interprete Cellario, quæ toti societati et reipublicæ, quam quæ privatis et singularibus hominibus, præstant. *Schwarz.*

In consuetudinem vertit] In codice Patavino, et libro Vossiano, item in Puteolani, Catanæi, Stephanorum, Sichardi, Cellarii, Gesneri, et forte aliorum libris excusis, legimus, *in consuetudinem venit.* At in codicibus Mss. Vaticanis, Parisiensi, utroque Veneto, Guelpherbytano, Salisburgensi, et meo, pro verbo *venit*, extat *vertit.* Quod verbum *vertit*, etiam Beroaldus, Lipsius, Puteanus, Gruterus, Baunius, Arntzenius, et alii, prodiderunt. Id quod Livineius quoque in vetere codice invenerat. Utrumque Latine dicitur. Cicero, pro Cæcina, cap. 2. 'Quod quoniam jam in consuetudinem venit.' Idem de Offic. II. 15. 'Quod a nostris hominibus sæpissime usurpatum, tam in proverbii consuetudinem venit.' Quinctilianus, sive Tacit. de Caussis Corrupt. Eloq. cap. 4. 'Perturbarer hac tua severitate, nisi frequens et assidua nobis contentio in consuetudinem vertisset.' Tacit. Hist. IV. 27. 'Quod tum in morem verterat.' Verbum *vertit*, in hujusmodi formulis παθητικῶς, aut reciproce, per enallagen generis sumitur, i. e. 'vertitur,' sive 'se vertit;' uti apud Liv. XXVI. 6. 'Ea ludificatio et ipsa in verum vertit;' i. e. versa est, et cap. 40. 'Hæc ejus gloria ... postremo in invidiam vertit:' apud Tacit. Annal. VI. 46. 'Ne memoria Augusti, ne nomen Cæsarum, in ludibrium et contumeliam verteret, metuebat.' De qua dictione agit Vechnerus Hellenolex. II. 12. et Bangius Observat. Philolog. l. II. p. 1320. Anceps igitur hæsi, utrum verbum *venit* adoptarem, an *vertit.* Amplexus demum sum posterius; quod tot codicum Mss. nec paucorum impressorum suffragio sustinetur. Huc accedit, quod verisimilius fieri potuerit, ut verbum *vertit*, quod in hac loquendi formula non tam frequenter occurrit, in verbum notius, *venit;* quam versa vice, *venit* in *vertit*, a librariis mutaretur. *Idem.*

In consuetudinem vertit] *In consuetudinem venit* Livin. in textu; sed in margine, *in consuetudinem vertit* V. recte. *Rittersh.*

Gratiarum actione perlata] Jam supra, IV. 1. dixit Plinius: 'Sed parendum est senatus consulto, quod ex utilitate publica placuit, ut consulis voce, sub titulo gratiarum agendarum, boni principes, quæ facerent, recognoscerent; mali, quæ facere deberent.' Et eidem Epist. III. 18. 'Officium consulatus injunxit mihi, ut reipublicæ nomine principi gratias agerem.' Quando illud senatus-

consultum factum sit, latet; interim ritus ille, ut consul novus gratias ageret, e republica libera ad principatum transiisse videtur. In republica libera novi consules in concione populi Quiritibus pro consulatu sibi delato gratias agebant; sub principatu gratias principi agebant in curia et senatu. Rariore exemplo Plinius hic dixit *gratiarum actionem perferre*, i. e. gratiarum actionem exequi, ad exitum perducere, et finire. Nec tamen de quadam mutatione horum verborum cogitandum est, quamvis, annotante Arntzenio, Vossius maluerit legere, *gratiarum actione perorata*, et quamvis mihi aliquando in mentem venerit *peracta*. Aperte autem vitiosum est, quod codex Patavinus et liber Vossianus habent *actione præclari*. Nec opus est, ut remedium in varietate præpositionis *per*, in participio, *perlata*, quæramus; licet præpositiones, *per*, *pro*, et *præ*, tam, si solæ stant, quam si cum verbis componuntur, propter compendia scripturæ haud raro confundantur; prout et in hoc loco meus codex habet *prælata*, pro *perlata*. Utique autem *perlata* hic ponitur, pro 'obita,' 'peracta,' 'finita.' Sic Sueton. Claud. cap. 6. dixit, 'perferre legationem,' i. e. obire et exequi legationem, sive legatione perfungi. Eodem sensu Quinctil. Instit. Orat. VII. 4. 'Hego testimonium in Verrem dixerat, post perlatam (i. e. obitam et ad finem perductam) legationem.' Cic. pro Rosc. Amer. c. 4. verbo 'perferre,' opposuit 'animo deficere:' 'Sin a vobis, id quod non spero, deserar; tamen animo non deficiam, et id, quod suscepi, quoad potero, perferam.' Ipse Plin. Epist. I. 23. 'Plurimum interest, quid esse tribunatum putes, quam personam tibi imponas, quæ sapienti viro ita aptanda est, ut perferatur,' i. e. ad finem usque tribunatus sustineatur. Hæc dicendi ratio etiam in comitiis Romanorum locum habuit, ubi dicebatur 'rogatio,' et 'lex perferri,' quod vulgus dixerit, perducere ad ratificationem. Etiam veteres jureconsulti in Pandectis passim dicunt, 'perferri inofficiosi querelam, litem, caussam,' &c. *Schwarz.*

Concedite] Codex meus habet *credite;* sed nihil est innovandum. *Idem.*

Collega meo] Vide Epist. v. 15. *Lips.*

Tertullo] Viro sancto, et in omni laude simili antiquis, collega Secundo in præfectura ærarii et consulatu. Plin. Epist. II. 9. *Bern.*

Clarissimo viro] *Consulari viro.* Falsa lectio, neque enim Tertullus aut consulatum (quod meminerim) præter hunc gessit, aut hoc ipso defunctus. Patet extremo Panegyrico, 'non ut me consulem, ac mox consularem,' &c. Itaque sequor, quod in V. C. R. repperi, *C. V.* id est, *clarissimo viro.* Confer auctoris Epist. v. 15. *Livin.*

Clarissimo viro] Hæ voces in Pataroli editione, nescio, an culpa typographi, prorsus sunt omissæ. In omnibus codicibus Mss. et in aliquot editionibus, tantum per siglas, *C. V.* designantur; quæ siglæ in margine codicis Patavini absurde explicantur, *consulatui vestro.* At *consulari viro* in notis habet Catanæus, et in ipso contextu expresserunt Aldus, Stephani, Gryphius, Sichardus, Boxhornius, et alii. Sed falsam esse hanc interpretationem, jam monuit Livineius; et noster Rupertus in Floro Illustrato, p. 571. etiam maluit *clarissimo viro;* quod in vulgata lectione, sive 'consularem' accipiamus, pro eo qui consulatum jam gessit, quæ usitatissima hujus vocis notio est, sive pro eo qui tum gerebat; neutrum habet locum. Non illud; quia Tertullus nullum alium consulatum antea gessisse legitur: non istud; quia putida ταυτολογία foret, 'consulem' a consule dici, qui jam consulis collega fuit dictus.' Ceterum

constat, adhuc Pliniano ævo, 'consules' et 'senatores,' quasi solenni titulo, appellatos esse 'viros clarissimos.' Unde Plin. Epist. VII. 32. 'Vereor,' inquit, 'clarissimi consules, ne mihi Massa prævaricationem objecerit.' Idem Epist. X. 69. 'Ego interim Calpurnio Macro, clarissimo viro, scripsi.' Et Lamprid. cap. 21. testatur, adhuc Alexandrum Severum præfectis prætorio senatoriam addidisse dignitatem, ut 'viri clarissimi essent, et dicerentur.' *Schwarz.*

Non minus] Particula *non* perperam omissa est in codice Vaticano 1475. et in Patavino. Noster quoque codex, in verbis sequentibus 'quæ si tantum,' pro *tantum*, male retulit *tamen*. Idem.

Concordia] Amicitia, seu societate aliarum dignitatum; fuerunt enim collegæ etiam in præfectura ærarii. Noster Epist. IV. 15. et V. 15. *Patarol.*

Ille] Domitianus. *Livin.*

Ille optimi cujusque spoliator et carnifex] Hæc gravis est παράφρασις et descriptio Domitiani, qui, teste Suetonio, in vita ejus, cap. 9. 'aliquanto celerius ad sævitiam, quam ad cupiditatem, descivit.' Et Tacit. Agric. cap. 44. Agricola, inquit, 'festinatæ mortis grande solatium tulit, evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rem publicam exhausit. Non vidit Agricola obsessam curiam, et clausum armis senatum, et eadem strage tot consularium cædes, tot nobilissimarum feminarum exsilia et fugas.' Plinius noster, Epist. III. 11. 'Ardebat Domitianus et crudelitatis, et iniquitatis, infamia.' *Schwarz.*

Stragibus amicorum] Senecionem intelligit, Rusticum, Helvidiumque, qui occisi; Mauricum, Gratillam, Arriam, et Fanniam, qui relegati. Vide Plin. Epist. III. 11. *Idem.*

Stragibus amicorum] Adi epistolam ejusdem III. 11. *Livin.*

Amicorum] Helvidii, Rustici, Senecionis, Maurici, plurium, quos in epistolis ipse nominat, cæsos aut pulsos a Domitiano. *Lips.*

Jacto fulmine] Ipse in epistolis pariter: 'Tot circa me jactis fulminibus quasi ambustus, mihi quoque impendere idem exitium certis quibusdam notis augurabar.' *Idem.*

Jacto fulmine afflaverat] Sic fere Plinius etiam loquitur Epist. III. 11. 'Tot circa me jactis fulminibus quasi ambustus, mihi quoque impendere idem exitium, certis quibusdam notis augurabar.' Hac metaphora frequenter utuntur auctores. Ovid. Trist. I. 1. 87. 'Venit in hoc illa fulmen ab arce caput:' ubi, notante Baudio, 'fulmina' vocantur animadversiones et pœnæ magnarum potestatum, quod late terrent, nocentque. 'Tria sunt fulminum genera,' ut Servius ait ad Virgil. Æn. II. 649. 'est, quod afflat, quod incendit, quod findit.' Etiam Gronovius, quem jam citavit Arntzenius, Diatrib. in Stat. c. 33. docuit, damnationem, sive exsilium illa, sive pœnam capitis, respexerit, passim appellari 'fulmen.' Sed et verbum 'afflare' non raro dicitur de fulminibus. Sueton. Tib. c. 69. 'Turbatiore cœlo nunquam non lauream gestavit, quod fulmine afflari negetur id genus frondis.' Virgil. Æn. II. 649. 'Me Divom pater atque hominum rex Fulminis afflavit ventis, et contigit igni.' Non enim jaciuntur fulmina, nisi cum flatu ventorum. Ovid. ex Ponto III. 6. 'Fulminis afflatos interdum vivere telis Vidimus.' Itaque, *afflaverat*, explicante Catanæo, est, flamma strinxerat; quia, qui fulmine afflantur, non illico feriuntur; quod Berneggerus ex Freinshemii Indice ad Florum animadvertit. *Schwarz.*

Afflaverat] Ad eundem sensum Florus III. 9. 'Italiam jam, ipsamque urbem Romam, regius terror affla-

bat.' At 'fulmine afflati,' exponente Freinshemio, in Indice ad Florum, dicuntur, qui non prorsus feriuntur, sed ejus fervore et halitu perstringuntur. Vide ibi exempla plura. Addo ego hoc ex Heinsii (at cujus viri!) Panegyrico, in gratam duorum regum, maxime assertoris nostri communis, memoriam ac laudem, quo de ibi: 'Fredericum, Bohemorum regem, tot annos exulem, extorrem, profugum, ad suos ire revocasti: tot principibus ex eo genitis, quos ante vitæ usum sortis inclementia ac tonitru afflarat, spem, splendorem, lucem peperisti.' *Bern.*

Iisdem] Confirmat hoc ipsum Epist. v. 15. 'Cornuto quid melius? quid sanctius? quid in omni genere laudis ad exemplar antiquitatis expressius? . . . Una diligimus, una diliximus, omnes fere quos ætas nostra in utroque sexu æmulandos tulit; quæ societas amicitiarum arctissima nos familiaritate conjunxit.' *Patarol.*

Eosdem amissos] Lipsianæ editiones habent *eosdem amicos;* nescio an ex errore typographorum. In ceteris omnibus libris, manu typisque exscriptis, occurrit vulgata lectio; et ipse Lipsius in commentario suo nihil de hac varietate monuit. *Schwarz.*

Sicut nunc spes] In codicibus Mss. Vaticano 3461. Parisiensi, utroque Veneto, Guelphico, Salisburgensi, meo, et in Patavino, atque in Hackiana editione, deest particula *nunc;* quam tamen loco suo movere nolim. *Idem.*

Etsi minus] Lipsio hæc visa sunt in vitio esse, ægre sine libris tollendo. Idem nisus est defectum sic supplere, *ut nos, etsi minus notos, ut bonos tamen promovere vellet.* Quod supplementum in contextum Panegyrici admisere Berneggerus, Hackius, Gesnerus. At omnes codices Mss. et ceteri libri impressi, quos vidimus, exhibent lectionem vulgatam, quam et nos exprimendam curavimus; nisi quod in codicibus Mss. Vatican. 3461. Parisiensi, utroque Veneto, Salisburgensi, Guelpherbytano, et meo, itemque in paucis editionibus, particula *tamen* sit prætermissa. Lipsii emendatio fundit sententiam satis perspicuam; cui et verisimilitudinem quandam conciliare videntur sequentia verba, 'quorum præcipuum votum ante fuerat, ut memoriæ principis elaberenter. Neque eos reprehendendos puto, qui in ista ambiguitate Lipsium interim sequuntur. Certum tamen est, hanc emendationem Lipsianam omnium antiquorum librorum consensu adhuc destitui. Arntzenius ideo non subscribendum esse Lipsio censet; quia, si ipse Plinius se, et collegam suum, Cornutum, vocasset 'viros bonos,' nemo non talem jactantiam in Plinio miraretur. Sed ego neutiquam miror, neque pro jactantia habeo; cum ipse, iv. 15. dixerit, 'Cur enim non me quoque inter bonos numerem?' Interim vir doctiss. sic interpungit explicatque vulgatam lectionem, '*Habuerat hunc honorem periculis nostris Divus Nerva, ut nos, etsi minus ut bonos, promovere vellet.* Sensus est, inquit: Si non extulerit nos ad dignitates, ideo quod boni essemus; id fecit tamen, ut honorem haberet nostris periculis; ideo scilicet, ut sub bono principe felicitate seculi frueremur, qui sub malo damna pati debueramus. Nihil planius, nihil humanitate Pliniana dignius; et hanc expositionem sequentia confirmant.' Hæc Arntzenius. Non repeto nunc, quæ contra hanc lectionem, ejusque interpretationem, attulit Gesnerus in Epistola de sua Plinii Junioris editione. At primum dubito, an sententia ista, quam expressit Arntzenius, fluat ex verbis Plinianis, prout jacent. Deinde credo, Plinium parum laudis adscripturum fuisse Nervæ, si quidem dixerit, se et Cornutum minus ut bonos viros a Nerva esse promo-

tos. Nonne enim Plinius supra, XLV. 3. in præcipua laude Trajani posuit? 'Tu amicos ex optimis legis. . . . Hos ergo provehis, et ostentas, quæ tibi secta vitæ, quod hominum genus, placeat.' Cur, quæso, nunc in Nerva laudet, quod hic *minus bonos* promoverit provexeritque? Ego itaque retineo quidem etiam vulgatam, et ab omnibus codicibus Mss. confirmatam lectionem; sed aliam ejus supplendæ, vel explicandæ, rationem ineo; neque cum Arntzenio aliisque particulam *minus*, ad *ἐπίθετον bonos*, sed ad verbum *promovere* refero, sicque locum hunc concinnandum duco, *Habuerat hunc honorem periculis nostris Divus Nerva, ut nos, etsi minus* promoveret, *ut bonos tamen promovere vellet.* Nempe, cum Domitianus bonos otio et situ abstrusos, et quasi sepultos, non nisi delationibus et periculis in lucem ac diem proferret, ut Plinius supra, XLV. 2. dixerat; jam Nerva e contrario, post illa bonorum pericula, constituerat, præter alios, Plinium et Cornutum, ut bonos viros, promovere, eosque præfecturæ ærarii destinatos ad honores evehere; quamvis morte præventus, hos ipsos, cum tempus antecedentium præfectorum ærarii nondum elapsum esset, nec dum promoverit; unde Plinius significanter dixit, *promovere vellet:* quam vero destinationem demum post obitum Nervæ executus est Trajanus. Loquitur vero Plinius omnino de præfectura ærarii, quam mox vocat 'officium laboriosissimum et maximum.' Quæ res, ut magis pateat, ex vita Plinii, secundum ductum Massonis, nunc breviter est explicanda. Nempe Plinius, ut ipse innuit in fine hujus Panegyrici, jam sub Domitiano, insidiosissimo principe, antequam hic profiteretur odium bonorum, provectus est ad quosdam honores. Nam circiter annum Christi LXXXII. in Syria militavit, tribunum militum agens. A. C. LXXXVII. in XIII. consulatu Domitiani, quæsturam obtinuit, tanquam primum in senatu gradum. A. C. XCI. munus tribuni plebis suscepit. A. C. XCIII. præturam gessit, cum philosophi ex urbe expellerentur. Post præturam vero inter mœstos paventesque latuerat, nullas ambiens dignitates. Quanto autem in periculo sub Domitiano fuerit Plinius, vel ex eo intelligimus, quod, si Domitianus diutius vixisset, Plinius se reum vidisset. Nam in scrinio Domitiani datus a Caro de Plinio libellus inventus est; quod ipse narrat Epist. VII. 7. sub finem. Postquam Domitiano, A. C. XCVII. XIV. Kalend. Octobr. occiso, Nerva successisset, hic, exeunte circiter A. C. XCVII. 'voluerat Plinium et Cornutum promovere ad præfecturam ærarii,' quamprimum hæc vacaret; sed imperator optimus, d. 27. Jan. A. C. XCVIII. morte præventus, nondum eos re ipsa promovit; sed eam destinationem explevit Trajanus, Nervæ successor. Nihilo minus Plinius, pro grati animi sui pietate, utrique imperatori hunc honorem acceptum retulisse videtur, Epist. X. 20. 1. et XXIV. 3. Quam circumstantiam non satis animadvertit vir alioquin accuratissimus, Jo. Masson, dum putavit, Plinium nullo modo Nervæ debuisse præfecturam ærarii. Quæ cum ita sint, jam constare puto, cur hunc locum Plinii ita restituendum et explicandum existimarim, *ut nos, etsi minus promoverit, ut bonos tamen promovere vellet.* Scilicet verbum *promoverit*, sive *promoveret*, vel dudum excidit, ac nunc restitui debet; lenius autem id, cujus vestigia jam præsto sunt in textu, quam prorsus alienum verbum, restituitur; vel saltem *κατὰ σύλληψιν* animo est supplendum: cujusmodi *συλλήψεως* exempla quædam jam supra notavi ad LXXXIX. 3. ubi similiter Plinius dixerat, 'Non minor tamen vestra laus, quod ista per filium, (meruistis,) quam si ipsi me-

ruissetis.' Idem Paneg. LXI. 3. 'Illos tamen tu, quanquam non potuisti tibi æquare, cum velles, adeo in edito collocasti,' &c. Ad quem modum etiam nostrum locum rescribere possemus, *ut nos etsi minus promovere posset, ut bonos tamen vellet.* Idem Epist. I. 6. 'Neque enim est fere quisquam, qui studia (amat) ut non simul et nos amet.' Epist. II. 1. 'Perfunctus est tertio consulatu, ut summum fastigium privati hominis impleret; cum principis (fastigium implere) noluisset.' Epist. IV. 1. 'Contingat modo, te filiamque tuam fortes invenire! nam (nos inventuros esse vos) hilares, certum est, si nos incolumes receperitis.' Liv. XLIII. 17. 'Ne, quod bello captos et hostes mos esset, (ignominiæ accipere;) id pacatæ et sociæ civitates ignominiæ acciperent.' Hoc ipsum autem concisum dicendi genus fraudi fuit orationi Plinii, ut viri eruditi in hoc loco explicando mire se torserint, aut eum cum Baudio depositæ salutis existimarint. *Idem.*

Etsi minus] Hæc in vitio sunt, ægre sine libris tollendo. Nitebar, *etsi minus notos, ut bonos.* Pro virtute, non ex amicitia promovit. Quibusdam etiam libris mox illud *tamen* abest. *Lips.*

Ut bonos tamen] Abest V. C. τὸ *tamen:* male fortasse. *Ritter.*

Præcipuum votum] Codex Guelpherb. habet *primum votum.* Pro ultimo hujus capitis verbo, *elaberentur*, in codice Vaticano 1475. Veneto utroque, Patavino, meo, et libro Vossiano, item et in Puteolani ἐκδόσει, mendose scriptum est *elaberemur.* Schwarz.

Elaberentur] Ne noti et cogitati, periclitarentur. *Lips.*

Elaberentur] Sen. Ben. v. 25. Optanda erat oblivio. 'Nam memoria cum periculo, et pronior læsisse.' *Bern.*

CAP. XCI. *Nondum biennium*] Quande igitur, aut a quo, electi ad hoc officium? Ut hæc verba palam volunt, a Nerva; at quin epistolam Plinii video, quæ repugnat, et ad Trajanum ipsum refert. Ita enim habet Epist. X. 3. 'Ut primum me, domine, indulgentia vestra promovit ad præfecturam ærarii Saturni.' Satin', hoc clare ad Trajanum? Respondeo, *vestram indulgentiam* ibi legi, non *tuam:* itaque ad utrumque referendum, et Nervam et Trajanum. Sic enim et in Epist. 8. 'Postea curis delegati a vobis officii retentus:' de ipso hoc officio, et de utroque illo auctore. Neque enim temere hoc numero ad Trajanum solum uti solet. Meo igitur judicio, electus Plinius cum Tertullo ad hoc munus, adoptato jam Trajano et imperii consorte: atque ita utrumque, etsi Trajanus absens, promotorem agnoscit. Hoc evenit paucis ante Nervæ obitum septimanis, an mensibus: nec opinor, etsi designatos, munus obiisse ante Januarium mensem. Bene ergo hic, *nondum biennium* in officio expletum: quia consulatus ei oblatus (ita et hic loquitur) ante Januarium mensem. Oblatus inquam a principe, qui re vera solus faciebat consules; sed postea tamen in senatu suffragiorum aliqua species, et in campo comitiorum, ut sequentia declarant, quæ vide, ne aliter acceperis, et ne te fallant. *Lips.*

Compleveramus] *Compleramus* Livin. in textu; sed in margine, *compleveramus* V. C. R.

In officio laboriosissimo] Præfecturam ærarii sentit. Infra, 'quod nobis præfectis ærario consulatum ante, quam successorem, dedisti.' Vide Epist. v. 15. I. 10. 'Nam distringor officio, ut maximo, sic molestissimo,' &c. *Livin.*

In officio laboriosissimo] De quo ipse Epist. I. 10. 'Distringor officio, ut maximo, sic molestissimo. Sedeo pro tribunali, subnoto libellos, confi-

cio tabulas, scribo plurimas, sed illiteratissimas, literas.' Post quam epistolam tamen mortem Verginii Rufi memorat, quæ diu anterior; ut appareat, seriem temporum, in disponendis illis, non ubique servatam. *Lips.*

Officio laboriosissimo] I. e. de præfectura ærarii, de qua jam dictum. *Patarol.*

In officio laboriosissimo et maximo] Intelligit Plinius 'præfecturam ærarii Saturni,' in qua collegam habuit Cornutum Tertullum. De eo, Epist. v. 5. 'Idem enim,' inquit, (Cornutus) 'mihi, ut scis, collega quasi voto petitus in præfectura ærarii fuit; fuit et in consulatu.' Et de hoc ipso officio, Epist. I. 10. 'Distringor officio, ut maximo, sic molestissimo. Sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas, scribo plurimas, sed illiteratissimas literas.' De præfectis ærarii adhuc non nihil sub initium capitis sequentis afferam. Olim quæstorum, item prætorum, quibus commissa erat cura ærarii, munus fuit annuum; sed sub Claudio, quod Dio Cassius lib. LX. commemorat, duo iidem quæstores tres annos eam curam sustinuerunt; sub Nerva autem et Trajano, quod ex hoc loco colligimus, præfecti ærario muneri præfuerunt biennium. Præterea ex hoc loco simul manifeste intelligimus, Plinium et Cornutum nondum sub Nervæ imperio hanc præfecturam reipsa adiisse; quamvis sub nota præcedentis capitis monuerimus, Nervam utrosque huic muneri destinasse. Nerva, ut diximus, obiit d. 27. Jan. A. C. 98. Jam, cum Trajanus Kalendis Januariis A. C. 100. aut paullo ante, cum ipse designaretur consul tertium, iisdem obtulerit consulatum, ubi nondum biennium præfecturæ ærarii a Plinio et Cornuto gestæ completum erat; hujus præfecturæ initium neutiquam a tempore vivi Nervæ repetere possumus; sed demum a tempore imperii Trajani, qui sine dubio tunc absens destinationem a Nerva factam, haud ita diu post Nervæ obitum confirmavit. Certum diem et mensem hujus initii definire haud possumus. Ceterum, in libris scriptis legimus *compleveramus*; in nonnullis impressis, *compleramus*. Schwarz.

Gloria celeritatis] Christophoro Behrio videtur fuisse Plinio in animo, dicere de *gratia*, non de *gloria celeritatis*; non certe sine ulla ratione. Primum enim omnis beneficii et honoris eo major est *gratia*, i. e. laus, commendatio, et suavitas; quo citius celeriusque defertur. Sic Seneca de Benef. II. 5. 'Verissimum existima,' inquit, 'quod ille Comicus dixit: Quid? tu non intelligis, tantum te gratiæ demere, quantum moræ adjicis? .. Major est muneris gratia, quo minus diu pependit.' Ibid. cap. 6. 'In omni negotio non minima portio est, quomodo quidque aut dicatur aut fiat. Multum celeritas fecit; multum abstulit mora.' Dicitur vero *gratia celeritatis*, haud secus ac apud Quinctilianum, aliosque, 'gratia ingenii,' 'gratia orationis,' 'sermonis,' 'varietatis,' et aliorum hujus generis. Deinde apud Plinium mox sequuntur hæc verba, quæ cum *gratia* convenire videntur: 'qui beneficiis suis commendationem ex difficultate captabant, gratioresque accipientibus honores arbitrabantur.' Huc accedit, quod ista nomina, *gratia* et *gloria*, propter quandam literarum similitudinem facile commutari potuerunt; et doctiss. Drakenborch. ad Sil. XIII. 664. jam hujusmodi commutationis exempla annotavit. Nihil tamen contra omnium librorum suffragia in vulgata lectione audeo mutare. Satis bene *honor* et *gloria* posse jungi videntur. 'Summum honorem' detulit Trajanus Plinio et Cornuto, dum ei obtulit consulatum; auxit hunc honorem majore gloria, quod tam promte et cito eis consulatum

detulit. Inanis autem mutatio est, cum librarii in codicibus Mss. Vaticanis, 3461. et 1475. item et in Guelpherbytano, pro voce *celeritatis*, reposuerunt *claritatis;* haud secus ac in meo et Patavino codice, libroque Vossiano, nomen *celebritatis* invenitur. Sic et in Guelph. ac meo codice, particula caussalis *enim* inseritur proximis verbis, *Tantum enim inter te et illos, &c.* Idem.

Ex difficultate] Ars nec ignota nostris aulicis, quibus 'hoc vitium est (cum Seneca dicam) ambitione prava differendi promissa, ne minor sit rogantium turba.' Plura ille de hoc genere, de Benef. II. 5. *Lips.*

Ex difficultate] Verum 'æquiore animo ferunt, præcidi spem suam, quam trahi,' Sen. Benef. II. 5. 'Spes, quæ differtur, affligit animam; lignum vitæ, desiderium veniens,' Proverb. XIII. 12. Martial. VII. 42. 'Primum est, ut præstes, si quid te, Cinna, rogabo: Illud deinde sequens, ut cito, Cinna, neges. Diligo præstantem, non odi, Cinna, negantem; At tu nec præstas, nec cito, Cinna, negas.' *Bern.*

In notam quandam] Epist. II. 6. 'Eadem omnibus pono: ad cœnam enim, non ad notam invito, cunctisque rebus exæquo, quos mensa et toro æquavi.' Porcius Latro apud Senecam patrem Controv. I. 1. 'Parentibus meis, cum in cetera odium sit, tantum in meam notam convenit.' Propertius, 'Nunc in amore tuo cogor habere notam.' *Livin.*

In notam] Ignominiam. *Lips.*

In notam quandam pudoremque vertissent] Apud Latinos vulgare est, ut 'nota' in malam partem accipiatur, ac labem turpitudinemque designet; cum turpitudine aliqua affecti facile innotescant. Et sic 'pudor' quoque hic sumi videtur pro 'dedecore;' quia dedecus est pudoris caussa. 'Notam' absolute poni pro ignominia et 'turpitudinis nota,' etiam pluribus exemplis comprobavit Burman. ad Phædr. I. 3. 11. 'A quo repulsus, (graculus,) tristem sustinuit notam.' Insolentior vero locutio est apud Plinium, 'vertere aliquem in notam et pudorem;' cujus formulæ simile exemplum mihi duntaxat ex alio auctore non succurrit. Et nescio an liceat casum quartum pronominis *illos* in casum tertium *illis* mutare, ut verba hæc hunc in modum legamus, *Si prius illis desperatio, et tædium, et similis repulsæ mora, in notam quandam pudoremque vertissent*, i. e. versa essent. Cf. notata ad XC. 2. *Schwarz.*

Pudoremque] Seu ex non impetrato beneficio, quasi impetrare non meruerit; seu quasi pudendum esset, dum peterent rem, quæ videretur acquisita. *Patarol.*

Ut amori recti] Sic supra, 'magister recti.' Sic Ovid. 'Ipse decor recti, facti si præmia desint, Non movet,' &c. Sic alibi, 'Species recti,' τοῦ καλοῦ, τοῦ κατορθώματος. *Ritt.*

Consulibus æquaveris] I. e. consulibus priscis nos virtute pares esse, nihilque cedere, judicaveris. In sequentibus verbis, *Merito, nec ne*, codex Salisburg. et meus, particulam *ne* perperam omiserunt; at codex Patavinus et liber Vossii, aliquantum melius, suppressa particula *nec*, habent *Meritone*. Satius tamen est, retineri lectionem vulgatam. *Schwarz.*

Et onerosum] I. e. est etiam nobis instar oneris, cui ferendo impares sumus, si affirmemus vera esse, quæ de nobis dixisti; quia sic nimium nobis arrogaremus, nimiumque de nobis promitteremus. Vide ad XXIV. 1. et LXXVIII. 6. *Idem.*

Possis ista] In codicibus Mss. Vatic. Paris. utroque Veneto, et meo, voces hæ sic transponuntur, *ista possis*. Ex libro Vossiano verbum *possis* male exulat; et in eodem, itemque in codice Patavino, pro *tribuas*, scriptum est *tribuis*. Quinctil. Instit.

Orat. VII. 4. 'Centumviri tribuere debent veniam.' Plin. Epist. VIII. 14. 'Errori tribuas veniam.' *Idem.*

Nos rursus collegas esse voluisti] Nempe nos amicissimos rursus conjunxisti consulatu, cum adhuc in præfectura ærarii fuerimus collegæ. Pronomen *nos* temere neglectum est in Vatic. 3461. Parisiensi, et meo. 'Charitas mutua,' scilicet inter me et collegam Cornutum. *Idem.*

Tenor vitæ] I. e. continua et sibi consentiens vivendi ratio. Plinius supra, LXXXIV. 4. de conjuge et sorore Trajani, 'Idem utrique propositum, idem tenor vitæ.' Seneca Epist. 32. 'Huc et illud accedat, ut perfecta virtus sit, æqualitas ac tenor vitæ per omnia consonans sibi.' Ovid. Heroid. Epist. XVII. 14. 'Dumque tenor vitæ sit sine labe meæ.' Liv. XXII. 15. 'Obstinatus tamen eodem consiliorum tenore æstatis reliquum extraxit.' In verbis sequentibus, *ita una eademque ratio*, duas priores voces, *ita una*, prorsus omittit codex Patavinus, itemque punctis subnotatas, easque tanquam delendas, exhibet liber Vossii; et poterant abesse, salva sententia; sed eas confirmant omnes libri reliqui. *Idem.*

Gloriam minuat] Quia nempe non tam gloriosum habetur, quod fit ex naturali propensione, qualis videtur esse morum similitudo, quam quod fit ex virtutis studio. Magis inusitatum et admiratione dignum est, si homines alioquin ingenio et moribus dissimiles inter se concordaverint. *Idem.*

A se ipse] *A se ipso* Livin. in textu; sed in margine, *a se ipse* V. G.

A se ipse] *A se ipso.* Veræ amicitiæ unicum, 'idem velle et idem nolle,' veluti *μία ψυχὴ ἐν δυοῖν σώμασιν, una anima in duobus corporibus.* Bern.

Non ergo temporarium et subitum est] Germanicus interpres, Dammius, hæc verba reddidit, *Es ist nicht ein kurzer und flüchtiger affect.* Utique *temporarium* alias dicitur momentaneum, atque ad breve tempus durans. Sic Senecæ Epist. 9. amicitiæ, utilitatis caussa ad breve tempus comparatæ, dicuntur 'temporariæ:' 'Hæ sunt,' inquit, 'amicitiæ, quas temporarias populus appellat.' Quinctil. V. 10. dicitur 'temporarius animi motus.' Ipse Plin. Epist. V. 13. 'Nonnulli, quorum temporaria gravitas, vel potius gravitatis imitatio, ridebatur.' Sed puto posse aliquantum significantius reddi: *Es ist nicht eine übereilte und ohngefehr geschehene sache.* Hoc enim loco *temporarium* videtur sumendum pro extemporali, sive pro eo quod agitur ex tempore, et ex inconsulto animi impetu, sine prævia consideratione ac deliberatione; quod Seneca, de Benef. lib. VI. vocat 'tumultuarium et incogitatum opus.' Certe *temporarium* et *subitum* conjunguntur, ut opponantur *meditatis* et bene perpensis. Sic Eumenius pro Instaur. Schol. cap. 2. vocat 'temporarium dicendi genus.' Ipse Cic. de Orat. I. 32. 'Subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit.' Plin. Epist. I. 8. 'Ut subitæ largitionis comitem, pœnitentiam, caveremus.' Epist. I. 16. 'Sive meditata, sive subita, proferret.' *Schwarz.*

Temporarium et subitum] Plinius Major XVI. 23. 'Nec terræ tantum natura circa has refert, verum et quædam temporaria vis.' Eumenius pro Restaur. Scholis: 'Contestatum esse initio dicendi apud audientes volo, temporarium me dicendi munus, atque id ipsum studiis meis peculiariter commodare.' *Livin.*

Uterque collegæ consulatu] I. e. uterque gaudet fruiturque non tantum consulatu sibi delato; sed etiam gaudet consulatu collegæ, haud secus ac suo, eoque quasi iterum, sive secundum, sibi delato: neque enim alter minus lætatur consulatu collegæ, quam proprio. Codex Guelpherb. pro

gaudet, minus congruenter habet *gaudeat*. Schwarz.

Iterum suo] Non quod alteruter ante consul; sed acumen est, quod uterque in collegæ consulatu videatur sibi consul. Itaque bis, et eodem tempore atque anno. *Lips.*

Nisi quod tamen] I. e. veruntamen, &c. Cf. ad LXXXV. 5. *Schwarz.*

Qui rursus consules fiunt] I. e. qui iterum, sive secundum, consules fiunt, bis quidem obligantur tanto honore, bisque gaudendi nanciscuntur occasionem; v. g. uti Cornelius Palma, volente Trajano, A. C. 99. primum consulatum gessit; A. C. 109. iterum fuit consul; hic quidem bis, sed temporibus diversis, hoc honore et beneficio sibi delato obligatus est: dum autem Plinius et Cornutus, tanquam conjunctissimi et intimi amici, simul et eodem tempore consulatum acceperunt et gesserunt, non simplicem, sed quasi duplicem consulatum, accepisse et gessisse sibi visi sunt; unum nempe uterque pro sua persona, alterum in persona amici et collegæ; quoniam honorem, qui amico contigit, alter quasi pro honore sibi delato habuit; haud secus ac Plinius de Trajano supra, L. 7. dixit, 'Nihil magis tuum credis, quam quod per amicos habes.' Et Ovid. de consulatu amici sui, ex Ponto IV. 9. 14. 'Nec minus ille meus, quam tuus, esset honor.' In his fere nimis argutatur Plinius; sed parum abest, quin similes Ovidii argutias præ oculis habuisse videatur. Ovidius enim, loco citato, vs. 59. seqq. ubi gratulatur Græcino de consulatu assignato, dicit, mutuum gaudium fratrum fore, si alter alteri in consulatu sit successurus: 'Altera lætitiæ, nec cedens caussa priori, Successor tanti frater honoris erit. Nam tibi finitum summo, Græcine, Decembri Imperium Jani suscipit ille die. Quæque est in vobis pietas, alterna feretis Gaudia, tu fratris fascibus, ille tuis. Sic tu bis ·ris consul; bis consul et ille; Inque domo binus conspicietur honor.' Haud dissimilem lusum supra, ad p. 812. annotavi ex Martiale, VIII. 66. 'Gaudenti superest adhuc, quod optet, Felix purpura, tertius consul. . . . Silius frequentes Mavult sic numerare consulatus:' ubi Martialis Silio poëtæ videtur tres adscribere consulatus; cum is tamen unum tantummodo, eumque ordinarium, gessisset sub Nerone; alterum vero gerebat ejus filius natu major sub Domitiano; tertium consulatum Martialis optat filio natu minori: hos tamen omnes numerabat Silius pater tanquam suos consulatus; quia hic per filios consules consul quoque esse sibi videbatur. Ceterum animadvertimus in codicibus Mss. Vatic. Salisburgensi, Patavino, et meo, scriptum esse, *accepimus simul, simul gerimus;* quam scripturam etiam Livineius ex vetere codice annotavit; ubi omnes, ni fallor, excusi pro *accepimus* habent *accipimus;* nec illud tamen prorsus displicet. *Idem.*

Alterque in altero consules] I. e. nos mutuo consules sumus; ego in illo, ille in me. Numerus multitudinis *consules* habetur in codice Ms. Parisiensi, et in Lipsii, Boxhornii, Cellarii, aliorumque paucorum, libris excusis. At H. Stephanus, Elzevir et Rivinus edidere, per compendium, *cos.* In codicibus Mss. Vatic. Salisburgensi, et Guelpherb. itemque in Puteolani, Catanæi, Cuspiniani, Rhenani, et Philomusi libris, legitur *cons.* In codice Veneto 2. et libro Vossiano, pariterque in Beroaldi, Aldi, R. Stephani, Livineii, Gryphii, Sichardi, et Baunii libris editis, expressus est numerus singularis, *consul.* Veteres Romani, si numerum multitudinis *consules* exprimere voluere, scripserunt *Coss.* Ambigo, uter numerus hic admittendus, *consul* an *consules;* utrumlibet locum habere posse puto; interim numerum multitudinis libentius admisi, quia referri potest ad antecedens pronomen *nos.* Sic Liv. lib.

v. cap. 11. 'Noxii ambo, alter in alterum caussam conferunt.' Plin. Epist. I. 5. 'Cum alter ad alterum tenderemus.' Idem Epist. VI. 5. 'Mihi peracerbum fuit, quod alter alteri, quid pararent, sunt indicati.' *Idem.*

Accipimus] *Accepimus* V. *Livin.* Recte. *Rittersh.*

Sed iterum, et pariter] *Iterum*, i. e. bis consules sumus; *et pariter*, i. e. simul collegæ sumus. Christoph. Behrius putavit, pro particula *sed*, rescribendum esse *et;* non certe præter rationem; verum nullus liber alicui innovationi lenocinatur. *Schwarz.*

CAP. XCII. *Præfectis ærario*] Dicitur 'præfectus ærarii,' ut hoc loco; et 'præfectus ærarii,' ut Ep. III. 4. 2. et Ep. IX. 13. 11. quemadmodum et hoc loco habet codex Patavinus, et liber Vossii *Præfectis ærarii.* Ærarium Saturni in foro erat Romæ; unde Plin. Ep. X. 20. 1. 'Ut primum me, domine, indulgentia vestra promovit ad præfecturam ærarii Saturni.' Etenim in templo Saturni non solum pecunia publica, sed etiam tabulæ publicæ senatus consultorum, et alia monimenta, item et signa militaria, asservabantur; propterea quod, regnante Saturno, fides et justitia præcipue floruisse perhibebatur, tradente Plutarcho Quæst. Rom. n. 41. In republica libera quæstores urbani huic muneri præfuerunt; a quibus autem sub imperatoribus cura hujus ærarii administrata fuerit, breviter exponit Tacit. Annal. XIII. 29. 'Dein princeps (Nero) curam tabularum publicarum a quæstoribus ad præfectos transtulit. Varie habita ac sæpe immutata ejus forma; nam Augustus permisit senatui deligere præfectos; deinde, ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur ex numero prætorum qui præessent; neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius quæstores rursum imposuit, iisque, ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores promisit. Sed deerat robur ætatis eum primum magistratum capessentibus. Igitur Nero prætura defunctos, et experientia probatos, delegit.' Hæc forma adhuc sub Nerva et Trajano obtinuit, ita ut hi præfecti post præfecturam brevi consulatum adipisci solerent. Unde Plin. Epist. XIII. 11. 'Lacessis hominem jam præfectum ærarii, et brevi consulem.' Sic et ipsi Plinio ac Cornuto, cum nondum biennium præfecturæ ærarii complevissent, consulatus a Trajano oblatus est. Istam vero Taciti narrationem illustrat Lipsius, in Excursu B. ad Tacit. Annal. XIII. illustrat et Vertranius, ad citatum Taciti locum, in editione Græviana. Ceterum, cum Octavianus Augustus etiam peculiare ærarium militare primus instituerit, et prætoriis viris tribus sorte lectis ad triennium mandarit, testibus Dione lib. LV. et Sueton. Aug. c. 49. Jo. Masson. in Vita Plinii Junioris, ad A. C. 98. annotavit, non liquere, eamne præfecturam ærarii militaris, hisce Trajani temporibus, ab illa præfectura ærarii Saturni distinctam, an unam eandemque fuisse; quanquam hoc verisimilius existimet, ex Tacit. Annal. v. 8. ubi de P. Vitellio, 'Illum,' inquit, 'indices arguebant, claustra ærarii, cui præfectus erat, et militarem pecuniam, rebus novis attulisse.' *Schwarz.*

Præfectis ærario] Ii erant primo quæstores, deinde ædiles, tertio prætores, (Suet. Aug. c. 36. Claud. c. 24.) denique præfecti, sive prætorii, h. e. prætura functi, non prætores, iique biennium ex sanctione Neronis. Id. Plin. de se et Tertullo, 'Nondum biennium,' &c. *Bern.*

Dedisti] Ergo videtur unum idemque, quando Plin. XCI. 1. dixit, 'tu nobis consulatum obtulisti;' et hoc loco, 'nobis consulatum ante, quam successorem (in præfectura ærarii,) dedisti.' Pro voce *successorem*, codex Patavinus habet *successionem.* Quæritur vero, quo tempore Trajanus Plinio Cornutoque dederit consulatum? Cre-

do in comitiis consularibus, quæ habita mense Januario, A. C. 100. ubi Trajanus imp. tanquam consul III. in campo Martio consules suffectos illius anni declaravit et renuntiavit, quos judicio et suffragio suo paullo ante in curia destinaverat consulatui. Nam jam illo mense Januario, cum caussa Marii Prisci ageretur, Cornutus Tertullus, collega Plinii, vocabatur consul designatus; quod ex Epist. II. 11. et 12. cognoscimus. Ipsum tamen hunc consulatum pro more illius temporis bimestrem ambo demum mense Septembri illius anni adierunt, et usque ad Kalendas Novembres gesserunt. *Schwarz.*

Nec continuatus tantum] Codices Vaticani, uterque Venetus, Guelpherbytanus, et meus habent *nec*, ubi vulgo legitur *neque*. Ita vero Plinius et Cornutus præfecturam ærarii adhuc aliquantisper detinuerunt, cum jam consules designati essent; alias Plinius non dicere potuisset, *Aucta est dignitas dignitate; nec continuatus tantum, sed geminatus est honor.* Neque honor consulum designatorum fuit sine prærogativa; cum cingendi, ut proverbio dicitur, haberentur pro cinctis. Saltem consules designatos ante viros consulares in curia sedisse, et a consule ordinario prius interrogatos esse, jam alibi monuimus. *Idem.*

Potestatis alterius] I. e. præfecturæ ærarii. 'Potestas' ponitur pro magistratu. Etsi enim in lege 3. D. ad legem Juliam Majest. 'potestas' a 'magistratu' distingui videtur; alibi tamen sæpe quilibet magistratus dicitur 'potestas.' Paullus lege 215. D. de Verbor. Signif. 'Potestatis vero nomine,' inquit, 'plura significantur: in persona magistratuum, imperium; in persona liberorum, patria potestas; in persona servi, dominium.' Val. Max. II. 8. 2. 'Ne in honore triumphi minor potestas (magistratus) majori æquaretur.' *Idem.*

Excipere, prævenit] In meo codice incommode repositum est *accipere*, pro *excipere*. Sumitur vero verbum *excipere*, hoc loco, pro sequi, sive, post finem alterius succedere. Sic Liv. v. 42. 'Nox diem excipit.' Plin. Epist. II. 17. 'Utramque (viam) excipit iter aliqua ex parte arenosum.' Cf. Epist. v. 25. In scribendo verbo *prævenit*, librarii aliquoties aberrarunt; cui errori occasionem dedit compendiosa scriptura particulæ *præ*, in verbo composito. In codicibus Vaticanis, Veneto 1. Salisburgensi, et Patavino, scriptum est *pervenit*; in meo codice adhuc pejus, *quæ venit*. Livineius in margine notaverat, forte vocem *altera* inseri debere, ut legatur *altera* (scil. potestas) *prævenit*. Quod supplementum approbavit Rittershusius. Verum nullo opus est supplemento, quod etiam agnovit Arntzenius, cum et mente repeti possit 'potestas,' i. e. honor consularis, isque tunc saltem designatus, *prævenit finem potestatis*, sive finem honoris *alterius*, i. e. præfecturæ ærarii. Verbo 'prævenire' ad eundem modum usus est Quinctil. Instit. Orat. XII. 6. 'Prævenit vires fiducia.' *Idem.*

Prævenit] Non ipse consulatus, quem tardius gesserunt, sed ipsa designatio. *Lips.*

Facturum] Vulgo additur infinitivus verbi substantivi, *esse facturum*; sed recte omittitur in codicibus Vaticanis, Parisiensi, ambobus Venetis, Salisburgensi, Guelpherbytano, et meo; nam mox idem infinitivus recurrit, 'privatos esse,' ubi is magis necessarius videtur. *Schwarz.*

Privatos esse] 'Privati' aliquando opponuntur principi; tunc omnes sunt privati, etiam summis magistratibus præditi; solus princeps non est privatus. Vide notata ad XXI. 4. et ad LV. 6. Sic ipse Trajanus, cum adhuc senator esset, et consularis, et præses provinciæ; nihilo minus tamen, respectu Nervæ imperatoris, supra a Plin. VII. 2. vocatur 'privatus.' Tunc adeo consul quoque pri-

vatis annumerabatur. Plin. Epist. II. 1. de Virginio Rufo: 'Perfunctus est tertio consulatu, ut summum fastigium privati hominis impleret, cum principis noluisset.' Aliquando 'privatum' opponitur publico, et 'privati' dicuntur, qui sine magistratu sunt; uti hoc loco, ubi Trajanus dicitur noluisse Plinium et Cornutum, post maximum officium præfecturæ ærarii, *esse privatos;* quia in præfectura ærarii, et in consulatu, non fuerint privatæ, sed publicæ personæ. Hoc modo et respectu, consules, prætores, præfecti, aliique magistratus, non inter privatos habebantur; immo neque consules designati. Sic Tacitus aliquoties privatos opponit magistratibus; v. g. Annal. VI. 2. 'Quos deligi posse? semperne eosdem, an subinde alios? et honoribus perfunctos, an juvenes? privatos, an e magistratibus?' Idem Annal. XV. 21. 'Olim quidem non modo prætor, aut consul; sed privati etiam mittebantur, qui provincias viserent.' *Idem.*

Privatos esse] Non quod re vera designati magistratus sint, sed quodammodo, et quia dignitatis suæ jam securi et certi. *Lips.*

Eundem in annum] Nihil deest, nec muto. Eundem in annum, nempe in quem tuum contulisti. *Idem.*

Eundem in annum] Mendum est aperte; nam urgere Plinium, quod eo anno consulatum gessisset, quo ordinarius consul Trajanus, perspicue sequentia docent. Et alioqui jam dixerat, 'quod nos rursus collegas esse voluisti.' Rursus, id est, 'in consulatu, ut in prætura ærarii prius.' Itaque *tuum* pro *eundem* reposueram, bene ad mentem et sententiam. Sed plenius et emendatius, opinor, apud Onuphrium nuper Commentario in I. Fastorum scriptum reperi, *eundem in annum consulatus tui consulatum nostrum contul.* Quod sequor. *Livin.*

Eundem in annum] In quo tuum, tertium nempe, consulatum geris; quod conjicitur ex eo, quia electi ad præfecturam a Nerva eandem per biennium circiter obtinuerunt; cum enim Nerva uno tantum anno imperaverit, sequitur, ut secundus eorum præfecturæ annus in secundum Trajani imperii inciderit, in quem incidit et tertius ejus consulatus, ut patet ex Fastis. *Patarol.*

Eundem in annum consulatum nostrum contulisti] Nempe, in quo tu per quatuor priores menses consulatum ordinarium gessisti. Livineius pro voce *eundem* reponendum existimavit *tuum.* Quanquam hæc sententia etiam hoc modo expleri posset, *eundem in annum consulatum tuum et nostrum contulisti.* Immo, melius Onuphrius Panvinius Fast. I. p. 7. qui locum hunc fortasse ex codice quodam vetusto certe apte completum, excitavit: *Quid? quod eundem in annum consulatus tui consulatum nostrum contulisti.* Non indigna Plinio mihi visa est hæc lectio; quam tamen necdum in contextum orationis recepi, cum in nullis scriptis excusisque libris alicujus varietatis vestigia deprehenderim. Etiam Lipsius, Arntzenius, Gesnerus, nihil hic mutandum censuerunt. *Schwarz.*

Non alia nos pagina] Συνεκδοχικῶς *pagina* hic sumitur pro 'fastis;' quia nomina consulum referebantur in paginas fastorum. Valerius Max. VI. 9. 14. 'Cujus Marii septem in fastis consulatus leguntur.' Hinc Cic. de Domitio, qui fieri consul volebat, et non poterat, Attic. IV. 8. vocat 'consulum paginulas:' 'Ut non minus longas jam in codicillorum fastis futurorum consulum paginulas habeat, quam factorum.' Et Liv. IX. 18. integre appellat 'paginas fastorum:' 'Paginas,' inquit, 'in annalibus fastisque percurrere licet consulum, dictatorumque, quorum nec virtutis, nec fortunæ, ullo die populum Romanum pœnituit.' Τροπικῶς autem *pagina* ali-

quando generatim pro libro ponitur; v. g. apud Martial. v. 2. 'Matronæ, puerique, virginesque, Vobis pagina nostra dedicatur.' Apud Ovid. ex Ponto, III. 1. 57. 'Non te nescire patitur mea pagina.' Apud Symmach. Epist. IV. 32. 'Ipse paginis ediscenda committas;' qui et 'paginas' crebro pro 'literis' sive 'epistolis' ponit. Κατ' ἐξοχὴν vero 'fasti' non raro vocantur 'paginæ.' Juvenal. Sat. x. 57. 'Quosdam ... mergit longa atque insignis honorum Pagina.' Claudian. Consul. Stilic. II. 244. 'Cur nondum legitur fastis? cur pagina tantum Nescit adhuc nomen, quod jam (in computandis annis) numerare decebat?' Fasti autem erant vel publici, vel privati. 'Fasti publici,' quibus nomina consulum aliorumque magistratuum continebantur, videntur publicati fuisse in foro: quia A. C. 1547. inter Forum et Sacram Viam in ruderibus egestis inventa sunt fragmenta quatuor tabularum marmorearum, quibus olim incisi fuere fasti Romanorum; quæ fragmenta cumprimis illustravit Onuphrius Panvinius. Itemque tales fastos etiam in templo Jani propositos fuisse suspicor, cum Martial. XI. 4. dicat, 'Et qui purpureis jam tertia nomina fastis, Jane, refers Nervæ; te precor ore pio.' Et VIII. 2. 'Fastorum genitor, parensque Janus.' Quos Martialis 'purpureos fastos,' hos 'pictos' appellat Ovid. Fast. I. 11. Erant et 'privati fasti,' minores nempe libelli, sive codicilli, quibus nomina consulum erant inscripta; quos quisque ad privatum usum habebat, quia sine his non facile computari poterant anni; quibus ornandis inserviebant diptycha; de quibus alibi egimus. De his privatis paginis consulum intelligendus est locus Cic. Attic. IV. 8. *Idem.*

Pagina] Fastorum. *Lips.*

Quæ te] Pronomen *quæ* transumsi e codice Parisiensi, cum ab omnibus ceteris libris abesset, quamvis ad explendam sententiam omnino requiratur. Sic in pari loquendi formula pronomen *quæ* posuit ipse Virgilius, licet facile versum mutare potuisset, ut pronomen hoc omitteret. Ecloga enim VI. 12. canit: 'Nec Phœbo gratior ulla est, Quam sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen.' Tolle hinc pronomen *quæ*, et videbis quantum obscurior evadat sententia. Sane etiam in loco Pliniano multo clariorem et apertiorem esse istam scripturam codicis Parisiensis, ipse fatetur Arntzenius; etsi concisa oratione non digniorem agnoverit. Recepit autem hoc pronomen Gesnerus, quod abesse quidem potuisse concessit, sed augere tamen claritatem haud infitiatus est. *Schwarz.*

Quibus ipse præscriberis] Etiam in hoc verbo non consentiunt libri; prout fieri solet in verbis cum præpositionibus *præ, pro, per*, compositis. Vaticanus codex 3461. Venetus uterque, Salisburgensis, meus, Patavinus, et liber Vossii, atque in excusis Aldus, Philomusus, Rhenanus, Gryphius, habent *perscriberis;* Catanæus, Junta, Lipsius, et plurimi alii, *præscriberis.* Quibus posterioribus assentitur codex Parisiensis. Arntzenius prætulit *perscriberis;* quia, si dixerit Plinius *præscriberis*, videretur fastum aliquem et superbiam in principe notare, quod consulatus quidem daret, sed non nisi suffectos, cum ipse præscriberetur, et nomen anno daret. Sed apage cum ejusmodi ratiocinio! Quodsi enim nemo prudens Trajano vertere vitio, et tanquam superbiam interpretari potuit, quod is consulatum ordinarium multis precibus senatus sibi oblatum decretumque suscipere dignatus est; ecquis ei dederit vitio, quod more perpetuo et solenni in curia et comitiis etiam præsedit omnibus, et nomen suum præ nominibus consulum suffectorum in fastos referri permisit? Potius Pli-

nio, tanquam consuli suffecto, male verti debuisset, ejusque modestiæ repugnasset, si Trajani principis, tunc tanquam consulis ordinarii, prærogativam non agnovisset, neque verbis exprimere voluisset: cum etiam nomina alioqui privatorum, si consulatum ordinarium consequerentur, more consueto præscriberentur, iique priorem anni partem nominibus suis in fastis vindicarent. Equidem non simpliciter damno verbum *perscriberis;* verum videtur ambiguum, utrum pronomen *quibus* referas ad nomen *fastis*, an ad *nostra nomina:* deinde requiro adhuc exempla, ubi absolute dicatur 'fastis perscribere;' cum Cicero huic verbo adjungat præpositionem 'in;' v. g. Verr. IV. 63. 'Literas publicas, quas in sanctiore ærario conditas habebant, proferunt; in quibus, ostendunt, omnia, quæ dixi ablata esse, perscripta.' Et Verr. I. 21. 'Signa atque ornamenta ex urbe hostium vi et virtute capta, ... in tabulas publicas ad ærarium perscribenda curavit.' At cum casu tertio bene construitur verbum 'præscribere;' v. g. apud Virgil. Ecl. VI. 12. 'Sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen.' Et apud Spartian. in Ælio Vero, cap. 5. ubi de illo Vero et Antonino refert: 'Qui primi duo Augusti appellati sunt, et quorum fastis consularibus sic nomina præscribebantur, ut dicantur non duo tantum Antonini, sed duo Augusti.' Apud Tacit. Annal. III. 57. 'publicis privatisque monimentis ad memoriam temporum consulum nomina præscribebantur.' *Idem.*

Præscriberis] *Perscriberis* Livin. in textu; sed in margine, *præscriberis* C.

Præscriberis] *Perscriberis.* Bene *præscriberis*, ceu ordinarius anni ejus consul, quo Plinius ac Tertullus ex Cal. Septembr. consulatum gesserunt. Virgilius: 'nec Phœbo gratior ulla est, Quam sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen.' *Livin.*

Præscriberis] Bene: in ejus nempe capite, ut primus anni consul: et nos suffecti tum, ex ordine. *Lips.*

Comitiis nostris] De comitiis consularibus, et ritu consulum istius temporibus creandorum, egi supra, ad pp. 854. 964. et unde et cetera, quæ hic sequuntur, illustrari possunt.' *Schwarz.*

Præsidere] Hæc jam post oblatum facta, ut tetigi: et dicis caussa, comitia velut habita, præseditque iis consul Trajanus. *Lips.*

Sanctissimum illud carmen] Supra, 'perpessus es longum illud carmen comitiorum, nec jam irridendam moram.' *Livin.*

Carmen] De quo supra: 'Perpessus es longum illud comitiorum carmen.' *Lips.*

Carmen] Diximus ad cap. 63. *Paterol.*

Tuo judicio] Commendatione et suffragio, in senatu. *Lips.*

Renuntiati] Declarati, in campo. Observa ordinem tunc comitialem. *Idem.*

Renuntiati] Primo vocantur tribus, deinde fertur suffragium, post describuntur, tandem renunciantur. *Bern.*

Eum potissimum mensem] *Eos potissimum mensi* V. *Livin.*

Eum potissimum mensem] Probe *eos*, scilicet honores, id est, consulatum nostrum. *Mensi* quoque, non *mensem*, scribendum. Intelligit autem Septembrem; nam Domitianus occisus XIV. Kal. Octobres, ut Sueton. ait c. 17. Ei Nerva mox successit, qui Trajanum adoptavit paucis post imperium diebus. *Idem.*

Nam quod eum potissimum] Mihi nihil clarius aut verius; vir tamen doctus nuper ex vet. codice legit et emendat, *nam quod eos*, et mox *mensi*. Eos, inquit, nempe honores. Quid opus est nebulam suffundere? sententia liquida: Dedisti nobis eum mensem (nempe Septembrem) in quo ce-

lebritas et decus adjici posset nostro consulatui. Quia ex Kalendis Septembribus designati in Novembres. *Lips.*

Eum potissimum mensem] Et in his verbis variant codices. Vaticanus, Guelphicus, et meus habent, *ei potissimum mensi:* at Parisiensis, uterque Venetus, Salisburgensis, Patavinus, et liber Vossii, referunt *eos potissimum mensi.* Quam scripturam etiam Livineius in vetere codice invenerat. Unde, 'Probe,' inquit, '*eos*, scilicet honores, id est, consulatum nostrum; *mensi* quoque, non *mensem*, scribendum.' Contra vero omnes omnino, usque ad Arntzenium, in mpressis libris edidere *eum potissimum mensem* attribuisti, h. e. assignasti, scil. nobis, vel, quod antecesserat, nostris honoribus, h. e. consulatui nostro. Soli Arntzenio, inter omnes editores, placuit evulgare scripturam codicis Livineii. Ego suspicatus sum, in ista lectione, *eos potissimum mensi*, saltem latere vestigia verioris lectionis; cum fortasse librarii antiquiorem lectionem, *ei nos*, inter scribendum confuderint, contraxerintque in *eos*, dum scribere debuissent, *quod ei nos potissimum mensi attribuisti.* Quam conjecturam aliorum judicio relinquo. Interim retinui vulgatam lectionem, quam satis claram esse, cum Lipsio arbitror. Sicut ergo boni auctores ordinarie dicunt, 'alicui locum, aut sedem, attribuere;' nec facile, 'attribuere aliquem loco, aut sedi;' ita convenientius videtur, mensem certum alicui attribuere. Eadem notione Vopiscus in Tacito Imp. cap. 1. usus est verbo 'deputare:' 'Totus ille annus, per quinos et quaternos dies, sive ternos, centum senatoribus deputatus est;' ubi etiam dicere potuisset, *attributus est.* Erat vero Plinii et Cornuti consulatui attributus mensis Septembris, ut ex sequentibus intelligitur, ita tamen, ut, pro more illorum temporum, esset bimestris, et usque ad Kalendas Novembres istius anni protenderetur. Successores Plinii et Cornuti in consulatu suffecto per mensem Novembrem et Decembrem, jam supra, ad pag. 837. indicavi. *Schwarz.*

Mensem] Septembrem conjectare licet e Sueton. Domit. cap. 17. Si enim Trajanus natus est, quo mense Domitianus occisus, natus est utique mense Septembri; nam ille occisus XIV. Kal. Octobris. *Patarol.*

Tuus natalis] *Natalis* proprie dicitur is dies, quo quis natus est; nec est tantum hominum dies, quo primum in hanc lucem sunt editi, sed etiam Deorum, et urbium, ad diem ortus sui significandum. Immo, cum veteres non se solum nasci eo die crederent, quo in lucem exierant, vitamque hanc ingressi erant, sed etiam putarent, se quasi alterius vitæ initium ordiri, si honores in republica amplissimos consequerentur; aut gravi periculo liberati, item alia insigni felicitate, et lætitia, affecti essent; hos omnes pro diebus natalibus habere consueverant. Hinc Cic. pro Flac. cap. 40. cum narraret, quæ salutaria senatus consulta, se consule, sint facta, 'O Nonæ,' inquit, 'illæ Decembres, quæ, me consule, fuistis! quem ego diem vere natalem hujus urbis, (verus autem natalis Romæ conditæ alias erat XI. Kal. Maii,) aut certe salutarem, appellare possum.' Sicut vero Cic. diem restitutionis suæ ex exilio passim nominat 'natalem;' ita et ipsam restitutionem suam, Attic. VI. 6. vocat παλιγγενεσίαν, quod luci et vitæ redditus videretur. In historia principum Romanorum fere tria genera diei natalis occurrunt, quos et solenni ritu festos sacrosque habuere. Primus erat 'natalis imperatorum' proprie dictus, quo primum lucem hanc adspexerant; cujusmodi natalis celebritatem Sueton. in Vitis Cæsarum pas-

sim annotavit. Alter 'natalis imperatorum,' translate dictus, habebatur dicebaturque primus dies cujusque principatus, aut imperii suscepti. Tacit. Hist. II. 79. 'Initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriæ cœptum, festinante Tiberio Alexandro, qui Kalendis Juliis sacramento ejus legiones adegit; isque primus principatus dies in posterum celebratus.' Eumenius Constant. Aug. c. 2. 'Quamvis ille felicissimus dies proxima religione celebratus imperii tui natalis habeatur, quoniam te isto habitu primus ornavit.' Mamert. in Genethl. Maxim. Aug. c. 1. de utroque die natali: 'Hic mihi dies videtur illustrior, magisque celebrandus, qui te primus protulit in lucem: etenim illi ipsi dies, quibus imperii auspicia sumsistis, ob hæc sancti sunt et religiosi, quod tales declaraverunt imperatores.' Adhæc, si qui principes per adoptionem ad imperium pervenerant, ejusmodi 'diem adoptionis' etiam habebant colebantque tanquam natalem; quia adoptio iis aditum ad imperium præmuniebat. Sic, teste Spartiano, in Vita Hadriani Cæsaris, cap. 4. 'Quinto Iduum Augusti die natalem adoptionis celebrari jussit: tertio Iduum earundem et natalem imperii instituit celebrandum.' Jam quæritur, quis 'natalis Trajani' hic designetur: utrum 'natalis nativitatis,' an 'natalis adoptionis?' Ego eum habeo pro 'die adoptionis;' quia, uti Nerva Domitiano occiso XIV. Kalend. Octobr. h. e. d. 18. Septembris, A. C. 97. successerat; ita idem Nerva, pro more illius temporis, eodem die 18. Sept. A. C. 98. Trajanum adoptavit, eumque simul filium, simul Cæsarem imperatorem, et consortem tribunitiæ potestatis, fecit. Cujus sententiæ meæ rationes exponam in Excursus LV. *Schwarz.*

Quibus edicto] *Quibus*, nempe nobis duobus consulibus suffectis, quorum consulatui attribuisti mensem Septembrem, eumque natali tuo insignem; et qui edicto pariter et spectaculo celebrare debemus illum ipsum natalem tuum. Ludos enim et spectacula edituri, proposito libello, diem futuri muneris et apparatum indicebant, quo major foret expectatio illius solennitatis. Quamvis vero alias cura ludorum spectaculorumque partim ad ædiles, partim ad prætores, pertineret; fuit tamen tunc cumprimis consulum, 'edicere natalem principis.' Hinc irascebatur Caligula consulibus illis, qui has partes sui muneris neglexerant, teste Sueton. Calig. c. 26. 'Consulibus oblitis de natali suo edicere (vides edictum consulare,) abrogavit magistratum, fuitque per triduum sine summa potestate res publica.' Atque de eodem imperatore, Caligula cognominato, Dio, l. LIX. pag. 655. narrat, eum tum Domitium constituisse consulem, abrogato consulibus magistratu; quod ferias in suum natalem non indixissent, cum prætores eodem decursionem equestrem, venationemque, exhibuissent, prout quotannis solitum. De verbo 'edicere' dixi supra, ad p. 519. De celebratione natalis Augusti idem Dio l. LIV. p. 545. cujus verba, ut parcam operæ typographorum, ex Latina interpretatione afferre liceat, 'Natalis Augusti in Circo, et variis aliis urbis locis, venationibus celebratus est; idque etsi non decretum, tamen quotannis fere a prætoribus factum.' Spectaculum adeo illud, de quo loquitur Plinius, sigillatim erat Circense. Sic appellatur a Spartiano in Didio Juliano, c. 4. 'Inde ad Circense spectaculum itum est.' Ad celebritatem enim natalis, principis maxime faciebat 'pompa Circensis.' Quod ex loco Dionis Cassii modo excitato, intelligimus; quam pompam Dionys. Halicarnass. lib. VII. optime describit. Sic et, Suetonio referente, Tib. c. 26. hic Cæsar 'natalem suum, ple-

beiis incurrentem Circensibus, vix unius bigæ adjectione honorari passus est.' Et eodem teste, Claud. c. 11. Claudius 'patri Circenses annuos natali die' instituit. Capitolinus in Antonino Pio, cap. 5. tradit, hunc Antoninum 'Circenses natali suo dedicatos non respuisse, aliis honoribus refutatis.' Et in vetusto Calendario, quod primum Bucherius in Doctrina Temporum ad Canonum Paschalium Scriptores, c. 14. deinde Lambecius Biblioth. Vindob. lib. IV. pag. 277. seqq. evulgavit, ad mensem Septembrem, et quidem ad XIV. Kalend. Octobr. hæc legimus: *N. Trajani. Triumphales.* CM. XLVIII. i. e. 'Natalis Trajani. Triumphales (scil. ludi) Circenses Missus XLVIII.' Qui 'missus Circenses' vocentur, explicarunt Onuphrius Panvinius et Bulengerus, qui de Ludis Circensibus docte sunt commentati; item et Salmasius Exercit. Plin. pag. 638. Sueton. Claud. c. 21. 'Circenses frequenter etiam in Vaticano commisit, non nunquam interjecta per quinos missus venatione.' *Idem.*

Edicto] Ad populum, cui a consule nativitas imperatoris celebranda indicebatur. *Patarol.*

Edicto] Quo festivitas natalis tui indicabitur, itemque in eo ludi. *Lips.*

Spectaculo] De more, jam inde ab Augusto. Nam 'ejus natalem annuis Circensibus, idque decreto in perpetium, celebratum,' Dio tradit l. LIV. et LV. Sueton. Tiberium per modestiam omisisse, et 'natalem suum, plebeiis Circensibus intercurrentem, vix bigæ unius adjectione passum honorari.' Sed alil deinde fecerunt, et plura exempla. *Lips.*

Celebrare] Frequentem reddere. Divus Maximus in Natali Dominico: 'Lætitia quanta sit, quantus concursus, cum Imperatoris mundi istius natalis celebrandus est, bene nostis:' et plura quæ addit. *Idem.*

Triplici gaudio] Mirus satis, et a fato concursus. *Idem.*

Triplici gaudio] Natalis principum triplex, vitæ, imperii, adoptionis, qui miro fato in unum concurrit. Vide sis Manilium Vespas. VI. *Grut.*

Triplici gaudio] Dies ille triplici gaudio lætus, quem mox ipse designat Plinius, fuit XIV. Kalend. Octobr. h. e. d. 18. Septembr. Nam hic dies 'abstulit Domitianum, principem pessimum;' cum eo die, A. C. 97. occisum esse Domitianum, narret Sueton. Domit. c. 17. Idem dies hinc 'dedit principem optimum,' nempe Cocceium Nervam, qui Domitiano mox successit, referente præter alios Dione Cassio lib. 68. Adhæc, ille ipse dies 'genuit principem optimo meliorem,' nempe Ulpium Trajanum; quia hujus natalis XIV. Kal. Octobr. celebratus est, innuente etiam Plin. Epist. X. 28. nempe 'natalis adoptionis;' quoniam eo die, anno quidem Christi 98. a Nerva adoptatus, et in partem imperii assumtus erat; qui dies et ipse fuerat 'natalis imperii Nervæ.' Verbum autem 'genuit,' æque ac 'natalis,' hoc loco μεταφορικῶς dicitur de adoptione, quæ nativitatem imitari credebatur: prout probatum dabo Excurs. LV. Triplex adeo, isque mirus fortunæ concursus in eundem diem incidit; non tamen prorsus insolens. Vide, quid Cicero de se referat, Attic. IV. 1. 'Brundisium veni Nonis Sextil. ubi mihi Tulliola mea præsto fuit, natali suo ipso die: qui casu idem natalis erat et Brundisinæ coloniæ, et tuæ vicinæ Salutis.' Idem pro P. Sextio, c. 63. 'Cum ipsis Nonis Sextil. idem dies reditus mei fuisset, qui et natalis idem charissimæ filiæ,' &c. Hic certe quatuor natales in unum diem inciderunt; primus reditus Ciceronis ex exilio, quo sibi et reipublicæ renatus videbatur; alter natalis Tulliæ; tertius, coloniæ Brundisinæ; quartus Salutis; quia eo die ibi celebrabatur ortus et dedicatio ædis Salutis. *Schwarz.*

Abstulit] Domitianum, qui mortuus XIV. Kal. Octobr. *Lips.*

Dedit] Nervam illo ipso die lectum principem. *Idem.*

Optimum] Nervam, qui statim post interfectum Domitianum, pessimum illum, imperator factus est. *Patarol.*

Meliorem] Trajanum. *Idem.*

Genuit] Trajanum. *Lips.*

Sub oculis] Cum sis in urbe, te spectante et sedente. *Idem.*

Augustior solito] Nam tribunatum ac præturam gessit, cui utrique magistratui jus sellæ, sed humilioris. Infra, 'Vos mihi in tribunatu quietis, in prætura modestiæ, cuncti antiquissimum testimonium perhibuistis.' *Livin.*

Augustior solito] Quia hactenus tribuni, inquiunt, aut prætores: at nunc consules in sella altiore, et curuli. Legi, ut statim dicam: nunc illud, videri rescribendum *augustiores*. Ipsi, qui sic vehuntur, crescere videntur, et majestatem ab illo splendore assumere. Quod si de 'curru,' tamen et *augustior* placet, bene, augustior vulgaribus, quia triumphalis. *Lips.*

Augustior] Quia sub oculis imperatoris; insolito nempe consulum decore, quos princeps tanta dignatione prosequeretur. *Patarol.*

Augustior solito currus] Norisius in Dissert. de duobus Nummis Diocletiani et Licinii c. 5. docet, imperatores, consules, prætores, aliosque editores munerum, curru sublimes, et veste triumphali ornatos, per circum vectos esse, cum ad exhibendos ludos processerint. Quod etiam Lipsius, et alii, ex Juvenal. Sat. X. 34. et Sat. XI. 192. ostenderunt. Qui mos jam in republica libera obtinuit; quod cognoscimus ex Liv. XLV. 1. 'Cum in circo ludi fierent, murmur repente populi tota spectacula pervasit, pugnatum in Macedonia, et devictum regem esse. . . . Ante X. Kal. Octobr. ludorum Romanorum secundo die, C. Licinio consuli ad quadrigas mittendas adscendenti, tabellarius, qui se ex Macedonia venisse diceret, laureatas literas attulisse dicitur. Quadrigis missis, consul currum conscendit, et, cum per circum reveheretur ad foros publicos, laureatas tabellas populo ostendit.' Currum, cui editores ludorum insistebant, fuisse triumphalem, tradunt Argolus in notis ad Onuphrium, II. 14. et Rubenius de Re Vest. I. 21. Sed et ipse laudatus Norisius l. c. affirmat, cum summis magistratibus munera edentibus vestis triumphalis fuerit permissa, currum item triumphalem concedi debuisse, quo splendidius pompam Circensium ducerent. Quæ vero sola ratiocinatio non sufficeret; cum Tacit. Annal. I. 15. referat, tribunis plebis petentibus a Tiberio, ut Augustales ludos ederent, concessum quidem fuisse, ut per circum triumphali veste uterentur; 'curru vehi,' haud permissum; quod ideo factum videretur, ne tribuni plebis summis magistratibus honore æquarentur. At bene ostendit Norisius, in nummis Maxentii, processum ejusdem ad edendos ludos exhiberi, eundemque stantem in quadriga triumphalem conspici, adscriptis his verbis: FEL. PROCES. CONSVL. AVG. N. i. e. 'Felix Processus Consulis Augusti Nostri.' Sic legimus, etiam adhuc Theodosii imperatoris temporibus 'consulem suffectum,' in celebritate natalis urbis Romæ, 'curru vectum esse.' Symmachus enim, Epist. IV. 40. hæc narrat: 'Illud ante omnia interpretatio tristis horrescit, quod natali urbis suffectum consulem currus, quo invehebatur, evolvit per ferociam bigarum, quæ triumphum vehebant. Itaque palmata amictus, et consulari insignis ornatu, fracto crure sublatus est.' Dum vero Norisius ibidem contra Chimentellium negat, in tali curru etiam positam fuisse sellam curulem; nescio, quomodo explicanda sint verba Ammiani Marcellini, qui

xxv. 10. de consulari processu Joviani ait, 'ne in curuli sella veheretur ex more.' Verum concedo, variasse identidem istas cærimonias, maxime sub imperatoribus. Itaque, cum Plinius dicit, se exceptum iri 'augustiore solito curru;' tunc vel præsumendum est, in honorem natalis Trajani, novis consulibus Circenses edituris, præter consuetudinem, splendidiorem pompam, et fortasse currum quadrigarum, non renuente principe, a senatu fuisse decretum; vel putandum, 'currum' hunc ideo dici 'solito angustiorem,' ut distinguatur a quotidiano consulum curru, tanquam triumphalis, quorum usus in Circensibus; quam explicationem attulit Arntzenius ex Theod. Marcilii notis ad Sueton. Domit. cap. 2. vel, quod mihi in mentem venit, illa formula loquendi, 'currus solito augustior,' non tam hic comparative, quam simpliciter, est accipienda, quasi dicatur, 'currus admodum augustus.' Sic enim comparativis, intendendæ significationis caussa, aliquot ablativi apud probos auctores addi solent; v. g. 'solito,' 'æquo,' 'justo,' 'dicto,' 'opinione;' ubi comparativum, propter hos additos ablativos, vel in superlativum, vel in positivum, cum particula 'admodum,' &c. convertere possumus; v. g. 'velocius solito currere,' i. e. velocissime, vel, admodum velociter, currere. 'Tristior solito,' i. e. tristissimus, vel admodum tristis. 'Dicto citius,' i. e. citissime, vel admodum cito, &c. *Schwarz.*

Currus] Sella curulis, consulum propria; seu currus, quem conscendebat prætor, aut consul spectacula editurus, triumphali veste indutus, ut opinatus est Lipsius. *Patarol.*

Currus] Ipse currus, non sella curulis. Mos vero sic habet: Circenses istos prætor aut consul edebat; atque is curru sublimis, et in habitu triumphali. Juvenal. 'Quid, si vidisset prætorem in curribus altis Exstantem, et medio sublimem in pulvere circi, In tunica Jovis, et pictæ Sarrana ferentem Ex humeris aulæa togæ?' En prætorem tibi 'in curru, in circo, in veste triumphi.' Symmach. Epist. vi. 41. 'Illud ante omnia interpretatio tristis horrescit, quod natali urbis suffectum consulem, currus, quo vehebatur, evolvit, per ferociam bigarum, quæ triumphum vehebant.' Tacit. Annal. i. 15. de tribunis plebis, qui Augustalia celebraturi, 'curru vehi, haud permissum:' ne scilicet consulibus aut prætoribus æquarentur. Vide me ibi. Possit tamen etiam simpliciter aptari ad ritum, quo primo die consules in curru vehebantur sublimes. Cassiodor. Epist. xi. 11. 'Celsos currus (sic legendum) nisi confidentia magna non appetit.' Et mox, 'Respice te supra omnium humeros, atque ora volitare:' quæ omnia ad consulem designatum scribuntur. Ammian. xv. 34. 'Adhibito in societatem trabeæ Varroniano filio, admodum parvulo, cujus vagitus pertinaciter reluctantis, ne in curuli sella veheretur, ex more; id quod mox accidit, portendebat.' Sed fortasse magis novitius iste mos. *Lips.*

Secunda omina] Læta tibi nobisque precantium. *Idem.*

Secunda omina] In Mss. quibusdam, ut Veneto secundo, meo, Patavino, et libro Vossiano, item et in impressis Beroaldi, Catanæi, Sichardi, et Puteani, non *omina*, sed *omnia* legimus; verum facillima et frequentissima fuit ista harum vocum confusio, cujus exempla jam annotavit Drackenborchius ad Sil. ix. 4. 'Si fausta forent et prospera pugnæ Omina;' ubi aliquot libri etiam habuerunt *omnia*. Schwarz.

Vehemur] Plurimi fere libri excusi huic verbo præponunt copulam, *et vehemur alacres, et incerti*, quam copulam neque quatuor Vaticani agnoscunt, neque ambo Veneti, neque

Parisiensis, Salisburgensis, Guelpherbytanus, et meus; et nunc etiam prætermiserunt recentiores. Per 'clamorem' Plinius indicat acclamationes, et plausus spectatorum in circo, cum et imperatori, et novis consulibus, ac deinde etiam certantibus, ex utroque latere circi applauderent, acclamarentque. Seneca Epist. 83. 'Ecce, circensium obstrepit clamor! Subita aliqua et universa voce feriuntur aures meæ.' In nonnullis codicibus pro *utra*, mendose scriptum est *utraque*. Idem.

Ex utra parte] Ex utro latere circi. *Lips.*

CAP. XCIII. *Consules esse*] H. e. re ipsa esse consules, et exerere potestatem auctoritatemque consularem. *Schwarz.*

Nullus ex principe metus] I. e. nullus metus, quem princeps nobis afferat. Præpositio *ex* hic caussam declarat. Prorsus hoc modo Tacit. Annal. I. 29. 'Ex duce metus.' Idem Annal. XI. 20. 'Quanquam multa simul offenderentur, metus ex imperatore, contemtio ex barbaris,' &c. Idem in Agric. cap. 16. 'Proprius ex legato timor.' Confer supra, ad p. 1067. In codice Patavino, et libro Vossiano, hæc verba ἀπροσδιόνυσον sunt transposita, *quippe nullum periculum in principe, nullus metus, consulares, &c.* Etiam codex Guelpherbytanus minus congruenter pro voce *metus*, habet *motus*. Idem.

Consulares animos] I. e. animos consule dignos. Plane in hanc sententiam scripsit Cic. ad Planc. Epist. X. 6. 'Complures in perturbatione reipublicæ consules dicti, quorum nemo consularis (i. e. qui nomine et officio consulis dignus esset,) habitus, nisi qui animo extitit in rempublicam consulari.' Idem Cic. Pison. pag. 10. 'Quid? tu in lictoribus, in toga, et prætexta, esse consulatum putas?... Animo consulem esse oportet, consilio, fide, gravitate, vigilantia, cura; toto denique munere consulatus omni officio tuendo, maximeque, id, quod vis nominis præscribit, reipublicæ consulendo.' Alias 'consularis' dicitur ille, qui consulatu abiit, et jam ante fuit consul; prout Plinius noster in fine hujus Panegyrici ait, 'Non ut me consularem, sed ut candidatum consulatus, putem.' Deinde 'consularis,' et 'consulare,' etiam dicebatur, quisquis, et quid quid, ad consulatum pertinuit; v. g. 'fasces consulares,' Liv. II. 54. 'fasces atque insignia consularia,' Vell. II. 58. 'consularis lictor,' Horat. Od. II. 16. 9. 'familia consularis,' ex qua fuerant consules, Cic. pro Planc. cap. 24. 'consulare imperium,' Cic. in Pison. cap. 16. 'consularia officia,' Plin. Panegyr. LXXVI. 5. 'consularis solicitudo,' ibid. XLI. 1. 'consulares curæ,' ibid. LXXIX. 5. et sic nunc dicit *animos consulares.* Idem.

Nihil coactis decernendum] Sub malis principibus sæpe cogebantur senatores, quamvis inviti, sequi, quod unus ex composito, secundum voluntatem talium principum censuerat. Vide Plin. Epist. VIII. 14. et Panegyr. cap. LXXVI. *Idem.*

Manet manebitque honori] I. e. consulatui, sive honori consulatus, perdurat, perdurabitque et servabitur sua, quæ ei debetur, veneratio. Grammatici tradunt, verbum 'manere,' si ponatur pro perseverare, sive durare, servari, superesse, vel absolute poni, vel casum dandi habere. Utriusque exempla habes apud Plinium nostrum. Absolute ponitur Paneg. cap. XXXVI. 2. 'Manet tamen honor legum.' LII. 5. 'Istæ quidem æneæ et paucæ (statuæ) manent, manebuntque, quamdiu templum ipsum.' Deinde verbum 'manere' in hac notione conjungitur cum casu dandi, in hoc Plinii loco, et XXIV. 2. 'Manet imperatori, quæ prior oris humanitas.' Item Epist. IX. 11. 'Quibus (libris)

manere gratiam, quam in urbe collegerint, delector.' Porro docent, si cum casu accusandi jungatur, poni pro 'expectare.' Huc pertinet locus Paneg. LV. 10. 'Fama (principis) invitum manet.' Cic. Philipp. XIII. 20. 'Sin autem aliud me fatum manet.' Sanctius Minervæ II. 4. pag. 193. contendit, verbum 'manere' etiam in expectandi notione non raro casum dandi admittere. Consentit Heins. ad Claudian. Eutrop. II. 479. Est vero error librarii, qui in cod. Ms. Veneto 1. scripsit, *manebitque honoris veneratio sua.* Idem.

Nec securitatem auctoritate] I. e. nec, si auctoritate muneris nostri utemur, fortunæ vitæque periculum, sicut sub malorum principum regimine, adibimus. Pro nomine *securitatem*, in altero libro Gudii annotatum est *severitatem;* quod vero hic nulli usui est; nec placet, quod librarius in meo codice, pro *fuerit*, scripsit *fuit.* Idem.

Securitatem auctoritate] Id est, nec periclitabimur, si auctoritatem loci magistratusque tenebimus: ut ante sub tyrannis. *Lips.*

Nec securitatem] Olim periculum in auctoritate: et vix in obscuro securitas. *Bern.*

Non sæculi] H. e. non culpa est regiminis et imperii tui. Vide notata ad XVIII. 1. Hæc Plinii Symmachus videtur imitatus, Epist. X. 22. ad Valentinianum Augustum: 'Facite, ut omnes intelligant, si forte desit rectoribus integer vigor, hominis culpam esse, non sæculi.' *Schwarz.*

Ante principes] I. e. in republica libera, antequam summa rerum ad unius principatum translata erat. *Id.*

Nisi tantum illam] *Nisi tamen illam* V. *Livin.*

Nisi tantum illam] *Tamen* arbitror verum. Supra, 'Nisi quod tamen, qui rursus consules fiunt, bis quidem, sed diversis temporibus obligantur.' Epist. I. 9. 'Nemo me apud quemquam sinistris sermonibus carpit, neminem ipse reprehendo, nisi tamen me, cum parum commode scribo.' Vitiose est in editis, *nisi tum me.* VIII. 17. 'Nisi quod tamen est dolendi modus, non est timendi.' Corrupte, *Nisi quod tantum* vulgatur. VI. 21. 'Nisi quod tamen poëtis mentiri licet.' *Livin.*

Consules tuos] A te tali creatos, quod est super ipsum consulatum. *Lips.*

Consules tuos] I. e. consules a te tali tantoque principe creatos, et judicio tuo singularique erga nos fiducia constitutos. Confer Plin. supra, XCI. 3. Ovid. ex Ponto, IV. 9. 65. ubi loquitur de Græcini honore consulatus ab Augusto collato: 'Qui (honor) quanquam est ingens, et nullum Martia summo Altius imperium consule Roma videt: Multiplicat tamen hunc gravitas auctoris honorem; Et majestatem res data dantis habet.' Symmach. Epist. X. 22. 'Sed intelligo, quanto plus solicitudinis habeat magistratus, qui ex judicio, quam qui ex gratia, venit. Ille enim, ut meritis datus, spem sui debet æquare: iste, ut per beneficium quæsitus, a periculo præstationis alienus est. Quis ergo me huic oneri parem faciet? Scilicet vestra clementia, cujus interest, ne temere electus existimer.' *Schwarz.*

Ea sentiamus] Absunt V. *Livin.*

Consularibus digna] 'Consulares' non hic sunt consules, sed ex usitatissima significatione ii, qui consulatu jam perfuncti; quanquam Rupertus noster quondam monuerit ad Florum, pag. 570. 'consularem' seu 'virum consularis dignitatis' aliquando dictum esse, quemcunque extulit consulatus, seu eum gerat, seu gesserit. Plinius nempe dicere voluit, se, et collegam suum, Cornutum, non solum in ipso consulatu agere velle consules, quales ante principes fuerint; sed etiam post consulatum operam datu-

ros, ut, grati animi declarandi caussa, semper meminerint, se consules fuisse, et quidem consules Trajani judicio electos; eaque in censendo sententiisque dicendis sectaturos, quæ consularibus digna essent; adeoque, quamvis abierint consulatu, nec consilium suum, nec operam, subtracturos esse, &c. Proprie enim non tam consulum, quam consularium, et ceterorum senatorum, erat, 'sentire,' sive 'sententiam dicere, et censere.' Consulis primarii erat, convocare senatum, res referre, sententias rogare, et numerare, atque de consilii sententia decernere. Equidem sub principatu, si princeps præsens esset in senatu, hic non ferebat sententiam, sed rogabat tantum. Sin abesset princeps, consul, penes quem eo mense fasces erant, postquam retulisset ad senatum, sententias rogabat. Et, quanquam aliquando variaret ordo interrogandi; ordinarie tamen consul ille regens rogabat primum collegam, deinde consules designatos, tum consulares, et prætorios, ac denique ceteros senatores. Quid vero 'dignum fuerit consularibus,' indicat Cic. Fam. x. 6. quem adeas; ubi tandem: 'Hæc,' inquit, 'si et ages, et senties, tum eris non modo consul, et consularis; sed magnus etiam et consul, et consularis.' Et Philipp. VII. 2. 'Consularium,' inquit, 'nomine nemo dignus est, nisi qui tanti honoris nomen potest sustinere.' Ceterum, pro verbo *censeamus*, in solo codice Parisiensi scriptum est *teneamus;* quod verbum quidem non incommodum foret, nisi idem mox in fine hujus capitis recurrat. *Schwarz.*

Esse rempublicam] In qua nempe non unius et solius principis stet pro ratione voluntas; sed communi omnium saluti sit consulendum. *Idem.*

Rempublicam] Non tyrannicum dominium, sed quasi aristocratiam, in qua plurimum optimis liceat. *Patarol.*

Disjunctos nos] Ita in omnibus libris excusis legitur, præter Cuspiniani et Arntzenii editiones, in quibus proditum est *defunctos.* Invenerat nempe Arntzenius in Vossii et Guelpherbytani codicis excerptis hanc scripturam; quam verissimam lectionem esse judicavit; cum 'defunctus honoribus' dicatur is, qui honores gessit, et ab iis est dimissus. Cui vero sententiæ nondum subscribere possum; etsi nec infitiari queam, hanc lectionem *defunctos* in ceteris quoque codicibus Mss. quos consului, inveniri; præterquam, quod in codice Ms. Parisiensi vulgata lectio sit exarata. Invenerat illud *defunctos* etiam Livineius in vetere codice; sed margini editionis suæ adscripsit, 'sibi non placere.' Quæ lectio nec mihi placet, cum videatur ex glossa prognata, ut tanquam notior explicaret vocem non æque notam. Si quid enim judicare possum, arbitror, non satis huc quadrare vocabulum *defunctos*, cum Plinius negare non potuerit, se, et collegam suum, Cornutum, post duos menses *defunctos* fore consulatu, eoque duobus aliis consulibus suffectis cessuros. Negabat potius, se tunc ita fore *disjunctos dimissosque consulatu*, ut in posterum prorsus sejunctas alienasque rationes a consulatu sint habituri; cum potius tam 'adstrictos devinctosque' se sint putaturi, ut tanquam consulares semper pro virili parte bene recteque consulere velint rei publicæ. Sane, 'disjuncti' et 'dimissi,' qui etiam ab officio suo quasi sejungebantur; quemadmodum et 'dimissa' dicitur repudiata uxor, apud Sueton. Tib. c. 10. multo rectius, quam 'defuncti,' tanquam ἀντίθετα opponuntur sequentibus participiis, 'adstrictis' et 'devinctis.' 'Disjunguntur' enim proprie copulata, conjuncta, adstricta, vincta. Cic. de Haruspic. Responsis, cap. 24. 'Quorum mentes longe a communi salute disjunctæ sunt.'

Idem Philipp. II. 8. 'Non modo non cohærentia inter se dicis, sed maxime disjuncta atque contraria.' Ceterum, pro *dimissos*, Puteolanus, Beroaldus, Aldus, Cuspinianus, Rhenanus, non satis apte ediderunt *demissos*, cum ceteri libri omnes, et scripti, et impressi, habeant *dimissos*. Schwarz.

Dimissos] Quasi jam ultra non opus vacare reipub. ut emeritos, et rude donatos, quia scilicet culmen honorum scandimus. *Lips.*

Eundemque locum] Primum scilicet. Sicut in reverentia et dignitate primi sumus, jam consulares; ita et in labore curaque simus. *Idem.*

Eundemque locum] Solus codex meus habet *eum denique locum;* quæ quidem lectio non est incongruens; nullam tamen affert necessitatem alicujus emendationis. Quis vero non videt, quam facile ex posterioribus syllabis τοῦ *eundemque*, fieri potuerit, *denique;* ac vice versa, ex *eum denique*, *eundemque*. Schwarz.

CAP. XCIV. *In fine orationis*] Unde est orsa, nempe a precibus et votis, iisdem terminatur, oratio. Sic etiam Cicero aliquot orationes claudit votis, et Deorum tutelarium invocatione; v. g. Verr. v. 72. seqq. Catilin. I. Orat. pro Sulla cap. 31. pro Domo sua ad Pontifices cap. 51. &c. *Idem.*

Præsides custodesque imperii] Homines veræ religionis expertes fingebant colebantque varios provinciarum et urbium Deos custodes et tutelares, quales vocat Horat. Od. I. 36. 'Custodes Numidæ Deos;' Cic. de Nat. Deor. III. 23. 'Apollinem custodem Athenarum,' &c. itemque sub variis nominibus, modo πατρῴων, modo ἐγγενῶν, seu ἐγχωρίων, modo ἀκραίων, modo πολιούχων, modo σωτήρων, aut apud Romanos similiter 'patriorum,' 'custodum,' 'tutatorum,' 'propugnatorum,' aliisque, obvia in nummis ac lapidibus antiquis est mentio. Vide Spanhem. Obs. ad Callimach. pag. 308. Nunc ex sola Ciceronis Oratione pro Domo sua ad Pontif. fere similem repetam clausulam: 'Quocirca te, Capitoline Jupiter, quem propter beneficia populus Romanus Optimum, propter vim Maximum, vocavit, teque, Juno regina, et te, custos urbis, Minerva, ... precor ac quæso; vosque, qui maxime me repetistis atque revocastis, patrii Penates, familiaresque, qui huic urbi et reipublicæ præsidetis,' &c. Et ex Vell. II. 31. 'Voto finiendum volumen sit: Jupiter Capitoline, et auctor ac stator Romani nominis, Gradive Mars,' &c. Præcipue Rycquius de Capitolio Romano, cap. 6. ostendit, apud Romanos Deorum tutelarium templa potissimum in arce montis Capitolini fuisse: ac cap. 19. et 20. sigillatim describit Jovis Capitolini insignia, fulmen aureum, barbam auream, sceptrum, sive hastam, sellam eburneam, vestem pictam; Jovemque hunc his cognominibus appellatum, Capitolinum, Tarpeium, Optimum Maximum, Custodem, Conservatorem, Propugnatorem Augg., Cœlestinum, Doliochenum, Fulminantem, Romanum. Nescio vero, quo errore inducti librarii in omnibus codicibus Mss. pro voce *Deos*, reposuerint *Divos;* et pro singulari *consul*, numerum multitudinis *consules*. A quo errore neque Puteolani, neque Beroaldi editiones sunt immunes. Codex Patavinus habet, *Divos ergo consules;* Vossianus, *Divo ergo consules*. Primi veram lectionem prodidere Catanæus, Aldus, Cuspinianus. Dum vero Plinius dicit, *ego consul pro rebus humanis ... precor;* Romano stilo intelligit res Romanas. Sic Epist. x. 1. ait, 'Precor ergo, ut tibi, et per te generi humano, prospera omnia .... contingant.' Sic et ipse scriptor divinus, Lucas, II. 1. ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, *ut describeretur totus terrarum orbis*, i. e.

imperium Romanum. *Idem.*

Imperii, Deos] *Imperii divos* V. *Livin.*

Principi precabamur] Aptius *imprecabamur*, litera finali geminata; est autem de Domitiano. *Lips.*

Quæ malo principi precabamur] Librarii, qui forte ignorarunt, eos quoque 'precari' dici posse, qui alii mala imprecantur, veram lectionem mutarunt, ita, ut in codice Parisiensi rescripserint, *quæ sub malo principe precabamur;* in Vatic. Guelpherb. Patavino, et meo, *quæ pro malo principe precabamur;* in Veneto 2. et Salisburgensi, *quæ malo principe precabamur;* et sic etiam scriptum invenerat Livineius. At 'precari' non solum dicuntur, qui bene, sed etiam, qui male, precantur, sive imprecantur. Sic Plautus Asin. II. 4. 71. 'Pergin' precari pessimo?' Cic. in Pison. c. 19. 'Neque vero ego, si unquam vobis mala precarer, quod sæpe feci, in quo Dii immortales meas preces audiverunt, morbum, aut mortem, aut cruciatum, precarer.' Et Valer. Cato, in Diris, postquam multa mala imprecatus erat Battaro, vs. 47. canit: 'Sic precor, et nostris superent hæc carmina votis!' Non igitur satis caussæ erat, quamobrem Lipsius censeret, aptius fore, *imprecabamur;* neque necesse habebant Berneggerus, et Hackius, ut Lipsio obsecuti ederent *imprecabamur.* Ceterum, vel ex hoc loco intelligimus, verba 'audire' et 'exaudire' eadem notione identidem accipi, pro 'annuere precibus,' seu facere, quod quis petierat: nisi tamen, quod verbum 'exaudire,' quod altero loco ponitur, aliquid promtius et certius in audiendis precibus significare videatur. *Schwarz.*

Non te distringimus votis] H. e. non multis precibus votisque te distrahimus, et quasi defatigamus. 'Distringere' significat in partes diversas distrahere. Vide supra, ad p. 655. 'Innumera rusticos cura distringat,' ait Plinius Major XVIII. 26. Plinius noster Epist. IX. 2. 'Ipse multum distringebar plerumque frigidis negotiis.' Epist. III. 5. 'Quem partim publica, partim amicorum officia, distringunt.' *Idem.*

Unum omnium votum] Vide Sueton. Aug. cap. 58. Senec. de Clem. I. 19. Martialis illud nec absimile, ad Jovem: 'Nil pro me mihi Jupiter petenti, Ne succensueris, velut superbo. Te pro Cæsare debeo rogare, Pro me debeo Cæsarem rogare.' *Lips.*

Unum omnium votum est] Vox *unum* omissa est in codicibus Mss. Venetis, Salisburgensi, Guelpherb. Patavino, et meo; item et in editione Puteolani ac Beroaldi. Et videtur potuisse abesse; cum jam lateat in antecedente dictione, *Simplex cunctaque ista complexum, &c.* Male vero vocabulum *omnium*, ex compendiosa nota convertit Puteolanus in *aium*, et Beroaldus in *animum.* Sic vero noster jam supra, XXIII. 5. dixerat: 'Ut in unius salutem collata omnium vota! cum sibi et liberis suis intelligerent precari, quæ pro te precarentur.' In codice Vaticano et Patavino pronissima confusione pro *votum*, scriptum est *notum.* Schwarz.

Nec vero nova tibi injungimus] I. e. Nec nova a te, o Jupiter, petimus, precibusque nostris efflagitamus. Cuspinianus, Gryphius, et Sichardus edidere *Nec vero novam tibi injungimus curam.* Prope abfuit, ut hanc lectionem admitterem, cum maxime in codicibus Mss. Venetis, Parisiensi, Salisburgensi, et libro Vossiano, scriptum deprehenderim *nec vero novam tibi injungimus. Tu enim, &c.* Ibi enim suspicabar, vocabulum *curam* in antiquiore quodam codice propter vetustatem exolevisse, ut a librariis describentibus legi non potuerit. Sed et recte stare potest lectio vulgata. *Idem.*

Nova tibi injungimus] *Novam tibi injungimus* C. G. *Livin.*

Prædonis] Domitiani. *Patarol.*

Cum altissima quæque] Hac eleganti metaphora, recte interpretante Baudio, designantur viri illustres et eminentissimi, qui a tyranno opprimebantur innocentes, aut exilio, aut morte, affecti. Sic de Neronis temporibus Tacit. Annal. XIV. 19. 'Sequuntur virorum illustrium mortes, Domitii Afri, et M. Servilii, qui summis honoribus et multa eloquentia viguerant.' Vell. II. 22. 'Neque licentia in mediocres sævitum; sed excelsissimi quique atque eminentissimi viri variis suppliciorum generibus affecti.' *Schwarz.*

Qui omnibus excelsior] Inutile additamentum habet codex meus, *qui in omnibus excelsior*. Et Vaticanus ac Guelpherbytanus, *qui pro omnibus excelsior*. Immo, nonnulli scripti impressique libri etiam addunt verbum substantivum, *qui omnibus excelsior erat;* quod vero verbum expressum hoc loco requirere nolim. *Idem.*

Excelsior] *Excelsior erat* V. C. *Liv.*

Præteritus est] Omnes codices Mss. habent *perterritus est;* et in sequentibus *perterreri*, pro *præteriri;* nisi, quod solus Patavinus refert lectionem vulgatam, quam merito tuemur. Hoc vero voluit dicere Plinius: Præteritus ista calamitosa tempestate, nec a Domitiano, principe pessimo, læsus est Trajanus, qui præteriri in successione deferenda non potuit a Nerva, principe optimo, successorem sibi quærente; cum ab hoc ad filii et imperatoris honorem eligeretur et adoptaretur. Acumen sententiæ captavit Plinius ab ambigua significatione verbi 'præterire.' Plinio enim *præteritus* h. l. μεταφορικῶς dicitur, tum ille, qui non una cum aliis viris bonis exilio aut morte affectus est; tum ille, qui non honore et dignitate ornatus est. Scilicet Trajanus a Domitiano non quidem prorsus *præteritus est*, in honoribus tribuendis, cum sub Domitiano et præturam, et consulatum primum, gesserit, atque ab eodem ad Germanicum bellum ex Hispania cum legionibus sit evocatus; at enimvero *præteritus est* injuriis inferendis; v. g. cum, inter tot aliorum consularium stragem, Acilius Glabrio, qui fuerat Trajani collega in consulatu, A. C. 91. gesto, postea leonibus in theatro exponeretur, et, cum ab his non læsus esset, jussu Domitiani, occideretur; id quod Xiphilinus narrat in Vita Domitiani; tunc tamen Trajanus evasit hujusmodi cladem. Hinc *præteritus* esse dicitur a Domitiano tyranno; sed non *præteritus est* a Nerva, adoptante sibi filium, et in imperio successorem. Alias, *præteritus est*, proprie dicebatur is, qui in petitione magistratus tulerat repulsam, ut apud Plautum, ac sæpius apud Ciceronem, et Livium. Plaut. Trinum. IV. 3. 29. 'Strenuos præterire, moris est.' Cic. pro Planc. c. 3. 'Populus, et potest, et solet, nonnunquam dignos præterire; nec, si a populo præteritus est, quem non oportuit, a judicibus condemnandus est, qui præteritus non est.' Ibid. c. 21. 'Quos omnes scimus ædilitate præteritos, consules esse factos. Sed quid ego ædilitias repulsas colligo? quæ sæpe ejusmodi habitæ sunt, ut iis, qui præteriti essent, benigne a populo factum videretur.' Liv. IV. 7. 'Principes plebis ea comitia malebant, quibus non haberetur ratio sui, quam ut indigni præterirentur.' Vides ergo, 'aliquem præteriri,' hic idem esse, ac alicujus rationem non haberi in conferendis honoribus. Erasmus in Adagiis, pag. 1583. 'Dicitur,' inquit, 'populus, eos ex competitoribus in comitiis præterire, quos suis suffragiis non adjuvat.' Etiam in jure liberi dicuntur a parte 'præteriri,' seu 'prætermitti,' qui ab eo in testamento neque heredes instituti, neque, ut oportet, exheredati sunt. Caius Institut. de Exheredatione Liberorum, 'Is, qui filium in

potestate habet, . . . si masculum filium in testamento præterierit, non valebit testamentum. Si vero filiam præterierit, non rumpit testamentum filia prætermissa.' Sed et generatim ille dicitur 'præteriri,' qui 'non scribitur heres' in testamento. Plinius supra, XLIII. 2. 'Scriberis ab amicis, ab ignotis præteriris.' *Schwarz.*

Ab optimo] In eligendo et adoptando. *Lips.*

Non potuit] Quo minus in imperatorem et successorem eligeretur. *Patarol.*

Signa] Vide supra, v. 4. et quæ ibi annotata. *Idem.*

Tuo nomine] Vide dicta ibidem. *Idem.*

Tuo nomine, tuo honore] Nempe imperatorio nomine et honore. Scilicet cum Trajanus, more majorum, post vota in Capitolio nuncupata, tanquam legatus, cum lictoribus ab urbe profecturus esset in Germaniam ad exercitum; accidit, ut turba, quæ tunc limen capitolii insederat, ad ingressum Trajani, Jovem imperatorem, salutaret adoraretque, et diceret, 'Salve, Imperator!' sed, ad Jovem. Cujus rei mentionem jam supra fecit Plin. v. 4. et XXIII. 4. Hoc deinceps versum est in omen, et quasi augurium, quo divinitus sit significatum, Trajanum fore imperatorem. Erat vero, præter Jovem Capitolinum, etiam simulacrum Jovis Imperatoris in Capitolio, apud Prænestinos olim cultum, quod, capto opido, Romam detulit Quintius, et dedicatum posuit inter cellam Jovis ac Minervæ, referente Liv. VI. 29. Etiam Cic. Verr. IV. 58. commemorat tria Jovis Imperatoris signa in orbe terrarum pulcherrime facta. *Schwarz.*

Tuo nomine] 'Imperatoris' Catanæus exponit; nam Jovem ab Orpheo cognomento regis et imperatoris ornari. Ego *Optimi Maximi* malim. Supra, 'Siquidem omnis turba, quæ limen insederat, ad ingressum tuum foribus reclusis, illa quidem, ut tunc arbitrabatur, Deum, ceterum, ut docuit eventus, te consalutavit imperatorem.' Error igitur plebis, opinor, Trajanum Optimum Maximum salutantis, cum Jovem haberet in mente, ut omen quoddam imperii, quod ei quandoque deberetur, exceptus. Adeo 'Sæpe ipsum populi numen in ore sonat.' *Livin.*

Tuo nomine] Imperatoris, ut explicavi sub initium: 'Omnis turba, quæ limen insederat, te consalutavit imperatorem.' Et Jupiter communiter sic agnominatus. Plautus, 'Qui est imperator Divum atque hominum Jupiter.' *Lips.*

Voce Imperatoris] Mire dicit Plinius, Jovem tunc locutum, quid senserit, h. e. Jovem hoc omen per signa significasse atque declarasse, futurum esse, ut Trajanus ad gubernacula imperii admoveretur. Unde Cellarius: 'Quod turba clamavit, Jovi tribuitur; quasi instinctu illius hoc omen populus ediderit, fore, ut Imperator clamaretur.' Quanquam hic nomen imperatoris potius de Imperatore Nerva explicari possit: Nervæ enim Trajanum in Capitolio adoptantis voce Jupiter quasi ipse locutus dicitur, quid senserit; hinc enim Plinius mox dicit, 'filium illi,' i. e. imperatori Nervæ, 'elegisti.' *Schwarz.*

Pontificem maximum] Hic summam in rebus sacris potestatem habebat, cujus sacerdotium, post Augustum, omnes susceperunt imperatores, ad Gratianum usque. Equidem Trajanus statim per adoptionem et filius Nervæ, et Cæsar, et Imperator, consorsque tribunitiæ potestatis, declaratus; at pontificatum maximum demum post obitum Nervæ adeptus est. Vide ad LXIII. 3. seqq. *Idem.*

Nuncupari jubet] De his votis jam supra dixit Plin. LXVII. 4. et LXVIII. 1. *Idem.*

Quandoque] I. e. Aliquando, futuro tempore. Vide ad X. 5. In codice

Parisiensi librarius negligenter omisit has voces, *nostris ac pronepotibus*. Occasio labendi fuit, quia præcesserat *nepotibus*. Idem.

Adoptato] Sibi adoptato a Nerva; seu, qualis esse debet, qui adoptari meretur a principe; quia tunc optimus ex optimis eligi debet. *Patarol.*

Sis eligenti] In Parisiensi codice, et utroque Veneto, scriptum est *si legenti;* in Patavino, *se eligenti;* in Vossiano, *seligente;* in Salisburgensi, *in consilio similem monstres aliquem*. Copulam *que* nonnulli codices prætermittunt, et sigillatim Vaticani, Guelpherb. et meus habent, *in consilio sibi legenti monstres aliquem*. Schwarz.

Eligenti] *Legenti* V. *Livin.*

Quem adoptari] Alii volunt Neratium Priscum: alii exemplo Alexandri neminem. Ausonius scilicet Hadrianum; sed juxta Dionem hic Plotinæ favore, Attiani artibus, et armata sua manu imperator creatus. Nec desunt, qui a senatu petiisse Trajanum scribunt, ut, si quid humanitus ipsi accidisset, optimum eligeret. *Bern.*

In Capitolio] Plinius noster supra, VIII. 1. et 3. 'Itaque non tua in cubiculo, sed in templo; nec ante genialem torum, sed ante pulvinar Jovis optimi maximi, adoptio peracta est. Nerva, advocata hominum concione Deorumque, te filium sibi ... adsumsit.' Nihil attinet, jam exponere, ubi, et quomodo, privatorum peracta adoptio. At adoptio principum non eodem semper modo, sed ex arbitrio imperatorum, peragi solita est. Jul. Cæsar in ima cera testamenti C. Octavium in familiam nomenque adoptavit, referente Sueton. Cæs. c. 83. et Vell. II. 59. Augustus ipse Caium et Lucium adoptavit domi per assem et libram emtos a patre Agrippa, teste Sueton. Aug. c. 64. at tertium nepotem, Agrippam, simulque privignum Tiberium, adoptavit in foro, idque lege curiata, ibid. c. 65. Cum Galba adoptaturus esset Pisonem, teste Tacito Hist. I. 17. consultatum est, pro rostris, an in senatu, an in castris, adoptio nuncuparetur? Iri in castra tunc placuit. Alii literis, ceu rescriptis, adoptarunt filios et successores, ut de Hadriano narrat Spartian. c. 4. Confer Spanhem. Obs. ad Juliani Orat. I. p. 46. *Schwarz.*

CAP. XCV. *Publicis*] Actis senatus, et tabulis publicis, ubi elogia super Plinio. *Lips.*

In tribunatu] Equidem Plinius etiam tribunum militum egit in Syria. Vide supra ad LXXXIX. 2. Sed hic sine dubio indicatur tribunatus plebis. His enim maxime tribunis laudi ducebatur, si quieti essent, nec cierent turbas; quanquam tribuni plebis nequaquam tanta pollerent potestate sub imperatoribus, quanta pollebant in republica libera. Hujus tribunatus ipse meminit Plin. Epist. I. 23. Postea, A. C. 93. præturam gessit. Sed hæc, et alia, quæ ad honores Plinii spectant, plenius ex ipsius vita cognoscuntur. *Schwarz.*

Quietis] Ideo quietis, quia in urbe nihil plus inquietum tribunis plebis, quoties auctoritate sua uti adversus senatum voluissent. Patet res ex historiis vulgatissimis. Quare Lucanus: 'Et cum consulibus turbantes jura tribuni.' *Patarol.*

Modestiæ] Nihil supra prætoris gradum sibi vindicando, cum tamen magistratus ille tantæ esset dignitatis, ut prætor collega consulis diceretur, atque insignibus consularibus uteretur. Dictum ad c. LXXVII. *Id.*

Officiis] Caussis in foro tractandis, et defendendis provincialibus, quibus constitutus ipse fuerat advocatus a senatu. *Idem.*

Quæ e studiis nostris] I. e. Quæ officia nobis injunxeratis, pro studiorum nostrorum ratione, sive, propter nostra studia, quæ in caussis forensibus agendis potissimum versabantur.

Præpositionem enim *ex*, vel *e*, aliquando caussam declarare, jam supra monui, ad xc. 2. et xciii. 1. Legimus autem, Plinium aliquoties de voluntate senatus Romani caussas sociorum provincialium egisse. Et primum quidem is, una cum Herennio Senecione, provinciæ Bæticæ a senatu datus est advocatus adversus Bæbium Massam, qui, cum proconsul fuisset in ista Hispaniæ provincia, male rem gesserat. Quam caussam commemorat Epist. iii. 4. vi. 29. et vii. 33. Deinde alio tempore legati ejusdem provinciæ Bæticæ, questuri de Cæcilio Classico, qui proconsulatum in ea non minus violenter, quam sordide, gesserat, Plinium sibi advocatum a senatu petierant; sed, collegis eum excusantibus, factum erat S. C. perquam honorificum, ut Plinius daretur provincialibus istis patronus, si ab ipso eum impetrassent; et impetrarunt, Vide Epist. i. 7. et Epist. iii. 4. et 9. Eodem circiter tempore, cum provinciales Afri patronum optassent Plinium contra Marium Priscum, quem una civitas publice, multique privati reum peregerant; Plinius quidem et petiit veniam hujus muneris, et impetravit; quia propter susceptam præfecturam ærarii renuntiasset omnibus advocationibus: tandem tamen annuit, moderatæque voluntati amplissimi ordinis paruit. Quo pertinent Epist. ii. 11. iii. 9. x. 20. et 21. Ceterum hic locus admodum corruptus apparet in codicibus Mss. ut de vero ejus sensu actum fuisset, nisi optimæ quæque editiones, quæ nihil variant, meliorem, eamque vulgatam, lectionem nobis dedissent. Vaticani et Guelpherbytanus habent, *Vos in istis officiis et studiis nostris, quæ circa tuendos socios injunxeratis, cum constantia, &c.* Parisiensis, *Vos in istis officiis, et quæ e studiis c. t. s. i. cum tum constantiæ, &c.* Uterque Venetus, *Vos in istis officiis etiam, quæ et e studiis nostris c. t. s. i. cum tum constantiæ, &c.* Salisburgensis et meus eandem lectionem codicum Venetorum referunt, nisi quod pro *cum tum*, solum habeant *cum;* et meus præterea præpositionem *e*, prætermittat. Adhuc pejus hunc locum deformarunt codex Patavinus et liber Vossianus. Sigillatim vero vox *cuncti* in nullo codice Ms. integra exprimitur. Ceterum in verbis, *circa tuendos socios*, notandus est singularis usus particulæ *circa*, quæ pro 'de,' 'quod attinet ad,' 'in,' 'erga,' frequenter occurrit apud scriptores ævi Pliniani. Non fastidio, ut puto, erit harum rerum studiosis, si qua exempla afferam; v. g. Pro 'de' posuisse videntur, Plinius Major viii. 6. 'Varia circa hæc (de his) opinio.' Quinctil. Proœm. lib. i. 'Nullam ingenii sperantes gratiam circa res procul ab ostentatione positas.' Sueton. Claud. cap. 45. 'Donec circa successorem omnia ordinarentur.' Tacit. Annal. xi. 29. 'Callistus mihi circa necem Cæsaris narratus.' Trajanus ad Plin. x. 10. 'Quid oporteat fieri circa theatrum. . . Quid Claudiopolitanis circa balineum suadendum sit, tu constitues.' Pro, 'quod attinet ad:' Plinius noster, Ep. iii. 9. 'Et circa Classicum quidem brevis et expeditus labor. Circa Hispanum et Probum multum sudoris.' Epist. x. 70. 'Nec prudentia, nec diligentia, tibi defuit circa istum lacum.' Paneg. xx. 3. 'Nullum circa hospitia fastidium.' Tacit. Hist. i. 13. 'Hi discordes circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur.' Sueton. Ner. cap. 51. 'Nero fuit circa cultum habitumque adeo pudendus,' &c. Idem in Claud. cap. 14. 'Claudius consulatum tertium gessit, novo circa principem exemplo in locum demortui suffectus.' Pro 'in:' Quinctil. Proœm. lib. viii.

'Præcipue circa partis hujus præcepta elaboravit.' Idem Proœm. lib. VI. 'Ipsum illum alienatæ mentis errorem circa solas literas habuit.' Sueton. Aug. c. 64. 'Circa cærimonias correxit quædam.' Pro 'erga:' Tacit. Annal. XI. 15. 'Id nunc segnius fit, publica circa bonas artes socordia.' Sueton. Tib. cap. 69. 'Circa Deos et religiones negligentior.' Plin. Epist. VI. 21. 'Circa me tantum benignitate nimia modum excessit.' Quinctil. Declam. I. 7. 'Quid enim circa te pecunia potest?' Justin. XIV. 1. 'Simul ut, quomodo circa se animati essent, cognoscerent.' *Schwarz.*

E studiis nostris] Id est, pro studiorum nostrorum fama et celebritate. Lege Plin. Epist. II. 11. *Livin.*

E studiis] Eloquentiæ, et forensium causarum. *Lips.*

Antiquissimum] Maximum, nobilissimum, antiquis simile, inquit Catanæus. *Patarol.*

Testimonium perhibuistis] In meo codice pro *perhibuistis*, perperam scriptum est *prohibuistis*. In unico libro Vossiano pro verbo vulgato annotatum est *pertribuistis;* quod verbum arripuit, primusque omnium edidit Arntzenius; quia Plin. Epist. X. 18. scripsit, 'Qua privatim, qua publice, testimonium pertribuerunt.' Hoc enim verbum Cortius ex Aldi et Gryphii editionibus ibi prodidit, cum alias vulgo legeretur *retribuerunt;* quoniam verba illa, 'pertribuere,' 'perrogare,' 'peragere,' 'pertractare,' cum præpositione 'per' composita, universitatem quandam, et quod factum sit ab omnibus, notare soleant. Neutiquam contemno verbum *pertribuerunt;* agnoscoque, ista duo verba facile inter se a librariis permisceri potuisse; sed neque ullam necessitatem video, cur rejiciam vulgatam, et ab omnibus ceteris libris confirmatam lectionem, *perhibuerunt*, cum inprimis dubium sit, utrum *pertribuerunt* Vossius in codice Ms. invenerit, an ex ingenio adscripserit libro suo. Etenim ne codex quidem Patavinus in hoc verbo recedit a vulgata lectione, cum alias Vossius plurimas lectiones suas variantes ex hoc codice Patavino petiisse videatur. Sicut vero boni auctores alias frequenter dicunt, alicui 'testimonium dare, reddere, tribuere, impertiri;' ita etiam dicunt, 'testimonium perhibere;' v. g. Varro R. R. II. 5. Columella III. 9. Plinius Major VII. 30. et 38. Ceterum, inter alia, tale testimonium Plinio, nomine senatus, perhibuit Cornutus Tertullus. Quod ipse Plinius narrat, Epist. II. 11. 'Cornutus Tertullus, cos. designatus, vir egregius, et pro veritate firmissimus .. in fine sententiæ adjecit, quod ego et Tacitus injuncta advocatione diligenter fortiterque functi essemus, arbitrari senatum, ita nos fecisse, ut dignum mandatis partibus fuerit.' *Schwarz.*

Testimonium] Quale Tertulli consulis in Marii accusatione, Epist. II. 9. 'Secundus et Tacitus injuncta advocatione diligenter et fortiter functi sunt,' &c. *Bern.*

Destinationem consulatus] *Destinationem*, quæ in curia, præsente senatu, fiebat, videri antecessisse designationem, et declarationem, quæ peragebatur in campo Martio, jam supra monui ad LXXVII. 1. quanquam hic etiam pro designatione poni videatur. Sequens verbum, *approbavistis*, in meo codice scriptum est *probavistis;* in Vaticano et Guelpherbytano *approbastis.* Schwarz.

Tunc verissime] *Tunc* abest in V. Livineii: male. *Rittersh.*

Cum adeptus est] I. e. Cum assecutus est, et gerit honorem. Adagium Græcum, Ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσι, *magistratus indicat virum*, alii Pittaco, alii Soloni, alii Bianti tribuunt; cujus sensus est, in vita privata vix

satis perspici posse mores et ingenium hominis; verum si cui imperium et publicum honorem committas, tum demum apparere, quo sit animo, et an sit dignus munere. Vide Erasmi Adagia. Etenim, quod Pindarus ait, Nem. Od. III. Ἐν δὲ πείρᾳ τέλος διαφαίνεται, ὧν τις ἐξοχώτερος γένηται. *In experimento tandem apparet, quibus aliquis sit præstantior.* Mamert. Grat. Act. Juliano Aug. cap. 31. 'Facilius est, imperator, bonis artibus mereri, consulem fieri, quam industria et labore perficere, ut videaris meruisse, cum factus sis.' *Schwarz.*

Cum adeptus est] Veteri dicto, ἡ ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσι, *magistratus virum probat.* Lips.

Cum adeptus est] Omnibus fere convenit illud Dejaniræ: 'Cœpisti melius quam desinis, ultima primis Cedunt.' Tacit. Annal. VI. 32. 'Cesserunt prima postremis, et bona juventæ senectus flagitiosa obliteravit. Facilius est bonis artibus mereri consulem fieri, quam industria et labore perficere, ut videaris meruisse, cum factus sis.' Mamertin. Jul. cap. 31. Sic frater Agamemnonem apud Eurip. increpat: *Scis,* inquit, *quando cupiebas Græcis præfici ad Ilium, quam eras humilis,* ἁπάσης δεξιᾶς προσθιγγάνων, Καὶ ἐπεὶ κατέσχες ἀρχὰς, μεταβάλλων ἄλλους τρόπους, Δυσπρόσιτος, κ.τ.λ. 'Nempe difficile est illis in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulavere.' Gruter. Amplius vide in Discurs. IV. 24. *Bern.*

Favete huic proposito, et credite] Ab his verbis dependet tota hæc periodus, cujus sententia facile intelligitur, quando particulam *si*, quæ per anaphoram aliquoties repetitur, per 'quandoquidem,' sive 'quoniam,' hoc loco exponas. Hoc vero voluit dicere Plinius: Favete, vos senatores, et credite huic proposito meo, ac verum certumque habete, me enisurum esse, ut vestrum consensum complectar, et rei publicæ pro virili parte bene consulam, *si .. substiti; si .. numeror; si denique in tantum diligo, &c.* Jam assume pro particula *si*, particulam 'quandoquidem,' sive 'ideo quoniam,' tum facile connectes totam hanc sententiam. Constat vero, particulam *si*, aliquando poni pro 'quoniam,' seu 'quandoquidem,' inprimis si ab aliis aliquid petituri, aut aliquem érituri, modeste loqui, et in recensendis caussis moventibus merita nostra non aperte jactare velimus. Ita Donatus, vetus ille scholiastes, interpretatur illud Terent. Andr. I. 5. 57. 'Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras, Si (i. e. ideo, quoniam) te in germani fratris dilexi loco; Sive hæc te solum semper facit maximi, Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.' Sic tunc dicimus, inquit Donatus, quando præstitimus aliquid, et tamen volumus exprobrare, ut Virgil. Æneid. IX. 404. 'Tu Dea, tu præsens nostro succurre labori; Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris Dona tulit; si qua ipsa meis venatibus auxi, Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi: Hunc sine me turbare globum, et rege tela per auras.' Idem Æn. IV. 517. 'Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam Dulce meum; miserere domus labentis.' Westerhovius ad locum ex Terentii Andria modo citatum: 'Utimur,' inquit, 'particula *si* in obtestationibus, (item et adhortationibus,) caussam dicturi, quare quid petimus.' Cic. Fam. V. 2. 'A te peto, ut tu quoque æquum te judicem dolori meo præbeas; si acerbe, si crudeliter, si sine caussa, sum a tuis oppugnatus, ut statuas.' Et X. 9. 'Te, ut diligas me, si me mutuo facturum scis, rogo.' Et pro Murena, cap. 40. 'Atque ita nos Murena, judices, orat atque obsecrat, si injuste neminem læsit; si nullius aures voluntatemve violavit; si nemini, ut levissime dicam, odio, nec domi, nec militiæ,

fuit; sit apud vos modestiæ locus.' Idem Catil. I. 8. 'Quid est, Catilina, quod jam amplius expectes, si neque nox tenebris obscurare cœtus nefarios, nec privata domus parietibus continere vocem conjurationis tuæ potest? si illustrantur, si erumpunt omnia?' Phædr. IV. 19. 'Si pulchre vides, Quam non conveniens aurum sit vitæ meæ, Respondeas clementer.' Non parum, ut opinor, ad hunc locum illustrandum etiam conferent, si repetantur ea, quæ supra, ad XC. 6. ex vita Plinii nostri jam annotavi. *Schwarz.*

Cursu quodam provectus] Intelligit præturam sub Domitiano gestam Epist. III. 11. *Livin.*

Cursu quodam] Sive, *quondam.* Lipsius.

Provectus] Ad tribunatum et præturam, Epist. III. 11. *Idem.*

Cursu quodam provectus] 'Cursus' μεταφορικῶς ponitur pro 'cursu honorum,' sive, pro ratione et modo solito petendi consequendique honores. Ita plane loquitur Cic. pro Planc. cap. 7. 'Doceo, Cn. Plancium non obrepsisse ad honorem, sed eo venisse cursu, qui semper patuerit hominibus ortis hoc nostro equestri loco.' Sic Cicero etiam alibi translate dixit, 'animi et industriæ cursum;' 'benevolentiæ cursum;' 'ingenii cursum;' 'vivendi cursum.' Sic et Noster generatim ponit pro instituto et vivendi ratione, Paneg. XLIII. 3. 'Tene, Cæsar, hunc cursum.' Simili translatione mox dicit Plinius, 'Longius iter malui;' i. e. tardius ad petendos honores procedere malui, expectaturus tempora meliora. Haud secus supra, VII. 1. 'O novum atque inauditum ad principatum iter!' Et Epist. VIII. 10. 'Quibus videor a meo tuoque latere pronum ad honores iter relicturus.' Sed et eandem metaphoram continuat Plinius, addito participio *provectus,* i. e. promotus. Supra, XLIV. 'Hos ergo provehis,' i. e. promoves ad honores: et XLVI. 'Boni provehuntur.' Tacit. Hist. I. 1. 'Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam, non abnuerim.' Codices Vaticani 3461. et 1475. item et Guelpherbytanus, pro *provectus,* minus accurate habent *profectus.* Pro *quodam,* referunt *quondam,* iidem codices Vaticani, Salisburgensis, ambo Veneti, et Parisiensis; quam particulam et Lipsius probasse videtur; nec ea forte simpliciter est rejicienda. Sed prave edidit Beroaldus *quoddam.* Nec codex Parisiensis, et Venetus 2. pro *malui,* recte reposuit *maluit.* Schwarzius.

Insidiosissimo principe] Domitiano, sub quo Plinius fuerat tribunus et prætor. *Patarol.*

Antequam profiteretur odium] Primo enim imperii tempore Domitianus 'usque adeo ab omni cæde abhorrebat, . . . ut edicere destinaverit, ne boves immolarentur.' Sueton. cap. 9. Mox ad sævitiam omnium, et ad civium cædes, convertit animum, ut videre est apud eundem Sueton. et Dionem. Adnotatum et supra ad XLVIII. et LXXXVIII. *Idem.*

Cum viderem] Libet huc transcribere annotationem, quam scriptam mecum communicavit vir humanissimus Christoph. Aug. Heumannus: 'Lego, inquit, *si, cum viderem.* Est enim anaphora, *si, si, si, si denique.* Ceterum magna huic loco pulchritudo demitur, si non recte intelligatur. Nec vero loci hujus verum sensum cepit Lipsius, in sua hujus Panegyrici editione Antverpiensi. Baudius vero sua in editione locum hunc magis depravavit falsa interpunctione. Ut recte eum capiamus, similes formulas producam ex Ovidio. Is, Trist. I. 2. 99.-106. 'Imo ita, si scitis; si me meus abstulit error, Stultaque mens nobis, non scelerata, fuit. Quamlibet e minimis domui si favimus illi, Sique rata Augusti publica jussa mi-

hi: Hoc duce (i. e. imperatore,) si dixi felicia sæcula, proque Cæsare tura pius Cæsaribusque dedi; Si fuit hic animus nobis, ita parcite, Divi!' Videsne, hunc esse hujus orationis sensum? Rogo, ut mihi parcatis, et quidem non alia conditione, quam si id non feci ex malitia, sed per imprudentiam; sique semper laudavi Augustum, et ejus imperium, sique pro ejus salute Diis sacrificavi. Hæc enim si feci, dignus sum, cui parcatis et cujus misereamini, &c. Similis locus Trist. III. 6. 21. seqq. Et tertius locus est Trist. V. 3. 53. Apparet nunc, quis verus sit sensus, quæ vera verba Plinii. Sic scilicet legendum: *Vos modo favete huic*, (scil. meo) *proposito, et quidem, si cursu . . . substiti; si, cum viderem, . . . malui; si malis . . . , numeror; si denique, &c.* Volo, inquit Plinius, non alia conditione a vobis amari adjuvarique, quam si .. si .. si .. si denique, &c. Vos namque satis nostis, hæc singula esse verissima, quod videlicet, 1. postquam Domitianus suum erga bonos odium professus est, substiterim in eo, quem tum assecutus eram, honoris gradu, nec ab eo altiorem in locum evehi studuerim; 2. non compendiariam improborum viam ad honores dignitatesque secutus sim, sed longiorem illam virorum bonorum; 3. malis temporibus, id est, Domitiani illis, mœstus et solicitus, contra sub bono principe securus tutusque fuerim; 4. denique tanto me amore prosequatur Trajanus, princeps optimus, quanto me prosequebatur odio principum pessimus, Domitianus. Jam igitur et video, pro *diligo optimum Principem*, scribi oportere, *diligor optimo Principi.*' Hactenus Heumannus. Bene se alia habent; verum, quod ad particulam *si* attinet, quam vir doctissimus verbis, *cum viderem*, etiam præponendam existimavit, quam et Christoph. Behrius, quondam Prof. Gedanensis, hoc in loco requisivit; fateor, si quidem eam, aut pro ea, saltem copulam, *ac*, seu *et*, in vetere quodam libro reperissem, me haud ægre assumturum fuisse; veruntamen hoc supplementum haudquaquam puto necessarium, et in hac re lubens adstipulor Gesnero, qui hæc commentatus est: 'Re iterum considerata, non puto opus esse, ut contra libros omnes *si* præponamus; quod Plinius ad propositionem modo capitalem adjecit: hæc, *cum viderem, . . . malui*, incidens modo est, quæ interpretatur illud, *substiti.*' Schwarz.

Ad honores compendia paterent] *Compendium* generatim dicitur omne genus lucri et quæstus, quod vel in pecunia, vel opera, vel via, vel tempore, facere possumus. Præ ceteris de contractiore et breviore via dici solet; quam quis, ambagibus relictis, sectans, facit quasi lucrum lassitudinis. Quinctil. Instit. Orat. II. 13. 'Et stratum militari labore iter sæpe deserimus, compendio ducti.' Idem IV. 2. 'Amœnum ac molle iter, etiamsi est spatii amplioris, minus fatigat, quam durum arduumque compendium.' Deinde transfertur ad breviorem et faciliorem quemcunque agendi, docendi, aut aliquid obtinendi, rationem. Idem Quinctil. I. 1. 'Brevia docendi monstrare compendia,' &c. *Compendia* etiam dicuntur artes breviter facileque perveniendi ad honores et dignitates; quæ vel bonæ sunt, vel malæ. De tali expedita, eaque bona et compendiaria via loquitur Cic. Offic. II. 12. 'Præclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam, et quasi compendiariam, dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset.' Cf. Val. Max. VII. 2. 1. Hoc loco Plinius intelligit compendiariam malarum artium viam perveniendi ad honores, nempe per adulationes, delationes, et scelera; quia, tradente Tacito Annal. XIV. 57. tales artes sæpe validiores, et

pravis principibus gratiores, quam artes bonæ, fuere. *Idem.*

Compendia] Per malas artes, et delationes. *Lips.*

Compendia] Malæ nimirum artes. Vide annotata ad c. XLIV. et LXXVIII. *Patarol.*

Diligo optimum principem] Ex supra notatis videmus, Heumannum acute censuisse, scribendum esse, *Si denique in tantum diligor optimo principi.* Verum, contra auctoritatem omnium librorum, nihil in his muto. Prius hujus sententiæ membrum se recte habet, facitque vel maxime ad declarandam Plinii erga Trajanum pietatem; ac magis eum decebat suam erga principem charitatem pietatemque testari, quam de principis erga se amore gratiaque jactanter gloriari. Quod alterum membrum attinet, *in quantum invisus pessimo fui*; equidem ἀντιθέσεως rhetoricæ ratio requirere videbatur, ut Plinius diceret, *Si denique in tantum diligo optimum principem, in quantum odi pessimum;* sed plus modestiæ ac prudentiæ ex vulgata lectione apparet, quam ut ea corrigi debeat. *Schwarz.*

Pessimo fui] Videtur pendere tota hæc periodus, nec tamen pendet. Modus ita rogandi est, 'Si hoc feci, dixi,' &c. favete et credite. *Lips.*

Ego reverentiæ] Majus maximo promissum Plinii. Simile illud Ennodii in Paneg. Theodor. 'Ego tibi, quod admirationem vincat, oppono principem meum, ita ortum, ut eum non liceat improbari; ita agere, ut quasi inter imperatores adhuc precetur adjungi.' *Bern.*

Reverentiæ vestræ s. s. inserviam] I. e. ego vos semper reverentissime colam, sive, ut loquitur Plin. Epist. III. 8. et IV. 17. habebo præstaboque vobis omnem reverentiam. Putes, scribi debuisse, *reverentiæ vestri inserviam;* prout Plinius ait Epist. V. 1. 'ut tibi nihil abstulerit reverentiæ mei;' verum in nullo libro animadvertere licuit aliquam hujus loci variationem. Vide Excurs. XX. *Schwarz.*

Consulem] Qui nunc hæc dico. *Lipsius.*

Candidatum consulatus] His verbis Plinius de se pollicetur omnem erga senatum reverentiam et obsequium; quia boni candidati fuit, se reverentem adversus superiores, et officiosum erga alios quosvis, præbere. Hinc Plinius supra, LXIX. 3. 'Quis vel uno die reverentior senatus candidatus, quam tu, cum omni vita, tum illo ipso tempore, quo judicas de candidatis?' Et Cic. in Pison. c. 23. 'Quid? dico, venisse pæne neminem, ne de officiosissima quidem natione candidatorum.' Plin. Epist. VI. 6. 'Me consularem esse non sentio; nam rursus mihi videor omnium, quæ decucurri, candidatus.' *Schwarz.*

Candidatum] Qui obnoxii semper, reverentes, supplices. Finem meum scribendi habeo, utinam illum alterum, ut legant, capiant, audiantque hæc principes, cum æterno suo publico bono! Da, o tu Æterne. *Lips.*

Candidatum] Tanquam debeam mihi rectis operibus meritum consulatus obtinendi comparare. *Patarol.*

FINIS NOTARUM VARIORUM.